UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon Prussiae

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Visual Library


SV
R 14
Th. 5703.

ERZBISCHÖFL.
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex Legato Celmi Principis Ferdin: Epi Paderb: et Monaster: Ao 1683.



Collegij Soc^tis IESU Paderb:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PETRI DE DUSBURG,

Ordinis Teutonici Sacerdotis,

CHRONICON PRUSSIÆ,

in quo

ORDINIS TEUTONICI ORIGO,

NEC NON

Res ab ejusdem Ordinis Magistris ab An. MCCXXVI. usque ad An. MCCCXXVI. in Prussia gestæ exponuntur,

cum incerti Auctoris

CONTINUATIONE

usque ad Annum MCCCCXXXV.

Accesserunt

his præter NOTAS in DUSBURGENSEM

PRIVILEGIA QUÆDAM

Prussis antiquitùs concessa,

Item

DISSERTATIONES XIX.

ANTIQVITATES PRUSSICAS

complexæ.

AUCTORE ET COLLECTORE

CHRISTOPHORO Hartknoch/

Passenheim. Prusso.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ,

Sumtibus MARTINI HALLERVORDII, Bibl. Regiom. Prus.

JENÆ,

Typis JOHANNIS NISI, Anno M DC LXXIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ordinis Teutonici Sacerdotis,

CHRONICON PRUSSIÆ,

Ordinis Teutonici Origo,

Res gestæ Ordinis in Prussia,

MCCXXXVI. usque ad An. MCCCXXVI

CONTINUATUM

usque ad Annum MCCCXXXX.

PRIMUM EDITUM

DISSERTATIONE XIX

ANTIQUITATES PRUSSICAS

AUCTORE ET COLLECTORE

CHRISTOPHORO Schutzio

Samboba ALAMANNI Regis Nepote

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VIRIS

Magnificis, Nobilissimis atque Amplissimis

DNN. BURGGRABIO REGIO, PRÆSIDI, PRÆCONSULIBUS, ET CONSULIBUS

Reipubl. Thorunienſis graviſſimis, Patronis ac Promotoribus meis æternùm colendis.

DUsburgium, antiquiſſimum Pruſſicæ Hiſtoriæ Scriptorem, Animadverſionibus & Notis illuſtratum, Antiquitatesque Pruſſicas, Veſtris, Patroni, nominibus inſcribo conſecroque. Nec fas eſt Thorunii publico munere fungenti, alios extra Thorunium quærere Scriptis ſuis Patronos. Quanquam enim hi, quos offero, fœtus Regiomonti primò concepti, per varias deinde Pruſſiæ urbes non exiguis incrementis aucti ſunt; tamen Thorunii ultimam adepti perfectionem, Patriam,

quæ, judice Tullio, una omnes omnium caritates com[illegible]ectitur, tandem invenere. Neque est, quod eos Patriæ hujus pœniteat, à cujus claritudine plurimum lucis accipiunt. Non tangam hîc tempora recentiora; sed cum in Antiquitatibus eruendis occuper, ex antiquo etiã Thorunii statu lucem ipsis fœnerabor. Thorunium urbs urbium Prussicarum est antiquissima, quæ prima gremio suo Germanos excepit, primamque iisdem contra Prussos tunc temporis adhuc ethnicæ superstitioni deditos aperuit portam. Et licet Culmensibus hæc gloria vulgo tribuatur, ex Dusburgensi tamen nostro non tantùm satis manifestè elucet, Thorunium esse antiquius; sed etiam non obscurè colligitur, unde factum sit, quod Culmæ prærogativa postmodum sit attributa. Videlicet cum Thorunium illud vetus in hunc, in quo nunc situm est, locum transferretur, Culma, quæ paulò ante novũ Thorunium erat excitata, palmam & huic præripuit. Verùm ut Culma prærogativam casu tantùm quodam adepta est, ita eam non diu servavit. Posteaquam enim Sec. XV. sub imperio Polonico, Cruciferorum rebus favere deprehensa est, re-

cupe-

cuperavit Thorunium priſtinam ſibique debitam prærogativam, ut & hodie caput Prusſicarum urbium cenſeatur. Reſpondebant etiam huic Thorunienſium gloriæ pares opes divitiæque. Ab ipſis quippe incunabulis urbs hæc vela dimittebat in Daniam, Sveciam, Brabantiam, Flandriam aliasque Europæ partes. Fabulis quidem hæc non abſimilia multis hodiernam Viſtulæ conditionem conſiderantibus eſſe videbuntur: ſed ut Acta publica Urbis hujus fallere nos non queunt, ita facile quoque dubiis his occurritur. Nimirum alveus Viſtulæ multò quondam erat arctior, eoque profundior, ut magnarum quoque navium capax eſſet. Circa initia verò Sec. XV. Viſtula crebris inundationibus alveum ſuum egreſſa, ſabulo multa opplevit loca. Quare liberiore jam curſu gaudens navigationes dictas magno Thorunienſium Culmenſiumque damno ſtitit. Præter externas autem illas divitias quanta hîc Deum immortalem! ſemper fuit rerum omnium abundantia? Unicum tantùm commemorabo, quod fidem vix apud poſteritatem inveniet. Vini quondam tanta his in locis fuit copia, ut nulla fermè circa Thorunium fuerit villa, quin vineis amœniſſimis

fuerit consita. Patrum adhuc memoriâ juxta Thorunium ex Vineis ad Vistulã sitis vinum fuisse expressum, vel in vulgus notum est. Ex his atq; talibus plurimis, quæ in ipsis Antiquitatibus & Animadversionib9 ad Dusburgensem commemoramus, de Patria adeò celebri opus hocce nostrum sibi potest gratulari. Suscipite igitur, Viri Magnifici ac Nobilissimi benigno vultu, quod in urbe vestra natum, illudq; benevolentiâ vestrâ prosequimini. Quod si hoc patrociniô vestrô fovere non fueritis dedignati, ad plura id genus audenda me facietis alacriorem. Interea Deum Opt. Max. precabor, ut non solùm Vos omnes in Reipubl. Vestræ commodum atque incrementum diu servet sospites atque incolumes; sed ut semper etiam, quod Ennius de Romana, de Vestra dicere queamus Vrbe

Moribus antiquis res stat THORVNNA *Virisque.*

Dabam Thorunii
d. 22. Junii
An. M.DC.LXXIX.

Magnif. atq; Amplitud. Vestrarum

Cliens addictissimus

M. CHRISTOPHORUS Hartknoch/
in Gymnas. Thorun. Profess.

Præfatio ad Lectorem.

ANtequam, Lector Benevole, Dusburgii & Antiquitatum noſtrarum lectionem auſpiceris, paucula hæc, quæ moneo pro cauſa, legere ne graveris. Miraberis fortaſſe me poſt Daubmannos, Schuzios, Hennebergeros, Waiſſelios aliosque ad Res Pruſſicas illuſtrandas acceſſiſſe, & ſic Iliada poſt Homerum ſcripſiſſe. Neque minus tibi mirum videbitur, vetus hoc, &, ut fortaſſe tibi videbitur, planè exſuccum Petri Dusburgenſis Chronicon, quo facile carere potuiſſet eruditus orbis, me ab interitu vindicare voluiſſe. Verùm ſuſpende, quæſo, judicium hocce tuum, donec tantùm, quæ fuerit inſtituti noſtri ratio, intellexeris; & propoſitum hoc noſtrum, credo, non improbabis. Quod enim primùm ad Pruſſicas Antiquitates attinet, illæ non ſunt adeò in vulgus notæ. Quin auſim dicere, illas in hunc usque diem partim tenebris plus quàm Cimmeriis involutas, partim etiam tot anilibus fabellis à Scriptoribus contaminatas eſſe, ut parum aut nihil certi ex hucusque editis ipſorum monumentis haurire nobis liceat. Dum enim

hi potissimùm Historiæ nostræ recentiora, vel potiùs media, celebrant, antiquiorum exterarumque rerum, sine quibus illæ intelligi non possunt, plane sunt incurioſi. Vidit hunc Historiæ Prussicæ defectum Vir Nobiliſſ atque Amplisſ. Dn. Fridericus Zamelius Consul, dum viveret, Elbingensium digniſſimus, qui etiam ipse huic rei manum admovit, Prussiam antiquam nobis daturus. Sed res, nescio quo fato, caruit eventu. Vidi etiam Gedani apud Excellentiſſ. Dn. Christian. Rosteuscherum J.U. Licentiatum, ejusdemque in Athenæo Gedanensi Professorem optimè merentem, Syllabum Antiquitatum Prussicarum in libros tres distribularum. His autem neque Auctor fuerat adscriptus neque quidquam ex Antiquitatibus ipsis, præter dictam illam futuri operis delineationem, superabat. Hæc igitur cum animadverterem, incessit & me solita multis per minus trita eundi cupiditas, ut, cum ante aliquot annos in Academia Regiomontana Historiarum Studioſis materiæ essent proponendæ, quas illi pro cathedra defenderent, has potiſſimùm seligerem, quæ ad illustrandam patriam faciebant Historiam. Itaque publici juris jam tum feci Dissertationes quatuor, nimirum de Originibus Prussicis, de antiqua Prussorum Republica, de Juris Prussici Origine & de Idololatria veterum Prussorum, quas publico examini exposuerunt

runt Generosi ac Nobilissimi juvenes Christophorꝰ Wolffgangus à Nettelhorst & Henricus Fridericus à Rippen Nobiles Prussi; ut & t Nob. ac Politiss. Michael Mekelburg. & Frider. Werner ὁ ἐν ἁγίοις. Nec defuere Patroni, qui mihi ad hoc studium non omninò, ut spem faciebant, infructuosum stimulos addebant. Hi quoque me compulere, ut & reliquis, quas adhuc premebam, Dissertationibus ultimam imponerem manum; & illis, quas jam ediderам, limam adderem, sicque simul omnes publici juris facerem. Et hoc etiam mihi succesſit ex voto. Non alia quoque ratio fuit, currere futurum crediderim, si Dusburgensis, primus eorum, quos habemus, Historiæ Prussicæ Scriptor, ederetur. Dum enim Antiquitatibus Prussicis illustrandis immoror, & eâ, quâ fieri potest, diligentiâ in primos Historiæ Prussicæ conditores inquiro, obtulit hic se mihi primus, omniumque probatissimus. Indolui hìc fatis nostris, ubi impuros non rarò rivulos nos bibere, ipsos autem Historiæ Prussicæ fontes negligere animadverti. Augebat dolorem, quod etiam ex iis, quæ à junioribus Historicis consignata sunt, multæ non parvi momenti res in dubium vocari posse videbam. Addidit his non nihil solicitudo aliarum Nationum, quæ plerosque suarum rerum Scriptores aut jam pridem ediderunt, aut etiamnum iisdem edendis insudant. Ut

igitur his omnibus mederer, exteris quoque Nationibus Germanicæ linguæ, quâ Scriptores Pruſſici juniores Hiſtorias ſuas edidere, ignaris, res Pruſſicas legendas exhiberem, Latinum hunc Scriptorem edendum duxi. Ne autem, L.B. ſis neſcio, quibus hîc adjumentis uſuſim, paucis te docebo. Exemplar Chronici Dusburgiani MS. accepi ex Bibliotheca Electorali Regiomontana per Adm. Reverendum atque Excellentiſſimum Dn. D. Martinum Sylveſtrum Grabe S. Theol. Doctorem ejusdemque Profeſſorem extraordinarium, ac Bibliothecarum Electoralem. Non fuit autem Exemplar illud adeò antiquum, ut ſequentia verba eidem præfixa teſtantur. *An M.D.L. die XVI Januarii transſcribi cœpta ſunt ex libro Reverentiſſimi in Chriſto Patris D. D. Pauli Sperati Epiſcopi Pomeſaniensis, Domini mei colendiſſimi.* Adhæc fuit Exemplar illud plurimis in locis mendoſum, ut ſæpe de verborum ſententia prorſus non conſtaret. Igitur inquiſivi ſedulò aliud aliquod exemplar vetuſtius & correctius non ſolùm Regiomonti, ſed etiam Gedani, Elbingæ, Mariæburgi, Heilsbergæ, Frauenburgi, Brunſbergæ, & per alios etiam Thorunii, cum quo meum conferre, & ſic emendare poſſem: ſed nullum usquam inveni. Itaque verſiones ex Dusburgio ductas conſului, ex quibus multa licuit emaculare loca. Prima verſio eſt Germanica Nicolai Jeroſchini MS.

de

de qua copiosùs in Antiquitatibus Prussicis Dissertat. 1. actum. Secunda est itidem Germanica Axonymi cujusdam, quæ ubique ad verbum ferè ex Dusburgio deprompta est, habeturque in Bibliotheca Electorali Regiomontana inter MSS. Codices. Tertia est Polonica Matthiæ Strykovii Ossostevitii Canonici Samogitiæ, de qua hîc quædam notanda. Videlicet invenit Joannes Chodkiewicz in Livonia in templo arcis Runeburgensis Dusburgensem in Codice MS. eoque vetustate jam corrupto, quem communicavit cum Augustino Ro: Advocato Vilnensi. Ab hoc cum ipsum accepisset Strykovius, continuo ipsum diligenter & candidè (ut ipse Strykovius *lib. 7. Hist. Lithvan. in pr.* contestatur) in linguam Polonicam convertit, libroque VII. Historiæ Lithvanicæ inseruit. *Conf. & lib. VI. Hist. Lithv. cap. 16 in calce.* Dicit autem Strykovius addidisse se aliquot ab initio paginas ex Dlugosso, Michovio, Cromero, Bredenbachio, & Tilmanno, de Adventu Equitum Teutonicorum in Prussiam *lib. 6. Hist. Lithv. in fin.* unde jam fit manifestum, non fuisse exemplar illud, quo Strykovius usus est, integrum. Deinde in tota illa versione non adstringit se Strykovius ad verba, verborum sententiam expressisse contentus; & quidem eâ brevitate id agit, ut, non nisi Compendium Dusburgii nobis exhibere voluisse videatur. Præter hæc omittit etiam

illa bella, quæ non sunt cum Lithvanis gesta. Quin etiam ex Lithvanicis quædam præterit. Sed & miracula omnia prætermirtit, quoniam existimavit ex Dusburgii simplicitate & superstitione ea omnia fluxisse, ut disertis habet verbis *lib. VII. cap. II. pag. 297. seq.* Ex his versionibus multa loca, quæ prorsus legi non poterant, restitui, quæ etiam dubia mihi visa sunt, in Animadversionibus adjectis annotavi. Cum autem nulla jam propemodum spes alterius exemplaris adipiscendi supereresset, scripsit ad me Nobilissimus atque Amplissimus Dn. Gothofridus Zamelius Reipubl. Elbingensis Consul longè dignissimus, significans, Exemplar Chronici Dusburgiani Elbingæ se ab amico adeptum, quod ex Illustrisimi Ducis Prussiæ Codice (quem tamen Codicem ex Bibliotheca Regiomontana sacrilega manus, nescio cujus, abstulit, aliudq; Continuatione Dusburgio adjecta truncatum suppositit) descriptum esse, inscriptio testatur. Quoniam autem Exemplar illud Regiomontum mihi mitti non poterat, hoc consilium dedit, ut meum Exemplar Elbingam transmitterem. Feci id ipsum libens, nec feciisse me pœnitet. Magna quippe curâ ac diligentiâ Vir Nobilissimus non mendas tantùm hinc atque illinc occurrentes correxit, sed totam etiam Chronici Dusburgiani Continuationem propriâ descriptum manu benignè mecum communicavit.

cavit. Animadversiones insuper non contemnendas de Civitate Elbingensi, de Familia sua Nobilissima, Prussorum Veterum Propugnaculis aliasque subministravit, quas etiam Animadversionibus nostris in Dusburgensem suis locis insertas C. L. notabis. Postremò cum Thorunium, Deo & Magnifico Urbis hujus Magistratu volente, delatus essem, inveni apud Nobiliss. atque Ampliss. Dn. Danielem Wachschlagerum Cos. optimè merentem Chronicon Prussiæ MS. quod ex supellectile libraria Salomonis Neugebaueri Historiæ Polonicæ Scriptoris ad ipsum pervenit. Inter alia ad Prussicam Historiam facientia, reperi quoque in dicto Chronico fragmentum Dusburgii MS. videlicet à Partis tertiæ cap. CXXXII. usque ad cap. CLXV. ex quo itidem quædam emendavi. His igitur, B. L. prænotatis ad Lectionem ipsius Auctoris te accinge

Series Magistrorum Ordinis Teutonici generalium.

Electus		Obiit
1190.	I. Henricus de Walpot	5. Novembr.
	II. Otto de Karpen	2. Junii
	III. Henricus de Bart	20. Martii.
	IV. Hermannus de Saltza qui primus Prussiam intravit -	19. Martii
	V. Henricus de Hohenloe, quem Scriptores nostri omittunt; sed perperam.	
	VI. Conradus Landgr. Thuringiæ & Hassiæ	23. Julii
	VII. Poppo de Osterna	
	VIII. Hanno de Sangerhausen	8. Julii
	IX. Hartmannus de Heldrungen	19. Aug.
	X. Burchardus de Schvvenden	
	XI. Conradus de Feuchtvvangen	
1297.	XII. Gotfridus de Hohenloe	
1303.	XIII. Sigfridus de Feuchtvvangen, qui primus sedem in Prussiam transtulit	An. 1311. Mariæburgi
1312.	XIV. Conradus Beffart de Treviris	An. 1324. Treviris
1325.	XV. Wernerus de Orselen, occisus	An. 1330. 18. Nov.
1331.	XVI. Luderus Dux Brunsvicensis	An. 1335. Regiom.
1335.	XVII. Dietericus Comes de Oldenburg.	An. 1341. 15. Jul. Mariæburgi.

1342

Electus		Obiit.
1342.	XVIII. Ludolphus König de Weizau, postremò mente motus	An. 1346. Engelsburgi
1345.	XIX. Henricus Dusnerus de Arfbetg	1351.
2351.	XX. Winricus de Kniprode	1382. 24. Jun. Mariæburgi
1382.	XXI. Conradus Zölnerus de Rotenstein	1390. 21. Maj. Christburgi.
1391.	XXII. Conradus Wallenrod	1394. 25. Jul. Mariæb.
1395.	XXIII. Conradus de Jungingen	1407. 30. Apr. Mariæb.
1407.	XXIV. Ulricus de Jungingen, qui in pugna Tannebergensi cæsus est	1410. 15. Jul.
1410.	XXV. Henricus Reus à Plauen	1413. in carcere Lochstetensi.
1413.	XXVI. Michael Kuchmeister de Sternberg.	1422. Dantisci
1422.	XXVII. Paulus Bellizer de Rusdorff.	1440. 29. Dec. Marienb.
1441.	XXVIII. Conradus de Erlichshausen	1449.
1450.	XXIX. Ludovicus de Erlichshausen, cujus tempore Prussia se Reg. Poloniæ subjecit.	1467. Regiomonti
1467.	XXX. Henricus Reus à Plauen	1470. 2. Jan. Morungiæ
1470.	XXXI. Henricus Reffle de Richtenberg.	1477. 17. Febr. Regiom.
1477.	XXXII. Martinus Truchses de Wez-hausen	1489. 5. Jan. Regiomont.
1489.	XXXIII. Joannes de Tieffen	1499. Leopoli in Russia.
1498.	XXXIV. Fridericus Dux Saxoniæ.	1513. 12. Dec. Rochlic.
1511.	XXXV. Albertus Marchio Brandeburg. ultimus Magister, & postea primus Dux Prussiæ	1568. 20. Martii Tapiaviæ.

In hoc Catalogo Magistrorum, L. B. animadvertis, primis Magistris neque annos, quibus electi, neque quibus mortui sunt, additos esse, cum apud antiquos Historicos, in primis Dusburgensem nostrum non reperiantur. Recentiores, in quibus Schüzius, in annis assignandis meris utuntur conjecturis. Neque Dusburgensis noster aunos illos accuratè scire potuit, cum Magistri illi non in Prussia, sed in Germania aliisque Provinciis habitarint. Quare non nisi diem mortis præcipuorum Magistrorum ex Anniversariis sacris & Cruciferorum Fastis, qui hodieque reperiuntur, annotavit. Hunc nos sequi maluimus, quàm suos cuique annos assignando ansam præbere certissima etiam in dubium vocandi.

Series Magistrorum Prussiæ Provincialium.

à

Nobilissimo atque Amplissimo

DN. GOTFREDO ZAMELIO,

concinnata.

Electus		Obiit.
An. 1230.	Hermannus Balk, quem Balth. Russovius, Falk; Chronicon vetus in Fol. Walck appellat, secundum Grunovium	An. 1233.
1239.	Popo (vel Pappo) de Osterna. In Privilegio Culmensi An. 1233. Kal. Jan. dato, inter testes ponitur tantùm nomine Fratris. Idem in Privilegio, quod Henricus de Hohenlöe Mag. Gen. An. 1246.	

Elbin-

Electus Elbingensibus dedit, inter testes ponitur, ut Magister Prussiæ Provincialis. Videtur hic proximè sequenti anno in Germaniam abiisse. Postea factus Ordinis Magister Generalis.

1246. Henricus de Weide. Obiit in Germania, ut ferunt An. 1250.

In hæc tempora & fortassis etiam priora incidit Regens Fridericus de Fochsberg, de quo Grunovius.

1250. Ludovicus N. fortassis de Queden apud Grunovium

1254. Gerdo (Gerhardus) de Hertzberg / abdicavit se Magistratu.

1256. Hartmannus de Kali (in Chron. Germ. in Fol.) & Hartmannus de Grünebach à Pontifice Romano Magistratu motus. Vid. Dusburg.

1259. Helmericus (Henricus) de Reichberg/aliis Richtenberg. In mandato quodam Annonis Mag. gen. vocatur tantùm Helmericus.

1265. Ludovicus de Baldersheim.

1271. Theodoricus de Gadersleben.

1274. Conradus de Tierberg, Senior.

1279. Conradus de Feuchtvvangen, alii scribunt Wuczvvangen, alii aliter. Postea Magister Provincialis Livoniæ, & postremò Magister Ord. generalis.

1280. Manegoldus de Sternberg. Ex eadem fortasse familia fuit Michael à Sternberg cognomento Küchmeister Mag. Ord. Gen. Alii legunt Mangold von Steinbach.

1283. Conradus de Tierberg Junior. Privilegio cuidam An. 1288. à Burchardo de Schvvenden dato subscripsit

Electus

etiam inter teſtes Conradus de Tierberg Marſchalcus: ſed fortaſſe alius ab hoc ex eadem familia fuit.

1288. Menkeo (h. e. Meinhardus) de Querinford. Comes in Querfurt Saxonum. Hujus Mater Juta ſumma apud Pruſſos fuit in veneratione.

Hîc Funccius in Chronol. interſerit Gotfridum N. fortaſſe de Hohenloe.

1289. Ludovicus de Schippen. Ita vocatur in Privilegio quodam Anni 1299. Dusburgenſis eum appellat de Scipe. Alii Schillfing dictum putant.

Hîc Funccius interſerit Martinum de Golin fortiſſimum illum virum, qui vulgo vocabatur der Herr Unverzagt.

1300. Helvvig de Goldbach Thuringus. Conceſſit in Germaniam.

1301. Conradus Sack. Excitavit arcem Golub ſive Golba, ubi abdicato Magiſtratu mortuus eſt.

1307. Henricus Comes Saxonicus in Ploczke. Poſtea Commendator Magnus.

Series Magiſtrorum Livoniæ Provincialium

ex

SCUZIO, BALTHASARO RUSSOVIO, ET TH. WAISSELIO.

Vinno Primus Magiſter Enſiferorum in Livonia.

Volqvinus ſecundus Magiſter Enſiferorum.

1238.

Electus
1238. Hermannus Balke Magister Ord. Teutonici in Livonia.
1245. Henricus de Heimburg
1247. Dietericus de Gröningen.
1250. Andreas de Stukland. (Waisselio vocatur Stawerland.)
1256. Eberhardus de Seine (Waissel. Graff von Stein.)
1258. Hanno de Sangerhausen, qui postea Magister Ord. Teut. Generalis.
1261. Burchardus de Hornhausen
1264. Georgius de Eichstet (Waisselius hunc Magistrum omittit.)
1267. Wernerus de Breithausen (Waisselius Werner von Fritzhausen)
1269. Conrad de Wandern (Waissel. & Russovv. habent Mandern.)
1272. Otto de Rodenstein cum 25. Fratribus à Lithvanis in glacie cæsus.
1274. Andreas, primo Magisterii anno cum 20. Fratribus occisus.
1275. Walterus de Nordek.
1278. Ernestus de Rosborg (Waissel. von Rasnburg. Russovv. von Raßborg) cum 71. Fratribus à Lithvanis occisus.
1279. Conradus de Feuchtvvangen, postea Magister Ord. generalis.
1281. Wilhelmus de Schurborg (Waissel: Wilkundt von Syerburg) à Semgalis cum 33. Fratribus cæsus.
1287. Conradus de Herzogenstein (ultra hunc non progreditur Waisselius.)
1289. Boltho de Hohenbach.
1294. Henricus de Dumpeshagen.
1296. Bruno.
1298. Gotfridus.

Electus

1307. Conradus de Joke.
1327. Eberhardus de Monheim.
1341. Burchard de Dreyleven.
1347. Goſvvinus de Ercke.
1360. Arnoldus de Vittinghoven.
Wilhelm de Frimerſen
Lobbe de Vlſen.
1396. Waldemarus de Bruggenei.
1404. Cunradus de Vittinghofen.
1414. Dietericus Turke
1418. Sifert Lander de Spanheim.
1428. Zyeſe de Rautenburg (Ruſſau Zyſe von Rutenberch)
1437. Franco de Kersdorff.
1439. Henricus de Bukenode.
1442. Heidenricus Finke de Auerberg.
1456. Johannes Oſthofen de Mengeden.
1475. Joannes de Walthauſen. Magiſtratu ſubmotus in carcere vitam finiit.
1477. Bernhardus von der Burg à Pontifice Romano Magiſtratu dejectus.
1486. Joannes Freydach. de Loringhaven
1495. Walterus de Plettenberg, qui pecuniâ datâ imperio Ordinis Teutonici ſe exemit, poſtea à Carolo V. Imp. Princeps Imp. Rom. factus
1535. Hermannus de Bruggeney, Haſenkampf.
1549. Joannes von der Rucke.
1551. Henricus de Galen, qui Wilhelmum March. Brandenb. Archiep. Rig. in vincula conjecit: ſed anno nondum exacto dimittere coactus eſt.

1557.

Electus

1557. Wilhelmus de Furſtenberg à Moſcis captus in carcere mortuus eſt.

1559. Gothardus Ketlerus, qui traditâ Sigismundo Auguſto Reg. Poloniæ Livonia, primus Dux Curlandiæ & Semgalliæ creatus eſt.

Series Ducum & Regum Poloniæ.

630.	Lechus	830.	Popielus II. à murib. corroſ.
	Duodecim Palatini	842.	Piaſtus regnavit annos 19
700.	Cracus.	861.	Ziemovitus 32
	Lechus II.	892.	Leſcus IV. 21
750.	Venda.	913.	Ziemomislus 51
	Duodecim Palatini	964.	Miecislaȝ I. Princ. Chriſt. 35
760.	Præmislus ſive Leſcus I.	1000.	Boleslaȝ I. Rex Pol. 25
804.	Leſcus II.	1025.	Miecisl. II. Rex 10
810.	Leſcus III.	1041.	Caſimirȝ ex Mon. Rex 18
815.	Popielus I.	1059.	Boleslaȝ Audax II. Rex 20

1082. Wladislaus Hermannus Boleslai Audacis Frater 21

1103. Boleslaus III. Crivouſtus Vladislai Filius 36

1140. Wladislaus II. Boleslai Crivouſti Filius. 6

1146. Boleslaus IV. Criſpus } Wladislai II. Fratres 36

1146. Miecislaus Senex } Wladislai II. Fratres 4

1178. Caſimirus II. Juſus } Wladislai II. Fratres 16

1195 Leſcus Albus cum Matre Helena 4

1199. Miecislaus Senex iterum } turbæ per biennium.
Leſcus Albus cum matre } turbæ per biennium.

1202. Miecislaus Senex tertiùm, eodem anno moritur

1205. Vladislaus Lasconogus.

1206. Leſcus Albus tertium.

1226. Boleslaus Pudicus.

1279. Leſcus Niger.

Electus

1295. Præmislus menſes 7. aut 8. Regis nomen ſibi ſumpſit.
1296. Wladislaus Locticus 4
1300. Wenceslaus Bohemiæ Rex 5
1305. Wladislaus Locticus 28
1333. Caſimirus III. Magnus 37
1370. Ludovicus Rex Hungariæ 12
1386. Wladislaus Jagello Magnus Dux Lithvaniæ 48
1434. Wladislaus Jagellonides ad Varnamcæſus 10
1447. *Caſimirus* III. (IV.) Jagellonides, cui ſe Pruſſia ſubjecit 45
1492. *Joannes Albertus* 9
1501. *Alexander*
1507. *Sigiſmundus* I. qui Albertum Pruſſiæ Ducem creavit 41
1548. *Sigiſmundus* Auguſtus, qui Livoniam ſibi ſubjecit. 25
1574. *Henricus* I. Dux Valleſius,
1576. *Stephanus Bathoreus* Princeps Transylvaniæ 10
1587. *Sigiſmundus* III. Princeps Sueciæ 55
1632. *Vladislaus* IV. 17
1649. *Joannes Caſimirus* 18
1668. *Michael Koributhus* Dux in Wiſniowiec.
1674. *Joannes* III. qui hodie rerum potitur.

DUCES PRUSSIÆ. Obiit

1525. *Albertus* March. Brandeb. Dux Pruſſ. à Sigismundo I. Rege creatus 1568
1568. *Albertus Fridericus* filius Alberti Senioris. Hic cum eſſet animo æger, Ducatum Pruſſiæ adminiſtravit per Gubernatores, nempe per *Georgium Fridericum March. Brandeb. in Onolſbach*, & eo ſatis functo per *Joachimum Fridericum Elect. Brandeb.*
1612. *Joannes Sigiſmundus* Elect. Brandeb. Ante an. 1612. Pruſſiam adminiſtravit ut Gubernator; ſed poſtea ipſe in Ducatu Princeps hæreditarius eſt inveſtitus. Hujus tempore, nempe An. 1618. die 28. Auguſti obiit Albertus Fridericus æger Princeps.
1619. *Georgius Wilhelmus.*
1640. *Fridericus Wilhelmus*, qui hodie Pruſſiæ præeſt.

CHRO-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INSIGNIA ORDINIS TEVTONICI
à Cœlestino III. data.



I. INSIGNIA HENRICI de WALPOT
II. INSIGNIA OTTONIS de CARPEN
III. HERMANNI de HARTH.
IV. HERMANNI de SALTZA
V. HENRICI de HOHENLOE
VI. CONRADI LANDGRAVII.
VII. POPPONIS de OSTERNA.



VIII. HANNONIS de SANGERHAUSE
IX. HARTMANNI de HELDRUNGE
X. BURCHARDI de SCHWENDEN.
XI. CONRADI de FEUCHTWANGE
XII. GOTFRIDI de HOHENLOE.
XIII. EBERHARDI de HEUCHTWANGEN.
XIV. CAROLI de TREVIRIS.




XV. WERNERI de VRSELN.
XVI. LUDERI D. de BRUNSWIG.
XVII. OSTERICI de ALDENBURG.
XVIII. LUDOLPHI Königs de Westp.
XIX. HENRICI DUNERS de ARSberg
XX. HENRICI de KNIPRODE.
XXI. CONRADI ZOLNERI.



XXII. CONRADI de WALLENRODT
XXIII. CONRADI de JUNGINGEN.
XXIV. ULRICI de JUNGINGEN.
XXV. HENRICI REUSSII de Plauen
XXVI. MICHAELIS KÖCHMEISTER
XXVII. PAULI BELITZERI de Rastenb.
XXVIII. CONRADI de ERLICHSHAUSEN.



XXIX. LUDOVICI de ERLICHSHAUSE
XXX. HENRICI REUSSII de PLAUEN.
XXXI. HENRICI de KNIPRODE
XXXII. MARTINI de GOSLAR
XXXIII. JOANNIS de TIEFFEN.
XXXIV. FRIDERICI DUCIS SAXONIÆ.
XXXV. ALBERTI MARCHIONIS BRANDEBURGICI.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CHRONICA TERRÆ (a) PRUSCHIÆ.

HOnorabili Viro (b) & in Christo devoto Fratri Wernero de Orsele Magistro Hospitalis S. Mariæ domus Teutonicorum (c) Hierosolymitani Fr. Petrus de Dusburg ejusdem Sacrâ professione Sacerdos obedientiam debitam, cum salute. Qvàm diligenti circumspectione & circumspectâ diligentiâ antiqvi & Sancti Patres mira Domini nostri JESU CHRISTI opera, qvæ per se aut per suos ministros operari dignatus est, ad laudem & gloriam ejus & tam præsentium quam futurorum informationem (d) patet cuilibet intuenti. Attendebant nempè ad illud Tobiæ verbum : qvod opera Dei revelare honorificum est ; Qvorum imitatus sum vestigia, ne cum servo neqvam & inutili, qvi talentum sibi à Domino traditum abscondit, projiciar in tenebras exteriores, & bella qvæ per Vos & antecessores Ordinis nostri fratres victoriosè gesta sunt, conscripsi, & in hunc librum redegi, qvem discretæ Providentiæ vestræ mitto, supplicans, qvia nemo sibi satis est, qvatenus ipsum examinari faciatis, ut si qva correctione digna in eo reperta fuerint emendentur, & sic correctus publicetur, ut hujus (e) solempnis facti memoriale posteris relinqvatur. Scriptum & completum ab Incarnatione Domini Anno Domini M. CCCXXVI.

Tob. 12. 7.

Luc. 19. 20. seqq.

A ANI-

ANIMADVERSIONES.

(a) Prussiam olim OLMIGANIAM sive ULMIGERIAM fuisse dictam, tradit Æneas Sylvius *in Descript. Europæ. cap. 29.* qvem seqvitur Erasm. Stella *libb. de Antiqv. Boruss.* & alii Scriptorum Prussicorum, qvamplurimi. Sed sine dubio error est, qvi fluxit ex malè intellecto Jornandis loco, qvi reperitur *in libro de Reb. Geticis.* ubi dicit, Gothos ex Scantia migrasse in Ulmerugiam: Qvoniam autem Gothi Prussiæ qvoqve partem olim habitarunt, hinc Ulmerugiam, vel, ut ipsi corruperunt, Ulmiganiam putarunt esse Prussiam, cum potiùs intelligere debuissent Rugiam Pomeraniæ hodiernæ Provinciam ad Wipperam amnem, olim à Rugiis habitatam, de qvibus Rugiis Tacitus *lib. de morib. Germ. circa fin.* Appellat verò Jornandes Rugios hos Ulmerugios ad differentiam aliorum Rugiorum in Scanzia habitantium qvos appellat Ethelrugios *lib. de reb. Getic. c. 3. edit. Grotii.* Sed de his pluribus egimus in Originibus Pomeranicis n. V. Satius itaqve est ut dicamus, olim hic habitasse VENEDOS. Postea accessisse GOTHOS sive ÆSTIOS in partem Prussiæ Septentrionalem, tenentibus jam tum Orientalem atqve australem Prussiæ partem GALINDIS & SUDINIS qvi simul cum Lithvanis Originem trahunt à PHINNIS, qvos Ptolomæus ad Vistulam amnem collocat, & qvorum mores Tacitus describit *lib. de morib. Germ. in fin.* Illa enim opinio, qvæ Lithvanos ab Alanis deducit, etiamsi eam in Originibus Prussicis secutus sim cum vulgo, mihi jam non placet, ob diversissimos Alanorum Lithvanorumqve mores, ut alia nunc præteream. *Vid.* Ammian. Marcellin. *lib. XXXI. non longè à princ.* & Casp. Barthius *in Not. ad Guilielmi Britonis lib. I. Philipp. vers. 123. p. 29. seqq. ubi fusè de Alanis.* Circa Sec. X. à Christo nato Prussiam dictam fuisse SEMBIAM (qvæ pars est Prussiæ Samlandia dicta) & PRUZZIAM, patet ex Ditmaro Mersburgensi, Adamo Bremensi, Helmoldo & aliis. Primus qvem nomine Prussiæ usum esse deprehendimus est Anonymus qvidam Vitæ S. Adalberti, Prussorum Apostoli, Scriptor, ipsius Adalberti æqvalis. Vixit enim tempore Ottonis III. Imp. qvem secuti sunt jam à nobis nominati. Undè autem nomen Prussiæ vel Borussiæ, item Prutheniæ fluxerit, non una est Auctorum sententia. Alii enim Provinciam hanc ita dictam esse volunt à Pruto qvodam,

 Noachi

Noachi filio. *Vid.* Annius Viterbienſ. *in Comment. ad lib. 2. Beroſi p. 19. a. b.* Alii à Pruſia Bithyniæ Rege, qvem à Romanis victum in has oras confugiſſe aſſerunt. *Vid.* Joh. Dugloſſ. *Tom. I. Hiſt. Pol. l. 2. f. 114.* qvem alii plurimi ſeqvuntur; Sed Pruſiam has Oras nunqvam vidiſſe, conſtat ex Strabon. *l. 3. Gregor.* Juſtin. *lib. 34. c. 4.* Epitome Livii *lib. 50.* Alii à Bructeris, de qvibus infra. Alii à Pruteno, Weidvvati Regis Pruſſorum fratre, ut Scriptores Pruſſici paſſim. Alii à Boruſcis antiqvis populis, de qvibus Ptolem. *l. 3. Geogr. cap. 5.* Eraſm. Stella *lib. 1. Antiq. Boruſſ. circa fin.* Alii tandem Boruſſos & contractè Pruſſos dictos eſſe volunt, qvaſi vicinos Ruſſorum, qvod probari poteſt ex ipſo Sclavonicæ vocis etymo, ut enim Pomerani (*Pomorzanie*) dicuntur accolæ maris, & Polabiani (*Polabianie*) dicuntur accolæ amnis *Labe* i.e. Albis: ita etiam Boruſſi & Pruſſi dici poſſunt qvaſi accolæ Ruſſorum; vel etiam accolæ Ruſſi amnis Pruſſici, qvod autem Pruſſi accolæ fuerint Ruſſorum diſertis verbis aſſerit Dusburgius noſter infra *Parte III. cap. II.* Vir Clariſſ. Dn. M. Matthæus Prætorius Paſtor Nebudzenſis, amicus meus honorandus, deducit Vocem Prutenorum & Pruſſorum ab Antiqva Pruſſica voce *Pruta*, ſive *Pruota* i. e. intelligentia. Pruſſi namqve Veteres præ cæteris gentibus vicinis ſibi videbantur ſapientiores. Indè cum eos Maſovii per contemptum vocarent Brutos, malè hoc eos habuit, qvi dici volebant præſcientes, *Vid.* Henneb. *in Chron. p. 332.*

(*b*) Simon Grunovius in Præfatione Hiſtoriæ ſuæ Pruſſicæ hoc Dusburgiani Chronici ponit initium: *Fr. Petrus de Dusburg Ordinis S. Mariæ Domus Teutonicæ fratri Domino Magiſtro generali Ordinis Profeſſionis meæ Wernero de Orſelen Veritatem cum ſalute dicit.* Sed non dubium eſt, qvin ita ſint verba Dusburgii legenda, ut leguntur in noſtro codice.

(*c*) Codex Elbingenſis legit: *in Hieruſalem.* Et ſic eorum temporum Scriptores loqvi amant.

(*d*) Locus eſt à librariis corruptus; Forſan ad mentem Dusburgenſis reſtitui poterit, ſi addatur verbum: *Scripſerint.* Sive ad genium eorum temporum: *ſcripſerunt.*

(*e*) *Solempnis*, pro ſolennis. Ita in ſeqventibus *columpna*, pro columna. *Calumpnia*, pro calumnia. *Temptare* pro tentare.

PROLOGUS.

SIgna & mirabilia fecit apud me Deus excelsus ; placuit ergò mihi prædicare signa ejus,qvia magna sunt, & mirabilia
v.99,100. ejus, qvia fortia. Dan. III. Verba ista fuerunt Nabuchodonosor Regis Babiloniæ, qvi postqvam Daniel & Socii sui pro eo qvod tradidissent corpora sua, ne servirent & adorarent omnem Deum, excepto DEO, in qvem crediderunt,ligati missi fuissent in fornacem effundebatur XLIX. cubitis, & incendit ministros suos, & Danielem sociosqve ejus omnino non contristavit, nec qvicqvam molestiæ eis intulit, ait : Signa & mirabilia &c. Competunt tamen hæc verba autori hujus libri, qvi in Personâ Sacræ congregationis fratrum Hospitalis S. Mariæ domûs Teutonicorum in Hierusalem, postqvam vidit & audivit magna signa, & tam mirabilia facta insolita & à seculo inaudita, qvæ per prædictos fratres in terra Pruschiæ Deus excelsus misericorditer operari dignatus est,qvi pro defensione fidei corpora sua tradere in mortem non formidarunt,potuit dicere: Signa & mirabilia fe-
Matth.5,16. cit apud me DEUS excelsus. Sed qvia scriptum est. Videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum qvi in cœlis est. Ideô ad laudem & gloriam nominis Divini, & tam præsentium qvam futurorum informationem, placuit ei prædicare signa DEI, qvia magna sunt, & mirabilia ejus,qvia fortia. Signa ma-
Act. 6, 8. gna: Dictum est in Actibus Apostolorum, qvod Stephanus plenus gratiâ & fortitudine faciebat signa magna. Nec dubitandum est,qvin fratres domus Teutonicæ pleni fuerint gratiâ & fortitudine, cum ipsi (*a*) pauci numero tam (*b*) potentem & ferocem & innumerabilem Pruthenorum gentem sibi subdiderunt, qvam etiam (*c*) multi Principes licet sæpius attemptarent, non poterant sibi aliqvaliter subjugare. Nec prætereundum est & hoc magnum signum, qvod bellum prosperatum est in manu Fratrum prædictorum,sic qvod infra (*d*) XI. annos à die

in-

introitus sui in terram Pruschiæ gentes, qvæ terram Colmensem & Luboviæ occupaverant, & nationes illas, qvæ terras Pomesaniæ, Pogesaniæ, Warmiæ, Nattangiæ & Barthæ inhabitabant, sibi potenter & Christianæ fidei subdiderunt, ædificantes in eis plures munitiones, civitates & castra, qvorum numerus & nomina inferius apparebunt. Ecce qvam magnum signum, qvod apparuit in cœlo Ecclesiæ militantis. Signa ergò bone JESU servos tibi devotos, per qvos tam magna signa operari dignatus es, ut turbentur gentes & timeant, qvi habitant terminos à signis tuis. Placuit etiam ei prædicare mirabilia ejus, qvia fortia. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus per dictos Fratres, ut vere possit dici de ipsis, qvod scriptum est de populo Israelitico post exitum de Ægypto: *Ps. 106,8,9.* Confiteantur Domino misericordia ejus, & mirabilia ejus filiis hominum, qvia saciavit animam inanem & animam esurientem saciavit bonis. Ad intelligendum, qvoniam anima, id est vita fratrum qvondam inanis & esuriens, nunc sit bonis temporalibus saciata; necesse est ponere de defectu præterito & abundantia præsenti, ut scilicet Oppositа juxta se posita magis elucescant; Fratres in primitivo, ut inimicos fidei faciliùs expugnarent, toto cordis desiderio laborabant (*e*) pro fortibus eqvis, armis validis, & castris firmis, & nemo illis dabat alium excellentiorem apparatum corporis, & victum non curabant, nisi qvantum summa necessitas reqvirebat. Imitantes Salvatoris nostri vitam & doctrinam, qvi ait: Qvi vult venire post me, abneget semetipsum & crucem suam tollat & seqvatur me; In hoc abnegabant semetipsos, qvia cum essent genere (*f*) Nobiles, divitiis potentes, animo liberi, generosi tamen sangvinis sui titulum parvipendebant, vilia & vilissima humiliter amplectentes, qvæ statum suum secundum seculi dignitatem non ducebant; Eligentesqve veram paupertatem, renunciaverunt propriæ Vo-

Matt. 16,24. Luc. 9,23.

luntati, sicqve diversis & infinitis se incommodis, periculis, Curis, solicitudinibus pro Christi nomine implicabant. Crucem etiam colebant & seqvebantur CHRISTUM, cum omni die & hora parati fuerunt contumeliam & mortis supplicium pro defensione fidei sustinere. Vestem venustam, qvæ habet calumniam elationis portare fuit dedecus inter eos. Qvidam ex eis cilicio, alii loricâ pro camisiâ utebantur; & qvilibet cum Propheta posset dicere: Ego cum mihi molesti essent (i. infideles) induebar cilicio. De saccis qvoqve lineis, qvibus farina ipsis trans mare ducebatur, fiebant vestes lineæ his qvi induere voluerunt. Victus autem cibi & potus arctus fuit nimis. Dabatur enim in pondere & mensura, ut verè possent dicere cum Propheta: Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis & mensura. Completum fuit in eis qvod Dominus per Isaiam dicit: Dabit tibi Dominus panem artum & aqvam brevem. Cogebantur sæpius familiæ suæ, qvæ in abstinentiâ fratrum consvetâ non potuit servitia debita complere, carnes dare ad vescendum, à qvibus eo ipso tempore læto animo & vultu hilari abstinebant. Potus & pulmentum fratrum & familiæ adeò fuit tenuis substantiæ, qvod color & sapor admixti (*g*) bladi vel leguminis vix poterat humanis sensibus comprehendi. Hæc & alia multò majora, qvæ longum esset scribere, patienter perpessi sunt in casis & tuguriis suis. Sed qvot pericula & angustias, in exercitibus tum in bello, cum proficiscerentur contra infideles, patiebantur, novit ille, qvi nihil ignorat. In eis completa fuerunt, qvæ Apostolus de S.S. Martyribus scribens ad Hebræos, ait: Alii distenti sunt alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, temptati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumiverunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, qvibus dignus non erat mundus; In solitudinibus errantes,

Ps.34. (35.) v.15.

Ps.79. (80.) v.6.

Esa.30,20.

Hebr.11.v. 36.

tes,& in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ; In his patet de factis qvæ fratres qvondam paſſi fuerant, in qvibus anima eorum inanis fuit & eſuriens. Si volueris ſcire qvaliter in abundantia ſaciata ſit in ædificiis,eqvis, armis, veſtibus, cibo, potu, & multiplicatione fratrum & ſuorum, & aliis vitæ humanæ neceſſariis, aperi oculos tuos & vide omnia ad oculum tibi patent. Confiteantur etiam Domino miſericordiæ ejus & mirabilia ejus filiis hominum, qvia contrivit portas æreas & vectes ferreos confregit. Ecce mirabilia fortia, qvomodo per fratres prædictos omnes gentes qvæ inhabitabant terram Pruſchiæ, qvarum innumera multitudo inferius apparebit, exterminatæ ſunt; & *pſ.106.(107) v.16.* urbium & munitionum ſuarum portæ æreæ contritæ ſunt & vectes ferrei ſunt confracti,ſicque Deus ſuſcepit eos de via iniqvitatis eorum & propter injuſtitias ſuas humiliati ſunt. Confiteantur etiam Domino miſericordiæ ejus & mirabilia ejus filiis hominum, ut ſacrificent ſacrificium laudis. Attende qvaliter fratres,ut Judas Macchabæus, loca ſancta terræ Pruſchiæ, qvæ gentes prius per Idololatriam polluerunt, mundaverunt & ſacrificatur in eis qvotidie DEO ſacrificium laudis & honoris. Accipe ergo bone JESU Sacrificium iſtud pro univerſo populo tuo, & cuſtodi partem tuam & ſanctifica. Et ut debetur etiam inſtituunt Sacerdotes & augent qvotidie cultum DEI. Sic per qvam magna ſigna & fortia mirabilia fecit Deus excelſus per dictos fratres in terra Pruſchiæ,qvomodo autem prædicabuntur inferius apparebit. Sed qvia in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, qværentes, qvæ ſua ſunt,non qvæ JESU CHRISTI, abundabit iniqvitas & multorum caritas refrigeſcet. Idcirco benigniſſime JESU da eis Spiritum conſilii ſanioris, ut non contriſtent Spiritum , in qvo ſignati ſunt. Innova ſigna & multa mirabilia,& erue ipſos in mirabilibus tuis,& da gloriam nomini tuo, ut confundantur in

omni

omni potentia ſua,& robur eorum conteratur, & ſciant, qvi tu es DEUS ſolus & glorioſus ſuper orbem terrarum &c.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Extenuat hic vires Cruciferorum, qvò magis gratia Divina eluceat, ſine qvâ non potuiſſent tot tantasqve gentes in ſuam redigere ditionem. Aliàs pateſcet ex ſequentibus; Cruciferos contra Pruſſiam magnos non rarò duxiſſe exercitus; Ut enim præteream copias, qvas cruciferi propriis ſumptibus ſibi ſubindè ſcribebant, ut & qvas Duces Polonorum Cruciferis mittebant, præcipuas tantum hic expeditiones à Germanis Principibus, Comitibus aliisque ſuſceptas enumerabo: Prima (poſt Fratrem Conradum, de qvo *part. II. Cap. VIII.* & Hermannum Balke de qvo *part. II. Cap. X. ſeqq.*) eſt Crucefignatorum *part. II. Cap. II.* Secunda iterum cruce ſignatorum *part. III. c. 8.* Tertia multorum Principum Poloniæ & Sileſiæ, qvibus ſe adjunxerat Sventopelcus Dux Pomeraniæ. *part. III. c. X.* Qvarta Marchionis Miſnenſis *Cap. XIII.* Qvinta Ottonis Ducis Brunſvicenſis & Lünebürgenſis *Cap. XXV.* Sexta Auſtriacorum aliorumqve crucefignatorum *Cap. LIV.* Septima Principis de Anhalt *Cap. LVIII.* Octava Crucefignatorum *Cap. LXII.* Nona Marchionis de Brandeburg. Epiſcopi Mersburgenſis & aliorum. *Cap. LXVI.* Decima Ottocari Regis Bohemiæ. *Cap. LXX.* Undecima Johannis Marchionis Brandeb. *Cap. LXXVI.* Duodecima cujusdam Rederi, aliorumqve *Cap. LXXXVI.* Decima tertia Comitis De Barbii *Cap. LXXXVIII.* Decima qvarta Comitum de Juliaco & Marcha. *Cap. XCIII.* Decima qvinta Duces Brunſvicenſis, Landgrafii Thuringiæ, Ottonis Marchionis Brandeb. alioruuqve *Cap. CXX.* Decima Sexta Theodori Marchionis Miſniæ. *Cap. CXXVIII.*

(*b*) De potentia Pruſſicarum gentium agit auctor infra *parte III. Cap. III.*

(*c*) Intelligit hæc Auctor ſine dubio de Julio Cæſare, de IX. Germanis ex Svecia fratribus ut & de Hugone Potyre dicto *de qvibus egit part. 2. hujus Chronici Cap. 7.* Videantur ea, qvæ nos ibi notavimus. Sed ſunt adhuc alii Principes qvi Pruſſos ſibi ſubjicere, irrito tamen conatu, laborarunt, ut ſunt Duces Polonorum. Primus,

mus, qvi Prussis bellum intulit, est Boleslaus Chrabri Rex Poloniæ Sec. XI. qvod præter Polonicos Scriptores etiam Helmoldus testatur *lib. I. Chronici Slav. Cap. XV.* Occasionem bello præbuit cædes S. Adolberti, à Prussis idololatris propè oppidum Fischausen Occisi. Qvamvis verò tum Prussi obedientiam promiserint & tributum, Recedentibus tamen Polonis, ea denegarunt, *Vid.* Vincent: Kadlubko *lib. II. epist. XIII. p. 138.* Johan. Dlugoss. *Tom. I. Hist. Pol. Lib. II. ad an. 1015. pag. 152. seqq.* Cromer. *lib. III. fol. 442. seq.* Schuz. *lib. 1. Chron. Pruss. fol. 8. b.* Posthæc Prussos imperata facere detrectantes, ad officium reducere conatus est Miecislaus II. filius dicti illius Boleslai Schuz. *lib. I. Chron. Pruss. fol. 8.* Nec tamen illi domiti sunt, donec Boleslaus II. Audax ad Imperium esset admotus, Dlugoss. *lib. III. ad an. 1064. fol. 234. seq.* Schüz in Chron. *lib. I. f. 9. b.* Sed neqve tum qvievere Prussi, qvare Wladislaus Hermannus Boleslai II. Frater varia contra ipsos bella gessisse legitur. Dlugoss. *lib. IV. ad an. 1092. f. 291. seq. & ad annum 1093. fol. 294.* Salomon Neugeb. *lib. III. Hist. Pol. p. 71. seqq.* Boleslaus III. Crivousti eos deindè in obseqvio ad aliqvod tempus continuit. Sed eô è vivis sublatô & Imperium Polonicum & Religionem Christianam, paulò ante metu Boleslai IV. Crispi susceptam, ejurarunt, magna Boleslao Crispo illatâ clade, *Vid.* Vincent. Kadlubko *lib. 3. epist. 31. p. 374. seq.* Neugeb. *lib. III. p. 107. seq.* Post hæc tempora, cum Polonia esset in tot Partes distracta, Prussi Masoviam infestare cœperunt multisque eam cladibus afflixerunt, de qvo Dusburgius noster *part. II. Chron. hujus agit.*

(d) Plures qvam XI. annos consumptos esse in populis illis sub jugum mittendis, patet ex *Cap. XIX. partis III. usqve ad Cap. XXVII.* fortassis igitur legendum est XIV. annos. Alias Prussia totis LIII. annis Ordini Teutonico restitit, anteqvam tota potuit sub jugum mitti. Videlicet anno 1231. Prussica bella cœpit gerere Hermannus Balke primus Magister ordinis Teutonici in Prussia Provincialis, ab Hermanno de Salza Magistro Generali missus, ut constat ex *part. III. cap. I.* Finita autem sunt bella Prussica Anno 1283. ut habet idem Dusburg infra *parte III. Cap. CCXVI.*

(e) Vide de his & quæ deindè de vita fratrum dicuntur in Regula Ordinis.

(*f*) In ordinem recipiebantur tantum Nobiles, & qvidem Germani. Hoc tamen disertis Verbis exprimi in Regula Ordinis non observavi. Neqve illud adeò strictè semper fuit observatum. Nam qvod ad primum attinet Sigefridus à Feuchtwangen XII. Magister ordinis admisit etiam plebejos, dummodo essent integræ famæ, ut auctor est Waisselius *fol. 108.* & Henneb. *in Comment. ad tab. Geogr. Pruss. pag. 281.* Neqve posterius, qvod de natione Germanica diximus, adeò religiosè observabatur, ut cognoscimus ex ipsius Dusburgii *part. III. Cap. LI.* ut & Schuz. *lib. I. Chron. Pruss. fol. 41.* ubi de Scumando.

(*g*) Bladum. Barbarum est Vocabulum, notatqve semen; Sæpè & fructum arborum & vitium: Præcipue tamen frumentum. Unde imbladare est seminare. Infra Dusburgius *part. III. Cap. LXIX.* reddit hoc per Verbum *germina*. De origine Vocis bladum vid. Gerh. Johan. Vossius *lib. IL de vitiis Sermonis Cap. XXIV. & lib. II. Cap. III.* & Gvilhelmus Watz. *in Glossario in voce Bladum & Brasium.* Sic apud Math. Parisiensem ad an. 1203. dicitur panis de toto blado p. 208. qvod Watzius explicat de pane ex ipsa farina uti de molendino venit, & nondum cribrata est.

DE MODO AGENDI LIBRI HUJUS.

MOdus agendi in hoc libro erit iste: Primò describam, qvo tempore & à qvibus & qvomodo incepit Ordo domus Teutonicæ. Secundò qvando & qvomodo fratres intraverunt in terram Pruschiæ. Tertiò de bellis & aliis, qvæ gesta sunt in dicta terra, (*a*) qvorum pauca qvæ vidi, alia qvæ audivi ab his qvi viderunt & interfuerunt, cætera qvæ relatione veridica intellexi. Qvartò ponam in margine Pontifices summos & Imperatores qvi à tempore institutionis hujus Ordinis regnaverunt, & notabilia qvædam facta, qvæ ipsorum temporibus acciderunt. Sed qvia insufficientem me ad hoc negotium consummandum recognosco, maximè pro eo, qvod hujusmodi factum (*b*) penè

jam

jam à memoria Hominum nunc viventium sit elapsum, & sine Deo nil facere possum.

Ideò te deprecor bone JESU in qvo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi, & revelas mysteria non solum futura, verum & præsentia & præterita ; Illumina Spiritus tui gratiâ intellectum meum, & da mihi os & sapientiam ad complendum breviter opus istud, ut omnes, qvi Signa tua magna & mirabilia fortia in eo contenta audierint, in te sperent, te adorent, te glorificent, & collaudent, qvod tu, ex qvo omnia, per quem omnia, in qvo omnia præstare digneris, qvi vivis & regnas in secula seculorum, Amen &c.

ANIMADVERSIONES.

(a) Ex his liqvidò apparet, Dusburgensem nullo antiqviore Chronico esse usum ; id circo ex his dubitari fortasse non immeritò posset, de scriptis illis Jaroslai Canonici Plocensis, & Christiani primi Episcopi Prussiæ, utrum illa sint genuina. Procul dubio etiam Dusburgensis Historiam Prussicam, in Prussia, scripturus, diligenter antiqviora scripta inqvisivit, & si tum talia exstitissent, certè Ordinis Teutonici fratres ea ex omnibus scriniis conqvisivissent, præsertim cum ea, quæ Jaraslaus & Christianus scripsisse dicuntur, plurima de Idololatria & crudelitate Veterum Prussorum, ut ex Simone Grunovio apparet, contineant. *Vid. infra part. 3. c. 132.*

(b) Ne mireris itaqve, Lector benevole, si in seqventibus nos contra Dusburgensis relationem quædam ex antiqvis Privilegiis restituere tentabimus.

(a) *Præfatio ad Institutionem Ordinis Domus Teutonicæ.*

SApientia ædificavit sibi domum, excidit columpnas septem, licet hæc verba fuerunt Salomonis, qvi filium Dei appellat Sapientiam Patris, juxta illud Apostoli : Ipsis autem vocatis, Judæis *Prov. 9, 1.* *1. Cor. 1, 24.*

dæis atqve Græcis prædicamus Christum, Dei virtutem & Dei
Ps.103. 6. sapientiam: & in Psalmo Omnia in sapientia fecisti, i. e. in filio, qvi assumptâ humanâ naturâ ædificavit in morte sua sibi ad gloriam & honorem domum Ecclesiæ militantis & excidit columpnas septem, id est septem Sacramenta, qvibus sustentatur. Possunt tamen esse, Verba S. Matris Ecclesiæ, qvæ Dominum Papam Cælestinum III. vocat Sapientiam, qvia in terris Dei filii
Syr. 6, 23. vicem gerit, secundum illud Ecclesiastici: Sapientia doctrinæ secundum nomen ejus. Ad ipsum enim confluit Ecclesia universalis audire & videre suam doctrinam, ut regina Saba sapientiam Salomonis. Hic Dominus Papa Cælestinus III. ædificavit i. e. instituit & confirmavit sibi & S. Ecclesiæ ad utilitatem domum fidelibus Sacræ Religionis Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum Hierosolymitani, & excidit columnas septem i. e. septem fratres (b) Commendatores seu Præceptores Provinciales, scilicet Livoniæ, Prusschiæ, Teutoniæ, Austriæ, Appuliæ, Romaniæ & Armeniæ, qvibus fratres dicti Ordinis, tanqvam materialis domus innixa columpnis, ædificati sustentantur, ut sic Magister generalis & Capitulum sint fundamentum hujus domus: Provinciales Commendatores seu Præceptores columnæ: alii fratres, super ædificati. Et sic Dominus Papa propriè assimilatur viro sapienti, qvi ædificavit domum suam super Petram, & potest dicere: Ego confirmavi columnas ejus. Sed qvia scri-
Joan. 6, 36. ptum est: Spiritus est qvi vivificat, caro autem non prodest qvicqvam: Ideò ponendæ sunt septem columnæ aliæ spirituales in hac domo, quarum tres scil. Obedientia, Paupertas, castitas, disciplinam ordinent Regularem: & qvatuor aliæ videlicet: Contritio, Confessio, Satisfactio & Charitas, qvæ operit multitudinem Peccatorum, omnem sanctæ observantiæ negligentiam in torpentibus Zelo rectitudinis disciplinent. Hæ sunt columnæ Spirituales, excisæ manu sapientiæ in domo hac Sacræ

Reli-

Religionis, qvam ædificavit Dominus Papa. Ita qvod si pluvia avaritiæ descendat, & flumina luxuriæ veniant, & venti superbiæ flent, & irruant in illam, non possit cadere; Fundata est enim super firmam petram, petra autem est Christus.

ANIMADVERSIONES.

(a) Hæc Præfatio in Jeroschino Interprete Dusburgii non reperitur in Germanicum conversa; dubium itaque est an Dusburgium ipsum agnoscat auctorem.

(b) Primis temporibus MAGISTRI PROVINCIAE dicti sunt PROVISORES terrarum, ut & PROVINCIARUM COMMENDATORES. Sic in Privilegio Anno 1232. Culmensibus & Thorunienſibus dato Hermannus à Balke appellatur Provisor Prussiæ: In subscriptione qvoqve privilegii ejusdem, Ludovicus dicitur Prussiæ Provisor. In ipso deniqve Privilegio *num. XXXVI.* Provisori terræ injungitur, ut decrementa Ordinis præcaveat; Postea verò dici cœperunt Magistri Provinciæ (Landmeistere) relicto Provisorum titulo singulorum arcium Curatoribus, qvi Pfleger dicebantur. Conferatur Simon Grunovius *Tract. 6. fol. 7. 8. a.*

INCIPIT PRIMA PARS.

CAPUT I.

De Origine Domus Teutonicæ.

Incipit qvarta pars libri: De incidentibus.

IN nomine Domini Amen. Anno (a) incarnationis ejusdem MCXC. tempore illo, qvando Civitas Acconensis esset à Christianis obsessa & Divinâ favente gratiâ de manibus infidelium recuperata, fuerunt in Exercitu Christianorum qvidam devoti homines de Bremensi & Lubecensi Civitatibus, qui tanqvam Viri misericordiæ oculis compassionum incidentes in diversos & intole-

Anno 1190.

Hoc tempore qvo ortum & originem habuit Ordo domus Teutonicæ, scilicet Anno Domini MCXC. Cœlestinus Papa III. & Henr.

lerabiles defectus & incommoda infirmorum, degentium in dicto Exercitu, fundaverunt Hospitale, in tentorio suo facto velo cujusdam navis dictæ Cocka Teutonicæ, ubi dictos infirmos colligentes, ipsis devotè & humiliter serviebant, & de bonis sibi à Deo collatis caritativè procurantes misericorditer pertractabant, attendentes, qvod in persona cujuslibet infirmi vel pauperis susciperent ipsum Christum, qui dicet his qvi à dextris erunt in Judicio: Esurivi, *Matth. 25, 35.* & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me, nudus eram, & cooperuistis me, Infirmus eram, & visitastis me; & cum dicent: ubi te vidimus talia patientem, respondebit: Amen dico vobis, qvod feciſtis uni ex his fratribus *v. 40.* meis minimis, mihi feciſtis. Ecce qvomodo Christus infirmos & debiles & despectos qvosqve fratres vocat & benè. Caro enim & frater noster *1. Cor. 6.* est. Sed qvod dicit Apostolus; Ego plantavi Appollo rigavit Deus autem incrementum de- *v. 7.* dit; Ex qvibus Verbis liqvidè licet appareat, qvod neqve is qvi plantat, neqve is qvi rigat, aliqvid sit, sed qvi incrementum dat Deus, Tamen humana diligentia impensioris curæ solicitudinem debet impendere circa plantas, qvæ adhuc novellæ fructus uberes afferunt, & uberiores suo tempore repromittunt. Undè tum Dominus Patriarcha in Hierosalem. Heinricus Rex Hierusalem illustris. Nasarenus & Tirensis & Cæsarienſis Archiepiscopi, & Bethlehemitanus & Acco-

Henricus VI. imperator regnaverunt.

Postea Innocentius Papa III. & Otto IV. & Fridericus II. Imperatores successivè regnaverunt. Anno Domini MCC. Civitas Constantinopolitana, qvæ in Prophetia sua habuit, qvod non caperetur, nisi per Angelum; Capta est à Francis & Venetis, qvi per murum, ubi Angelus depictus fuit, intraverunt. Decepti fuerunt cives per aqvisvocationem Angeli & factus fuit ibi Baldecoinus Comes Flandrensis Imperator & imperaverunt ibi Latini LVII. annis.

Hujus Innocentii Papæ tempore qvasi omnes Christiani fuerunt in publicâ pœnitentiâ; & qvia flagellis se flagellabant, vocati fuerunt Teutonicè: Die Geisseler. Anno Domini MCCII. initium habuit Dominium Tartarorum.

Hoc

Hoc tempore apud Reſeum in Brixia ꝙnum in ſangꝙinem, panis in Carnem in ſacrificio altaris viſibiliter ſunt mutata.

In Vermendeſio qꝙidam miles mortuus reꝙixit & multa futura multis prædixit, & ſine cibo & potu multo tempore ꝙixit.

In Gallia circa feſtum beati Johannis Baptiſtæ ros de cœlo cadens mellitus ſpicas ſegetum infecit, ita ut multi eas in Ore ponentes odorem mellis ſentirent apertè.

Apud Attrebatum Menſe Julii tempeſtas ꝙalida exorta eſt, tantæqꝙe magnitudinis lapides ceciderunt qꝙod ſegetes, vineas, & nemora penitus deſtruxerunt.

Hoc etiam tempore Almiꝙolus Imperator Saracenorum ꝙenit cum infinitâ multitudine in Hiſpaniam, & indixit bellum omnibus adorantibus Crucifixum, qꝙem Reges Hiſpaniæ aggredientes in bello ꝙicerunt, & facta fuit tanta ſtrages ut riꝙi ſangꝙinis de occiſis fluerent, Sarracenus Almiꝙolus cu paucis confuſus eꝙaſit.

Anno Domini MCCIV. Livonia terra Provincia Rigenſis per ſolicitudinem Innocentii Papæ ad fidem Chriſti eſt converſa.

Anno Domini MCCVI. beata Eliſabeth nata fuit.

Acconenſis Epiſcopi. Magiſter Hoſpitalis S. Johannis, & Magiſter domus templi, & multi fratres ambarum domorum, pluresqve Barones terræ S. ſcilicet Radulphus Dominus Tiberiadis, & Dominus Hugo frater ſuus, & (*b*) Remoldus Dominus Sidonis, & Dominus Cymarus de Cæſaria, & Dominus Johannes de Hibelino, & multi, alii de Regno Jeruſalem. Et de Allemannia: Conradus Maguntinenſis Archiepiſcopus, Conradus Herbipolenſis Epiſcopus, & Cancellarius Imperii Romani, Wolgerus (*c*) Patavienſis Epiſcopus, Gardolphus Halberſtadienſis Epiſcopus, & (*d*) Ciſenſis Epiſcopus, (*e*) Fridericus Dux Sveviæ, Heinricus Palatinus Comes Reni, & Dux de Brunſvvig, Fridericus Dux Auſtriæ, (*e*) Henricus Dux Brabantiæ qvi Capitaneus totius erat exercitus, Hermannus Palatinus, Comes Saxoniæ, & Landgrafius Thuringiæ, Albertus Marchio Brandeburg. & Henricus de (*f*) Caladia Marſchalcus imperii, Conradus Marchio de Landsberg, The: Marchio Miſnenſis; Comites verò & Magnates & qvam plures nobiles dicti exercitus, oculo propiciationis videntes hanc novellam Hoſpitalis plantationem aliqvales fructus honoris & honeſtatis tempeſtiva qvodam fœcunditate producere, & ſperantes indubitanter, qvod Domino incrementum dante expanſis ramis ſuis uberrimam fructuum copiam faceret in futurum. Omnium Principum ſupra

Ho-

pra dictorum Consilium in hoc resedit, ut Dominus Fridericus Dux Sveviæ Nuncios solennes fratri suo Sereniſſimo Domino Heinrico VI. Regi Rom. futuro Imperatori mitteret, qvi apud Dominum (g) Papam inſtitutionem & Confirmationem Hoſpitalis præhabiti impetraret. Papa itaqve auditâ hac legatione, piis potentium precibus inclinatus in dicto Hoſpitali Ordinem fratrum (h) Hoſpitalis in Hieroſolem circa pauperes & infirmos: Fratrum verò militiæ templi circa Clericos & milites & alios fratres inſtituit, & in nomine Domini confirmavit, concedens fratribus dicti hoſpitalis ut (i) nigrâ cruce & albo pallio uterentur. Omnesqve libertates, immunitates & indulgentias venerandis domibus prædictorum Hoſpitalis & templi ab Apoſtolica ſede conceſtas indulſit, ut eis uterentur liberè ſicut illi. Dignum enim erat, ut qvibus in operatione virtutum pio vellent Propoſito fieri pares, in aſſecutione Apoſtolici beneficii eſſent coæqvales, ſicqve inſtitutus & confirmatus & multis privilegiis donatus eſt venerandus ille militaris, Ordo fratrum Hoſpitalis Sanctæ Mariæ domus Teutonicorum Hieroſolymitani. Hæc eſt Vinea Domini Zebaoth electa, qvam tu Jeſu Chriſte inſtituiſti, fuiſtiqve Dux itineris in conſpectu ejus. Plantaſti radices ejus & implevit terram, tranſtuliſti eam poſtea & ejeciſti gentes de terra Pruſchiæ & Livoniæ & plantaſti eam ibi, & ſic ex-

Honorius Papa III. & Fridericus II. Imperator regnavit.

De ortu & Origine Religionum.

Ordo S. Benedicti incæpit proficere Anno Domini qvingenteſimo tempore Felicis Papæ IV. (Jeroſchinus habet III.)

Ordo Cluniacenſis Anno Domini nongenteſimo tempore Adriani Papæ III.

Ordo Ciſtercienſis A. Domini MLXXXII. (Jeroſchinus Papam tum Victorem III. fuiſſe dicit.)

Ordo Hoſpitalis S. Johannis Anno Domini MCIV. tempore Urbani Pap. II.

Ordo Templariorum Anno Domini MCXII. tempore Paſchalis Pap. II. qvi deſtructus fuit à Clemente Papa V. in Concilio Viennenſi Anno Domini MCCCXII. XI. Kalend. Aprilis. Pontificatus autem dicti Papæ Anno VII. non

per-

per sententiam definitivam sed per promissionem Sedis Apostolicæ tempore Henrici imperatoris VII.

tendit palmites suos usqve ad mare, & usqve ad flumina propagines ejus. Hæc veneranda militia non solum in terra est ab hominibus confirmata, verum etiam typo cœli & terræ multifariè præfigurata. Legimus etiam in Veteribus Historiis Magnum Patriarcham Abraham cum suis Vernaculis CCCXVIII. pro liberatione fratris Deum timentis decertasse, & captivitate innocentum conversâ, postqvam à cæde Regum reverteretur eidem Patriarchæ encænia munerum panis & Vini cum benedictione Dei Excelsi, qvo protegente hostes in manibus suis erant, à Melchisedech Rege & sacerdote fuisse oblata; Ex qvo tempore tyrocinia fidelium contra nationum turbas cœperunt exerceri, revelante ex tunc Spiritu S. qvanto favore is, qvi summum in Ecclesia obtinet locum, tales amplecti debeat tyrones, ad protectionis Ecclesicæ benedictionem eosdem spirituali benevolentiâ suscipiens, & suis indulgentiis & privilegiis encænia patrimoniorum crucifixi militibus illis oblata confirmans. Hæc militia cœli & terræ typo præfigurata sola & præcipua esse videtur, qvæ vicem Christi in opprobrio suæ crucis dolent, & terram S. Christanis debitam recuperare ab oppressione gentilium se devovit. Vidit namqve Johannes Ecclesiam militantem sub typo novæ Jerusalem de cœlis â triumphante descendere. In qva cum cœteris cœlestium Virtutum agminibus Potestates Deo

Ordo domus Teutonicæ Ann. Domini MCXC. tempore Cœlestini Papæ III. & Henrici Imperatoris VI.

Gen. 14.

Ordo fratrum Prædicatorum Anno Domini MCCXVI. sub Honorio Papa III.

Ordo fratrum minorum Anno Domini MCCXXIII. sub Honorio Papa III.

Ordo Eremitarum montis Carmeli, &

Ordo fratrum Gallis Scolarium per eundem Dominum Honorium Papam sunt confirmati.

Anno

C mili-

militant, qvamlibet poteſtatem contrariam debellando. Qvæ profectò viſio nos admonet, qvosdam in Eccleſia militante debere contineri milites, qvorum votum ſit, inimicam Eccleſiæ tyrannidem infidelium propulſare. Statuente in omnibus altiſſimo terminos fidelium populorum juxta numerum & officium Angelorum DEI. Huic & terræ conſonat Teſtimonium. Nam ſub Moyſe & Joſua & aliis Judicibus Iſrael milites DEI nova bella qvæ elegit Dominus eligentes ſtirpem Enachim & cæteros iniqvos terræ S. inhabitatores, giganteæ malitiæ cohæredes, leonum more invadentes funditus exterminaverunt, illis duntaxat exceptis, qvos ad eruditionem populi DEI ſervavit diſpenſatio ſub onere ſervitutis. Secundum verò incrementa temporis religionis hujus ſimul creverunt præfigurationes. David namqve ſecundum Cor DEI in regnum fidelium exaltatus, ut Propheta futurorum præſcius, expreſſi ora hu-
1.Reg.30,14. jus militiæ præſagia præſignans legiones Crethi &
2.Reg.8,18. Plethi membra qvædam ſua voluit eſſe, qvorum
2.Reg.15,18. hoc eſſet officii, qvatenus ſecundum proprii nominis ſignificationem, capitis ſui cuſtodes jugiter haberentur, ut videlicet inſidiatores capitis David exterminantes mirabili ſalute ſubjectos defenſarent. Crethi exterminantes, Plethi verò ſalvantes mirabiliter interpretantur. Propheta qvippe cum eſſet David & familiare Spiritus S. organon tam præſentia qvam futura in Scripturis veritatis intuens diſtinctione ſuæ cohortis edocuit, qvod in noviſſimis temporibns Caput Eccleſiæ Chriſtus Cu-

Anno Domini MCCXXI. Eliſabeth duxit Landgrafium Thuringiæ in maritum.

Anno Domini MCCXXV. in Burgundia inmontibus Salinarum, ex virtute terræ motus, mons qvidam ſe diviſit ab aliis montibꝫ & tranſiit ad montes oppoſitos, totamqve vallem cooperuit & V. milia hominum ſuffocavit.

Anno Domini MCCXXVII. III. Idus Septembris Landgravius maritus beatæ Eliſabeth cruce ſignatus in itinere peregrinationis mortuus eſt in Sicilia civitate qvæ dicitur Ortrant.

Gregorius Papa IX. & Fridericus II. regnant.

Custodes foret habiturus, qvi non precioſiores animas ſuas ſeipſis facientes, accingerentur gladio ſuo ſancto ſuper femur ſuum ut fortiſſimum Iſrael veri Salomonis lectulum ambientes timores nocturnos tenebroſæ perfidiæ à finibus expellerent Chriſtianis. Subit etiam animum illud laudabile & DEO dignum bellum Macchabæorum, qvi in deſerto (*k*) fœno cibi paſti, ne participes fierent coinqvinationis, Zelo legis & fidei repleti, Antiochum Epiphanem, radicem iniqvitatis, qvi populum DEI ad ritus gentiles & lupanar (*l*) pertrahere nitebatur, DEI ſuffulti juvamine contriverunt, ut ſancta iteratò mundarent, arcem Sion recipe-

Anno Domini MCCXXVIII incæperunt eſſe partes in Italia Gebelini & Gelphi, qȝa ſunt nomina duorum fratrum, qȝi ſe diſtiſerunt. Gebellinus partem Imperii, Gelphus partem Eccleſiæ foȝit.

Anno Domini MCCXXX. Rex Arragonum in Hiſpania cepit Inſalas, qȝa Majorice & Minorice appellantur, obſeſſas à Sarracenis.

rent & redderent pacem terræ, qvorum bella ſacer hic ordo militiæ videlicet domus Teutonicorum Hoſpitalis S. Mariæ in Jeruſalem ſtrenuè imitans, membris honorabilibus meruit decorari, diverſis ad diverſa digna Deo officia laudabiliter ordinatis. Sunt namqve milites & bellatores Eccleſiaſtici Zelo legis pleni manû validâ hoſtes conterentes. Sunt & caritatis beneficiis affluentes, hoſpitum peregrinorum, & pauperum receptores. Sunt inſuper, qvi pietatis viſceribus in hoſpitalibus langvidis & decumbentibus non abominatis ſqvaloribus ſervido Spiritu ſub miniſtraverint. Inter membra dignum & per utilem Clerici locum habent, ut tanqvam ſcintillæ in medio diſcurrentes, pacis tempore ad Laicos fratres exhortationes de Obſervantia Regulari faciant, & divina celebrent ac Sacramenta miniſtrent, ſed ad arma convolantibus, ſangvinẽ vitæ & mortis memoriam S. crucifixi Domini oſtendentes ad virtutem acuant præliandi, & ſic à fine robuſtorum militum, usqve ad finem infirmorum decumbentium, qvorum cuſto-

diunt conſcientias & muniunt exitus fortiter (*m*) accingentes inſvavitate Spiritus ſua miniſteria exeqvuntur. Hunc ergò Spiritualem ordinem ad utilitatem S. Eccleſiæ ſe generalis diffundentem congratulationis oculo diverſi ſummi Pontifices intuentes, confirmatum plurimis Privilegiis & immunitalibus & libertalibus illuſtrarunt.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. I.

(*a*) Eâdem ratione Originem ordinis Teutonici exponunt Nicolaus Jeroſchinus. Chronicon Germ. Antiq. in formâ, ut vocant, Qvartâ, qvod habetur in Bibliothecâ Electorali, Regiomontanâ, Chronicon Ordinis, & qvotqvot ſunt recentiores rerum Pruſſicarum Scriptores. Antiqvi etiam Codices, Regulam, Leges & Conſvetudines Ordinis Teutonici nobis exhibentes, in hoc conveniunt, ut & Monumentum Olivenſe Ducis Meſtroini, apud Schüz. *lib. I. Chron. Pruſſ. fol. II. a.* Conf. Heinricus Bangertus *in Notis ad lib. III. Arnoldi Lubecenſis cap. XXXVI.* Sed Jacobus de Vitriaco (qvi circa eadem tempora Epiſcopus fuit Acconenſis, Hiſtoriamqve ſuam usqve ad an. 1218. perduxit, obiitque an. 1240. ut habet Chronicon Belgicum) dicit Ordinem Teutonicum inſtitutum jam tum fuiſſe in urbe Hieroſolymitana, anteqvam Ptolemais ſive Accona obſidione cingeretur, *lib. I. Hiſtor. Hieroſol. Cap. LXVI.* Idem habet Marinus Sanutus Torſellus *lib. III. part. VII. Cap. III.* ut & Polydorus Vergilius *l. VII. de Inventorib. rerum Cap. V.* & Jacobus Gretſerus *Tom. II. de Cruce lib. II. c. XVI.* Alii in ipſa urbe Acconenſi putant hunc ordinem inſtitutum eſſe. Siffridus Presbyter Ad an. 1212. *In Accanone*, ait, *cœpit fratrum Teutonicorum.* Inter Scriptores à Piſtorio editas. p. 694. Auctor Compilationis Chronologicæ apud eundem Piſtorium, initium hujus Ordinis refert ad An. 1200. p. 738. Paulus Langius in Chron. Citizenſi refert hoc ad Annum 1194. cum Ptolomais ſ. Accona jam An. 1191. qvarto Idus Julii (ut habet Math. Pariſiens. *in Richardo I. ad dict. an. fol. 163. Edit. Londinenſis Wilhelmi Watzii.* An. 1640.) & repta ſit Saracenis. Has ſententias alibi, nempe in

Dis-

Dissertat. de Antiqva Prussorum Republica, ita conciliavimus: Ordo Teutonicus Hierosolymis cœpit à qvodam pio Viro privato ausu institutus; posteà verò in Obsidione Acconensi, publica auctoritate Papæ Romani Imperatorisque Germanici aliorumque plurimorum Principum, qvi tum in Obsidione illa aderant, confirmatus est; in Urbe deniqve Acconensi ita opibus & potentiâ creuit, ut toti orbi innotesceret. Nec forsan est, qvod nos hujus Conciliationis jam pœniteat. Animadvertimus enim, eandem fuisse & Naucleri opinionem, qvi hac de re sequentia ferè habet: *Qvidam honestus vir Teutonicus habitans in Hierusalem, cum uxore sua quoddam Xenodochium de bonis suis ad opus pauperum & peregrinorum Teutonicorum construxit, & de voluntate Domini Patriarchæ Oratorium illi adjecit B. Virgini sacrum; Postea cum Teutonici multiplicarentur, dignum duxerunt Regulam & Instituta fratrum Militiæ templi assumere qvam & ita susceperunt. Verum postea, An. Domini 1191. Apud Acam qvidam Bremenses & Lubecenses cives, Hospitale in honore B. Mariæ Virginis ad opus infirmorum tempore Obsidionis ex Velis navium fecerunt, obtinuerunt auxilio Friderici Ducis Sveviæ à Cœlestino Papa, cooperante ad hoc Henrico Rege Rom. Ordinem istum sub Titulo Hospitalis B. Mariæ Virginis Domus Teutonicorum in Jerusalem confirmari. Ex eo tempore, incœpit habere Magistrum Ordinis Generalem prosapiâ Nobilem. Erat autem primus Magister Frater Henricus dictus Walpora sub qvo Hospitale incœptum fuit in Civitate Aca jam recuperata.* Hæc Johannes Nauclerus *Volum. II. Chronographiæ. Generatione 37. fol. 735.* Conf. & Henricus Pantaleon *lib. 3. de Ordinis Joannitarum Rebus gestis fol. 74.*

(*b*) Raynaldus, habet Jeroschinus.

(*c*) Von Patzaw i. e. Passaw/ Jeroschinus, Wolffgerum eum nominat Casp. Bruschius *l. II. Patavii p. 166.*

(*d*) Von Zitz. Jeroschinus.

(*e*) Friedericum Ducem Sveviæ, Ducem fuisse totius Exercitus scribunt plures Chronographi nostri, Dusburgius Henricum Brabantiæ Ducem hoc munere functum affirmat. Sed auctor Chronici Ordinis dicit Fridericum Ducem Sveviæ & Henricum Ducem Brabantiæ fuisse Duces Exercitus. *fol. 10. b.*

(*f*) Kalender/ habet Jeroschinus.
(*g*) Cœlestinum III.
(*h*) Eqvitum S. Johannis, qvi hodie Maltenses dicuntur, instituta data sunt Ordini Teutonico, ut ex eorum præscripto Pauperibus & ægrotis inserviretur: Templariorum verò instituta ut secundùm ea Eqvitum & Clericorum Ordinis Teutonici vivendi ratio institueretur.
(*i*) Interior Fratrum tunica fuit nigri coloris, pallium verò album, Cruce nigrâ insignitum.
(*k*) Fortasse legendum: *Vili cibo.*
(*l*) In Exemplari Regio montano inserta reperitur Vox: *Ephebar*, sed nullo sensu. Nec Elbingense Exemplar aliam vocem agnoscit.
(*m*) Accingentes, pro accincti. Non raro namqve apud antiquos scriptores Verba activa sumuntur pro Passivis, ut Virgil. lib. 2. Æneid. *Accingunt omnes operi.* Et l. 1. Æneid. v. 275. *Aurora in roseis fulgebat lutea bigis. Cum venti posuere.* Sic & alii passim.

CAP. II.

De

Fratre Heinrico Walpote primo Magistro Hospitalis S. Mariæ Domus Teutonicæ.

FRater Henricus (*a*) dictus Walpote Magister primus Hospitalis S. Mariæ domus Teutonicorum Hierosolymitani præfuit (*b*) multis annis, & obiit (*c*) nono Calendas Novembris & sepultus est Accon. Huic Cives Bremenses & Lubecenses qvi primi hujus Ordinis fuerant fundatores, ut dictum est, dum completo peregrinationis suæ voto ad propria vellent redire, de consilio Domini Friderici Ducis Sveviæ prædicti & aliorum Nobilium de Almannia, qvi fuerunt in obsidione Civitatis Acconensis, dictum Hospitale cum omnibus eleemosynis & attinentiis, qvæ tunc sufficientes erant, præsentabant; ubi dictis in-

infirmis, cum suis fratribus humiliter serviebat sed post (*d*) captionem Civitatis Achonensis prædictæ, idem Frater Henricus emit qvendam hortum, infra muros ante portam S. Nicolai, in qvo Ecclesiam & Hospitale & mansiones diversas exstruxit, Deo ibi cum suis fratribus serviens & infirmis. In qva Ecclesia idem Dux Fridericus (*e*) de Svevia in itinere peregrinationis mortuus est & sepultus, qvia dum viveret elegit ibi Ecclesiasticam Sepulturam.

ANIMADVERSIONES.

Ad Caput II.

(*a*) Caspar Schüz eum sic appellat: Heinrich Walpott von Passenheim/ *tùm in Catalogo Magistrorum Chronicis præfixo, tùm lib. I. Chron. fol. 15. 6. fin.* Eodem modo habet hoc ipsum & Johannes Freyberg *in Chron. Pruss. MS.* Undè verò hæc habeant apud antiqviores reperire non potui; Suspicari tamen licet, Schuzium & Freybergium ita ipsum appellare, qvoniam secutis temporibus qvidam Walpotii, adhunc Magistrum genus suum referentes, hoc nomine gavisi sunt. Nam Privilegium Passenheimensibus Anno 1386. datum, subscripsit inter alios Sigefridus Walpot von Passenheim/ Oberster Spittler und Compther zu Elbing. Nobili loco primum hunc Magistrum fuisse natum asserit auctor Chronici Ordinis fol. 13. b.

(*b*) Decem annos ipsi assignat Chronicon Ordinis. Electum enim eum esse dicit in Castris ad Acconam Anno 1190. die 9. Novembr. Mortuum autem An. 1200. *fol. 24. b.*

(*c*) Diem obitus primorum illorum Magistrorum habet Dusburgius ex Anniversariis sacris. Singulis enim annis Ordo Teutonicus Memoriam Magistrorum optimè meritorum celebrabat, ut adhuc in Antiqvis cruciferorum Fastis videre licet.

(*d*) Expugnarunt Christiani Acconam sive Ptolemaida An. 1191. d. 15. Julii, ut habet Chronicon Ordinis *fol. 15. b.*

(*e*) Anno 1193. Chron. Ord. *fol. 16. b.* In insignibus suis ex Concessione Pontificis Romani habuit Crucem nigram.

CAP.

CAP. III.

De Fratre Ottone Magistro II.

FRater Otto (*a*) Magister IIdus præfuit (*b*) multis annis & obiit (*c*) IV. Nonas Junii, sepultusqve est Achon. (*d*)

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. III.

(*a*) Ottonem hunc, von Carpen dictum, qvidam fuisse perhibent filium Baronis (eines Freyherrn) Alii nobilis alicujus & Civis Bremensis filium. Henneb. *in lib. de Vet. Pruss.* Octogenarius fuisse dicitur cum in Magistrum eligeretur. *Idem ibid.*

(*b*) Sex annos ei assignat Auctor Chronicorum Ordinis, ut & Auctor Chron. Latini in Curia Palæopolitana Regiomonti.

(*c*) Die Marcelli & Petri, ut addit Nicol. Jeroschin. &c.

CAP. IV.

De Fratre Hermanno III. Magistro.

FRater Hermannus, (*a*) dictus Bart, Magister tertius, præfuit multis (*b*) annis & mortuus est (*c*) XIII. Kalendas Aprilis sepultusqve est (*d*) Achon.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. IV.

(*a*) Alii ipsum nobilem Holsatum fuisse dicunt. Schuz *lib. I. Chronic. Pruss. fol. 16. b.* Auctor verò Chronici Ordinis asserit, ipsum Ducis Bartensis ex fratre filium fuisse *fol. 25. b.*

(*b*) Quatuor annos ei tribuit Chronicon Ordinis & Auctor Chronici Latini MS. Schuzius, & alii.

(*c*) In vigilia S. Benedicti, ut addit Jeroschinus, Annum autem obitus apud antiqviores non reperio. Schuzius habet An. 1211. d. 20. Martii.

(*d*) Aliud Chronicon dicit Magistrum hunc in oppugnatione urbis Tripoli-

politanæ vulneratum, Hierosolymam delatum ibidemqve mortuum & sepultum esse. *Vid.* Henneb. *lib. de Antiq. Prussia.* Schützius *lib. 1. fol. 16. b.* Aliàs ipsum Virum Juvenem fuisse Chronica nostra referunt.

(*d*) Duo priores Magistri cruce nigra tantum usi sunt in Insignibus. Huic verò, ut habet Henneb. *in Tract. de Veteri Prussia*, concessit Henricus Rex Hierosol. ut nigræ Cruci auream posset inserere. Ego verò putaverim, aut Henricum Regem prioribus magistris hoc concessisse; aut si huic illud Concessum est, à successore Henrici, nempe Johanne Brenno, illud fuisse concessum. Nam Henricus Rex obiit An. 1195. Hermannus verò Magister Anno demum 1206. electus esse dicitur secundùm Henneberger. *loc. cit.* Qvamvis perplexa sit horum temporum Historia, multis Titulum Regis Hierosolymitani sibi asserentibus, *Vid.* Christoph. Besoldus *in serie Regum Hierosolymitanorum Cap. III. n. I. & II. pag. 293. seqq.*

CAP. V.

De Fratre Hermanno de Saltza.

Magistro IV.

FRater Hermannus de Salza Magister qvartus præfuit (*a*) plurimis annis (*b*) obiit 9. Kalend. Augusti & Sepultus est in Barletto. Hic fuit facundus, affabilis, sapiens, circumspectus, providus & infactis suis omnibus glorioſus. Dum post electionem suam videret tam tenerum statum Ordinis, optavit in audientia fratrum aliquorum, se uno velle oculo carere, ut ordo suus tempore suo, qvo præesset, tantum sumeret incrementum, qvod posset habere in armis paratos X. fratres milites & non plures. Sed qvid feciſti in hac causa ô bone JEsu, qvi justis petentium desideriis semper præsto es, & pia vota non desinis propitius intueri? Nunqvid fraudatus est à desiderio suo? Certè non. Imò desiderium animæ ejus tribuisti ei super abundanter. Tantum

enim profecit ordo temporibus,qvibus ipse præfuit, qvod non longè post mortem ejus computata fuerunt de nobili sangvine Regni Alemanniæ duo millia fratrum in Ordine supra dicto. Illustris etiam ille Thuringiæ Landgravius Dominus Conradus, ((c) de cujus familia ipse, cùm esset in seculo, fuerat) tam copiosa comitiva Nobilium dicti suscepit Ordinis habitum regularem, tempore etiam hujus fratris Hermanni meliora Privilegia tam Papalia qvam (d) Imperialia Ordini sunt collata, Magnifica qvoqve dona in Appulia, Romania, Armenia, Almannia, Ungaria, scil. territorium qvod dicitur Wurza, Livonia, & Pruschia temporibus suis Ordini sunt donata. Tantum enim exaltatus fuit per eum Ordo, qvod à Seculo non est auditum,qvod unqvam aliqva religio vel Ordo per unum hominem tantum profecerit in hoc mundo. Nec mirum. Tantam enim gratiam contulit ei Deus,qvod ab omnibus amaretur, ut verè posset de ipso dici,qvod dilectus esset Deo & hominibus. Habebat Dominum Papam & Imperatorem, præter alios Principes & Magnates, in manu sua, & ita eorum animos ad se inclinavit, ut, qvicqvid ab eis pro honore & commodo Ordinis sui peteret, impetraret. Undè factum est, qvod postqvam Veneti pro rebellione, qvam contra Imperium exercuerant, essent graviter correcti, magnam partem S. Crucis Friderico Imperatori II. pro Spirituali munere obtulerunt, qvam idem Imperator dicto Magistro dedit, qvi eam versus Pruschiæ partes misit ad Castrum Elbingense, ubi usqve in præsentem diem à Christi fidelibus in magna reverentia habetur propter crebra miracula, qvæ per ipsam Dominus operatur. Accidit & qvod dum inter Dominum Honorium Papam III. & Fridericum II. Imperatorem aliqvalis dissensionis materia verteretur occulta, uterqve causam suam eidem Fratri Hermanno definiendam commisit, qvod

cum

cum audiret ipse, renuit, asserens magnam indecentiam, si Dominorum totius mundi causam in se susciperet, cum ipse esset persona humilis, & in nullius dignitatis præeminentia constitutus. Undè factum est, qvod ipse Dominus Papa & Imperator, ut idem Fr. Hermannus in majori reverentia haberetur, ei & suis futuris successoribus in Officio magisterii Ordinis domus Teutonicæ constitutis dignitatem Principis contulerunt, & insignum hujus Principatus Dominus Papa (*f*) annulum ei obtulit, & Imperator insignia Regalia (*f*) Imperii deferenda in suo vexillo indulsit, & sic inter eos compositionem amicabilem sæpius ordinavit.

Explicit prima pars libri hujus.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. V.

(*a*) Hermannus de Salza electus esse dicitur An. Ch. 1210. ut Grunovius habet *Tract. 5. fol. 57. b.* Secundùm Schuzium verò An. 1211. Auctor Chronici Ordinis, & Auctor Chronici Latini sub Friderico Mag. scripti, annos Regiminis ipsi assignant triginta, qvas seqvitur Schuzius & alii.

(*b*) Annus mortis ex mente Dusburgii videtur fuisse 1246. ut ex Incidentibus *ad partis III. Cap. XXXIII. & XXXIV.* apparet. Sed Auctor Chronici Latino Sermone sub Frider. Duce Sax. & Mag. Ord. Teut. scripti, videtur statuere, mortem ejus antè hunc annum contigisse. Nam Legatum Pontificis Innocentii IV. qvi An. 1243. missus est in Prussiam, jam ad Conradum Landgr. Thuringiæ & Marg. Prussiæ missum esse statuit. Hinc Schuzius, Henneb. & alii dicunt Hermannum de Salza obiisse Anno 1240.

(*c*) Hæc, qvæ lunulis inclusimus, in exemplari Elbingensi non habentur: & commodè etiam abesse possunt. Noluimus tamen ea prorsus inducere. Fortassis enim qvædam desunt, qvæ ex aliis exemplaribus suppleri possunt.

(*d*) Privilegium Huic Magistro & Ordini ejus ab Imperatore Friderico

II. concessum vide apud Melchiorem Goldastum ab Haiminsfelt, in Reichshandlung fol. 166. seq.

(*f*) Annulus & insignia Magistro non sunt hic tradita, ritu qvodam creandi Principes, de qvali ritu intelligenda sunt illa Saxonis Grammatici, qvando dicit; *Fridericus Barbarossa Boguslaum & Casimirum datis solenniter aqvilis Slaviæ* (i. e. Pomeraniæ) *Duces appellavit.* lib. XV. *Hist. Dan. fol. 371. Edit. Hafn. Stephani Stephanii,* ut & illa qvando Investitura Episcoporum dicitur fieri per annulum & Baculum. Sed annulus datus est Magistro, ut ipse & successores ejus annulô hôc uterentur, semperque in Electione novo Magistro annulus ille insignum Magisterii traderetur, ut patet ex Privilegio qvodam Ordini, ab Honorio III. Pontifice anno 4. Pontificatus. 8. Cal. Januar. concesso. *Conf. & Consvetud. Ordinis à num. I. ad X.* Aqvila qvoqve data est Ordini eo fine, ut illâ in suis insignibus uteretur, qvod etiam factum esse testantur Insignia Ordinis Teutonici.

INCIPIT SECUNDA PARS.

CAPUT I.

De

Adventu Fratrum Domus Teutonicæ in Terram Pruschiæ.

De

Vastatione Terræ Colmensis per Pruthenos.

TEmpore qvo Nobilis ille ac Illustris Christianissimus Princeps (*a*) Conradus Dux Principatum tenuit in Masovia, Cujavia & Polonia, fuit qvidam Episcopus de Pruschia (*b*) Christianus nomine, Ordinis Cistercienſis qvi divini verbi semen sæpius sparsit inter Pruthenos, exhortans eos, ut relictâ Idololatriâ Deum verum colerent JEsum Christum. Sed qvia hoc semen

men cecidit in terram non bonam, fructum nullum fecit. Tantum enim erant obstinati in malitia sua, qvod nulla monita salutis eos ab infidelitatis suæ errore poterant revocare. Unum tum fuit in eis factum laudabile & multipliciter commendandum, qvod licet ipsi essent infideles & diversos Deos colerent, pacem cum Christianis Vicinis nilominus habuerunt, nec eos in cultura Dei vivi impediebant, nec aliqvaliter molestabant. Sed hoc inimicus humani generis pacis æmulus non diu sustinens super seminavit Zizania. Excitavit enim persecutionem (c) durissimam inter eos, ut intra paucos Annos Christi fidelibus partim trucidatis, qvibusdam captis & inservitutem perpetuam deductis paucis fugæ præsidio salvatis terram Colmensem penitus destruentes in solitudinem redegerent.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. I.

(a) In seqventibus Conradum Ducem Masoviæ semper nominat Ducem Poloniæ. Causa sine dubio hæc est. Occisô in Comitiis Gansavienſibus à Svvenlopelco Pomeraniæ Duce, Lescô Albô, Conradi hujus fratre circa An. 1226. Placuit Polonis Principatum Poloniæ ad Lesci Albi filium Boleslaum, qvi deinde dictus est Pudicus, deferre. Cum autem Principatui per se administrando nondum esset aptus, consultatum est inter Proceres Poloniæ, cuinam tutela Boleslai esset committenda. Qvidam favebant Conradô Masoviæ Duci Patruo Boleslai hujus; major verò pars Henrico Barbato Duci Wratislavienſium tutelam commisit. Hinc bellum inter Henricum & Conradum de tutela gestum, in qvo bis Conradum profligavit Henricus. Sed cum incautius ageret, captus ipse est à Conrado. Hedvigis Conjux Henrici de captivitate mariti certior facta, in Masoviam contendit, cujus precibus emollitus Conradus Henricum è custodia dimisit, postqvam ille interposito jurejurando principatus administratione sese abdicasset. Ex eo tempore Conradus Principatum Minoris Poloniæ admini-

ministrare cœpit. Sed postea circa An. 1234. vicissim ejectus est ab Henrico. Qvoniam itaqve Conradus in Minori Polonia per aliqvod tempus pro tutore & Principe sese gessit, ideò, Ducem Poloniæ ipsum nominat Dusburgius. Conferatur Martinus Cromerus *lib. VIII. de Ortu & Reb. Gest. Polon. princ.*

(*b*) Addit Jeroschinus Christianum hunc à Papa fuisse missum ad convertendos Prussos. Idem habet Author Chronici Germanici antiqvi in 4. qvi vixisse videtur sub Paulo Bellizero à Rusdorff Magistro Generali Prussiæ. Idem ex Scriptoribus exteris innuit Auctor Chronici montis sereni *ad An. 1215. pag.* 109. Edit. Joach. Johan. Maderi, qvando dicit: *Christianus primus post beatum Adelbertum genti Prutenorum Episcopus consecratus est.*

(*c*) Causam bellis Prussicis Historici recentiores Conradum Masoviæ Ducem præbuisse referunt. Educaverat Conradum Christianus Palatinus Plocensis, eumqve sæpius enormium flagitiorum causa reprehenderat. Conradus verò harum reprehensionum tandem pertæsus, primò Christianum oculis privavit, tandem etiam è medio sustulit. Hoc facinus ulturi Prussi, arma in Conradum corripiunt Masoviamqve miserè vastant. Hæc Scriptores nostri, penes qvos sit hujus rei fides. Aliam causam æqve probabilem vide apud D. Cœlestinum Misleniam *in Prolegomen. ad Manuale Prutenicum.*

CAP. II.

De

Vastatione Terræ Polonicæ.

ET qvia idem Dux principiis non obstitit, nec contra violentos ipsorum ausus & conamina remedium adhibuit opportunum, ad ulteriora & deteriora procedentes invaserunt terram Poloniæ cum magnâ potentiâ pugnatorum, tot vicibus & tanta damna intulerunt ei, qvod combustis ædificiis homines ætatis adultæ percusserunt gladio & mulieres & parvulos in servitutem perduxerunt, & si fortè aliqva matrona gravida in partu

tu ipsos seqvi non poterat, eam occiderunt, rapientes etiam infantes de brachiis matrum, infigendo in sudes sepium interfecerunt. Sicqve terram adeò vastaverunt, qvod de omnibus munitionibus & castris Ducatus sui non remansit ei, nisi unum Castrum situm super fluvium Wisele, qvod Ploczke dicebatur. Insuper CCL. Ecclesias Parochiales præter monasteria regularum & secularium Clericorum, (*a*) capellas, Cænobia monachorum, & claustra sanctimonialium incendio destruxerunt. Sacerdotes & alios Clericos tam religiosos qvam seculares, qvosdam extra septa Ecclesiæ alios intra plures in altari dum sacrosancta corporis & sangvinis Domini nostri JEsu Christi tractarent mysteria trucidantes, ipsa Sacramenta in contemptum Dei irreverenter in terram projicientes, pedibus conculcabant, Calices, ampullas & alia vasa Ecclesiæ corporalia vestesqve sacras ad divinum cultum dedicata deferentes ad illicitos usus pertrahebant. Cum virginibus Deo dicatis de clausris suis violenter extractis impudicè sua ludibria exercentes, & ut breviter concludam nullus sufficeret ad plenum scribere, qvanta mala & facta detestabilia fidei & fidelibus irrogarunt.

ANIMADVERSIO.

(*a*) I. e. *sacella*. Capella autem barbaris illis seculis dicebatur ædicula sacra, à pellibus caprarum, qvibus tegi solebat.

CAP. III.

De

Muneribus Datis Pruthenis ad placandam sævitiam eorum.

ANteqvam dicta terra Poloniæ sic penitus destrueretur, cùm adhuc aliqvod residuum supereſſet, idem Dux in tantum coactus

actus ab eis & anguſtiatus fuit, qvod qvotiescunqve dicti Prutheni nuncios ſuos mitterent ad eum pro eqvis & veſtibus boni coloris, non audebat aliqvaliter denegare, ſed cum non haberet, undè ſatisfaceret eis, vocavit ad convivium ſuum Nobiles & alios & uxores eorum, & dum ſederent læti in menſa comedentes & bibentes, juſſit ſecretè veſtes & eqvos ipſorum prænominatis infidelium nunciis præſentari. Nec hoc profuit qvicqvam, nec potuit eorum ſævitiam mitigare, qvin deſtruerent dictam terram, ut ſuperius eſt præmiſſum.

CAP. IV.
De
Fratribus Ordinis Militum.

CUm itaqve prædictus Dux videret terram ſuam ſic miſerabiliter deficere, nec eam poſſet aliqvaliter defenſare, de conſilio fratris Chriſtiani Epiſcopi Pruſchiæ & qvorundam Nobilium pro tuitione terræ ſuæ (*a*) inſtituit fratres milites Chriſti appellatos cum albo pallio, rubro gladio & ſtella, qvi tunc in partibus Livoniæ fuerant, & multas terras infidelium potenter ſubjugaverant fidei Chriſtianæ, & Epiſcopus prædictus qvendam virum diſcretum Brunnonem dictum & cum eo XIII. alios ad dictum Ordinem inveſtivit. Hoc facto idem Dux ipſis fratribus ædificavit caſtrum dictum Dobrin, de qvo ipſi poſtea fratres de Dobrin fuerant appellati, deditqve ipſis allodium ſeu prædium in terra Cujaviæ, qvod fuit Cedelicze nuncupatum. Convenerunt ipſe Dux & fratres ſub his pactis, qvod ipſi æqvaliter dividerent inter ſe terram infidelium, qvam poſſent ſibi, cooperante Domino, impoſterum ſubjugare. Qvod cum Prutheni percepiſſent provocati ampliùs, cum copioſâ mul-

multitudine armatorum dictum castrum Dobrin sæpius impugnaverunt, tamqve infesti fuerunt illis fratribus, qvod vix aliqvis ipsorum extra septa Castri audebat comparere. Imò tandem ad hoc deventum fuit, qvod qvinqve vel qvatuor Prutheni ausi fuerunt circa ipsum Castrum sua latrocinia exercere.

ANIMADVERSIO.

(a) Ex hoc capite Dusburgii manifestum fit, Conradum Masoviæ Ducem hos fratres de Dobrin instituisse, qvi Regulam & habitum Ensiferorum, Eqvitum Livonicorum assumpserunt. Polonici verò Scriptores tradunt, non fuisse hunc Ordinem à Conrado institutum, sed ex Livonia in Prussiam tantùm evocatum. Johan. Dlugossus *lib. VI. ad an. 1224.* Matth à Michov. *lib. III. Cap. XXXIII. fol. 86.* Sed hic Dusburgio potius, ut antiqviori, fides habenda est, qvi alias etiam circumstantias annotavit.

CAP. V.

DE
Donatione Terræ Pruschiæ Colmensis & Lubovia facta Fratribus Ordinis domus Teutonicæ.

HOc eodem tempore Ordo domus Teutonicæ per fratrem Hermannum de Salza Magistrum ejusdem in multiplicatione Fratrum, in divitiis, potentia & honore multum profecerat. Ita qvòd odor bonæ famæ ipsius longè lateqve diffusus tandem ad notitiam dicti Ducis pervenit. Hoc resedit in corde ipsius divinitus inspiratum, qvod dictos fratres vellet ad defensionem suæ Terræ fidei & fidelium invitare, ex qvo videret, qvod fratres milites Christi per eum ad hoc instituti non proficerent in hâc causâ. Convocatis exgò Episcopis & Nobilibus

suis, aperuit eis sensum suum, petens super hoc salubre consilium sibi dari, qvi consenserunt unanimiter, votis suis addentes, qvod relatione veridica intellexissent, dictos fratres esse milites strenuos in armis, & ab annis adolescentiæ suæ in præliis exercitatos. Insuper & apud Dominum Papam & Imperatorem & Principes Almanniæ gratissimos & acceptos, sic qvod sperarent indubitanter, qvod in favorem ipsorum Dominus Papa faceret passagium in subsidium dictæ terræ. Undè misit solempnes nuncios cum literis suis ad dictum fratrem Hermannum Magistrum. Qvi dum causam itineris coram eo & fratribus suis exposuissent, indè Magister post multa consilia variosqve tractatus cum fratribus suis habitos super hoc arduo negotio, tandem per suggestionem Domini (*a*) Papæ & Imperatoris (*b*) Friderici II. & Principum Almanniæ, qvi consilio & auxilio ei assistere promiserunt in hac causa dicti Ducis precibus acqvievit. Misit itaqve dictus Magister fratrem Conradum de Landisberg & qvendam alium fratrem sui Ordinis ad ipsum Ducem Poloniæ, ut explorarent terram Colmensem, & viderent, si de voluntate ipsius nunciorum Legatio processisset; qvi cum venirent, Poloniæ Duce in remotis agente, venit exercitus Pruthenorum & terram Poloniæ rapinâ & incendiô devastavit, qvem exercitum dicti fratres de mandatô Dominæ (*c*) Agafiæ uxoris Ducis, assumptâ sibi multitudine Polonorum viriliter sunt aggressi in bello. Sed Prutheni ex adverso se opponentes, fugientibus Polonis, in primo congressu dictos fratres letaliter vulneraverunt, & Capitaneum exercitus Polonorum captum deducentes, multos de populo interfecerunt. Sed Domina prædicta post conflictum fratres semivivos in campo relictos, reduci mandavit, & per curam Medicorum sanari, qvi fratres dum sanati essent, Legationem sibi commissam prudenter peregerunt.

Qvâ

Qvâ auditâ prædictus Dominus Conradus Dux Poloniæ præhabitâ maturâ deliberatione, ut præmissum est, de consilio, voluntate unanimi, & consensu expresso uxoris suæ Agafiæ, & filiorum suorum Boleslai, Kasemiri & Semoviti dedit dictis Fratribus domus Teutonicæ præsentibus & futuris terram (*d*) Colmensem & Luboviæ & terram qvam possent favente Domino imposterum de manibus infidelium expugnare cum omni jure & utilitate, qvibus ipse & progenitores sui possederunt in perpetuum possidendam. Nihil sibi juris aut proprietatis in eâ reservans, sed renuncians omni actioni juris vel facti, qvæ sibi aut uxori suæ vel filiis sive successoribus posset competere in eisdem. Et ut hæc donatio firma esset & perpetua nec ab aliqvo imposterum posset infirmari, dedit eis literas sigillô munitas. Acta sunt hæc circa (*e*) An. Dn. MCCXXVI. in præsentia testium subscriptorum, (*f*) scil. Guntheri Masovienſis, Michaelis Cujaviæ, Christiani Pruschiæ Episcoporum (*g*) Sermiloti Præpositi, Wilhelmi Decani, Pacoslai Senioris & fort. Jaroslai junioris Comitum (*h*) de Dirsovia. Johannis Cancellarii (*i*) & aliorum plurium Religiosorum & Secularium virorum discretorum.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. V.

(*a*) Gregorii IX. ut ex Seqventi Capite apparet.

(*b*) Cujus Diploma An. 1226. datum habet Melchior Goldastus von Haimimsfeld *in lib. qvem inscribit* Reichshandlung *pag. 68. seqq.* in qvo inter alia sic loqvitur: *Proposuit* (Hermannus à Salza) *coram nobis qvod devotus noster Conradus Dux Masoviæ & Cujaviæ promisit, & obtulit ei providere & fratribus suis de terra, qva vocatur Culmen & in alia terra inter Marchiam suam videlicet & confinia Pruthenorum, ita qvidem ut laborem assumerent & insisterent opportunè ad ingrediendum &*

obtinendum terram Prussiæ ad honorem & gloriam verò Dei, qvam promissionem recepisse distulerat & Celsitudinem nostram suppliciter implorabat, qvod si dignaremur annuere votis suis, ut authoritate nostrâ fretus inciperet aggredi & prosequi tantum opus, & ut nostra sibi & domui suæ concederet & confirmaret Serenitas tum terram qvam prædictus Dux donare debebat, qvam totam terram, quæ in partibus Prussiæ per eorum instantiam fuerat acqvisita & insuper domum suam immunitatibus libertatibus & aliis concessionibus, qvas de dono terræ Ducis præfati & de Prussiæ conqvisitione petebat, nostræ munificentiæ privilegio muniremus, ipse oblatum domum dicti Ducis reciperet & ad ingressum & conqvisitionem terræ continuis & indefessis laboribus bona domus exponeret & personas. Nos igitur attendentes promptam & expositam devotionem ejusdem Magistri qva pro terrâ ipsa suæ domui acqvirenda ferventer in Domino æstuabat, & qvod terra ipsa sub monarchia Imperii est contenta: confidentes qvoqvè de Prudentia Magistri ejusdem, qvod homo sit potens opere & sermone & per suam & suorum Fratrum instantiam potenter incipiet & conqvisitionem terræ viriliter prosequetur, nec desistet inutiliter ab inceptis authoritatem eidem Magistro concessimus terram Prussiæ cum viribus Domus & totis canalibus invadendi concedentes & confirmantes eidem Magistro, successoribus ejus & Domui suæ in perpetuum tam prædictam terram, qvam à præscripto Duce recipiet, ut promisit, & qvamcunqve aliam dabit, nec non totam terram, qvam in Partibus Prussiæ conqviret, Domino favente velut vetus & debitum ejus Imperii in montibus, planicie, fluminibus, nemoribus & in mari, ut eam liberam ab omni servitio & exactione teneant & immunem, & multi respondere proinde teneantur &c. Hic Imperator

rator per Marchiam Conradi intelligit Masoviam vel Cujaviam. Illis enim temporibus omnis limitanea regio dicebatur Marchia. Sic Vincentius Kadlubko tractum Gedanensem appellat Marchiam Gedanensem *lib. IV. Chron. Polon. cap. IV. pag. 458.* Per terram autem inter Marchiam Conradi & confinia Pruthenorum intelligit terram Dobrinensem. Hæc si observentur, facilè apparebit, qvid sit respondendum ad dubia, qvæ hic movet Martinus Cromer. *lib. VII. circa fin. fol. 580.* ubi perperam pro: *Marchiam suam, legit Marchiam novam;* & hinc illæ lacrymæ. Hoc Privilegium Friderici II. Imp. confirmat etiam Carolus IV. Imperator, apud eundem Goldastum *l. c. pag. 172. seqq.*

(c) Agasia nominatur ab aliis Chronographis. Schüzius eam appellat Agatam. Martinus Cromerus verò de ea: *Uxor autem, inqvit, ejus* (Conradi) *fuit Agaphia Russa, sive ea est Agapia potius. Etenim Russi θ Græcum, hoc est th. qvasi ph. sive f. pronunciant ut est videre in Theodoro, qvem illi Phedorum dicunt.* Lib. VII. de Ortu & Reb. gest. Polon. in calce.

(d) Polonici Scriptores aliter hæc referunt. Dicunt enim Cruciferos eâ conditione à Conrado evocatos, ut Culmensem tractum & qvicqvid terræ est inter Vistulam, Mocram atqve Dervantiam flumina occuparent; ubi verò Prussiam domuissent, Culmensem terram redderent, & qvæ de Barbaris cepissent ea arbitrio bonorum virorum ex æqvo secum, seu cum posteris suis, partirentur. Johan. Dlugossus *Tom. I. lib. VI. Annal. Polon. ad an. 1230.* Martinus Cromerus *lib. VII. in fine* Stanisl. Sarnitius *lib. VI. Annal. fol. 272.* Consentiunt cum illis nonnulli ex nostris scriptoribus, ut Auctor Chronici, qvod Wolffg. Dietmarus Typogr. Elbingensis edidit, item alius quispiam Anonymus superioris seculi Scriptor in Biblioth. Wallrodiana Regiomonti. Probat hoc ipsum insuper Cromerus ex vetusto qvodam libro Germanicâ lingvâ scripto, in arce Lubavienſi asservato & à Stanislao Hosio Episcopo Warmiensi sibi communicato, cum pacta ipsa vel injuriâ temporum vel fraude, ut ipse dicit, Crucigerorum perierint. Dlugossus etiam longius progressus, donationem illam, ut eam paulo antè descripsimus, de facto, non de jure, factum esse dicit, *cum in præjudicium*

Regni Poloniæ donationem ipsam Conradus Dux non poterat aliqualiter fecisse. Qvid hic certi statuere debeam, non video, cum Acta ipsa perierint. Probabiliorem tamen sententiam puto esse Dusburgii nostri, qvi antiqvior est citatis illis Scriptoribus, habet etiam sibi consentientem Auctorem antiqvum Chronici Ordinis, & præcipuè Imperatorem ipsum in Diplomate citato; Vix etiam est verisimile, Cruciferos, qvi tum multis opibus multisqve possessionibus erant aucti, fuisse tam duras conditiones subituros. *Vid.* Casp. Schuz. *lib. 1. Chron. Pruss. fol. 17.* Fortassis igitur Scriptores Polonici confundunt Acta hæc cum Actis cum Fratribus de Dobrin initis, qvibus Conradus, ut à se institutis, facilè adeò duras leges præscribere potuit. Qvoddam etiam Chronicon MS. in Bibliotheca Wallenrodiana concedit pacta illa, prout ea describunt Poloni, fuisse cum Cruciferis inita; Conradum tamen ante mortem Cruciferos à Pactorum illorum religione absolvisse refert. Undè hæc hauserit recentior ille Scriptor, parum compertum est.

(*c*) Sic habent Chronica nostra. Sed Joh. Dlugossus hoc refert ad An. 1230. *Tom. I. Annal. lib VI. f. 578.* ut & Matth. à Mechovia *lib. III. Chron. Polon. Cap. XXXV.* Martinus Cromerus dicit hæc contigisse An. 1228. Manlius Gerlicius verò acta hæc esse vult An 1223. qvando annum conversionis Prussorum hoc versiculo complectitur: *HerMannVs prVssos ChrIstI JVb Vota CoëgIt.* Videatur Gabriel Bucelinus *in Germania.*

(*f*) Subscriptio Pactorum illorum sic habet apud Cromerum: Michael Episcopus Cajavienſis: Mikul Archidiaconus. Magister Joannes Dobroslaus, Magister Petrus Canonici Plocensis Ecclesiæ, Gothardus Cancellarius: Gregorius Subcancellarius: Joannes Abbas B. Alberti Plocensis: Wenceslaus Abbas, Gerhardus Præpositus: Petrus Prior Zervenensis Ecclesiæ: Bogussa Palatinus Masoviæ: Comes Arnoldus, Cethegus judex, Abraham Tincerna, Martinus Dapifer. Vitus Cancellarius de Plonsk. Matthæus Castellanus de Raciass. Seguta Dapifer. Barta Succamerarius. Adalbertus Castellanus antiqvæ Wladislaviæ. *lib. VIII. fin.*

(*g*) Servvold, legit Schuz. *fol. 17. b.* Jeroschinus verò habet Germold.

(*b*) Horum Comitum Pater nomine Derslaus ex familia Ducum Pomera-

meraniæ & Cassubiæ oriundus, Dirsoviam urbem An. 1207. condidisse dicitur. Schuz. *fol. 17. b.* ex antiqvo Chronico Monacharum Elbingensium.

(*i*) Gregorium Subcancellarium hic interserit Jeroschinus, non est igitur dubium, qvin & in ipso Dusburgio hoc sit lectum.

CAPUT VI.

DE *Confirmatione Præmissorum & Exhortatione Domini Papæ ad alios fratres.*

Anno 1226.

CUm autem destructio terræ Poloniæ perclamosam insinuationem dicti Ducis ad notitiam Romanæ curiæ deveniret, Sanctissimus Pater & Dominus (*a*) Gregorius IX. Papa compatiens ei & præcavens periculis in futurum, omnem Ordinationem cum fratribus domus Teutonicæ tanqvam ritè & rationabiliter factam, in nomine Domini confirmavit, injungens dictis fratribus in remissionem peccaminum, ut vindicarent injuriam crucifixi Domini, & terram Christianis debitam recuperarent ab infidelibus occupatam, & exhortans eos ad bellum ait: Accingimini & estote filii potentes, estote parati, ut pugnetis adversus nationes, qvæ conveniunt disperdere nos, & sacra nostra. Qvam melius est nobis mori in bello qvam videre mala gentis nostræ & sacrorum; Confortansqve ipsos ad magnanimitatem consolatus fuit eos verbis Domini, qvibus usus fuit ad filios Israel dicens: Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris eqvitatus & currus & majorem, qvam tu habes, adversarii multitudinem, non timebis eos; qvia Dominus DEUS tuus tecum est. Et interpositis qvibusdam seqvitur: Vos hodiè contra inimicos vestros pugnam committetis, non pertimescat Cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos,

Machab. 3. 58.

Deut. 20. 11.

v. 3.

Anno 1226. eos, qvia Dominus DEUS vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. Non enim pugna vestra est, sed DEI. Hæc magnanimitas, maximè fuit in Juda Macchabæo, qvi, qvando cum paucis stabat contra maximam multitudinem gentium, confortando suos ait: Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis. Mementote, qvaliter salvi sint facti Patres nostri in mari rubro cum Exercito multo, & nunc clamabimus in Cœlum & miserabitur nostri Dominus & memor erit Testamenti Patrum nostrorum & conteret exercitum istum antè faciem nostram hodiè, ut sanctificet omnes gentes, qvia est DEUS, qvi redimat & liberet. A verbis viri Peccatoris ne timueritis, qvia gloria ejus stercus & vermis est, hodiè extollitur & cras non invenitur. Estote ergo ô filii æmulatores legis, & date animas vestras pro testamento Patrum, & mementote operum, qvæ fecerunt in generationibus suis & accipietis gloriam magnam & nomen æternum. Confortamini & viriliter agite in lege, qvia cum feceritis, qvæ præceptæ vobis à Domino DEO vestro, in ipsâ glorioſi eritis. Adducite ergo ad vos omnes fautores legis & vindicate vindictam Populi vestri, & retribuite retributionem gentibus.

2. Macchab. 4, 10. seq.

1. Macchab. Cap. 2, 64.

ANIMADVERSIO.

Ad Cap. VI.

(a) Honorio III hoc tribuit Henricus Pantaleon *lib. III. de Ordinis Joannitarum Reb. Gestis pag. 74.* Sed qvanqvam plurima privilegia Honorii III. Pontificis Ordini concessa circumferuntur, Donatio tamen Prussiæ Anno 1226. facta per Honorium III. confirmari vix potuit cum Honorius ille eodem anno mortuus sit. Extat qvidem Diploma qvoddam Honorii, in qvo Ordini concedit, ut à Paganis recepta retineat, neqve cogatur ab hostibus parta cum aliis dividere. Sed cum hoc diploma Germanico tantum idiomate scriptum sit, Dicaturqve datum esse anno IV. Pontificatus ejus,

ejus, suspectum mihi est. Annus enim qvartus pontificatus Honorii est Annus 1219. Ordo autem Teutonicus 1226. demum Prussiam ingressus est. Itaqve satius est ut dicamus cum Dusburgio, Donationem Prussiæ factam esse à Gregorio IX. *Anno 1226.*

CAP. VII.

De novo Bello Fratrum Domus Teutonicæ Contra Gentem Pruthenorum.

MUlta bella antiqvitus gesta sunt contra Pruthenos, ut veteres narrant Historiæ (*a*) per Julium Cæsarem. Item per (*b*) IX. Germanos de Svecia, qvi dicebantur Gampti. Item per (*c*) Hugonem dictum Potyre; Ultimo per Fratrem Christianum Episcopum Pruschiæ, & per Fratres milites Christi, qvi vocabantur fratres de Dobrin. Sed habitâ opportunitate Prutheni Capitaneos, & alios, qvi illis præfuerant, occiderunt, aut à se longius repulerunt, & sic jugum servitutis excutiebant à cervicibus suis, & in errores pristinos sunt relapsi. Modò per fratres Hospitalis S. Mariæ Domus Teutonicorum Hierosolymitani incipiunt nova bella contra ipsos: Hæc sunt illa nova bella, qvæ elegit Dominus, ut subvertat portas hostium, qvia si unum vel plures Capitaneos vel Præfectos occiderent uno die vel delerent, eodem vel seqventi die in loca occisorum alii meliores surgerent vel æqvales. Nec tantum est novitas in bello; sed etiam in novo genere bellandi, qvia non solum materialibus, sed armis spiritualibus vincitur hostis: i. e. Oratione. Unde legitur de Moyse, dum oraret, Israel vincebat Amalech; dum cessaret ab Oratione, Israel vincebatur. Scribitur enim de ipso Moyse in libro Sapientiæ, qvod vicit turbas non virtute corporis nec in armaturâ potentiæ, sed verbo suæ Orationis & de eodem dicitur *Jud. 5. a.*

in libro Judicum: Memores estote servi DEI, qvi Amalek confidentem in clypeis suis non pugnando, sed precibus & orando devicit. Legitur & de Macchabæis qvod exclamaverunt in Oratione & fugaverunt castra. Et de Juda Macchabæo dicitur qvod in duobus bellis non oraverit (*i*) contra Antiochum Eupatorem, & hinc non vicit: sed divertit in secundo contra Bachidem & Alchimum, & hinc ipse cecidit in prælio, & in fugam castra filiorum Israel sunt conversa, & est aliud novum genus vincendi, scilicet patientiâ, in qva Martyres Christi animas suas possederunt, de qva Poeta dicit: Nobile vincendi genus est Patientia, Vincit. Qvi patitur; si vis vincere disce pati. Et alibi: Virtutum patientia vincit inermes, armatosqve viros vincere, sæpè solet: De hâc patientia dicit Gregorius: Sine ferro & flammâ martyres esse possumus si patientiam in animo veraciter conservamus. Ad idem Hieronymus: Qvis Sanctorum sine patientiâ coronatur à cunabulis? Ecclesiæ non defuit iniqvitas premens & Justitia patiens. Sic habemus novum bellum & novum genus bellandi qvo armis Spiritualibus hostes fidei & Ecclesiæ superamus.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. VII.

(*a*) De bellis Julii Cæsaris in Polonia & Prussia gestis mira fabulati sunt primi horum gentium Scriptores: Audiamus Vincentium Kadlubkonem de Leszkone III. Polonorum Rege verba facientem: *Qvi Leszko*, ait, *Julium Cæsarem tribus fudit prælitis. Qvi Crassum apud Parthos cum omnibus copiis delevit cujus ori aurum infundens: aurum, inqvit, sitisti, aurum bibe: Nam & Gothis & Parthis & Trans Parthanis regionibus imperavit, Huic tandem Julius jure affinitatis gaudet fœderari sororem nomine Juliam ejus matrimonio sociat eiqve Jure dotis à Fratre Bavaria, donationis verò propter nuptias à Viro Sambiensis Provincia condonata est*; lib. I. Chron. Polon.

Polon. Epist. XVI. Fusius & explanatius hæc persequitur Commentator Kadlubkonis in hunc modum: *Cujus siquidem Leszkonis Julius Cæsar Romanorum Regna Slavorum suo subjicere contendens imperio, etiam fines Lechitarum invasit. Cui, præfatus Leszko cum suis Lechitis resistens, pro viribus fortissimis ter cum ipso conflictum habuit, quibus ipsum superavit. Hic etiam Leszko quendam Tyrannum Crassum Regem Parthorum in Prussia prælio commisso devicit; aurumque liquatum in os ejus in fundi fecit dicens: aurum sitisti aurum bibe*; Hic insuper Leszko *Gethis i. e. Pruthenis & Parthis, id est Ruthenis & aliis Regionibus usque ad Orientem post Ruthenas imperavit. Videns igitur Cæsar Julius Leszkonis potentiam fœderavit secum amicitiam. Sororem enim suam Juliam in Slaviæ partibus existens, tradidit sibi in Uxorem, terramque Bavariæ loco dotis sibi assignavit. Leszko verò Juliæ donatione, loco de virginationis, terram Sambiensem sibi tradidit.* Hæc illi, quæ recensere, refutare est. Neque plus fidei meretur, quod de Druso Germanico refert Erasmus Stella, ac si primus Romanorum mare Balticum ingressus Prussiam oppugnarit. *lib. I. antiq. Borussi. ant. med.* Alii referunt quosdam ex Britannia à Druso Rege relegatos mare Balticum intrasse Prussiamque sibi subjecisse *Vid.* Schüz. *lib. I. Chron. Pruss. fol. 2. b.* Has fabulas pepererunt expeditiones Drusi navales, qui classibus Romanis Oceanum tentavit. *Vid.* Tacit: *de Morib. Germ. Cap. XXXIV.* Quousque autem Drusus sit progressus, non indicat Tacitus. Alii tamen silentio illud non præteriere. Nam Plinius eum usque ad Glossariam sine Austraniam, quæ succinum gignit, & Burchanam sive Fabariam penetrasse scribit. *lib. XXX. VII. c. III. pr.* Conf. Julius Solinus *in Polyhist. Cap. XX.* (XXIII.) Sed & Strabo Drusum Germanicum tantum pervenisse scribit ad Insulam, quæ dicitur Bircanis. *lib. VII. Geogr. circa pr. pag. 291.* Quoniam itaque multis persvasum fuit, per Glessariam non posse aliam intelligi Insulam, quam Sambiam Prussiæ, ubi succinum colligitur, hinc illa de oppugnatione Prussorum commenta. Verùm per Glessariam non posse intelligi Sambiam facile probatur. Nam (1.) Austrania sive Glessaria fuit Insula: Sambia verò Romanis non fuit cognita ut Insula (2.) nomina ipsarum Insula-

rum aliud indicant. Bircanis enim sine dubio est Insula *Borkum*, in mari Germanico ad Ostia Amisiæ sita; Glessarici verò sive Austrania est Insula *de Strant* dicta, sita in Oceano Germanico, qvâ Cimbricam Chersonesum alluit. (3.) Manifestum hoc est ex descriptione horum locorum Pliniana. Hic enim Mare septentrionale descripturus incipit ab Orientali plaga. Incipit nimirum, à Venedis & Vistula amne progrediturqve versus Occidentem ad sinum Clylipenum & alterum Laonum conterminum Cimbris. Indè promontorium. Cimbricum memorat; & ibidem enumerat Glessariam & Burchanam Insulas (4.) hoc ipsum etiam colligitur ex supra allegato loco Taciti. Ille enim Occidentalem Germaniæ partem describens, Drusum Oceanum tentasse refert; & deinde demum progreditur ad descriptionem partium Germaniæ septentrionalium, ad qvæ etiam Prussia referri potest (5.) Accedit auctoritas Strabonis, qvi Iisdem temporibus vixit. Ille namqve disertis verbis asserit, septentrionales Germaniæ oras Romanis non fuisse cognitas eo tempore, cum Drusus neqve navali neqve terrestri itinere loca Romanis trans Albim ad septentrionem posita perlustrare potuerit. *loc. cit. pag. 294.* Addit Dio Cassius, Drusum Albim transire volentem à spectro prohibitum esse. *lib. LV. in princ.* Verum duo his obstare videntur: Nimirum locus Taciti, *ex lib. XII. Annal. Cap. XXIX.* ubi Drusus Svevis qvi tunc mare Svevicum, nunc Balticum dictum, accolebant, Vannium Regem dedisse dicitur. Deindè locus Plinii *ex lib. II. Nat. Hist. capite LXVII.* ubi dicit, septentrionalem Oceanum majore ex parte esse circumnavigatum auspiciis Augusti Germaniâ classe circumvectâ ad Cimbrorum promontorium, & inde immenso mari perspecto aut famâ cognito ad Scythicam plagam. Sed ad locum Taciti facilis est responsio: Drusus qvippe Svevis ad Albim habitantibus Regem dare potuit, non cognitis partibus Sveviæ septentrionalibus. Plinii locus etsi solutu difficilior sit, ex eo tamen certò probari non poterit, Drusum usqve in Prussiam fuisse delatum, qvia Plinius ipse dubius est, dicitqve, mare illud fuisse perspectum aut famâ cognitum ad Scythicam plagam. Deindè fortasse Plinius per Scythicam plagam intelligit Norvegiam aliàs neqve sibi ipsi constaret,

neque

neq; cum aliorum istius temporis Historicorum Testimoniis conciliari posset.

(b) De IX. Fratribus Svecis qvæ tradit auctor noster, ea fusius proponit Erasmus Stella. Cum enim retulisset à Prussis Alansqve sub Widevvuti posteris, Germanos Vicinos sæpiùs fuisse bello infestatos, addit: *Germani consulentes in medium vocatis in auxilium Sveciæ Regulis (ii in Oceano siti sunt à Latinis Sitiones dicti) qvi Ganipoti cognominabantur, qvod & ipsi Germani essent, & re bellica tum terra tum mari plurimum pollerent, qvi eis auxiliares copias classibus traduxere, pluribus annis cum Borussis belligerantes: qvo multis trucidatis atqve cæsis eos ad deditionem compulere; Est utiqve oppidulum cum arce ad Vistulam situm qvod Sweza vocatur, ubi hi qvi ex Svecia venerant castra sua posuerunt, qvod postea in eam munitionem, qvam videmus, per Teutonicos fratres extructum est. Novem Regulos id confeciisse bellum Annales habent, sed qva tempestate, aut qvamdiu duraverit, nec an simul, an sibi in vicem succedentes id bellum gessere, an etiam Barussos ad tributum pendendum coëgere, nihil reliqvi est.* Hæc Stella *lib. II. antiq. Boruss. post med.* Corrupta hæc sunt ex verbis Jornandis, qvi Sec. VI. post Christum natum floruit. Is enim migrationem Gothorum ex Scanzia, officinâ illâ gentium, sub auspiciis Berigi Regis in Ulmigeriam susceptam describens, Ulmerugos eorumqve vicinos Vandalos à Gothis fuisse subjugatos refert: Ibi verò magnâ populi numerositate crescente, etiam penè qvinto Rege regnante, Post Berig, Fitimer, Filogud, Arigis consilio sedit, ut exinde cum familiis Gothorum promoveret Exercitus. Delati itaqve indè fuerunt, usqve ad Tanaim amnem. *Vid.* Jornand. *lib. de reb. Gothic. Cap. IV. Edit. Grotianæ.* Consentit cum his Joannes Magnus superioris seculi Scriptor *lib. I. Histor. Svec. Cap. XV. seqq.* ubi etiam annum determinat, qvo hæc migratio contigerit, nempe dicit fuisse hunc annum à mundo condito 2531. à Diluvio 875. ex ante Christum natum 1430. tempore Othonielis Judicis in populo Judaico. Hôc tamen ejus Relatio à Jornandis Historia discrepat, qvod Jornandes tantum V. Reges in Ulmerugia vicinaqve Vandalia numerat, Johannes verò Magnus numerat hic VII. Reges. Primus est Berig, Se-

cundus Gaptus, à qvo Dusburgius noster IX. illos Germanos Svecos appellat Gamptos, & Stella Ganipotos, nisi fortè hæc vocabula malis corrupta esse ex nomine Gepidarum. Tertius Augis, Qvartus Amalus, Qvintus Baltus, Sextus Gadaricus, Septimus Philmerus, qvem in Scythiam ad Tanaim expeditionem suscepisse refert *loc. cit. Cap. XXI.* Nos hic concedimus, Gothos Prussiam antiqvitus ingressos esse, circumstantias tamen varias negamus. Nam tempus migrationis Johannes Magnus nimis antiqvum statuit: Stella verò nimis recens. Constat enim antiqvissimis temporibus hic habitasse Venedos, ut ex Ptolomæo apparet: Deindè verò accessisse Gothos, antè tempora tamen WaideWuti qvi post Christi nati tempora hic in Prussia rerum potitus esse perhibetur; qvin etiam ante tempora Pytheæ, qvi CCL. annis antè Chr. natum floruit tempore Ptolomæi Philadelphi. Trecentis igitur plus minus annis antè Christum natum hanc migrationem fuisse susceptam credibile est; qvod etiam putat Hugo Grotius *in Prolegomenis ad Hist. Goth. Longob. &c.* Deindè per Ulmerugiam malè Johannes Magnus & alii intelligunt Culmensem in Prussia Tractum, cum Ulmerugi potius fuerint Rugii Pomeranici populi, ut *in Dissent. de Originibus Pomer. n. V.* probavimus, præterea Goltos non nisi ex Scanzia qvæ hodiè Svedia dicitur, progressos esse ad Ulmerugas & successu temporis indè ad Prussos, vix nobis persvadebitur ob rationes in citatis Dissertationibus nostris annotatas. De oppido Sevezæ qvid sit sentiendum suo loco ostendemus.

(c) De Hugone Potyre sic iterum Erasmus Stella: *Eâ tempestate* (Ottonis I. Imperatoris tempore) *barbara gens iterum latrocinio finitimos impetens per Hugonem cognomine Botyrum, alias Bructerum, ex Saxonia natum, tum Principem Germanorum Vistulam ex utraqve ripa accolentium (qvos alii Bructeros fuisse autumant) seditionibus ex natali solo pulsos in hæc loca devenisse ab ejus gentis Principe qvi illis (ut dictum est) imperabat Porussis, compressi sunt, adeoqve viribus exuti, ut pacem longissimam servarint.* Hæc Stella *lib. II. post med.* Eadem firmè habet Jacobus Spigelius in Scholiis ad Ricardi Bartholini Perusini *lib. II. Aristriados in fin. pag. 517. inter Scriptores Germ. à Justo Reubero editos.* Sed qvid hac de re sit sentien-

tiendum, dicemus infra in Dissertatione III. qvæ erit de Originibus Prussicis.

CONTINUATIONES CAP. VII. *Anno 1226.*

De Armis Carnalibus & Spiritualibus.

SCriptum est in Canticis qvod in turri David omnis armatura fortium dependebat. *Cant.4, 4.* Et in libro Sapientiæ, qvod LX. fortes ex fortissimis Israel omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi Salomonis lectulum ambiebant, Uniuscujusqve ensis super femur suum propter timores nocturnos. *Cant.3, 7.* In qvo notamus, qvod Custodes capitis Jesu Christi dicuntur habere arma qvibus tunicam fidei exterminatis insidiatoribus defendant & S. Matris Ecclesiæ lectum pacis custodiant in qviete. Sed qvod Judith non in armorum potentiâ, sed in virtute laudatur eò qvod occidit Holofernem. Qvis in arcu suo speravit? & gladius ejus salvavit eum? *Psl. 43. (44) 7.* Antiqvi gladio suo possederunt terram. Ideò secundum doctrinam Apostoli debemus etiam induere armaturam DEI i. e. Virtutes qvæ (ut dicit Macrobius) solæ beatum faciunt hominem, & vi tuentur possessorem suum. *Ephes.6,11. 13.* His armis Virtutum debemus etiam ab hostibus nostueri, ut dicit Bœtius, talia tibi contulimus arma qvæ nisi prior abjecisses invictâ te firmitate tuerentur. Singula ergò arma carnalia & spiritualia sibi moraliter correspondentia de qvibus meminit S. Scriptura cum qvibus pugnandum est in hoc bello novo Dominico hic ponentur.

DE SCUTO.

DE Scuto dicitur qvod Salomon fecit CC. hastas & CCC. Scuta; *2. Paral. 9. 15.* Et Ecclesiasticus dicit: qvod super Scutum potentis adversus inimicum pugnabit. *Cap.29.18.* Pro Scuto accipe fidem de qva Paulus

Epheſ.6. 16. Ius dicit: In omnibus ſumens Scutum fidei, qvæ eſt fundamentum omnium virtutum. Sine qvâ, ut dicit Auguſtinus, omnis *Hebr. 11. 6.* virtus ſicut ramus ſine virtute radicis areſcit. Et ut dicit Apoſtolus: Impoſſibile eſt DEO placere ſine fide; Sed eâ habitâ, veniunt nobis omnia bona pariter cum illa. Undè dicit Chriſtus habete fidem DEI. Amen dico Vobis, qvicunqve dixerit huic monti: tollere & emittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo ſed crediderit qvæcunqve dixerit, ut fiat, fiet ei. Ecce qvanta vis fidei. Hoc eſt ſcutum in expugnabile, qvo Joſaphat Rex *2.Paral.20. v.20.* Juda populum trepidantem conſolatus eſt dicens: Confidite in Domino Deo veſtro & ſecuri eritis, & cuncta evenient Vobis proſpera. Unde factum eſt, qvod filii Ammon & Moab verſi in ſemetipſos concidere mutuis vulneribus, ut nec ſupereſſet qvisqvam qvi necem poſſet evadere. Magnæ fidei Verbum fuit, cum David pugnaturus contra Goliathum diceret: Tu *1.Sam. 17. v. 45.* venis ad me in gladio & haſta & clypeo; ego venio ad te in nomine Domini; & tradidit eum Dominus in manus ſuas. O qvanta fuit fides in Jonata & Juda Macchabæo, cum dicerent: *1.Sam. 14. v. 6.* Non eſt difficile Domino ſalvare in multitudine, vel in paucis. Ibi per Janatam & armigerum ejus XX. Viri in media parte jugeri ſunt percuſſi, & natio Philiſtinorum conturbata eſt. Hic per Judam Seron & exercitus ejus eſt contritus. Hæc eſt victoria. *1.Joh.5.5.* Victoria qvæ vicit mundum. Qvis autem qvi vincit mundum, niſi qvi credit in me; etiamſi mortuus fuerit, vivet: Volve igitur & revolve omnem Evangelicæ Hiſtoriæ textum, qvia in omni ſalvatione corporum & animarum reperies Dominum concluſiſſe: Fides tua te ſalvum fecit.

DE GLADIO.

2.Macch.15. 16. DIcitur Jeremias extendiſſe dextram, & dediſſe gladium dicens: Accipe gladium ſanctum munus, à Deo qvo deficies adver-

adversarios populi mei Israel. Iste est gladius, qvo Judas Castra filiorum Israel protegebat. Hic gladius est fortissimi militis Christi, sicut gladius Saulis, nunqvam revertatur inanis, ita qvod impleatur de inimicis crucis Christi: Foris vastabit eos gladius, & intus pavor, Juvenem simul ac Virginem, lactentem cum homine sene, ut qvotiescunqve aliqvis ex adverso occurrerit, eis semper dicat: non est aliud nisi gladius Gideonis i. e. militia Christiana. Pro gladio accipe bona opera qvia fides sine operibus mortua est. Qvædam arma defendunt corpus ab impetu hostium. Gladius se extendit ad opus qvo dejicitur adversarius; & sicut ex utraqve parte est acutus, ita bona opera ex una parte actorem suum defendunt à pœna infernali; ex alia ad æterna gaudia introducunt.

2. Sam. 1. 22.
Deut. 32. 25.
Jud. 7. 14.
Jac. 2. 20.

DE LANCEA.

DE lancea dicitur, qvod Jojada Sacerdos Lanceas dedit Centurionibus, qvi custodias domus DEI observabant. Hæ sunt lanceæ qvas Joab Princeps militiæ fixit in corde Absolonis, qvi Patrem suum David persequebatur. Pro lancea, qvæ recta est, accipe rectam intentionem, ut secundum doctrinam Apostoli: qvodcunqve facitis in verbo & opere, in nomine Domini facite, & sive manducatis sive bibitis, sive qvid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Ex hac lancea meritum & demeritum cujuslibet operis procedit. Qvia nunqvam format mala intentio bonum opus, & è converso.

2. Paralip. 23. 9.
Coloss. 3. 17.

DE CLYPEO.

DE clypeo hortatur Esa. dicens: Surgite Principes, arripite clypeum. Et ad Josue dixit Dominus: Leva clypeum, qvi in manu tua est, contra urbem Haji, qvam tradam tibi. Et seqvitur ibidem: Josue verò non retraxit manum, qvam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes

Es. 22. v. 5.
Jos. 5. v. 18.
Jos. 8. v. 26.

habitatores Haji. Sic faciant prælecti bellatores, non ut Saul,
2. Sam. 1. 21. de qvo legitur, qvod abjectus est clypeus fortium, clypeus Domini, qvo ad omnia bona opera informentur, de qvo dicitur:
Proverb. 30. 5. Sermo Domini clypeus ignitus est omnibus sperantibus in se. Qvi ideò ignitus dicitur, qvia ab omnibus telis igneis Diaboli
2. Macchab. 15. 11. defendit. De hoc Judas Macchabæus dicitur singulos suos armasse, nec clypei nec hastæ munitione, sed sermonibus optimis. Sed ideò optimi dicuntur, qvia verbum Dei, qvæcunqve voluit, facit, & prosperabitur in illis ad qvæ missum est. Si non proficit in uno, prodest in altero, nunqvam vacuum revertitur.

DE LORICA.

1. Macchab. 3. 3. DE lorica dicitur, qvod J. Macchabæus induit se loricâ tanqvam gigas & protegebat castra sua. Pro lorica accipe justitiam proximo compassionem. Verba Gregorii: Vera justitia compassionem habet, falsa indignationem.

DE ARCU & PHARETRA.

Genes. 27. v. 3. DE arcu & Pharetra dixit Isaac filio suo Esau: Sume arma tua, pharetram & arcum.

DE SAGITTA.

Jerem. 51. v. 11. DE sagitta dicit Jeremias: Suscitavit Dominus Regem Medorum & Babyloniorum, Sagittis implete pharetras, ut im-
Deut. 32. 23. pleatur verbum Domini in hostibus crucis Christi. Congregabo super eos mala & sagittas meas complebo in eis. Per hæc tria intellige illa tria, qvæ sunt de substantia cujuslibet religionis, scilicet, obedientiam, castitatem & paupertatem. Per arcum obedientia designatur. Qvia sicut incurvatur, flectitur & reflectitur sine fractura: Ita religiosus inter prospera & adversa æqvo animo sine murmure dicitur incurvari per obedientiam & reflecti. De qva incurvatione & obedientia Isaac benedi-
Gen. 27. 29. cens filium suum Jacob, ait: Esto Dominus fratrum tuorum, &

in-

incurventur ante te filii matris tuæ. Ut possit dicere obediens cum Jeremia: Tetendit arcum suum Dominus & posuit me qvasi signum ad sagittam. *Thren.3, 12.* O qvam durè tenditur ibi arcus iste obedientiæ, ubi religiosus in bello videns sibi mortis periculum imminere, non audet retrocedere. Ibi melior est obedientia qvam victima. Qvia, ut dicit Gregorius, per victimam aliena, per obedientiam caro propria mactatur. Per sagittam castitas notatur, qvia sicut sagitta dicitur à sagio, sagis, qvod est ingeniosè agere, vel derivare: ita oportet hominem, ut possit castè vivere, ingeniosè agere, secundum animæ suæ vim naturalem consensus carnis, qvi semper proni sunt in malum, & oportet ipsum derivare i. e. Deo plenum esse, quod nemo potest esse castus, nisi Deus dederit. Scilicet sagitta fertur duabus pennis ad modum avis, ut hostem celeritate interficiat: Sic castitas, ut antiqvum castitatis inimicum dejiciat, utitur duabus pennis, qvæ sunt renovatio vitæ veteris & renovationis utilitas. De his duabus pennis loqvitur Esaias: Qvi sperant in Domino mutabunt fortitudinem scilicet corporalem in spiritualem, assumunt pennas ut aqvilæ, qvæ cum se vult renovare, veteres pennas deponit & novas accipit. *Esa.40,31.* Ad qvod nos hortatur Apostolus, dicens: Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qvi corrumpitur secundum desideria carnis: & induite novum hominem, qvi secundum Deum creatus est, & sic renovabitur sicut aqvilæ juventus tua, & valebis in virtute castitatis & non deficies, qvia sagitta Jonathæ nunqvam abit retrorsum. *Eph.4,24.* *Ps.102.(103) v.5.* Potest ergo dicere caro casti hominis cum Job. Sagittæ Domini in me sunt, qvarum indignatio ebibit spiritum meum scilicet luxuriæ. *Job.6,4.* Qvanta sit indignatio castitatis contra luxuriam, & contra, nemo novit, nisi qvi expertus est. De renovationis utilitate dicit B. (*forsan Bernhardus.*) Qvid castitate de-

corius, qvæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum deniqve de homine facit ? Sic Judith etiam egit & Holofernem occidit populumqve Domini à periculis liberavit, eò qvod castitatem amaverit. O qvam pulcra & utilis est casta generatio ? Per pharetram, qvæ à ferendo jacula dicitur, denotatur paupertas. Qvia sicut in pharetra sagitta,
1. Tim. 5. 6. sic castitas in paupertate absconditur & conservatur. Qvia vidua in deliciis vivens, mortua est. Unde potest castitas dicere illud Esaiæ: Posuit me Deus qvasi sagittam & in pharetra abscondit me. *Es. 49. 2.* Nec sufficit illa paupertas in religiosis, de qva B. ait: volunt esse pauperes eo pacto, qvod nihil eis defit, & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Sed illa voluntaria & cum defectu paupertas, de qva dicit Dominus:
Matth. 5. 3. Beati pauperes Spiritu, qvæ secundum B. est cum intentione & desiderio spirituali propter solum beneplacitum Dei & salutem animarum. Hæ sunt pharetræ servorum Hadadezec, qvi interpretatur, præcipuus separator. Qvia paupertas à divitiis separat. Qvas pharetras David vultu desiderabilis i. e. Christus, in qvem Angeli desiderant prospicere tulit i. e. pertulit in hoc mundo, & attulit eas in Jerusalem, ubi nudus pependit in cruce, ut paupertatis ejus vestigia imitemur. Hæc paupertas medicinalis est, qvia ut dicit Gregorius: Qvos mortis infirmitas vulnerat, paupertatis medicina sanat. Paupertas enim superbiam occidit, & duas sangvisugas infernales avaritiam & luxuriam suffocat.

DE FUNDA.

Zach. 9. 15. DE funda dicitur in Zacharia: Dominus exercituum proteget eos & devorabunt & dejiciet eos lapidibus fundæ. Legitur
1. Sam. 25. 29. & in libro Regum, qvod anima inimicorum David rotabitur qvasi in impetu & in circulo fundæ. Hæc est funda, qva David

jecit

jecit & percussit Philistinum in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem suam in terram, prævaluitqve David adversus Philisteum, in funda & lapide, percussumqve Philisteum interfecit. *1. Sam. 17. 50.*

DE BACULO.

DE baculo dicit Dominus per Esaiam: Væ Assur virga furoris mei & baculus. Et interpositis qvibusdam seqvitur: Virga percutiet te & baculum levabit super te in via Ægypti. De temporali signo baculi & fundæ legitur, qvod David pugnaturus contra Goliam tulit baculum, qvem semper habebat secum, & elegit V. lapides limpidissimos, qvos posuit in peram pastoralem & fundam manu tulit. Philisteum armatum intellige Diabolum paratum, ad tentandum. Sis ergo tu David manu fortis pœnitens & semper tecum habeas baculum S. Crucis, eligasqve qvinqve lapides i. e. qvinqve vulnera Christi, & pone in peram pastoralem i. e. in animam tuam & circumduc manu fundam i. e. rememorationem omnium horum, & occides eum. Nec tantum in tentatione aliqvis prævalebit. Imò si solus iste baculus S. Crucis Helisæi Prophetæ ponatur super faciem pueri i. e. pueriliter viventis mortui, reviviscet. *Esa. 10. v. 5. 1. Sam. 17. 2. Reg. 4.*

DE GALEA.

DE galea dicitur, qvod Saul induit David vestimentis suis, & posuit galeam æream super caput ejus. Et dixit Dominus per Jeremiam: Procedite ad bellum, jungite eqvos, & ascendite eqvites, & state in galeis. Per galeam signatur salus, qvam homo consequitur à Deo. De his armis virtutum, de qva dicit Apostolus: Galeam salutis assumite. Et Esaias: Indutus justitiâ ut loricâ & galea salutis in caput ejus. O qvam securus stabis in bello, si his armis fueris circumcinctus, & erit tibi Dominus Deus salutis tuæ salus tua usqve ad extremitates terræ. Hæc *1. Sam. 17. Jerem. 46, 4. Ephes. 6, 17. Esa. 59, 17.*

sunt arma qvibus Jacob Patriarcha partem illam tulit Amorrhæi in gladio & arcu, qvam dedit filio suo Joseph, qvibus & filii Israel terram sanctam exterminatis possessoribus possederunt, & David hostes Regni sui devicit, & Macchabæi civitatem sanctam Jerusalem destructam recuperaverunt, & templum sordibus gentium pollutum interfectis hostibus mundaverunt. O fortissimi milites & bellatores inclyti, induite hæc arma & vindicate injuriam crucifixi Domini, & terram S. Christianis debitam recuperate ab infidelibus occupatam. Confortamini & non dissolvantur manus vestræ in bello. Erit enim merces operi vestro, merces illa, de qva Deus ad Abraham dixit: Ego ero merces tua magna nimis. Si labor vos terret videte mercedem, scientes qvod sicut vitia nunqvam sunt sine pœna: ita virtutes sine præmio & præmium virtutis erit ipse, qvi virtutem dedit.

DE USU ARMORUM CARNALIUM ET SPIRITUALIUM.

SEx sunt causæ propter qvas utimur armis carnalibus & Spiritualibus: Prima est propter exercitium, ut exercitemur in bellis secundum voluntatem Dei, qvi multas gentes dimisit inter filios Israel, ut Israelem & omnes qvi non noverunt bella Chananæorum erudiret in eis, & postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consvetudinem præliandi, qvid valeret aliqvis in prælio, an exercitatus esset in armis. Undè tempore pacis fiunt torneamenta & ludi alii militares propter exercitium, ne instante bello cum hostes sunt in foribus, aliqvis non habens consvetudinem armorum dicat cum David: non possum sic armatus incedere, & ita inermis non possit hostibus obviare. *Job. 7. v. 1.* Sed qvia militia est vita hominis super terram, ita qvam citò venit homo in mundum, intrat campum, pugnaturus contra aëreas potestates: Et arma militiæ nostræ non sunt carnalia,

nalia, sed potentia in Deo. Ideò secundum doctrinam Apostoli debemus induere armaturam Dei i. e. virtutes qvæ à solo Deo sunt, qvi dat virtutem & fortitudinem plebi suæ, & exercitari in illis, ut sciamus & possimus resistere in die malo tentationis, & ut in nobis virtutes augeantur per exercitiū ut dicit Chrysostomus. Sicut omne artificium corporali exercitatione servatur, augetur & additur: ita omnis virtus per exercitium augetur, per desidiam minoratur. Secunda causa propter qvam utimur armis carnalibus est propter hostium insidias. Unde filii Israel timentes insidias hostium assumentes arma bellica sederunt per loca angusta itineris & custodiebant totâ nocte & die. Legitur & de Juda Macchabæo, qvod præcepit filiis Israel, armatos esse in locis opportunis, ne forte ab hostibus repente aliqvid mali oriretur. Ad idem utimur armis Spiritualibus, ut dicit Apostolus: Confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus & induite vos armaturâ Dei, ut possitis stare contra insidias Diaboli, qvi insidiatur vobis qvasi leo in spelunca sua. Hic ille leo adversarius noster Diabolus, qvi circumit qværens, qvem devoret, cui resistere debemus in virtute fidei. Tertia causa propter qvam utimur armis carnalibus est propter hostium apertam impugnationem. Undè dicitur in lib. Macchab. qvod cum Lisias confidens in militibus bellatoribusqve nunqvam recogitans potestatem Dei, sed mente effrenatus vellet Civitatem S. Jerusalem & templum Dei destruere, & jam præsidium expugnasset Macchabæus sumptis armis & qvi cum eo erant. Hoc cognito cum fletu & lacrymis rogabant Dominum ut eis bonum Angelum mitteret ad salutem. Convaluerunt animo & viribus, & irruentes impetu in eos prostraverunt XI. millia peditum ex eis, qvi eqvites M. & V. universosqve in fugam verterunt, plures ex eis vulnerati nudi evaserunt. Sed & ipse Lisias tur-

Ephes. 6. v. 11.

1. Macchab. 4. v. 33.

2. Macchab. 11. v. 12.

turpiter fugiens evasit. Hæc est causa propter qvam fratres Domus Teutonicæ ab interitu terræ Prussiæ usqve in præsentem diem utuntur gladiis continuè, ut in promptu habeant, qvo se defendant, si contra eos ab hostibus insurgeret aperta impugnatio vel occulta. Eodem modo utimur armis virtutum contra
2.Cor.10.v.3 apertas impugnationes Diaboli. Unde dicit Apostolus: In carne ambulantes, non secundum carnem militemus. Nam arma militiæ nostræ non suut carnalia i. e. debilia; sed potentia i. e. per Deum ad destructionem inimicorum i. e. calliditatem dæmonum, destruentes consilia s. opera dæmonum, & omnem altitudinem & profunditatem intellectus extollentem se adversus Dei scientiam sive fidem. Semper igitur sis paratus in armis virtutum contra impugnationem Diaboli secundùm Paulinum ad Augustinum: Hostis ille noster mille nocendi habet artes, qvi tam variis expugnandus est armis qvam impugnat insidiis. Si te apertè impugnaverit vel occultè vitio superbiæ, objicias in defensione tua virtutem humilitatis & fugiet à te, sicqve facies in omni peccato, si armis virtutis oppositæ in defensione tua uteris, victor eris. Qvarta causa propter qvam utimur armis carnalibus est propter pacem, ut possimus bona nostra in pace
Luc.11.v.28. possidere. Unde dicit Dominus: Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, qvæ possidet. Sic solum cum utimur armis virtutum pacem habemus, qvia non est pax impiis. Unde Ecclesiasticus: Homines divites in virtute pulcritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis, omnes
Eccl. 44. v. 6. isti imaginatione gentis suæ gloriam sunt adepti. Undè dicit
Baruch. 3. v. 14. Baruch: Si in via Dei ambulasses, habitasses in pace super terram. Qvare qvoqve dicit Salomon, qvod placuerit Domino
Prov.16.7. via hominis, inimicos ejus convertet ad pacem. Qvinta causa est, ut bona perdita recuperemus. Sic filii Israel armis armati

in

in terram promissionis ascenderunt, qvam Deus dederat Patribus eorum, & occupatam de manibus hostium recuperaverunt. Ita per virtutum arma regnum cœlorum qvod per peccata amisimus, vim patitur, & violenti rapiunt illud & possident in æternum. Glossa ibidem. Grandis violentia est in terra nasci, & cœlum rapere, & habere per virtutem, qvod per naturam habere non possumus. Sexta causa est propter ostentationem, ut hostes visis armis terreantur, ut dixit Judith Holoferne jam interfecto. Cum exierit sol arripiet unusqvisqve arma sua, exite cum impetu, non ut descendatis deorsum, sed qvasi impetum facientes, ut exploratores Holofernis hoc audiant & ipsum excitantes muniant in suo sangvine volutatum, & sic irruet super eos timor & fugient. Hinc etiam utimur armis virtutum, ut ostendamus, nos esse de ministerio illius, qvi est Rex Regum & Dominus Dominantium. Ad qvod nos monet Apostolus dicens: In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multâ patientiâ. Et cum per arma justitiæ virtutis Dei sit justitia, qvæ docet nos unicuiqve reddere qvod suum est, mundum scilicet & omne qvod in mundo est, relinqvere, est Deo adhærere, qvi in suo vexillo, qvod nobis deferendum reliqvit, posuit signum, de qvo dixit nato Domino Angelus ad Pastores: Hoc signum invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio; in qvo notante tres virtutes scilicet humilitas in infantia contra superbiam: Paupertas in pannis contra avaritiam, & austeritas præsepii contra carnis lasciviam. Erigas hoc vexillum & ostenta Diabolo, & irruet super eum timor & fugiet.

Matth. 11. v. 12.

Judith. 14. v. 4.

2. Cor. 6. v. 4.

Luc. 2. v. 12.

CAP. VIII.

De Primo Castro Fratrum Domus Teutonicæ, qvod dicebatur Vogelsanck.

DEterminatis armis qvæ ad bellum sunt necessaria, revertendum est ad materiam præjacentem. Postqvam prædicti Fratres Domûs Teutonicæ, videlicet Frater Conradus & socius ipsius, in terra Pruschiæ, jam pridem eis à dicto Duce Poloniæ collatâ, non haberent, ubi sua capita reclinarent, cogitaverunt à longè accedere, ut inter se & dictos Pruthenos fluvium Wissele haberent medium ad cautelam. Rogaverunt itaqve dictum Ducem, ut eis unum castrum ædificaret, qvi tanqvam vir totus Deo devotus & fidei Zelator, attendens ad id Poëticum: Dimidium facti, qvi benè cœpit, habet, congregavit populum suum & ex opposito nunc civitatis Thorunensis ædificavit eis in qvodam monte castrum dictum Vogelsanck / qvi dicitur Latinè cantus avium, qvia verè fratres cum paucis armigeris opponentes se infinitæ multitudini gentium cantabant canticum tristitiæ & mœroris. Reliqverant enim dulce solum Natalis Patriæ suæ & intraverant terram alienam, in qva futurum erat, ut affligerentur multis annis; nec spes erat tunc, qvæ in qvarta vel sexta generatione reverteretur illuc. Exiverant etiam terram fructiferam, pacificam, qvietam, & intraverant terram horroris & vastæ solitudinis & bello durissimo plenam. Postposita ergo, ut totum concludam, omnium rerum hujus mundi affluentia, libertatis, commodi & honoris. Sc. sitis & famis inediam & humilitatis omnimodæ utilitatem amplectentes utiliter, infinitis incommodis, defectibus & periculis implicabant. Poterant dicere cum Petro: Ecce nos reliqvimus omnia, & secuti sumus te Christe, qvid ergo erit nobis, qvâ corona gloriæ tuæ in Cœlis ô bone Jesu, qvi es corona Sanctorum omnium, coronari merentur à te, qvi pro te talia patiuntur? Certè in eis complebitur qvod Dominus per Isaiam: Consolabitur Dominus Sion & consolabitur omnes ruinas ejus, & ponet desertum ejus qvasi de-

Matt. 19. 27. Marc. 10. 28 Luc. 18. 28.

Esai. 51. 3. Zach. 1. 17.

delicias, & solitudinem ejus hortum Domini: gaudium & lætitia invenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.

ANIMADVERSIO.

(a) Chronicon antiqvum Germanico idiomate scriptum his rythmis ex Jeroschino desumptis comprehendit causam nominis hujus:

Er nante sie Vogelsang
Daruff sie namen des Orloys Anfang/
Mit wenig Wapenern kranck
Und sungen da viel Noten mang/
Nicht der Nachtigalen Klang
Sondern manchen Jammersang/
Als der Schwann singet
So ihn sein Sterben twinget.

Hennebergerus *in Chron.* sive *in Commentario ad Tabulam Geograph. Prussiæ, in voce* Diebaw / putat Vogelsang & Nessoviam castra, fuisse sibi ê regione opposita, discriminante ea Vistulâ flumine: Sed, ut ex hoc, & proximo capite palam fit, utrumqve castrum ripæ amnis illius occidentali assidebat. Hodiè Vogelsang pagus est cis Vistulam, in Culmensi provincia; Abest à Thorunio duobus circiter milliaribus. De qvo Hennebergerus.

CAP. IX.

De *Adventu Plurium Fratrum Domus Teutonicæ & ædificatione Castri* (a) *Nessoviæ.*

ÆDificato hoc castro Fr. Conradus prædictus, misit nuncios ad Reverendum virum & Religiosum Fratrem Hermannum de Saltza Magistrum generalem domus Teutonicæ, nuncians

cians omnia, qvæ gesta fuerunt circa negotium sibi commissum, petensqve humiliter & supplicans, ut plures fratres & armigeros mitteret ei, qvi acqviescens precibus ipsius, misit ei fratrem Hermannum dictum Balke in Magistrum, dicens ad eum sicut Dominus ad Josue: Confortare & esto robustus, tu enim introduces filios Israel i. e. fratres tuos, in terram, qvam pollicitus est eis Dominus & Deus erit tecum. Item Fratrem Theodoricum de Bernheim in Marschalcum, fratrem Conradum (*b*) de Tutele qvondam Kamerarium (*c*) Beatæ Elisabeth, fratrem Henricum de Berge Thuringum, & fratrem Henricum de (*d*) Cutze de Villa Witekendorff, cum armigeris, & eqvis pluribus, in coadjutores dedit ei; qvi cum venissent ad Castrum Vogelsanck, ædificaverunt Castrum Nessoviam in descensu Wisselæ. In qvo Castro dum Fratres habitarent, Prutheni intraverunt Poloniam hostiliter, & dum viderent fratres in armis, seqventes eos admirati ultra modum undè essent, & ad qvid venissent, qvibus responsum fuit à qvodum Polono, qvi captus ab eis ducebatur, qvod essent viri religiosi & strenui milites in armis de Almannia per Dominum Papam missi ad bellandum contra eos, qvousqve duram eorum cervicem & indomitam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ subjugarent. Qvo audito subridentes recesserunt.

Jos. 1. 6.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. IX.

(*a*) Germanis Nessaw/Polonis Nieschovva, castrum ad Vistulam non procul à castro Vogelsang condictum. Hodiè, ut vult Hennebergerus, dicitur Diebaw. Si accuratius rem determinare voluerimus, dicendum est, Diboviam hodie dici *Podgurze*. Niessoviam verò esse Diboviæ conterminam, (uno namqve milliari à Dibovia abest) appellariqve *Niesiowka* i. e. Nessovia minor, ad differentiam Niessoviæ majoris, qvæ tribus à Thorunio milliaribus abest.

(*b*) In-

(*b*) Intelæ habet Jeroschinus. Alii legunt Juæle.

(*c*) S. Elisabetha Andreæ Hungariæ Regis filia, nata An. 1207. & non multò post adhuc in cunis Ludovico Landgr. Thuringiæ & Hassiæ (Hermanni Landgravii filio, & Conradi Landgr. Thuringiæ & Hass. Magistri Ordinis Teutonici fratri) desponsata, cui etiam postea nupsit. Obiit An. 1231. Relata in numerum Sanctorum An. 1235. à Gregorio IX. Pontifice Perusii in Conventu Fratrum Prædicatorum. Scripsit Conradus de Marpurg S. Elisabethæ vitam, qvam edidit Leo Allatius *lib. I. συμμικτῶν à pag. 269.* Fusius Elisabethæ historiam prosecutus est Dietericus Sacerdos Fr. Ord. Prædicatorum natione Thuringus, cujus initium fecit An. 1289. Habetur hæc Historia octo libris comprehensa adhuc MS. in Bibliotheca Electorali Regiomontana, qvamvis eandem & Canisius *Tom. V. Antiqv. Lect.* ediderit. Scripsit etiam de S. Elisabetha Jacobus Montanus Spirensis apud Laur. Surium *Tom. VI. ad 4. Decembr. Conf.* & Historia Euphordiensis *Anonymi cujusdam à Pistorio editæ Cap. 47.*

(*d*) Von Zitz/von Wittendorff derselbe hieß. habet Jeroschinus.

CAP. X.

De

Fratre Hermanno Primo Magistro terræ Pruschiæ Ordinis Domûs Teutonicæ.

FRater Hermannus dictus (*a*) Balke Hospitalis S. Mariæ Domûs Teutonicorum Hierosolymitani Magister I. in terra Pruschiæ præfecit Annos XII. Hic etiam fuit primus Magister terræ Livoniæ, ubi cum præfuisset fermè VI. annis & utramqve terram ad bonum statum deduxisset, & benè prosperatum fuisset bellum in manu sua, ut inferius apparebit, gravatus senio & labore, reversus fuit (*b*) in Almanniam, ibiqve mortuus & sepul-

tus. Qvam glorioſus iſte fuerit in omnibus factis teſtantur Magnifica facta.

ANIMADVERSIONES.

Ad Caput X.

(*a*) Ab aliis hunc Magiſtrum dictum fuiſſe Falcke teſtatur Balth. Ruſſovv *part. II. Chron. Livon. initio.* & ſuſpicatur eum ſic dictum fuiſſe ob fortitudinem & res præclarè geſtas.

(*b*) Simon Grunovius dicit Hermannum à Balke objiſſe An. 1238. ſepultumqve eſſe in Zantir. *Vid.* Grunovv. *tract. 2.* Sed qvicqvid ſit de anno mortis; in Zantir non potuit ſepeliri, qvia tunc urbs illa nondum fuerat condita. *Vid. infra Cap. XLIV.* Notandum verò hic eſt in Annis Magiſtrorum tum Generalium tum Provincialium nihil eſſe certi. Qvoniam enim Dusburgius noſter certum annis ab ingreſſu Fratrum Ordinis Teutonici in Pruſſiam Chronicon ſuum ſcripſit, nullosqve antè ſe habuit eorum temporum Scriptores, facilè potuit aberrare. Seqventium temporum Scriptoribus pronior adhuc fuit ad lapſum via. Et licet aliqvando curioſiùs, annos qvidam annotarint, conqveritur tamen de illis Simon Gronovius qvod anni illi in Codicibus vetuſtis, qvoniam fuerunt cyfris conſignati, mirè fuerint corrupti, indè veniam ſibi dari poſtulat, ſi in aſſignandis annis aberraverit. *in præfat. ad Hiſt. Pruſſ.* Qvinimò non de Annis tantum Magiſtrorum hoc eſt intelligendum, ſed de ipſis qvoqve Magiſtris hoc verum eſſe animadvertet, qvi antiqva Chronica perluſtrabit. *Vide qvæ infra ad vitam Conradi Landgrav. Thuringiæ & Haſſiæ; item ad Vitam Popponis deoſterna Cap. 29. & in Incidentibus ad Cap. 69. notavimus.*

Cap. XI.

De
Cruce & Indulgentia Cruceſignatorum terræ Pruſchiæ & Livoniæ.

Fr. Hermannus de Saltza Magiſter generalis vir providus & in

in omnibus circumspectus, medio tempore, qvo supra dicta agerentur misit ad Dominum Papam & inter alias petitiones petivit & obtinuit (*a*) crucem prædicari in regnis & Provinciis à sede Apostolica tunc deputatis in subsidium terræ Pruschiæ, deditqve idem Papa & postea Innocentius Papa IV. peregrinis Pruschiam & Livoniam visitantibus privilegia & indulgentias, sicut euntibus Hierosolymam conceduntur.

Explicit Secunda pars Libri.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Constantinus Magnus primus inter Imperatores Romanos Christianus vidit aliqvando tempore meridiano signum crucis in Cœlo cum inscriptione: In hoc vince, monitusqve per qvietem, ut eo signo tanqvam præsidio in præliis cum hostibus committendis uteretur. Paruit salutari monito, labarumqve cruce exornatum semper sibi præferri jussit in prœlio, ut testantur Euseb. *lib. I. de Vita Constant. Cap. XXII. & seqq.* & Sozomen. *lib. I. Hist. Eccl. Cap. IV.* Hunc laudabilem morem imitatus Adrianus II. Pontifex Rom. sub finem Sec. XI. cum contra Saracenos in terram Sanctam esset expeditio suscipienda, vestibus illorum, qvi sacræ huic militiæ nomen dederant, signum sanctæ crucis super scapulam dextram imprimi jussit. Vid. Petrus Diaconus *lib. IV. Chron. Cassinensis Cap. XI.* Solebant autem cruces illæ fieri ex Serico, ut ex eodem loco Petri Diaconi apparet. Solebat etiam color crucis variari, ut discerni posset, cujus Principis illi milites essent. *Vid.* Henr. Spondanus *ad An. 1188. n. 11. pag. 1071.* Item hoc etiam observari consveverat, ut ab expeditione hac, contra hostes Christi susceptâ reversi crucem ad collum suspensam indultu Pontificis gestarent. *Vid.* Spondanus *ad an. 1191. n. V. fol. 1074. col. 2.* Ejus generis crucesignati etiam fuerunt, qvorum hoc loco fit mentio. Nam & illi dicti modo contra infideles, hostesqve religionis Christianæ fuerunt exciti. *Conf.* Christoph. Besoldus *in Serie Regum Hierosolym. Cap. 11. p. 68. seqq.*

IN-

INCIPIT TERTIA PARS.

CAPUT I.

De

Bellis Fratrum Domus Teutonicæ contra Pruthenos & primo de bello contra habitatores Terræ Culmensis.

Anno 1231. FRrater Hermannus (*a*) Balk Magister Pruschiæ aspirans ad negotium fidei proseqvendum, assumpto sibi Duce prædicto & virtute exercitus sui, transivit Wisselam ad terram Colmensem & in littore in descensu fluminis ædificavit Anno Domini MCCXXXI. castrum (*b*) Thorun. Hæc ædificatio facta fuit in qvadam arbore qvercina, in qva propugnacula & mœnia fuerunt ordinata ad defensionem undiqve indaginibus se vallabant, non patebat nisi unus aditus ad castrum. Continuè hi fratres septem habebant naves circa se propter impetum Pruthenorum, ut possent navigio redire Nessoviam, si necessitatis articulus hoc svaderet. In successu verò temporis instituerunt circa castrum civitatem, qvæ postea manente castro translata fuit propter continuam aqvarum inundationem ad eum locum, ubi nunc sita sunt & (*c*) castrum & Civitas Thorunienſis.

An. Domini MCCXXI. XIII. Cal. Decembr. B. Elisabeth mortua est. Eodem anno Tartari Ungariam & Poloniam devastant.

Eodem tempore Ferrandus Rex Castellæ Regem Granatæ Saracenorum sicit, ut etiam multis temporibus ei censum daret singulis diebus M. Marrobertinas auri.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. I.

(*a*) Balthasar Russovv hunc Magistrum à qvibusdam vocari Herman Falck notat *in Chron. Livon.*

(*b*) Cum

(*b*) Cum Ordinis Teutonici Eqvites Prussiam essent ingressi, arcem primò, deinde etiam urbem Thorunienſem uno milliari versus occidentem ab hodierno Thorunio condiderunt. Dubitantes ea de re audivi Thorunienſes ipſos: ſed res eſt certa. Præterqvam enim qvod Dusburgenſis noſter, illis temporibus proximus, hoc ipſum teſtatur, ſuperſunt & alia argumenta idem probantia. Reperiuntur enim hodieqve dicto in loco ad Viſtulam rudera templi, qvod An. 1231. excitatum eſſe teſtatur Codex Curiæ Thorunienſis circa An. 1440. ſcriptus. Templum illud S. Joanni fuiſſe dicatum, teſtis eſt Hennebergerus *in Comment. ad Tab. Pruſſ. pag. 452.* A ruderibus illius templi ad trecentos ferè paſſus, verſus Occidentem, reperiuntur itidem ad Viſtulam rudera arcis, aut muri qvo urbs fuerat cincta. Tota etiam ripa Viſtulæ, inter templi atqve dictæ arcis rudera, oppleta eſt fragmentis tegularum atqve laterculorum. Adhæc reperiuntur etiam non procul à Viſtula veſtigia qvædam foſſarum, qvæ omnia ſatis manifeſto ſunt indicio, non templum ſolum, ſed & alia ædificia ibi locorum fuiſſe condita. Hodie non procul ab illis ruderibus circumjacentes agros ſparſim inhabitant coloni, Hollandi dicti, non ſolum peculiaribus agrorum finibus, ſed etiam ædificiis, ab invicem diſcreti, qvi omnes vetus Thorunium inhabitare dicuntur. Porta etiam Thorunienſis, qva ad ipſos itur, vocatur (das Alt Thornſche Thor) Palæo Thorunienſis porta. Arcem illam Veteris Thorunii ut & urbem ob crebras inudationes An. 1235. deſtructam atqve in eum locum, ubi nunc urbs Thorunienſis ſita eſt, eſſe translatam tradit Hennebergerus ex Daubmanno aliisqve. Probari hoc ipſum etiam ex eo poteſt, qvod templum hodierni Thorunii parochiale An. 1235. erectum & S. Joanni dedicatum eſſe, teſtatur Codex citatus Curiæ Thorunienſis. Templum B. Virgini ſacrum in recentioris Thorunii urbe veteri conditum eſſe dicitur An. 1235. Chronicon enim MS. Pruſſiæ, qvod eſt in Bibliotheca Nobil. atqve Ampliſſimi Dn. Dan. Wachſchlageri Coſ. Thorun. dicit in Monaſterio Thorunienſi huic templo adjecto Inſcriptionem ſeqventem reperiri: *Anno 1231. Torum condita eſt. Anno 1239. Domus Fratrum minorum in Torn recepta fuit, qvibus*

ream dedit inditus Dominus Fr. Poppo, Magister generalis fratrum Ordinis Domus Teutonicæ hospitalis S. Mariæ Virginis. Christus Jesus meritis S. Francisci ejus animæ benedicat. Vid. Chron. dictum. *fol. 54.* Sed cum Anno 1239. Poppo nondum fuerit Ordinis Teutonici Magister generalis, ut suo loco probabitur, videtur illa inscriptio (si qva fuit. Hodiè sanè nulla apparet) posterioribus demum temporibus esse nata. Nova Civitas hodierni Thorunii satis etiam antiqva esse videtur, qvod templorum fundationes satis apertè docent. Nam An. 1263. sub Hannone Sangerhausen excitatum esse fertur templum S. Nicolai in nova urbe ad fluviolum, Mukram dictum, ut Hennebergerus ex Grunovii Tract. 9. c. 1 probat. Templum etiam Sanctimonialium in nova urbe conditum est à Sigefrido de Feuchtvvangen Magistro generali, *de qvo vid. infr. Dusburg. part. 3. cap. 303.* A qvo vero Magistro nova illa urbs primum consecuta sit Privilegium fundationis, ut vocatur, sciri non potest. Cum enim Prussia An. 1454. in clientelam Regis Poloniæ se dedisset, Civitasqve nova Thorunienſis dicto anno Fer. 6. ante Dominicam Invocavit, in societatem Veteris urbis esset recepta, ita ut cum veteri oppido unam constitueret Civitatem, qvatuorqve Senatores Novæ Civitatis unum cum urbis Veteris Senatoribus constituerent Senatum, abolita sunt antiqva illa Novæ Civitatis Privilegia, adeò ut hodie nemini sit cognitum, à qvo illa fuerint concessa. Hæc de primis initiis urbis Thorunienſis, qvæ hodie, postqvam Culmæ jus hoc Sec. XV. ademptum est, inter Civitates Prussicas est ordine atqve dignitate prima. Commendat eam, præter alia, ædificiorum elegantia, ut & platearum spacioſa latitudo. Præcipuum vero illa cultum debet Henrico Strobando qvondam Judicii Terrestris Culmenſis Assessori, Burggrabio Regio & Præ-Consuli Thorunienſi, qvi An. 1609. d. 20. Novembr. diem obiit supremum. Hic enim Gymnasium Thorunienſe erexit secutus rationem, qvam J. Sturmius non tantum præscripsit, sed etiam in Argentoratenſi aliisqve Gymnasiis constituendis observavit. Addidit postea uno vel altero lustro elapso Classem supremam, in qva præter qvotidiana styli, & menstrua

Disputa-

Disputationum atqve Declamationum (qvæ hodiè crebrius instituuntur) exercitia, principia Theologica cum Hebræa Grammatica, ut & Philosophia tractarentur. Adjecit Gymnasio & Bibliothecam, qvæ iis temporibus cum plerisqve Europæis certabat. Studiosorum etiam pauperum rationem habens, Oeconomiam instituit, in qva tenuioris fortunæ adolescentes alerentur ex publico. Eundem se Strobandus præstitit in Nosocomiis exstruendis & instaurandis. Cœmiterium insuper extra urbem muro cinxit. Curiam qvoqve Thorunienſem, cum urbis elegantiæ non responderet magnificè renovavit, amplissimis atriis & conclavibus auxit, ut jam cum plerisqve, vel magnificentissimis, totius terrarum Orbis curiis certare qveat. Domum deniqve, in qva Stipendiarii milites, qvi ad præsidium urbis aluntur, sunt constituti, è regione curiæ eleganter exstruxit, qvod opus adeò difficile tum videbatur, ut non deessent, qvi dicerent: *Si succederet, se collum laqveo subjecturos.* Neqve in tantis operibus exstruendis Civibus gravis fuisse memoratur. *Vid.* Vita Henrici Strobandi apud Melchiorem Adami *in vitis JCtorum pag. 413. seqq.* Unde nomen Thorunii sit ortum, non satis liqvet. Mittemus hic fabulosam de hoc nomine in exstructione veteris Thorunii orto traditionem, qvæ vulgo circumfertur. Probabilius est, qvod qvidam existimant Cruciferos voluisse hoc nomine Prussos Veteres excitare, ut si viri essent, arcem recens exstructam, qvæ unam tantum habebat portam, aggrederentur; ac si dicerent: Thoran. Alii à turri templi S. Joannis in Veteri Thorunio exstructi eam dictam autumant. Hinc Alb. Cranz. *l. 6. Vandal. c. 7.* eam vocat Turream. Tametsi dici possit, Cranzium propterea ipsam appellasse Turream, qvia muri urbis plurimis turribus superbiunt. Mihi Thorunium dictum videtur à Germanica voce Thor i. e. porta. Sic enim eam Cruciferi appellarunt, qvia sibi tum exstructâ illâ arce, portam versus Prussia in apertam esse credebant. Et hinc etiam in insignibus Urbis Thorunienſis conspicitur castellum cum porta semiaperta.

(c) Castrum, qvod tempore Dusburgensis adhuc erat integrum, eversum est An. 1454. cum Prussi jugo Cruciferorum excusso ad Polo-

nos transiissent. Qvo tempore etiam Elbingensis, Gedanensis, Birglauensis, Papaviensis aliæqve arces destructæ sunt. *Vid.* Schuz. *lib. 5. Chron. Pruss. 196. seqq.*

CAP. II.

Descriptio Terræ Prussiæ.

TErra Pruschiæ pro terminis suis, intra qvos constituta est, habet (*a*) Wiselam, (*b*) Mare salsum, (*c*) Memelam, (*d*) Terram Ruschiæ (*e*) Ducatum Masoviæ & Ducatum (*f*) Dobrinensem. Wissela est aqva fluens de Cracovia in terram (*g*) Pomeraniæ circa castrum (*h*) Danczke, intrans mare, dividens Poloniam & Pomeraniam à Pruschia. Memela etiam est fluens aqva, descendens de Regno Russiæ circa castrum & civitatem Memelberg intrans mare, ipsam Ruschiam Lethoviam & (*i*) Curoniam dividens etiam à Pruschia. (*k*)

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. II.

(*a*) Alii amnem illum vocant Istulam, alii Instulam, alii Justulam, Justillam alii. Vid. Æn. Sylv. *in Corp. Hist. Polon. Tom. I, pag. 4.* Jodocus Ludovicus Decius *in Antiqvit. Polon.* Alii ex Polonico eum vocant Vislam. Pomponius Mela eum vocat Visulam *lib. 3. de Situ Orbis cap. IV.* Sed rectius vocatur Vistula. *Vid.* Ptolemæus *lib. 3. Geogr. cap. 5.* Plinius *lib. 4. Nat. Hist. cap. 13. 14.* Solinus *Cap. 23.* Conf. & Henneb. *de Fluminibus Prussiæ pag. 25.*

(*b*) Antiqvitus Sinus Codanus, mare Venedicum, item Svevicum, hodiè Balticum. *Vid.* Ptolemæus *lib. 2* Tacitus *lib. de Morib. Germ.* Batavi Germanicè mare hoc appellarunt die Ost-See i. e. mare Orientale, qvia ipsis est versus Orientem.

(*c*) Ptolemæo dicitur Chronus. Non desunt tamen, qvi per Chronum Ptolemæi Pregelam, sive ut antiqvitus appellari solebat Prigoram volunt

volunt intelligi. Illi verò qvi Chronum Ptolemæi Passariam amnem, qvi Brunsbergam amnem præterlabitur, interpretantur, prorsus non sunt audiendi, qvoniam amnis ille multo est obscurior, qvam ut in censum illum possit referri.

(*d*) Per Russiam hic fortasse intelligit Podlachiæ & Lithvaniæ partem, qva attingunt Præfecturas Liccensem & Marggraboviensem, sive ut vulgò vocant Olecensem in Prussia, inter Memelam amnem & Masoviam. Dicitur autem ea pars Imperii Polonici Russia, qvia antiqvissimis temporibus Russis fuit subjecta. Magna etiam Lithvaniæ pars hodieqve lingvâ Russicâ utitur. Sed & hodiè qvod mireris, in Magno Ducatu Lithvanico Decreta in Judiciis aliaqve Acta publica lingvâ Russicâ scribuntur, ut à nobis alibi probatum est.

(*e*) MASOVIENSIS Ducatus secundum qvosdam à Massagetis sortitus est nomen *Vid.* Æneas Sylvius *loco cit.* Stanisl. Sarnicius *lib. 1. Annal. Polon. pag. 34.* Alii à Maslao Pincerna Mieceslai II. Regis Poloniæ, qvi Sec. XI. Masoviam Regi suo ereptam suo nomine appellavit. Sic vulgo Poloni Scriptores. Primus autem Dux Masoviæ legitimus est Conradus ille, qvi Ordinem Teutonicum in Prussiam evocavit. Hic enim cum Masoviæ Ducatum à Lesco Albo Fratre adeptus esset, transmisit eum ad posteros suos, penes qvos etiam mansit, usqve ad Sigismundi I. Regis Poloniæ tempora. Sed de eo Vide Scriptores Polonicos.

(*f*) DOBRINENSIS Ducatus est ad Vistulam, Culmensem Provinciam attingens.

(*g*) POMERANIA à Slavis eo nomine vocata, qvoniam ad mare sita est. *Pomorzanie* namqve dicuntur Polonis populi maritimi. Qvapropter etiam Vincentius Kadlubko Pomeraniam freqventer appellat MARITIMAM. Vide *Origines Pomeranicas meas.*

(*h*) DANTISCI sive GEDANI nusqvam aliàs facit mentionem Dusburgius noster. An qvia Gedanum tunc extra Prussiam in solo Pomeranico censebatur? Ast negari non potest, etiam Dusburgii tempore Cruciferos sibi jus in magnam Pomeraniæ partem & præcipuè in urbem Dantiscanam arrogasse, uti in Animadversionibus ad

cap. CCVIII. dicetur. Dicendum itaqve est Dusburgium hanc omisisse, qvoniam urbs Gedanensis tunc temporis fuerat exigua & forsan tota lignea, qvam deinceps Ordo Teutonicus & ampliavit & magnificè exornavit. Aut dici potest Dusburgensem illam de industriâ præteriisse, etiamsi fuerint qvamplurima & eo tempore de ea notanda, ne aut Cruciferos tunc jus in eam partem Pomeraniæ prætendentes: aut Pontificem Romanum (qvi hoc in puncto Cruciferorum acta non probabat) offenderet. Et certè hoc suspicari vel indè licet, qvod Dusburgensis nihil de bellis Pomeranicis suo fermè tempore gestis in Chronico hoc habet. Antiqvam esse hanc, de qva loqvimur, urbem, apparet ex Anonymo qvodam vitæ S. Adalberti (qvi in Prussia prope oppidum Fischhausen hodiè dictum ab Ethnicis Prussis Sec. X. interfectus est Scriptore, ipsi Adalberto coævo, apud qvem jam fit mentio urbis *Gedanie*. Tribuitur scriptum hoc, sive Vita illa, à qvibusdam Cosmæ Pragensi, cujus etiam Chronico annectitur; Sed perperam. Illi itaqve qvi Originem urbis Gedanensis rejiciunt ad An. 1185. qvo ipsam Subislaum Ducem Pomeraniæ condidisse ferunt intelligendi sunt de Instauratione, aut amplificatione urbis. Monasterium autem Olivense dubio procul erexit dotavitqve Subislaus ille, qvi primus ex Ducibus Pomeraniæ Christo nomen dedit (videlicet An. 1170.) ut ex monumentis Olivensibus probat Caspar Schuz. *lib. 1. Chron. Pruss. fol. 11. a. Conf.* & Philippus Cluverus *lib. 3. German. Antiq. cap. 54.* Cum Ordo Teutonicus eam urbem cum castro sibi subjecisset, adjecit circa An. 1311. Civitatem, qvæ nunc vocatur Principalis (Die rechte Stadt) & qvidem primò totam ligneam, ut vult Albertus Cranzius *lib. 10. Wandaliæ cap. 26. pag. 249.* Vid. Schuz. *lib. 2. Chron. Pruss. fol. 55. b.* Hæc Civitas Principalis Anno 1343. cœpit muro cingi, ut ex inscriptione vetusta in templo B. Virginis cognoscimus, qvæ sic se habet: *Anno Domini MCCCXLIII. feria qvarta post Lætare positus est primus lapis muri civitatis Dantzk & postea proximâ feriâ sextâ positus est primus lapis muri Ecclesiæ B. Virginis Mariæ, cujus dedicatio celebrabitur Dominicâ proximâ post Festum Nativitatis Mariæ.* Vid. Schuz.

Schuz. fol. 71. a. Nova Civitas Gedanensis (Die junge Stadt) condita est ad Vistulam à Conrado de Wallenrod Magistro Ordinis Teutonici circa An. 1390. *Vid.* Schuz *lib. 2. Chron. fol. 87. b. & 88. a.* Destructa autem est Civitas nova circa An. 1455. cum Prussi jugum Cruciferorum excussissent. Schuz. *lib. 5. Chron. Pruss. fol. 210. b. & 211. a.* Eodem tempore destructa est arx Gedanensis, qvam Subislaus Dux Pomeraniæ susceptâ religione Christiana simul cum Veteri civitate condiderat, aut etiam à Danis destructam instauraverat. Undè porrò nomina GEDANUM & DANTISCUM (Danzig) originem traxerint, variant auctorum sententiæ. Alii à Germanico verbo Danzen i. e. Saltare hoc deducunt, eo qvod choreas ducendo incolæ ejus loci Principem suum nomine Hagel interfecerant. *Vid.* Schuz. *lib. 1. Chron. fol. 6. & 7.* Alii putant à Danze genero Hageli Principis. Alii à captura piscium, qvasi den Zug. Vid. Henneb. voce: Danzig. Alii à Sinu Codano, cui adjacet à Gothis sive Gethis & Danis conditoribus alii deducunt. *Vid.* Cranzius *lib. 6. Wandal. cap. 7.* Isaacius Pontanus *lib. 6. Rerum Danicarum ad An. 1165.* Philipp. Cluverus *lib. 3. Germ. Antiq. cap. 34. & lib. 1. cap. 26.* Cumprimis verò Chronicon Gedanense MS. Reinholdi Kurike Urbis Gedanensis Secretarii *lib. 1.* ubi de origine & nomine dictæ urbis pluscula habentur.

(*i*) Curonorum jam meminit Adamus Bremensis Sec. XI. Scriptor *in lib. de Situ Daniæ & reliqvorum Septentrionalium Regionum cap. 223. pag. 145.*

(*k*) Omissa hic qvædam sunt incuriâ librarii, qvæ neqve in Codice Elbingensi reperiuntur. Nam postqvam Auctor generatim Prussiæ fines designasset, incipit deinceps speciatim de singulis paulò fusius disserere. Et qvidem de Wisela sive Vistula ut de primo termino, & de Memela, ut de secundo termino, qvædam adjecit. Restat igitur tertius & qvartus terminus, de qvibus hic nihil reperitur. Sed Jeroschimus hoc videtur in Dusburgensi legisse. Hic enim seqventia in suâ versione Germanicâ addit:

So ist das Meer die dritte Wand
Und die vierte jene Land
Die davor genennet sin
Ruzen/Masau und Dobrin.

CAP.

Hermannus de Saltza IV. Ordinis Teutonici Magister General.
Hermannus de Balke I. Ord. Teut. Mag. Provincial. in Prussia.

CAP. III.

De *Diversitate & Potentia Prutheno-rum.*

TErra Pruschiæ in (*a*) undecim partes dividitur. Prima fuit Colmensis & (*b*) Lubavia, qvæ ante introitum Fratrum Domus Teutonicæ qvasi fuerat desolata. Secunda Pomesania, in qva Pomesani. (*c*) Tertia Pogesania in qva Pogesani. Qvarta (*d*) Warmia, in qva Warmienses. Qvinta Nattangia, in qva Nattangi. Sexta (*e*) Sambia, in qva Sambitæ. Septima Nadrovia in qva Nadrovitæ. Octava Scalovia, in qva Scalovitæ. Nona Sudovia, in qva Sudovitæ. Decima Galindia. Undecima Barthe & (*f*) Plica Bartha, qvæ nunc major & minor Bartha dicitur, in qva Barthi vel Barthenses habitabant. Vix aliqva istarum Nationum fuit, qvæ non haberet ad bellum duo millia Virorum Eqvitum, & multa millia (*g*) pugnatorum. Sambia populosa & opulenta potuit habere qvatuor millia eqvitum, & XL. millia pugnatorum. (*h*) Sudovitæ generosi sicut Nobilitate morum alios præcedebant, ita divitiis & potentia excedebant. Habebant enim sex millia eqvitum & qvasi innumerabilem multitudinem aliorum pugnatorum. Qvælibet istarum gentium habebat (*i*) multa castra & firma de qvibus odiosum esset per singula enarrare. Vide ergò signa Dei magna & mirabilia fortia. Septem fratres Domus Teutonicæ cum paucis armigeris ædificando propugnacula in terra Culmensi supra qvercum unam ut dictum est. Primo ausi sunt aggredi tam copiosam & innumerabilem multitudinem gentium, & in processu temporis intra LIII. annos exterminaverunt eas, sic qvod unus non reman-

remansit, qvi jugo fidei non subjiceret collum suum auxiliante Domino Jesu Christo, qvi est benedictus in secula seculorum Amen.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. III.

(a) Scriptores Historiæ Prussicæ antiqvi undecim Prussiæ partes constituunt, uti ex hoc Dusburgensis loco apparet. Seqvuntur Dusburgensem Jeroschinus & alii. Recenciores verò Scriptores qvamvis & ipsi undecim tantùm partes Prussiæ constituant, addunt tamen alia fabulosa de Origine hujus divisionis. Videlicet asserunt Waidevvutum Prussorum Regem duodecim filios habuisse, qvorum hæc nomina: *Saymo, Neydro, Sudo, Slavo, Natango, Bartho, Galindo, Warmo, Oggo, Pomezo, Culmo & Lituo.* Ab his Prussiæ partes nomina sua sortitas esse, solum Lituonem Prussiâ relictâ alibi sedem sibi qvæsivisse, Lithvaniamqve à suo nomine appellasse referunt. Sed qvædam ex dictis illis partium Prussicarum appellationibus multò sunt temporibus Waidevvuti antiqviores. Jam enim Ptolemæus qvi Waidevvuto tribus minimum seculis antiqvior est (dicunt enim qvidam Waidevvutum vixisse temporibus Valentiniani II. Imperatoris, alii Seculo V. eum Prussis imperasse legesqve dedisse referunt) memorat Galindos, Sudinos & Stavanos (per Stavanos fortassis intelligendi sunt Slavani, sive ut eos hic Dusburgensis appellat Scalovitas) *lib. 3. Geogr. cap. 5.* Erasmus etiam Stella cum Simone Grunovio aliisqve non consentit, qvod Waidevvutum qvatuor tantum filios habuisse refert. Mihi ut illa qvæ de Waidevvuto, ejusqve institutis vulgo feruntur suspecta sunt omnia, ita etiam Saymo, Neydro aliiqve non à Waidevvuto, sed ab otioso qvodam ingenio procreati esse videntur. Idem ante me sensit & Fridericus Zamelius in Familiæ monumento ad liberos, & qvidem in Carmine ad carissimos Filios, ubi hæc habet:

Qvid porrò exclamen? qvot sunt in Origine nugæ?
Qvo totidem fratres à Videnuto sati.
Ille qvidem fuerit, numerum tamen edo minorem
Nomina post populos qvis putet orta suos?

Sudicæ gentes, & res Galinda vigebat,
Cum nondum Scythicus legit electra puer.
Huic mihi Zodiacum rudior ſuppleverat ætas
Qvisqvis ſit, primum turba ſecuta fabrum eſt.

Propius a l veritatem accedere mihi videtur Cl. Vir. M. Matth. Prætorius Paſtor Nebudzenſis, qvi ex proprietatibus & moribus ſingulorum Populorum hæc nomina efficta eſſe ſtatuit. SAMO dicitur à Pruſſica voce *Samin.* i. e. haurire, excipere. Sunt enim Sambienſes exceptores ſuccini. SUDO à *ſudiiu, ſuditi,* i. e. judicare. Inde adhuc Pruſſis Lithvaniæ accolis *ſudins* & *ſudzia* eſt judex. Polonis dicitur *ſedzia.* NATANGO eſt idem qvod ſolers, Natangi itaqve dicti ſunt, qvoniam ſolertiſſimi Patres familias fuerunt. NODROWO ſive NODRO Pruſſicâ lingvâ eſt lini curam habens, qvia optimum inde linum proveniebat. Hinc apud Pruſſos Drovve, qvod hodierni Pruſſi Lithvani per Drobe exprimunt, eſt linteum. SCHALAWO idem eſt qvod inſulanus. Chronus enim ibidem locorum multas efficit inſulas, & peninſulas. BARTHO eſt à *barti* i. e. objurgare, rixari, qvoniam inqvieta gens fuerat. GALINDO eſt à *Gals* & plurali *Galintes* i. e. potentes, *Vide caput proximè ſeqvens, qvod de potentia Galindorum agit.* WARMO eſt exactor, *Warimas* eſt exactio, convocatio. HOGGO probabile eſt derivari ab *Hoggin, hoggieti* i. e. occare. POMESO eſt à *Pomeſu* i. e. deſerere, eo forſan, qvod Pomeſani freqventer deſeruerint Nobilitatem mutarintqve. Vid. Henneberg. *in voce Pomeſan.* CULMO deducitur à *Kulis* i. e. uredo, forſan eo ſic appellata eſt illa Provincia, qvod ſæpius à Polonis fuerat ferro atqve igni devaſtata. LITWO denotat hominem ſimplicem, qvia ab aliis perſvaſus patriam reliqvit terram. Hæ ſunt Dn. M. Prætorii conjecturæ, qvas mecum in Scripto de veteri Pruſſorum Lingva communicavit.

(*b*) LUBAVIA Provincia habet urbem arcemqve ejusdem nominis. Arx, qvæ hodiè Epiſcopi Culmenſis ſedes eſt, à qvibusdam dicitur eſſe condita 30. annis antè ingreſſum Ordinis Teutonici in Pruſſiam. Provinciam hanc An. 1214 Surbonus, qvi ex veteri Nobi-

Nobilitate Prussica fuerat, donasse memoratur Christiano Episcopo Prussiæ. Vid. Henneb. *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 261.*

(c) POGESANIA Provincia est *Oggerlandia*, à Poggia Oggonis filia ita dicta, ut habent fabulæ antiqvæ. Dicunt enim Hoggonem Waidevvuti filium tres habuisse filias: Mitam, Cadinam & Poggiam, qvæ ultima vitam elegerat solitariam factaqve est Sacerdos. Memorat Hennebergerus *pag. 352.* Anno 1499. in monasterio Elbingensi ornamenta capitis, qvibus virgo hæc Vestalis usa esse dicitur, inventa esse. De illis etiam Fridericus Zamelius in Familiæ monumento:

Vidimus illius nuper frontalia Divæ.
Cornea, deformem medio claudentia gemmam.

Verum satius est, ut Provinciam hanc, Poggesaniam dictam esse statuamus, ab antiqvis Prussicis vocibus *Paggua* i. e. pax, & *zemia* i. e. terra, qvoniam gens ea fuerat pacifica.

(d) WARMIA Germanicè dicitur Ermeland/ ab Ermia Warmonis uxore ita dicta, si credere fas est. *Vid.* Henneb. *in Comment. pag. 126.*

(e) SAMBIÆ nomen reperimus & apud Scriptores exteros. Habet enim illud Adamus Bremensis *in lib. de Situ Daniæ n. 77. pag. 147.* ubi dicit insulam *Semland* habitare *Sembos vel Pruzos.* Ex Adamo habet hoc & Helmoldus aliiqve recentiorum temporum Scriptores.

(f) PLICA BARTHA. Forsan est vox antiqva Prussica, significans minorem Bartham, ut ex Dusburgensi colligitur.

(g) *Pugnatorum* i. e. peditum. Jeroschinus vertit Streitere/ Fußgängere/ item Fußstreitere. Ex qvibus colligere licet, præcipuum militiæ Pruthenicæ robur fuisse in pedite, qvia Pedites καὶ ἐξοχὴν appellantur pugnatores. Apud antiqvos Romanos ob eandem rationem pedites appellabantur MILITES. Undè apud veteres Auctores non rarò conjungi videas *Milites eqvitesqve.* Vid. Livius *lib. 22. cap. 37.* Julius Cæsar. *lib. 3. de Bell. Gall. cap. 19. & lib. 5. cap. 7. & cap. 10.* Vellejus Paterculus *lib. 2. cap. 15.* E contrariò verò Continuator Dusburgii *cap. 9.* Eqvites appellat pugnatores

opponitqve peditibus, qvod eo tempore in eqvitatu omnis ferè vis exercitus consistebat.

(*h*) SUDOVITÆ sive SUDINI temporibus illis non habitarunt in extremis Sambiæ locis ad mare Balticum, ubi nunc habitant, unde appellatur der Sudawsche Winckel. Sed in parte Prussiæ australi contingebantqve Galindos, Bartenses, Nadrovios & Scalovitas: ex altera verò parte Podlachios & Lithvanos. Cum autem aliter ab Ordine Teutonico in ordinem redigi non possent, translati sunt in extremas Sambiæ partes, de qva transportatione videri potest Dusburgensis noster *part. 3. cap. 212.* Optimè hæc, & qvidem primus, probavit Hennebergerus *tum in libello de Vet. Prussia, tum in Comment. ad Tab. Pruss. Geograph.*

(*i*) Castra Civitatesqve munitas antiqvas Prussos non habuisse, docet Vincentius Kadlubko Seculi XII. Scriptor, qvi Prussos suo tempore à Polonis bello petitos *in speluncis delituisse, eosdemqve urbium habuisse muros, qvos & feræ*, refert, cum nulla habuerint monumenta, qvibus se defenderent *lib. 4. Chron. Polon. cap. 19.* Et alibi de Prussis: *Itaqve Boleslaus*, inqvit, *in globum coacta exercitatissimorum numerositate, Geticas* (i. e. Prussicas) *parat irrumpere Provincias, nullas prorsus arte munitas; Sed situ inaccessibiles.* Hæc Kadlubko, *lib. 3. epist. 31. pag. 375.* Sed cum postea non solum à Polonis & Masoviis, sed etiam ab Ordine Teutonico infestarentur, non est dubium, qvin multa castra condiderint, multasqve urbes. Consentit his Schuzius qvi minus probabile esse arbitratur, si qvis dicat Cruciferos inter medios bellorum tumultus tam brevi tempore tot urbes potuisse condere, nisi jam antea Prussi veteres earum plures jam condidissent. Schuz. *lib. 1. Chron. Pruss. fol.* Hoc tamen concedendum esse existimo, pleraqve castra, ut & plerasqve urbes fuisse ligneas. Non inusitatum enim est antiqvis etiam Scriptoribus, vicos ejus generis appellare urbes. Sic Herodianus *l. 7. Hist. cap. 2. n. 6.* de antiqvorum Germanorum urbibus dicit: *Vicos* (τὰς κώμας) *omnes incendendos diripiendosqve militibus tradebat. Sunt autem urbes* (πόλεις) *ædificiaqve illa maximè incendiis obnoxia: rara apud Germanos structura è lapide ac lateribus coctilibus, densisq; potius sylvis qvorum confixis coagmentatisq; lignis quædam qvasi tabernacula ædificant.* Tales etiam urbes Veterum Prussorum paulo ante ingressum Ordinis Teutonici conditas fuisse certum est.

CAP.

Hermannus de Saltza IV. Ord. Teut. Magister General.
Hermannus de Balke I. Magister Provincialis Prussiæ.

CAP. IV.

De *Desolatione Terræ (a) Galindiæ.*

GAlinditæ creverunt & qvasi germinantes multiplicati sunt, & roborati nimis, & impleverunt terram suam, sic qvod eos non commodè potuit sustinere. Undè sicut Pharao ad opprimendum populum Israelitarum dixit obstetricibus: Si masculus natus fuerit, interficite ipsum; si fœmina observate. Ita & istis videbatur consultum, qvod qvicqvid nasceretur sexus fœminini, occideretur, & masculi ad bellum servarentur. Et dum hoc indicto non proficerent, qvia mulieres videntes elegantiam nascentium, confervabant occultè eas. Idcirco de communi consilio & consensu, ut omnis materia pueros nutriendi tolleretur, omnium uxorum suarum ubera præciderunt. Super qvo contemptu & detestabili facto mulieres indignatæ accesserunt ad qvandam (*b*) Dominam, qvæ secundum ritum ipsorum sacra & Prophetissa reputabatur, ad cujus imperium hujus terræ facta singula regebantur, petentes sibi super hoc negotio salubriter provideri. Qvæ compatiens sexui suo, convocatis ad se potentioribus totius terræ, ait ad eos: Dii vestri volunt, ut omnes sine armis & ferro, vel aliqvo defensionis adminiculo contra Christianos bellum moveatis. Qvo audito statim obediunt, & omnes, qvi ad bellum habiles fuerunt, ad viciniorem Christianorum terram, læto animo sunt profecti. Ubi præter alia mala, qvæ fecerant, prædam hominum & jumentorum innumerabilem abduxerunt. In reditu qvidam de captivis occultè fugientes reversi ad fideles, nunciaverunt eis, qvod in toto infidelium exercitu non essent aliqva arma, nec aliud aliqvid,

qvo se possent defendere, consulentes bonâ fide, ut ad impugnandum eos viriliter, seqverentur. De qvibus verbis animati Christiani cum magna turba secuti irruerunt in eos, & omnes sine defensione aliqva occiderunt, qvo præcepto Sudovitæ & aliæ Nationes vicinæ intraverunt terram Galindiæ prædictam, & mulieres & parvulos & alios, qvi relicti fuerant, in servitutem perpetuam deduxerunt, sicqve terra illa usqve in præsentem diem remanet desolata.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) De Galindia Prussiæ Provincia, Patria mea, vide Carmen Nobilissimi Viri Dn. Friderici Zamelii Consulis qvondam Elbingensis, qvod sub calcem Chronici hujus dabimus.

(*b*) Id hoc loco ex antiqvitate Græcâ videtur addendum: Polyxo Sacerdotem Apollinis à fœminis simili modo consultam esse, qvomodo maritos suos ulcisci possent. *Vid.* Herod. *lib. 6. cap. 138. seq.* Videantur & Proverbia: *Lemniâ manu; Lemnium malum.*

CAP. V.

De *Idololatria & ritu & moribus Pruthenorum.*

PRutheni notitiam Dei (*a*) non habuerunt, & qvia simplices fuere eum ratione comprehendere non potuerunt. Imò nec in Scripturis ipsum speculari poterant. Mirabantur ultra modum in primitivo, qvod qvis (*b*) absenti intentionem suam potuit per literas explicare. Et qvia sic Deum non cognoverunt ideò contigit, qvod errando omnem creaturam pro Deo coluerunt, sive (*c*) Solem, Lunam & Stellas, tonitrua, volatilia, qva-

qvadrupedia etiam, usqve ad bufonem. Habuerunt etiam Lucos, campos & aqvas sacras, sic qvod secare, aut agros colere, vel piscari ausi non fuerant in eisdem. Fuit autem in medio nationis hujus perversæ, scilicet in Nadrovia locus qvidam dictus Romovv, trahens nomen suum à Roma, in qvo habitabat qvidam, dictus Crivve, qvem colebant pro Papa. Qvia sicut Dominus Papa regit universalem Ecclesiam fidelium, ita ad istius nutum, seu mandatum non solùm gentes prædictæ; Sed & Lethovvini & aliæ nationes Livoniæ terræ regebantur. Tantæ fuit auctoritatis, qvod non solùm ipse vel aliqvis de sangvine suo, verum & nuncius cum baculo suo (*d*) vel alio signo noto transiens terminos infidelium prædictorum à Regibus (*e*) & Nobilibus & communi populo in magna reverentia haberetur. Fovebat etiam prouit in lege veteri jugem (*f*) ignem. Prutheni (*g*) resurrectionem carnis credebant, non tamen, ut debebant. Credebant enim si qvis Nobilis vel ignobilis, dives vel pauper potens vel impotens esset in hac vita, ita post resurrectionem in vita futura. Unde contingebat, qvod cum Nobilibus mortuis, arma, eqvi, servi & ancillæ, vestes, canes venatici, aves rapaces, & alia qvæ spectant ad militiam urerentur. Cum ignobilibus comburebatur id, qvod ad officium suum spectabat. Credebant qvod res exustæ cum eis resurgerent, & servirent sicut prius. Circa istos mortuos talis fuit illusio Diaboli, qvia cum Parentes defuncti ad dictum Crive venirent, qværentes, utrum tali die vel nocte vidisset aliqvem domum suam transire ille Crive & dispositionem mortui (*h*) in vestibus, armis, eqvis & familia, sine hæsitatione aliqva ostendebat, & ad majorem certitudinem ait, qvod in superliminari domûs suæ talem figuram cum lancea vel instrumento aliqvo dereliqvit.

Post

Post victoriam Diis suis victimam offerunt, & omnium eorum, qvæ ratione victoriæ consecuti sunt (*i*) tertiam partem dicto Crivve præsentarunt, qvi combussit talia. Nunc autem Lethovvini & alii illarum partium infideles dictam victimam in aliqvo loco sacro secundum eorum ritum comburunt, sed anteqvam eqvi comburantur, cursu fatigantur in tantum, qvod vix possunt stare supra pedes suos. Prutheni rarò aliqvod factum notabile inchoabant, nisi prius missa sorte secundum ritum ipsorum, à Diis suis utrum benè vel malè debeat eis succedere scisscitarentur. (*k*) Vestes superfluas aut precioſas non curabant, nec adhuc curant, sicut qvis hodie ipsas exuit, ita cras induit, non attendens, si sint transversæ. (*l*) Pro potu habent simplicem aqvam & mellicratum seu medonem, & lac eqvarum, qvod lac qvondam non biberunt, nisi prius sanctificarentur. Alium potum antiqvis temporibus non noverunt. (*m*) Hospitibus suis omnem humanitatem, qvam possunt, ostendunt, nec sunt in domo sua esculenta vel potulenta, qvæ non communicent eis illa vice. Non videtur ipsis, qvod hospites benè procuraverunt, si non usqve ad ebrietatem (*n*) sumpserunt potum suum. Habent in consvetudine, qvod in potationibus suis ad æqvales & in immoderatos hausstus se obligant, undè contingit, qvod singuli domestici hospiti suo certam mensuram potus offerunt sub his pactis, qvod postqvam ipsi ebiberunt & ipse hospes tantundem evacuet ebibendo & talis oblatio potus totiens reiteratur, qvousqve hospes cum domesticis, uxor cum marito, filius cum filia omnes inebriantur. Secundum antiqvam consvetudinem hoc habent Prutheni in usu adhuc, qvod uxores suas (*o*) emunt pro certa summa pecuniæ. Unde servat eam sicut ancillam nec cum eo comedit in mensa & singulis

gulis diebus domesticorum & hospitum lavat pedes. (*p*) Nullus inter eos permittitur mendicare, liberè vadit inter eos de domo ad domum & sine verecundia comedit, qvando placet. (*q*) Si homicidium committitur, inter eos nulla potest compositio intervenire, nisi prius ille homicida vel propinqvi ejus ab occisi parentibus occidatur. Qvando ex inopinato rerum eventu aliqvam immoderatam incurrerunt perturbationem, se ipsos occidere consveverunt. Distinctionem (*r*) dierum non habuerunt, aut distinctionem noctium. Unde contingit, qvando inter se vel ipsi cum aliis aliqvot placitum & parlamentum volunt servare datus certus numerus dierum, qvo facto qvilibet eorum primo die facit unum signum in aliqvo signo & nodum in corrigia aut Zona. Secunda die addit iterum secundum signum, & sic de singulis, qvousqve perveniunt ad illum diem, qvo tractatus hujus modus est habendus. Aliqvi omni die (*s*) balneis utebantur ob reverentiam Deorum suorum, aliqvi balnea penitus detestabantur. Mulieres & viri solebant nere, aliqvi linea, aliqvi lanea, prout credebant Diis suis complacere. Aliqvi eqvos nigros, qvidam alterius coloris propter Deos suos non audebant aliqvaliter eqvitare.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. V.

(*a*) Scilicet Dei veri. Aliàs Deum aliqvem esse, non tantum Prussi, sed etiam aliæ barbaræ gentes ex lumine naturæ cognoverunt. *Vid.* Aristoteles *lib. 1. de Cœlo cap. 3. text. 22.* Cic. *lib. 1. Tuscul. n. 30.*

(*b*) Vide qvæ infra eâ de re in Dissertatione de Lingva Veterum Prussorum dicentur.

(*c*) De Diis Veterum Prussorum, ut & de Locis Sacris, Sacertotibus, ipsoqve cultu Deorum, qvoniam res est prolixior, qvam ut in his Animadversionibus paucis expediri possit, infra peculiaribus Dissertationibus agemus.

(*d*) Morem hunc Orientalium olim populorum fuisse, discimus ex Marco Paulo Veneto, qvi eadem de Tartarorum Rege tradit *lib. 1. de Regionib. Orientalib. cap. 4. & lib. 1. cap. 9.*

(*e*) Reges hic nominat potentiores Nobiles, qvi plures sibi subditos rusticos extantioresqve sub imperio suo habuerunt pagos vel vicos: Sic etiam vocantur in Privilegio Bartensteinensis urbis An. 1332. feria 2. ante Cathedram B. Petri concesso, in qvo Veteres Prussi dicuntur fuisse sub Regibus.

(*f*) De igne perpetuo infra agendum nobis erit. Jam tantum notandum est, apud vicinos nobis Lithvanos ignem perpetuum itidem fuisse honori Deorum dedicatum. *Vid.* Albertus Wijuk Kojalovvicz *Part. 1. Hist. Lithv. lib. 5. cap. 139.*

(*g*) Dubitari posset de eo, num veteres Prussi resurrectionem i. e. reditum animarum ad corpora sua crediderint? Hoc qvidem & alii Scriptores Prussici referunt, Veteres Prussos credidisse, homines à morte eandem vitam acturos, qvam in hâc vita egerunt: Ast hoc sine corporibus fieri posse, aliæ gentes etiam politiores crediderunt. Habet tamen hoc ipsum & de Lithvanis suis Kojalovvicz: *Nam de altera vita inqviens, qvam habituri à morte essent mortales, redituqve animarum ad sua corpora aliqvid credebatur.* Hæc ille loco citato *pag. 140.*

(*h*) Idem habetur & in Privilegio Prussis Veteribus à Jacobo Archidiacono Leodiensi, Pontificis Romani Legato An. 1249. concesso.

(*i*) Ex Hennebergeri sententiâ manubiæ bellicæ dividebantur in qvatuor partes. Prima pars Diis cedebat, altera Pontifici Crivve, tertia Sociis, qvartam Prussi ipsi inter se partiebantur. *lib. de Vet. Pruss. pag. 21.* Verum Dusburgensis sententia ut antiqvior, ita verior est.

(*k*) Utebantur Prussi tunicis brevioribus panno ex cruda lana confecto. Tunicæ illæ aut hic in Prussia conficiebantur, qvod ex ultimis verbis hujus capitis cognosci potest, aut etiam (præsertim invalescentibus navigationibus) ex Germania huc afferebantur, sicuti verba Adami Bremensis mox citanda docebunt. Fœminæ Prussicæ lineas habebant tunicas. Calcei erant ex alburno (i. e. mol-

lis-

lissima illa arboris parte, qvæ est inter corticem & lignum) qvales in hanc usqve diem apud Lithvanos conficiuntur, aut etiam ex crudo corio confecti. Audiamus hac de re Adamum Bremensem: *Aurum*, ait ille, *argentumqve pro nihilo ducunt, pellibus abundant peregrinis, qvarum odor nostro orbi lethiferum superbiæ venenum propinavit. Et illi qvidem, ut stercora hæc ad nostram forte habent damnationem, qvi per fas nefasqve ad vestem anhelamus marturinam, qvasi ad summam beatitudinem. Itaqve pro laneis indumentis, qvæ nos dicimus Paldones illi offerunt tam preciosas mortures.* Hæc Adamus Bremensis in lib. de Situ Dan. *n.* 77. Conf. Erasmus Stella *lib. 1. antiqvit. Boruss.* Ut autem natura in luxum semper est bona, non est dubium, qvin procedente tempore etiam precioſiores vestes invaluerint, præsertim apud homines honestioris conditionis. Testatur enim hoc vel Dusburgius ipse. *part. 2. Chronici hujus cap. 3.* Si vestitum Veterum Prussorum cognoscere accuratè volumus, rusticum aliqvem Lithvanicum aspiciamus, & veram illorum imaginem in eo videbimus.

(l) Auctor Chronici Ordinis *fol. 19. a.* de potu Veterum Prussorum dicit: Ihr Getränck war Wasser / Meth und Kobbelmilch. Casparus Hennebergerus *de Vet. Pruss. fol. 5. b.* addit, sangvinem ipsos bibisse. Adamus Bremensis lib. de Situ Daniæ pag. 147. *Carnes*, inqvit, *jumentorum pro cibo sumunt, qvorum lacte vel cruore utuntur in potu, ita ut inebriari dicantur.* Scholiastes qvoqve Adami Bremensis n. 87. *Gothi*, inqvit, *à Romanis Getæ vocantur de qvibus Virgilius dicere videtur:*

— — — *acerqve Gelonus*
Cum fugit in Rhodopen, atqve in deserta Getarum
Et lac concretum cum sangvine potat eqvino.

Hoc usqve hodiè Gothi & Sembi facere dicuntur, qvos ex lacte jumentorum inebriari certum est. Hic dubitari posset meritò de sangvine, an eum biberint Prussi illi qvos Ordo Teutonicus sub jugum egit. Si enim hoc ipsi factitassent, certè Dusburgensis noster illud non omisisset. Deindè Adamus Bremensis per sangvinem videtur intelligere lac; Dicit enim: *lacte vel* (i. e. sive, sic enim illo-

rum temporum Scriptores loqvi solent, qvando Synonyma cumulant) *cruore utuntur in potu.* De antiqvissimis illud temporibus fortasse non negaverimus, sed cum Ordo Teutonicus has oras esset ingressus, non fuit tanta populi hujus barbaries.

(*m*) Adamus Bremensis ita de Prussis loc. cit. loqvitur: *Semlandiam inhabitant Sembi homines humanissimi, qvi obviam tendunt ad auxiliandum his, qvi in mari periclitantur, vel qvi à pyratis infestantur. Multa ergo possent ex illis populis dici laudabilia in moribus, si solam fidem Christi haberent, cujus Prædicatores immaniter persequuntur.* Helmoldus qvoqve: *Pruzzi*, inqvit, *necdum lumen fidei cognoverunt, homines multis naturalibo bonis præditi, humanissimi erga necessitatem patientes.* His subjicit omnia illa Adami verba, qvæ modo adduximus *lib. 1. Chron. Slav. cap. 1.*

(*n*) Idem de illis habet Joannes Dlugossius *lib. 2. Hist. Polon. pag. 115.* Mart. Cromerus *lib. 3. de Ortu & rebus gestis Polonor. pag. 443. in Corp. Histor. Polon.* Henneberg *de Vet. Pruss. fol. 19. a.* Exemplum etiam habet Hennebergerus, qvando decem mulieres Sudavvicas uno tempore dolium cerevisiæ exhausisse refert, *in Comment. ad Tab. Geogr. Pruss. pag. 445.*

(*o*) Idem habet Privilegium Prussis Veteribus à Legato Pontificio An. 1249. datum, qvod supra citavimus. Sed de Veterum Prussorum Nuptiis atqve Conjugio infra peculiari Dissertatione agemus.

(*p*) Vide qvæ dicta sunt ea de re lit. (m)

(*q*) Henneb. *de Vet. Pruss. fol. 17. b.* dicit homicidium non potuisse aliter expiari, qvam occiso homicidâ. Si sacerdos aliqvis occisus esset, consangvineos occisi potestatem habuisse dicit, homicidam occidendi. Sed verba Dusburgii generatim sunt accipienda de homicidis omnibus. Idem enim & Balthasar Russovv de Livonibus tradit. Dicit enim etiam sub Ordine Teutonico homicidam non fuisse à Magistratu punitum, sed cognatos hominis interfecti omnibus modis id egisse, ut ipsum vicissim occiderent, parum pensi habentes, utrum homicidium ex proæresi, an verò casu fuerit perpetratum. *Vid.* Balth. Russovv *part. 2. Chron. Livoniæ fol. 43. b.*

(*r*) De Distinctione temporum apud Veteres Prussos agemus infra in Dissertat. de Festis Veterum Prussorum Diebus. (*f*)

(*f*) Joannes Dlugossus Prussos qvotidiè in balneis laviſſe autumat eo fine, ut laſſitudinem labore vel intemperantiâ & ebrietate contractam depellerent. *lib. 2. Hiſt. Polon. pag. 115.* Conf. Cromer. *lib. 3. pag. 443.* Hodiè qvoqve apud Lithvanos freqventiſſimus eſt balneorum uſus.

(*l*) Dictum eſt ſupra Lit. (l) de Potu Veterum Pruſſorum, jam addenda qvoqve ſunt qvædam de ipſorum cætero victu. Elixarum carnium apud eos nullum fuiſſe uſum teſtatur Eraſmus Stella *lib. 1. Antiq. Boruſſ.* Idem qvoqve Stella dicit, Pruſſos terram minimè excoluiſſe, vel ob ignorantiam rei ruſticæ, vel ne bonitate ſoli deprehensâ & ipſi finitimorum metui obnoxii fierent, indeqve eliminarentur, vel qvod victum è terra naſcentibus nondum noverant. Sed ut ut de Veteribus Phinnis illud non negaverimus, de omnibus tamen Pruſſis id aſſeri poſſe negamus. Jam enim olim Tacitus de Æſtiis aliud nos edocuit, qvando eos *frumenta cæterosqve fructus patientius qvam pro ſolitâ Germanorum inertia laboraſſe* refert. lib. de morib. Germ. *in fin.* Qvod etiam Pruſſi illi, qvos Ordo Teutonicus ſibi ſubjecit, carnes crudas vorarint, nusqvam teſtantur antiqviores rerum Pruſſicarum Scriptores. Cæteroqvi non negamus illos vili victu fuiſſe contentos. Sed de his vid. Diſſertatio noſtra XV. qvæ eſt de re Oeconomica Veterum Pruſſorum.

CAP. VI.

De

Miraculo Quodam.

FUit qvidam Pruthenus in terra Sambiæ, in territorio Schoken dictus Dorge, qvi eqvos albos deteſtabatur, à qvo errore dum Fr. Theodoricus Advocatus Sambiæ ipſum vellet cohercere, emit ei Eqvum album, qvi dum eo invito ſtetiſſet in ſtabulo ſuo per unam noctem, mane facto invenit dictum (*a*) Eqvum jugulatum & omnia pecora ſua mortua, qvod fuit in tribus vicibus attemptatum, & toties eundem exitum habebat. Qvar-

ta vice idem advocatus qvartum album Eqvum emit ei, asserens, qvod hoc vellet iterare tot vicibus, qvousqve ab errore hujusmodi revocaretur. Sic tandem cum eqvus qvartus à Diabolo non suffocaretur, sicut alii tres priores, idem Dorge credidit, & errorem suum humiliter est confessus, factusqve est magnus fidei Zelator, & fidelium & fervens in devotione Dei & Sanctorum multorum corda errantium neophytorum in fide confortavit.

ANIMADVERSIO.

(a) Horribilius adhuc sæviit juratus humani generis hostis Cacodæmon adversus Lithvanum qvendam, qvi, sicut & Prussi veteres, cultui serpentum fuerat deditus, postea verò monitu alicujus amici cultum eundem deseruerat. Audiamus hac de re Sigism. L. B. ab Herberstein : *Cum*, inqvit, *priori ex Moscovia itinere rediens in Troki venissem, referebat Hospes meus, ad qvem diverteram, se eodem, qvo ibi eram Anno ab ejusmodi qvodam serpentis cultore aliqvot alvearia apum emisse, qvem cum oratione suâ ad verum Christi cultum adduxisset, utqve serpentem, qvem colebat occideret, persvasisset; aliqvanto post, cum ad visendas apes suas eo reversus fuisset, hominem facie deformatum, ore aurium tenus miserabilem in modum deducto offendit. Tanti mali causam interrogatus, respondit, se qvod serpenti Deo suo manus nefarias injecisset, ad piaculum expiandum luendamqve pœnam hac calamitate puniri: multaqve graviora, si ad priores ritus suos non rediret, sepati oportere.* Hæc Herberstein *in Comment. Rer. Moscovit. fol. 84.* Sed & hodiè, qvod mireris, non tantum in Lithvania & Samogitia, sed & in Prussia id genus homines invenias, qvi serpentes domi inventas non occidunt, sed fovent, extrema, si ipsis aliqvid adversi accidat, metuentes. Imò relatum mihi est non rarò, permitti qvandoqve à Deo, ut, si ejusmodi serpentes occidantur, greges & armenta Patrifamilias miserè moriantur.

CAPUT

CAP. VII.

De

Destructione duorum Castrorum & morte Pipini.

REferunt qvidam, qvod dum Fratres habitabant in dicta arbore, Prutheni habebant supra Thorum in littore Wiselæ Castrum dictum Rogovv,& infra in descensu aliud circa locum illum,ubi nunc situm est (*a*) Castrum antiqvum, fuit & in medio horum qvidam Nobilis de Pomesania Pipinus, qvi circa stagnum,qvod à nomine suo dicitur Stagnum Pipini, habitabat in qvodam (*b*) propugnaculo, cum multis infidelibus, latrocinia exercens: nullus Christianus poterat exire castrum, ne caperetur,*vel* occideretur ab eo. Illi supra,isti infra,hic in medio eos impugnabat. Tandem Fratres cum castrensibus de Rogovv in bello convenerunt, & sicut Deo placuit plures ex eis occiderunt, & Capitaneum captum deduxerunt, qvi Capitaneus ut mortem evaderet, obtulit eis castrum suum, & in processu temporis,dum castrenses de alio castro inebriati in qvadam potatione jacerent, duxit illuc fratres cum exercitu, qvi potenter intrantes, occisis omnibus castrum in cinerem redegerunt. Longè postea Pipinum Sororium suum tradidit in manus Fratrum, qvi eum ligatum ad Caudam eqvi traxerunt usqve Thorun, & ad arborem suspenderunt. Hic Pipinus fuit Pater illius Nobilis viri de Pomesania,qvi dicebatur (*c*) Macce, & qvantum Pater fidei & fidelibus nocuit perseqvendo, tantum filius profuit Zelando fidem Christi & Christi fideles, qvia stetit intrepidus usq; ad mortem suam,pro defensione fidei Christianæ.

ANI-

Hermannus de Saltza IV. Mag. Generalis Ordinis Teut.
Hermannus de Balke I. Magister Provincialis in Prussia.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. VII.

(a) Castrum antiqvum Germanis dicitur Althauß. Polonis Starigrad.

(b) Propugnaculum illud Schlemmo appellant multi, qvidam etiam Stemmo, putantqve hodiè dici Gardensee, alii Colmensee, qvam posteriorem sententiam probabiliorem sibi videri dicit Henneberg, *in Comment. ad Tab. Prussiæ fol. 422.*

(c) Matte habet Jeroschinus. Sed nihil novi est Dusburgium aliosqve ejus ævi Scriptores literas c & t confundere, nisi forte malimus librariis hoc tribuere.

Caput VIII.

De *Peregrinis & Ædificatione Castri & Civitatis Colmensis.*

Cum ergò sonus prædicationis crucis Christi exiret in omnem terram regni Almanniæ, & præconizaretur novum bellum, qvod elegit Dominus in terra Pruschiæ, & novi belli indulgentia & libertas, commoti sunt illi, qvorum Deus tetigerat corda, electi scilicet & inclyti bellatores Almanniæ, & affigentes crucem humeris suis, præparant se ad arma, ut vindicent injuriam Domini crucifixi, removentes à se qvicqvid eorum sanctum propositum poterat retardare. Attendentes ad illud Hieronymi salutiferum verbum exhortationis ubi dicit: Si Pater tuus in limine steterit, & frater tuus in collo tuo se suspenderit, & mater tua ubera, qvæ te lactaverunt ostendent. (b) *Anno Domini MCCXXXII. in Toleto Hispaniæ inventus est qvidam liber à Judæo in medio lapidis integri in concavitate, qui qvasi lignea folia habuit scriptus Hebraicè, Græcè, & Latine. Tantum habuit de litera qvantum psalterium, & loqvebatur de triplici mundo ab Adam usq; ad Antichristum proprietates hominum exprimendo. De tertio Mundo sic loqvebatur: In tertio Mundo Filius Dei nascetur de Virgine Maria & pro salute hominum pa-*

patietur. Judæus hoc legens cum tota sua familia baptizatus est. Erat autem ibi scriptum quod tempore Ferrandi deberet inveniri.

ostenderit, per calcatum perge Patrem, per calcatam perge matrem, & ad vexillum crucis evola. Cum his peregrinis cum venirent Thorun, Fr. Hermannus Magister ædificavit castrum & civitatem (a) Colmensem An. Dom. M.CCXXXII. in eum locum ubi nunc situm est castrum Antiqvum.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. VIII.

(a) Alii dicunt arcem tantum An. 1232. conditam esse eo in loco; urbem verò An. 1239. Sed fides potius habenda est Dusburgio nostro, non tantùm eo, qvod est antiqvior cæteris; Sed etiam qvod Privilegium Culmense An. 1233. concessum est, non castro, sed Civitati Culmensi. Ea etiam tunc constituta est Metropolis totius Prussiæ: cum verò sæpius esset ab hostibus destructa, & An. 1457. ad cruciferos à Polonis defeciset, primatus hic cessit urbi Thorunienſi, qvæ hodieqve prima est Civitatum Prussicarum. *Vid.* Schüz. *lib. 6. Chron. Pruss. fol. 267.*

Insignia huic urbi data sunt 9. montes, qvorum uni crux infixa est. Montes propterea dati sunt, qvia urbs ipsa Culmensis in montibus sita est: crux verò, qvoniam à Cruciferis condita est, qvi in hoc signo se ethnicos subacturos profitebantur. Ut habetur in jure Culmensi Revisо Polonicè edito Posnaniæ An. 1623: in præfat. Videntur autem Culmensi urbi hæc insignia data esse, post translationem (de qva infra cap. 58.) urbis illius, in eos montes, in qvibus nunc sita est. Vid. qvæ notavimus ad cap. 58.

(b) Idem refert & Albertus Cranzius *in Metropoli lib 8. cap. 34. pag. 218.*

CAP. IX.

De
Bello Fratrum contra Pomesanos & & de ædificatione castri Insula S. Mariæ.

Hermannus de Saltza IV. Ordinis Teutonici Magister General.
Hermannus de Balke I. Ord. Teut. Mag. Provincial. in Prussia.

Anno 1233. POstqvam hæc castra per Dei gratiam essent ædificata & Vetus fermentum malitiæ & neqvitiæ infidelium esset à terræ Colmensis finibus ex purgatum, ut prosperum iter faceret nobis Deus salutarium nostrorum ad terras gentium vicinarum, ut aliqvi æstimant pro certo, Magister & fratres, præparatis eis qvæ ad ædificationem castrorum necessaria sunt secretè venerunt navigio ad Insulam de (*a*) Qvidino qvæ ex opposito nunc Insulæ S. Mariæ, & ibi Anno Domini MCCXXXIII. erexerunt in qvodam tumulo castrum, vocantes illud Insulam S. Mariæ. Sed dum vir ille nobilis & miles strenuus in armis de Saxonia (*b*) Burggrabius de Megdenburg, dictus cum parvâ manu, multâ stipatus militiâ & armigeris venirent ad castrum Colmen, infra annum qvo ibidem mansit, ivit cum Magistro & fratribus, & castrum Insulæ S. Mariæ prædictum transtulit de Insula Qvidini ad locum, ubi nunc est situm, in territorio Pomesaniæ dicto Risen mutantes locum & non nomen.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Indè in hanc usqve diem urbs illa à Polonis vocatur Qvidzin; Sed & antiqvitus sine dubio sub Ordine Teutonico idem nomen vulgò obtinuit. Privilegium namqve Culmense Anno 1233. d. 5. Kal. Januar. datum subscripsit inter alios Ludovicus in Qvidzin Provisor. Ex qva subscriptione & hoc patet, Castrum Qvidinense jam fuisse conditum ante datum illud Privilegium Culmense, & forsan jam Anno 1232. secus atqve Dusburgensis opinatur.

(*b*) Subscribit idem Privilegium Culmense Anno 1233. datum. Ubi qvoqve nomen ipsius reperitur, nimirum Burchardus Burgrabius Megdebergensis. Elicitur ex illa subscriptione, ut & capite hoc Dusburgensis, translationem Castri Qvidzinensis contigisse paulò post datum Privilegium Culmense, si vera sunt qvæ Dusburgensis noster de Burchardo narrat, qvod videlicet tantum annum in Prussia commoratus sit.

CAP.

CAP. X.

De
Ædificatione Civitatis S. Mariæ.

BUrgrabio de Megdeburg adhuc existente in Colmine, qvanec dum compleverat desiderium voti sui super venerunt multi Principes, videlicet de Polonia (*a*) Dux Conradus (*b*) Dux Cujaviæ (*c*) Dux Cracoviæ & de Wratislavia Dux Heinricus, qvem Tartari postea occiderunt item (*d*) Odovvis Dux Gnisnensis, & multi alii nobiles Viri & potentes, qvi habitabant à flumine Odore usqve ad fluvium Wissele, & à fluvio Bobare usque ad fluvium Nicze. Item (*e*) Svvantopelcus Dux Pomeraniæ cum fratre suo Samborio. Hi cum multitudine copiosa militiæ & armatorum, qvæ nunqvam tanta visa fuit in Pruschia, intraverunt, & (*f*) Civitatem Insulæ S. Mariæ construentes, castrum prius factum firmaverunt.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Dux Masoviæ qvi Crucigeros in Prussiam evocaverat. Cur autem eum Poloniæ Ducem appellet; diximus *part. 2. cap. 1.*

(*b*) Dux Cujaviæ, Mieszko nomine, Conradi Ducis Masoviæ filius, cui etiam Cossiskonis nomen inditum fuit, tandem à muribus ob Injustitiam & crudelitatem in sibi subditos corrosus. *Vid* Martin. Cromer *lib. VIII. pag. 536.*

(*c*) Henricus Barbatus S. Hedvvigis Maritus, Dux Wratislavienſis, qvi tum Cracovienſem Ducatum Boleslao Pudico Principi Poloniæ ademerat. *Vid.* Cromer. *lib. VIII. f. 535.*

(*d*) Hunc Matthias à Michovia nominat Wladislaum Ottonis Majoris Poloniæ ducem *lib. III. c. XXXV. & seq.*

(*e*) Qvis ille sit Sventopelcus, & ad qvos stirpis seu generis sui originem referat, non convenit inter Scriptores. Vincentius Kadlubko Polonicorum Scriptorum, qvi typis exscripti sunt, vetustissimus, de

ducibus Pomerelliæ sic loqvitur: *Leszkoni Provincias paterno relictas testamento confirmat* (Casimirus Justus) *Præsidi eorundem omnibus prædito virtutibus Principi Sironi ejus Curam committit. Ejusdem Sironis Nepoti Samborio Gdanensi Marchia instituto.* lib. IV. Chron. Pol. *Cap. IV. pag. 458.* Alii qvoqve Polonici Scriptores Sventopelcum I. Nobilem Polonum ex familia Gryphonum, à Principe Poloniæ fuisse Pomeraniæ præpositum scribunt, qvamvis sibi ipsis multis modis contradicunt, ut partim in Dissertat. *de Originibus Pomeranicis* partim alibi fusè probavimus. Sed Schuzius noster, & qvi eum hac in parte seqvitur, Micrœlius, Duces Pomeraniæ Orientalis à Ducibus Pomeraniæ Occidentalis deducunt, probantqve eam Genealogiam ex antiqvis Monumentis Olivensibus. Genealogia ipsa sic habet:

Samborius seu Svvantiborus Mestiboci nepos, obiit An. 1107.

Wartislaus. Ratiborius. Principes Pomeraniæ Occident. à qvibus Duces Pom. qvorum stirps in Boguslao XIV. an. 1637. defiit.

Boguslaus obiit Anno 1150.

Sventopelcus I. qvem Boleslaus Pol. Dux in vincula conjecit obiit in carcere An. 1120.

Subislaus Primus Christianus Olivæ Conditor, obiit A. 1187.

Samborius obiit. 1207.

Mestvvinus obiit 1220.

Subislaus. Svventopelcus II. Magnus. Samborius. Ratiborius. Wartislaus.

Mestvvinus. Wartislaus & forsan plures.

Qvid hic statuendum sit, vix apparet. Vincentius Kadlubko ea citato loco scribit, qvæ suo gesta sunt tempore, qvæqve ipse oculis suis usurpavit, adeò ut ipsi hic fides denegari non posse videatur. E contrario verò Schuzii relatio publicis Monasterii Olivensis nititur monumentis. Qvid si hic dicamus, Sironem, (de qvo Kadlubko) fuisse ex Principum Pomeranorum familia oriundum? Certe innuere hoc videtur Elogium à Kadlubkone ipsi attributum, qvod vix eo tempore Nobili alicui poterat attribui. Illud etiam qvod Kadlubko dicit, Sironis Nepotem Samborium in Marchia Gdanensi fuisse institutum, non de ipsa collatione dicti ducatus, sed de confirmatione tantùm potest capi. Venit etiam in men-

tem

tem cogitare Kadlubkonem hic per Nepotem non intelligere Nepotem ex filio vel filia, sed qvemadmodum etiamnum (licet ex sensu veterum fortassis minus rectè) vocamus Nepotem ex fratre vel sorore i. e. fratris vel sororis filium; Si hæc conjectura aliqvid habet roboris, sic puto conciliari posse sententias dictas: Sironis ex sorore nepos fuit Sambonius sive Svvantiborus; cui cum jam antea Dux esset Pomeraniæ Occidentalis, Casimirus Justus Dux Poloniæ, vel primum contulit Marchiam Gedanensem, vel eum in eadem confirmavit. Ab hoc Samborio deindè descendit Svventopelcus I. ut & Svventopelcus II. cognomento Magnus, de qvo hic Dusburgensis noster agit. Sed hoc ipso nondum omnis difficultas est sublata. Dictum enim est supra ex monumentis Olivensibus An. 1107. obiisse Samborium cum qvo etiam recentiores ferè consentiunt, qvando Boleslaum III. cognomine Crivoustum Ducem Poloniæ (qvi An. 1102. ad regni Polonici gubernacula admotus est) Samborium hunc à suis captum liberasse ferunt. Hoc loco verò dicit Vicentius Kadlubko, Sambonium vixisse tempore Casimiri III. Justi (qvi circa annum 1180. Poloniæ præfuit:) Hic ego, cui universam Polonorum & Pomeranorum Historiam perturbare animus non est, nihil determino. Vid. qvæ in Originibus Pomer. à me dicta sunt.

(f) Qvando Urbs Mariæ insulana sit condita ex hoc ut & superiore capitibus cognosci potest. Primum privilegium ipsi concessit Bertholdus Episcopus Pomeraniæ Anno 1346. in cujus erat ditione. Cum autem hoc Privilegium esset amissum, renovavit & confirmavit illud denuo Jobus Episcopus Pomesanienſis An. 1505. subscripserunt Privilegium illud, præter Episcopum, tres & triginta testes. Magnificum illud templum Cathedrale conditum est post secundam Prussorum Apostasiam, qvæ cœpit An. 1260. Sepultus in eo templo est inter alios etiam Wernerus de Orseln Magister generalis.

CAP. XI.

De

Victoria Christianorum ubi qvinqve millia Pruthenorum sunt occisa.

QVo facto Frater Hermannus Magister & alii Fratres tempore Hyemali cum omnia essent gelu intensissimo indurata assumptis peregrinis prædictis, qvorum desiderium accensum fuit ad reprimendam audaciam Pruthenorum, accesserunt ad territorium (*a*) Reysen & occisis ibi & captis plurimis Hominibus processerunt ad fluvium (*b*) Sirgune, ubi hoc qvod diu optaverant sunt experti. Invenerunt enim Pruthenorum magnum exercitum congregatum in armis & paratum jam ad prœlium, qvos dum viriliter aggrederentur, conversi sunt in fugam. Sed Dux Pomeraniæ & Semborius frater ejus magis experti in bello Pruthenorum, vias circa indagines cum suis armigeris occupaverunt, ne qvis posset evadere, & ex tunc percusserunt peccatores in ira sua. Ibi gladius militiæ Christianæ vibratus carnes infidelium devoravit, hinc lancea non casso perlata est vulnere, qvia Prutheni nec huc nec illuc poterant declinare à facie persequentis, & facta fuit magna strages in populo Pruthenorum, qvia ceciderunt illo die ultra qvinq; millia interfecti. Hoc facto peregrini omnes cum gaudio ad propria sunt reversi, laudantes clementiam Salvatoris.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Resin habet Jeroschinus.

(*b*) Exonerat se in locum Drausen. *Vide*, qvæ de eo diximus infra *ad cap. 135*.

CAP.

CAP. XII.

De,

Ædificatione Castri de Redino & visione mirabili cujusdam Fratris ibidem.

ANno Domini (*a*) MCCXXXIII. Frater Hermannus Balck Magister, Pruthenis jam eliminatis à terra Colmensi, congregato Exercitu Fratrum & armigerorum ædificavit castrum de (*b*) Redino antè solitudinem, qvæ fuit inter terram Pomesaniæ & Colmensem, in illo loco, ubi continuus insultus fuerat Pruthenorum, & introitus ad terram Colmensem. In hoc castro fuit qvidam frater, qvi illusus fraude Diaboli æstimabat veraciter, qvod in Ordine Domus Teutonicæ non posset animam suam salvare, proponens in animo suo, qvod vellet ingredi ordinem strictiorem; qvo facto, vidit in somnis Beatos Bernhardum, Dominicum, Franciscum, Augustinum, cum suis fratribus præcedere, qvos cum lacrymis rogans petivit, ut eum in Confratrem assumerent, at illi singuli denegabant. Postremo venit B. Virgo Maria cum fratribus Domus Teutonicæ pluribus, qvam ipse cœpit humiliter implorare rogans, ut eum saltem in Consortio fratrum suorum permitteret remanere. Cui Virgo beata: Non expedit qvia tibi videtur, qvod ordo tuus sit adeò laxus, qvod nihil sit in eo, in qvo secundum desiderium tuum posses pati, & elevans singula fratrum pallia, ostendit vulnera & plagas qvibus fuerant ab infidelibus interfecti pro defensione fidei, & ait: Num videtur tibi, qvod isti fratres tui sint aliqvid passi pro nomine JEsu Christi & hoc dicto disparuit visio: Et ille Frater evigilans reversus ad se, processit ad (*c*) Capitulum, ubi fratres fuerant congregati & qvod temere de proposito suo illis

Anno 1233.

illis demandavit hoc modo tanqvam sapiens & expertus humiliter revocans tanqvam erroneum, visionem qvam viderat, omnibus publicavit, qvi frater in Dei servitio perseverans non longe postea ab Infidelibus est occisus.

ANIMADVERSIONES.

(a) Jeroschinus & Autor Chronici Ordinis referunt hoc ad An. 1234.
(b) Vid. Henneb. *in Comment. ad Tab. Prussiæ Geogr. p. 394.*
(c) Id est Collegium Fratrum Ordinis Teutonici. Capitulum vox est barbara.

CAP. XIII.

De

Adventu Marchionis Misnensis.

HOc tempore Nobilis & illustris ille DEO devotus Princeps (a) Henricus Marchio Misnensis cum qvingentis Viris Nobilibus & in armis expeditis multoqve divitiarum apparatu venit ad terram Prussiæ. Hujus Viri animus & totus conatus ad destructionem infidelium & ad Christianorum terminos dilatandos fuerat inclinatus.

ANIMADVERSIO.

(a) Hujus Henrici filius Theodoricus itidem expeditionem in Prussiam suscepit An. 1272. *de qua infra cap. 128.*

CAP. XIV.

De

Destructione Plurium Castrorum & subjugatione Pomesanorum.

In

IN terra Pomesaniæ fuit qvoddam territorium dictum Reysen, in qvo Viri famosi & bellatores strenui morabantur, qvos dictus Princeps mittens manum ad aratrum & non respiciens retrò viriliter est aggressus rapinâ & incendio & multâ sangvinis infidelium effusione sæpius devastando castrum ipsorum situm circa fluvium (*a*) Mokeram & omnia propugnacula qvæ habebant in illo loco, qvi dicitur Stumo circa Postelin, circa Risenburg & Rysenkirchen, circa stagnum Drusne & Wildenberg, occisis & captis infidelibus potenter expugnavit & in cinerem redigendo terræ alteri coæqvavit. Sed qvam potenter qvamqve Viriliter præfatus Marchio tanqvam Leo, qvi ad nullius pavet occursum, dictas gentes impugnavit, nemo posset tàm Verbis qvàm calamo, singulariter explicare. Tamqve infestus fuit eis in bello, qvod se fidei & fratribus subdiderunt. Et secundum (*b*) pacta & libertates, qvæ ipsis tunc dabantur, alii Neophyti (*c*) postea regebantur.

Anno Dn. MCCXXXV. Canonizata fuit B. Elisabeth à Gregorio Papa IX. Perusii in conventu fratrum Prædicatorum, ubi idem Pontifex altare in honorem ipsius dedicavit.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. XIV.

(*a*) Mokeram Hennebergerus putat esse partem Ossæ. Est etiam Mokera fluviolus, qvi Thorunii Veterem Civitatem à Nova dividit, à qvo pagus ad dictam urbem situs vocatur die Mocker.

(*b*) Pacta cum Prussis Veteribus Anno 1249. inita aut renovata dabimus sub calcem hujus Chronici.

(*c*) Ævo anteriori ex insciția scribebatur Neophici, ut Goldasti *Rer. Alem. Tom. I. part. I. in Cap. XI. testatur.* Sed hoc ego, ratione literæ t., non tam insciție scriptorum illius ævi, qvàm non satis accuratæ literarum in scribendo distinctioni adscripserim. Illis enim temporibus literæ t. & c. eodem modo scribebantur. Hinc

in nostro etiam Dusburgio variæ illæ lectiones Scumandus, Scumo & Stumo, Nactangi & Nattangi & aliæ plurimæ.

CAP. XV.

De Quibusdam Navibus Bellicis & recessu Marchionis.

SApiens semper sapienter agit & multis periculis præcavet in futurum. Unde idem Dominus Marchio tanqvam Vir providus & prudens mandavit sibi parari duas naves bellicas qvarum minor dicebatur Pilgeram, major Friedland vocabatur, qvod sonat in latino (*a*) peregrinè, pacifica terra. Et verè nomen habebat à re. Fecerunt enim multa bona pacis fidelibus terræ Pruschiæ. Per dictas naves duo castra Elbingus & Balga ædificata fuerunt & (*b*) recens mare purgatum fuit ab insultu infidelium, qvod in eo nullus audebat de cœtero comparere. Hæ naves post multos annos in stagnum (*c*) Drusne sunt submersæ. Completo itaqve peregrinationis suæ voto, idem Princeps relinqvens in Prussia multam militiam pro ædificatione castri de Elbingo ad propria est reversus.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. XV.

(*a*) Regiomontanum Exemplar habet: *peregrinam Pacificam terram.* Elbingense *peregrinè pacifica terra*, sed si antecedentia respiciamus, apparebit, legendum esse: *peregrini & pacifica terra*; sive *peregrinos & pacificam terram*, videlicet altera navium dicebatur *Peregrini* sive Pi'gerin: altera *pacifica terra* sive Friedland.

(*b*) Lacus recens, dictus das frische Haff.

(*c*) Lacus, Drausen dictus, non procul ab urbe Elbinga, Vid. notas in cap. XVI.

CAP.

CAP. XVI.

De *Bello Pogesanorum & Ædificatione Castri de Elbingo.*

Subjugatis per Dei gratiam Pomesanis Magister & fratres contra Pogesanos bellandi acies direxerunt, unde Magister cum fratribus & peregrinis, qvos Dominus Marchio Misnensis reliqverat præcedentibus navibus illis cum his, qvæ ad ædificationem fuerant necessaria, venit ad terram Pogesaniæ, ad Insulam illam, ut qvidam dicunt, qvæ est in medio fluminis Elbingi, in illo loco ubi Elbingus intrat recens mare, & erexit ibi castrum qvod à nomine fluminis (*a*) Elbingum appellavit Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXVII. Aliqvi referunt qvod *idem* castrum, postea ab infidelibus fuerit expugnatum, & tunc ad eum locum ubi nunc situm est (*b*) translatum, & circa ipsum civitas collocata.

ANIMADVERSIONES.

Ad Caput XVI.

(*a*) Simon Grunovius arcem Elbingensem conditam esse dicit Anno 1227. ut test. Henneb. *in Comment. ad Tab. Geogr. Pruss. in Voce* Elbing. Ego tale qvidpiam in Grunovio observasse me non memini, neqve mihi ejus jam datur copia. Si tamen hæc Grunovius habet, errat dubio procul, ut ex toto Historiæ Prussicæ nexu manifestum est. Cum enim Cruciferi Anno 1226. Prussiam intrassent ne in Culmensi qvidem tractu arces multas ad Annum 1227. condere potuerunt. Melius itaqve Dusburgius noster hoc refert ad annum 1237. Et cum hoc faciunt etiam alii plurimi. Ad appellationem Elbingæ qvod attinet, sunt nonnullæ conjecturæ, sed vanæ. Præsertim verò illa, qvam habet Hennebergerus *l. c.* se nobis non probat. Dicit enim Elbing dictum esse qvasi Oehl-

fing/Oelfang vel Elfang i. e. angvillarum captura. Idem verò Hennebergerus *in tabula Geographica Veteris Prussiæ, qvæ tractatui de Veteri Prussia annexa est*, eo in loco collocat ÆLUÆONES Ptolomæi, sive HELUECONES Taciti. Ab his enim Elbingenses esse dictos multi putant. Ut Marcus Sylvius Elbingensis, Ecclesiæ patriæ superiori seculo Diaconus, qvi in Carmine An. 1572. sic scribit:

Est urbs, Prussiacas inter non infima laude
Tramite qvam leni qvi præter labitur amnis
Creditur Elbingæ nomen de gente vetusta
Helveconum traxisse, urbi nomenqve dedisse.

Ex hac ratione qvoqve Nobiliss. Dominus Fridericus Zamelius Consul Elbingensis Gotefridi Pater in Opusculis suis Poëticis, præcipue verò in eorundem Dedicationibus, Elbingam nunc appellat Ælveopolin, nunc augustam Ælveonum, nunc Drusida. In lusu tamen Drusidos hæc ea de re habet:

Nulla fides, nobis Ælvæonas esse parentes,
Est auctor, qvi nos hic putat esse satos.
Elbingæ flumen populo dat nomina nostro,
Drusidos à Druso nomine sumpta lacu.

Fortassis autem propius ad rem faciunt qvæ Vir Clariss. Hermannus Conringius de Gothis habet, qvod scilicet soliti sunt fluminibus plurimis nomen Elff imponere. *Vid.* Conring. *lib. de antiqvissimo statu Helmstadii & viciniæ. pag. 59.* Qvoniam igitur & hic habitarunt Gothi, verisimile est, hoc nomen à Gothis huic amni esse impositum. Fidem huic assertioni facit, qvod fluvius ille propè Elbingam à veteribus Chronographis aliqvando appellatur Elwing/ & Civitas ipsa Elvvinga *Vid. auctor Vitæ S. Barbaræ in Bibliotheca Electorali Regiomontana.* Nam altera illa sententia, qvæ ab Helveconibus, vel Elveconibus flumen hoc (& successu temporis etiam urbem) nomen hoc accepisse vult, mihi non probatur, cum neqve ex Ptolomæo, neqve ex Tacito probari possit, Elveonas hic loci suas habuisse sedes. Ex Tacito enim liqvidò patet, Helveconas fuisse Lygiorum (qvi in hodierna Silesia qvondam

dam habitarunt) populos. *Vid. Lib. de Morib. Germ. cap. 43.* Ptolomei locus de Ælveonibus obscurus est, ut nihil certi ex eo colligi possit. *Vid.* Ptolom. *lib. II. Geogr. c. V. fol. 53. (88.)* Inde Commentatores in sedibus his populis assignandis non conveniunt. Althamerus Ælvæonas Ptolomæi collocat in Insula Bornholm. Alii Helam in Pomerellia nomen Helveonum veterum adhuc servare putant. *Vid.* Mich. Beuther. *in Commentar. ad Taciti libellum de Moribus Germanor.* & alii Taciti *Commentatores.* Conditores hujus Arcis, ut ex Dusburgio apparet, sunt Magister Hermannus à Balke & Peregrini, qvos Marchio Misnensis reliqverat. Qvi autem postea Urbem Elbingensem condiderunt, sine dubio fuere Lubecenses. Probari hoc potest ex Privilegio Elbingensium primo, ab Henrico de Hohenhoë Anno 1246. concesso, in qvo ipsis usus juris Lubecensis conceditur. In Insignibus qvoqve præter duas Cruces, rete ex Lubecensibus additum est, Hac de re sic Fridericus Zamelius in laude Drusidos:

Mœnia Lubecâ primi struxere profecti,
Hileger urbi, qvas habuere, dabant.
Ut possent olim sua signa docere minores
Tot, qvot erant patriæ constituere patres.
Nunc minor est numerus sex & bis qvinqve leguntur
Auctior octonis Curia prisca fuit:
Urbis insigni crux incubat altera reti
Sumpsit id à Patria, qvi faber urbis erat.

Novam Civitatem Elbingensem qvis condiderit, qværi potest. Reinholdus Curike Secret. Dantiscanus *lib. I. Chron. Gedanens. MS. c. VI.* putat novas Civitates Conrado Wallenradio imperante demum esse conditas. Sed nos infra *in Not. ad cap. LXX.* exemplum in contrarium adducimus de nova civitate Regiomontana, qvæ hodie dicitur Lœbenicum. Elbingensis qvoqve Civitas nova sub initium Sec. XIV. fasces videlicet Magisterii tenente Sigefrido de Feuchtwangen/ anno 1300. condita est.

(b) Translationem hanc contigisse Anno 1239. probat Dn. Gotofr. Zamelius qvi nobiscum pleraqve ex his qvæ hactenus de Civitate Elbingensi tradidimus benigne communicavit.

CAP.

CAP. XVII.

De

Quodam Miraculo.

MUlta bella gloriosè gesta sunt contra Pogesanos per fratres de Elbingo, qvæ nullus posset ad plenum scribere vel dictare. Unum tamen ponam factum notabile. Qvadam die fratres de Elbingo cum paucis armigeris, secuti fuerant magnum Exercitum Pruthenorum, qvi prædam receperat in districtum ipsorum, & dum jam convenire debebant ad prælium, Prutheni effugerunt omnes, præter unum, qvem captum abduxerunt, qvi cum videret tam paucos debellatores in exercitu fratrum qvæsivit, ubi plures essent? Responsum fuit ei, qvod non fuissent plures, at ille: Certe nos vidimus totum campum plenum viris armatis in vestitu omnino similes fratribus & in armis, & propter hoc exercitus noster in fugam fuit conversus. Hoc idem Pogesani, qvi in hoc exercitu fuerunt, post conversionem suam ad fidem Christi publicè sunt confessi. Pogesani ergò qvantumcunqve graves fuerunt fratribus in bello, videntes hoc miraculum, non valentes etiam impugnationem Fratrum continuam sustinere, datis obsidibus duram cervicem suam, & colla indomita fidei & fratribus submiserunt.

CAP. XVIII.

De

Bello Fratrum contra Warmienses, Barthos & Natangos & morte plurimum Fratrum & Christianorum.

Nul-

Hermannus de Saltza IV. Mag. Generalis. Ord. Teut.
Hermannus de Balke I. Mag. Prussiæ Provincialis.

NUllus posset perfectè perorare, qvot in commodis, qvot periculis & qvot angustiis se Magister & Fratres continuè exponebant, ut per eos fides Christi debitum posset sumere incrementum & Christianorum termini dilatari. Undè accidit, qvod postqvam DEO auctore, sine qvo nihil boni agitur, Pomesani & Pogesani se fidei & Fratribus subdidissent, idem Magister & fratres contra Warmienses, Nattangos & Bartenses arma paraverunt. De Mandato ergò Magistri qvidam fratres & armigeri cum navibus prædictis transiverunt mare recens, ad videndum ubi possent contra dictos Pruthenos castrum instaurare; qvi cum venerunt ad littus terræ (*a*) Warmiensis, exierant, & circa illum locum ubi nunc situm est castrum Balga viderunt castrum qvoddam Pruthenorum, qvod tam propter paucitatem suorum impugnare non audebant, sed ut vacua manu non redirent, invaserunt villas circumjacentes vastantes incendio & rapinâ, qvod videntes Prutheni irruerunt in eos, & omnes fratres & armigeres occiderunt præter eos, qvi ad custodiam navium fuerunt deputati, qvi videntes interitum suorum velociter recesserunt, Magistro qvæ gesta fuerant, nunciantes.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. XVIII.

(*a*) Ex hoc loco cognoscimus, non eosdem hodiè fines esse terræ Warmiensis qvi olim fuerunt, cum olim Balga pertinuerit ad Varmiam. Contra verò hodie qvædam urbes ad Warmiam accessemnt, qvæ olim ad alias terras pertinebant, ut Resella sita olim erat in terra Bartensi, ut disertis Verbis habet Dusburgius noster *infra cap. XXVII.* Hodiè autem Varmiæ accensentur. Sic etiam ad Galindiam olim pertinebat Wartemberga aliaqve loca qvæ hodiè in Varmia sita sunt; *Vid.* Henneberg. *ad Tab. Geogr. pag. 127. & pag. 136.* Adde qvæ infra ad Cap. XXVII. dicemus.

(*b*)

(*b*) Balgam arcem jam temporibus Boleslai I. Regis Poloniæ fuisse conditam, & à dicto Boleslao destructam, tradit Joannes Dlugossus *l. 2. Annal. Polon. ad an. 1015. pag. 153.* Sed intelligenda est alia arx eo in loco sita, ubi postea Balga ab Ord. Teutonici fratribus est condita. Balgam enim Chronicon cujusdam Anonymi à Germanis ita dictam esse vult, dieweil es dafür manchen Balg gekostet. Qvidam existimant Belgam vetustioribus temporibus dictam fuisse Honnedam. Henneb. *in Comment. ad Tab. Geogr. Prussiæ, tit. Balga.* Sed Schuzius Honnedam ibi ponit, ubi nunc oppidum Holland *lib. 1. Chron. fol. 20. a.*

CAP. XIX.

De

Castro (*a*) *Balga.*

Anno 1239. Audità hac lugubri relatione Magister ultra id qvod credi potest fuerat perturbatus, sed proposito sibi Exemplo David, qvi principem militiæ suæ Joab nimis dolentem de morte suorum qvasi increpans ait: Non te moveat Res ista, varius est eventus belli, nunc istum, nunc illum occidit gladius. Conforta bellatores tuos, & exhortare eos, ut destruant Regni invasores. Tandem consolatus misit exercitum magnum, navigio ad vindicandam injuriam occisorum qvi venientes ad littus Balgæ exierunt & positis sagittariis ad loca competentia, Scalisqve applicatis ad mœnia dictum castrum Pruthenorum viriliter sunt aggressi, & cooperante (*b*) ipsorum Codruno Capitaneo

An. Domini M. CCXXXIX. corona spineæ Domini per Ludovicum Regem Franciæ de Constantinopoli Parisios est translata.

2. Sam. 11. 25.

Eodem anno gens Tartarorum Orientis plagæ Ungariam & Poloniam intrâverunt ibique in bello Colmannum fratrem Regis Hungariæ & Henricum Ducem Poloniæ & reliqvum Vulgus qvod invenire poterant occiderunt & terras illas redegerunt in solitudinem ita ut multi pulvere cujusdam montis pro farina uterentur.

neo obsessorum violenter expugnaverunt partim hominibus captis, aliis trucidatis; qvo facto, Fratres DEO gratias referentes dictum castrum An. Dn. MCCXXXIX. cum suis armigeris inhabitabant, & ibi contra dictos Pruthenos prælia Domini Dei exercituum glorioſius præliabantur.

ANIMADVERSIONES.

(a) Vid. Animadversiones in Caput proximè præcedens.
(b) Podavv nominatur à Thoma Waisselio *pag. 51.*

CAP. XX.

De

Obsidione Castri de Balga.

Hoc eo'em anno tertia ille Junii in meridie fuit Eclipsis solis maxima, ut etiam stellæ possent videri sic ut in crepusculo.

QUod cum ad aures Pruthenorum deveniret, Pyopso qvidam Pruthenus Capitaneus Warmiensium, congregata omni potentia exercitus sui, dictum Castrum Balgam obsedit, & qvia caput fuit aliorum, ipse ut Dux belli præ aliis in prælio se voluit ostentare & appropinqvans cujusdam fratris telo percussus in terram decidens exspiravit, de qvo facto alii perterriti infecto negotio recesserunt.

CAPUT XXI.

De

Ædificatione Molendini & destructione ipsius.

HOc tempore plures nobiles & potentes Viri de Warmia videntes DEUM pro fratribus pugnare compuncti sunt, &

cum omni Domo & familia sua se ad fratres de Balga transtulerunt, de qvorum adventu fratres confortati, ædificaverunt molendinum extra Pontem Paludis juxta stratam nunc publicam super qvodam flumine, & firmantes illud ad modum castri, reliqverunt ibi duos fratres & multos armigeros pro custodia ipsius. Qvod castrum Prutheni postea cum valido exercitu obsidentes expugnaverunt & occisis fratribus & armigeris in cinerem redegerunt.

An. Domini MCCXL. Cœlestinus Papa IV. & Fridericus II. Imperator regnaverunt.

CAP. XXII.

De

Religiosa Vita Fratrum de Balga.

QValis vitæ Puritas qvantaqve virtus abstinentiæ & qvantus rigor regularis fuerit disciplinæ inter fratres de Balga & de aliis castris prædictis, nemo novit, nisi ille, cui omne Cor patet & qvem nullum latet secretum. Oratoria nunqvam vel rarò fuerunt sine Oratore, nec erat angulus in dictis castris, in qvo post Completorium & preces matutinas non lateret frater aliqvis qvi *(a)* virgis affligeret corpus suum. Ad castrum *(b)* Engelsberg venerant qvidam religiosi Viri, qvi dum viderent statum & conversationem fratrum ibidem, qvæsiverunt qvod esset nomen castri, qvibus dum diceretur Engelsberg i. e. qvod mons angelorum vocaretur. Responderunt verè nomen habet à re, qvia habitatores in eo Angelicam ducunt vitam.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. XXII.

(*a*) Flagellationem ejusmodi priscis Ethnicis non fuisse incognitam, docemur Exemplo Sacrificulorum Baaliticorum in veteri Fœdere (*1. Reg.*

(*1. Reg. 18. 28.*) Sacerdotum Cybeles, aliorumqve. Apud Lacedæmonios Festus erat dies, cui nomen διαμαστιγωσις, de qvo Plutarch. *lib. de Antiq. Lacedæm. instit. p. 239.* Pausanias *in Laconicis.* Tertullianus *in lib. ad Martyres,* & *in Apologetico cap. 46.* Ab his mos semetipsum flagellandi fluxit, qvi tamen in Ecclesia primorũ temporum sanctis erat incognitus. Etenim Jac. Gretserus exemplis sanctorum hunc morem comprobaturus, non nisi S. Dominicum (qvi Circa An. 1210. vixit) ex antiqvitate, producit *lib. 1. de Disciplina Cap. 8.* Allegat etiam Testimonium Petri Domiani (qvi circa annum 1080. floruit) *lib. 2. de Discipl. cap. 7.* Concedit etiam Gretserus *lib. 1. cap. 10.* in Græca Ecclesia flagellationum ejusmodi ferè nulla reperiri apud antiqvos scriptores vestigia. Qvidam putant primos hujus moris auctores fuisse hæreticos, flagellantes dictos, qvos exortos esse dicunt An. 1260. ut habet Siffridus Presbyter *lib. 2. Epit.* Monachus Padvanus *ad an. 1260.* Prateolus hoc ibidem refert ad Gregorii X. Papæ & Rudolphi Cæsaris tempora; Sed ex Dusburgio nostro supra audivimus, tempore Innocentii III. jam Flagellantes esse exortos (circa annum 1210.)

(*b*) Engelsburg castrum fuit in Culmensi Provincia jam prorsus destructum.

CAP. XXIII.

De
Ædificatione Castri Partegal & propugnaculi Strandonis.

IN terra Warmiensi fuerunt qvidam Viri præpotentes dicti (*a*) Gobatini valdè infesti fratribus, qvi congregata multitudine, pugnatorum unum Castrum dictum Partegal, in campo sic nominato, & aliud propugnaculum in monte Strandonis ædificaverunt, munientes ea diversis armigeris. Hi qvotidiè fratres de Balga impugnaverunt, sic qvod extra Castrum non audebat aliqvis de cætero comparere.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Elbingense Exemplar habet Gobotini. Glottinas alii nominant. *Vid.* Weissel. *in Chron. fol. 51. b.*

CAP. XXIV.

De

Ædificatione Castri Schinkenberg.

CAmpum illum in qvo Castrum de Belga situm est ambiunt paludes, sic qvod tempore æstivali nullus potest transire, nisi per pontem, ante qvem Pontem in qvodam tumulo ædificaverunt fratres castrum dictum (*a*) Schinkenberg, locantes in eo plures fratres & qvendam Virum Nobilem Hertvvigum patrem (*b*) Hertvvigi de Pokarvvis & multos alios viros bellicosos qvi ingressum infidelibus prohibebant.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Hennebergerus in Commentario ad Tab. Geogr. Pruss. legit Schneckenberg dicitqve montem illum etiamnum appellari eodem nomine.

(*b*) Hartmann von Pokarwin habet Henneberg. *loc. cit.*

CAPUT XXV.

De

Adventu Ducis Brunschwich.

HOc tempore sicut aqva frigida sitienti & bonus nuncius de terra longinqva: Ita nobis ille DEO devotus illustris (*a*) Princeps & Dux de Brunschvvig, qvi etiam de Luneburg dicebatur, venit cum multitudine copiosa peregrinorum, ad terram Pru-

Pruschiæ in subsidium fratribus in gravi necessitatis articulo constitutis.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Ottonem eum appellat Jeroschinus.

CAP. XXVI.

De Strage Infidelium & Destructione castri Partigal & propugnaculi.

DE Castris Pruthenorum prædictis qvotidiè tot armati processerunt ad bellum, qvod præclusa fuit fratribus via adeundi hostes, & sublata omnis materia impugnandi eos. Super qvo fratres perturbati convenerunt sæpius, qværentes in tractatibus suis remedium opportunum. Tandem ipse Christus, qvi devotos suos in tribulationibus constitutos non desinit consolari, provocavit gratia sui Spiritus qvendam dictum Pommadam Virum Nobilem qvi inter Pruthenos qvondam magnæ fuerat reputationis, noviter autem conversus ad fidem Christi, & ad fratres, ut sibi negotium fidei & fidelium assumeret in hunc modum. Idem Pommada de castro Balga rediit ad suos (*a*) compaterotas Pruthenos, simulans se hostem fidei & fidelium, qvo viso gavisi sunt Prutheni gaudio magno, qvia sperabant omnem Virtutem fratrum per hujus Viri industriam enervare. De consilio itaqve hujus Pommadæ, omnes potiores Warmiæ, Nattangiæ & Brarthæ, & alii ad bellum apti, convenerunt, castraqve metati sunt in obsidione Balgæ, sed fratres qvi hujusmodi factum & Ordinatum diu ante præsciverant, jam cum dicti Principis de Brunschvvig & aliorum Peregrinorum comitiva congregati in armis exierunt ad eos in prælium, & occiderunt ipsos

usqve ad internecionem, Ita qvod unus ex eis non remansit, qvi eventum talem posteris nunciaret. Hoc facto processerunt idem Dux & fratres cum exercitu suo ad Castrum Partegal & ad propugnaculum, & expugnaverant ea captis & occisis Omnibus utrumqve in cinerem redigentes. Multa alia idem Princeps bella gessit per spacium unius anni qvo stetit in dicto castro de Balga & toties vexabat Pruthenos, qvod non poterant respirare. Completoqve anno & Voto peregrinationis suæ cum gaudio ad propria est reversus &c.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Fortasse legendum Compatriotas. Licet enim & hoc verbum sit barbarum, usitatum tamen est aliis eorum seculorum Scriptoribus. Vid. Petrum de Vineis *lib. III. cap. XLI.* Gvilhelmus Malmesburiens. *lib. 1. de gestis Anglorum.* Conf. Vost. *lib. 3. de Vit. Serm. Latin. cap. 6. pag. 411.* Vox autem Compaterota cùm sit planè inepta, neqve apud alios Scriptores usqvam occurrat, per incuriam librarii videtur irrepsisse.

CAP. XXVII.

De

Subjectione Warmiensium Nattangorum & Barthorum, & ædificatione plurium castrorum.

PRutheni ergo de Warmia, Nattangia & Bartha Dei ordinatione, per fratres & dictum Ducem debellati cum non possent amplius resistere, fecerunt de necessitate Virtutem & datis obsidibus, se fidei & fratrum imperio subdiderunt, ut ergo fratres futura pericula præcaverent & recidivandi materiam tollerent

rent à Pruthenis in terra Nattingiæ circa fluvium dictum (*a*) Cauſtere Cruceberg in terra Barthenſi tria caſtra (*b*) Barthenſtein, Wiſenburg & (*c*) Reſel. Qvidam dicunt qvod in terra Warmiæ (*d*) Brunsberg & (*e*) Helsberg & in terra Galindiæ (*f*) civitatem qvandam ſucceſſivis temporibus conſtruxerunt, pro defenſione ipſorum plures fratres in eis & armigeros collocantes. Plura alia Caſtra ædificaverant Nobiles & Fœodatarii, qvi de partibus Almaniæ cum omni domo & familia & cognatione venerunt in ſubſidium dictæ terræ, qvorum DEUS nomina ſolus novit. Ex tunc cœpit turba fidelium in terra Pruſchiæ dilatari, cultus divinus augeri ad laudem & gloriam JESU CHRISTI.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. XXVII.

(*a*) Cauxtere habet Jeroſchinus.

(*b*) Bartenſteinium Epiſcopo Warmienſi (ut & Raſtenburgum & Schiffenbeilium) fuiſſe ſubjectum, Tradit Thomas Treterus, vel potius Joannes Crezmerus, cujus libellum de Vitis Epiſcoporum Varmienſium ille in lingvam latinam convertit. Hic enim de Joanne II. Streiffenrock dicto agens; *Ad fines regundos*, inqvit, *Epiſcopus devenit, cum fratre Siffrido de Hazenbach commendatore Balgenſi. Qvamvis autem Dominus Epiſcopus productis centum fide dignis & in ætate ſenili conſtitutis teſtibus veros limites qvibus bona Epiſcopatus à bonis Cruciferorum Anteceſſoris ſui Eberhardi tempore diſtingvebatur apertiſſimè & evidentiſſimis Documentis demonſtraret; Nihil tamen hoc eum juvit, ſed Epiſcopatui Bartenſteinium cum ſexcentis manſis & Raſſenburg prætextu limitum Schiffenbeilium cum viginti octo pagis, magnis lacubus circiter octingentis manſis & Bartenſteinium cum attinentiis per ſummam injuriam ademtum & Ordini adjunctum fuit.* Hæc ille. Qvæ ſi vera ſunt, evidenter nos docent, ditionem Epiſcopi Varmienſis ſeſe extendiſſe etiam extra terram hodiernam Varmienſem, Qvemadmodum & Paſſenheimium in Galindia ſitum in ditione Epiſcoporum Varmienſium

ensium fuisse, testis est Treterus *in vita Hermanni Episcopi Varmiensis sexti.* Sed mihi hæc videntur tantum pertinuisse ad Diœcesin Episcopatus illius, etiam si urbes ipsæ cum pagis annexis sub Imperio essent Ordinis Teutonici. Hoc etiam apparet ex Privilegio fundationis hujus Episcopatus *Conf.* Th. Treterus *in Vita Fabiani de Lusinianis.*

(*b*) De castro Bartenstein hæc intelligenda sunt. Nam ipsa urbs condita est à Ludero de Brunsvvig Magistro, ut privilegium fundationis Anno 1332. Bartensteinensibus datum testatur.

(*c*) Reselia jam pertinet ad terram Varmiensem, qvæ olim pertinebat ad terram Bartensem.

(*d*) De Brunsbergæ primis initiis non una reperitur sententia. Thomas Treterus Canonicus Frauenburgensis *in Vita Anshelmi Primi Varmiensis Episcopi* Brunsbergensem civitatem arcemqve à Brunone Episcopo Olomucensi, qvi An. 1255. cum Ottocaro Rege Bohemiæ Prussiam intraverat, esse conditam refert. Hennebergerus autem *in Comment. ad Tab. Geogr. Pruss. pag. 36.* dicit arcem tantùm Brunsbergensem An. 1255. fuisse excitatam, & qvidem non ab ipso Brunone, sed ab aliis in honorem Brunonis, qvi cum Ottocaro in Prussiam venerat. Pro hac sententia militat etiam ipsa appellatio urbis hujus. Ut enim illud castrum, qvod in honorem Regis Bohemiæ post ipsius discessum vocatum est Regiomontum (Königsberg) ita etiam arx illa qvæ in honorem Brunonis erecta, dicta est Brunonis mons sive Brunsberga. Sed sine dubio erroneæ sunt hæ sententiæ. Dusburgensis enim noster Brunsbergæ facit mentionem antè rebellionem Prussorum Primam, qvæ circa An. 1240. contigit. Videtur qvidem hoc ipsum tantùm ex aliorum sententiâ referre, confirmat tamen eam ipsam sententiam & Privilegium Primum Prussis Veteribus à Jacobo Legato Pontificis Romani An. 1249. datum, in qvo expressa jam fit Brunsbergæ mentio. Et licet eorum sententiam amplecteremur, qvi Privilegium hoc An. 1252. datum fuisse referunt, nihil tamen nostræ decederet opinioni, cum jam dictum sit, Brunonem Episcopum Olomucensem demum An. 1255. in Prussiam venisse. Rectius igitur fortasse dice-

dicemus, Brunsbergam statim in primo Cruciferorum in Warmiam ingressu aut ab Ordinis Teutonici Fratribus, ut hîc Dusburgensis ex aliorum sententiâ scribit, aut etiam ab Anshelmo Primo Warmiensi Episcopo, qvi An. 1243. in Prussiam venisse dicitur, esse conditam, sicut Dusburgensis asserit infra cap. 135. Et qvidem factum hoc esse verisimile est in honorem Brunonis Episcopi, qvi Sec. X. à Christo nato ad Prussos missus est convertendos, *de qvo Vide Dissertationem nostram de Originibus Religionis Christianæ in Prussia num. IV.* Erat Brunsberga qvondam Sedes Episcoporũ Varmiensium, qvi etiam propterea vocabantur Episcopi Brunsbergenses. Habuit etiam Ecclesiam Cathedralem sub nomine S. Andreæ Apostoli. Sed postea cum Frauenburgum à B. Virgine, vel etiam à fundatrice Sophia (Soupna) viduâ illustri apud Soneburgum & antiqva Prutenorum nobilitate oriundâ, ita dictum, esset conditum, Ecclesia Cathedralis eo est translata, ubi etiamnum reperitur. Vid. Th. Treterus *in Vita Henrici Episcopi Varmiensis secundi.*

(*e*) Heilsbergam Th. Treterus conditam esse dicit ab Eberhardo Episcopo Varmiensi III. Alii propius ad sententiam Dusburgii accedunt, qvi dicunt conditam esse Anno 1240. *Vid.* Henneb. *in Comment. ad tab. Geogr. Pruss. pag. 149.* Muris Heilsbergam cingere cœpit Johannes I. Episcopus Varmiensis Henneberg. *loc. cit.*

(*f*) Hennebergerus putat esse Neidenburgum Civitatem Galindiæ. *Vid. l. c. pag. 136.*

CAP. XXVIII.

Qvomodo Terra Livoniæ Devenit ad fratres domus Teutonicæ.

HOc tempore Frater Volqvinus Magister Secundus de ordine militum Christi in Livonia jam sex annis per solempnes nuncios laboravit circa Fratrem Hermannum de Salza Magistrum generalem Domus Teutonicæ ut Ordo suus Ordini ipsius

in corporaretur. Pro qvo negotio Frater Hermannus Magister prædictus cum fratre Joanne de Megdeburg nuncio dicti fratris Volqvini accessit ad Dominum Papam. Medio tempore supervenit frater Gerlacus Rufus de Livonia nuncians qvod Magister Volqvinus cum fratribus peregrinis & populo Dei plures cecidissent in prælio interfecti. Qvo audito Dominus Papa dictum negotium terminavit & fratrem Gerlacum & fratrem Johannem prædictos ad Ordinem Hospitalis S. Mariæ domus Teutonicorum investivit, dans eis album pallium cum nigra cruce, injungens eis & aliis fratribus ejusdem Ordinis militum Christi in Livonia existentibus in remissionem omnium peccatorum, ut Ordinis domus Teutonicæ susciperent habitum regularem. Hoc facto fr. Hermannus Magister generalis misit fratrem Hermannum dictum Balke Magistrum terræ Pruschiæ cum XL. fratribus & pluribus armigeris ad terram Livoniæ, ubi, ut dictum est superius, cum dictus Fr. Hermannus Balke præfuisset ferè sex annis rediens in Almaniam in pace qvievit.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. XXVIII.

(*a*) Mercatores qvidam sive vi tempestatum, sive de industria mercaturæ exercendæ gratiâ in Livoniam, Dunâ amne, invecti sunt, Anno 1158. Friderico I. Imperante, obtinueruntqve ibidem ab Ethnicis Livonibus facultatem, merces suas exponendi; condiderunt etiam statim castrum qvoddam, Uxul dictum, qvô se ab injuriis Barbarorum defendere possent. Fuisse hos mercatores Lubecenses asserit Henricus Bangertus *in Notis ad lib. VII. Arnoldi Lubecensis cap. VIII.* Alii addunt & Bremenses; sed forsan per errorem. Non enim est verisimile Bremenses jam tum mare Balticum navigasse. Error forsan ex eo fluxit, qvod primi Episcopi Livonici ab Archiepiscopo Bremensi sunt consecrati. Th. Waissetius dicit fuisse Lubecenses, Bremensesqve & Hamburgenses. *in Chron. Pruss. fol. 53. b.*

53. b. Posthæc Meinhardus Segebergensis Canonicus populi Livonici ad Christum convertendi studio eò delatus, semen divini verbi disseminavit aliqvot annis, uberemqve messem messuit, rem Christianam Livono qvodam, Cebbe dicto, egregiè promovente. Ut verò majori cum auctoritate cœptum opus perficeret, Bremam contendit, ibiqve ab Hartvvico Bremensi Archiepiscopo in Episcopum Livoniæ consecratus est. Ut Arnoldus Lubecensis *l. c.* refert. Sed Chronicon Ordinis, ut & Waisselius fol. 55. ab Innocentio II. Pontif. Rom. Meinhardum consecratum esse referunt An. 1170. Meinhardus in Livoniam regressus, sedem Episcopalem illo in loco, ubi Rigensis urbs postmodum condita est, fixit. Tenuit Episcopatum annos 24. obiitqve An. 1193. Chron. Ord. *fol. 40.* Successit Meinhardo Bertholdus Abbas in Lucca Ord. Cisterc. consecratus Anno 1196. ab eodem Hartvvico Bremens. Archiep. Vid. Arnoldus Lubecens. *l. 7. c. 9.* Bangertus *l. c.* Ad Bertholdi instantiam qvam plurimi sacram militiam professi, qvoniam expeditiones Hierosolymitanæ tunc cessare videbantur, in Livoniam pervenerunt, qvos cum Præsul ille contra Ethnicos, Rigensis urbis incrementa impedire volentes, eduxisset, ipse in prœlio cæsus est. Cebbe qvoqve paulò ante ad urbem Kokenhusam ex vulnere à barbaris in prœlio accepto obiit. Waissel. *loc. cit.* Posthæc Anno 1204. suffectus est Albertus Bremensis Canonicus Bertholdo, & qvidem ab Archiepiscopo Bremensi, & Papa Alexandro III. ut habet Chron. Ord. *fol. 40. b.* Hujus Episcopi tempore, Germani, qvi S. militiæ contra infideles Livonos sese devoverant, societate institutâ, Ensiferos (die Schwertbrüder) sese appellarunt. Arnoldus Lubec. *l. 7. c. 9.* Bangertus *l. c.* Auctor verò Chronici Ordinis hos Eqvites ab Alexandro III. Papa Rom. institutos & confirmatos Albertoqve Episcopo fuisse additos tradit. *fol. 40. b.* Conf. Waissel. *fol. 55. b.* Primus Magister Ordinis illius fuit VINNO, qvi successorem habuit VOLQUINUM à Dusburgio nostro memoratum. Hic Volqvinus cum impetum Barbarorum, ut & Danorum, Revaliam aliaqve loca tum possidentium, sustinere non posset, ab Hermanno à Salza Magistro Ord. Teutonici petiit, ut in consortium

Ordinis illius admitteretur. Tractum est negotium illud per aliqvod tempus, donec Volqvinus in prælio à barbaris occisus esset. Non destitit tamen conjunctionem hanc Ordinum urgere Albertus Episc. Rigensis, svasoribus & adjutoribus Engelberto & Theodorico Tisenhusiis Episcopi cognatis. Tandem An. 1234. ut vult Bangertus, vel An. 1238. ut vult Schuzius noster, non à Conrado V. Ord. Teuton. Magistro Generali, ut putat Bangertus, sed ab Hermanno à Salza referente Dusburgio, recepti sunt Ensiferi in Ordinem Teutonicum. Reliqva pete ex Dusburgio. Ex illo tempore Magistri Livonici cum fratribus suis, Magistro Generali Ord. Teutonici in Prussia fuerunt subjecti, usqve ad Albertum Marchionem Brandeburgensem Magistrum Ordinis ultimum, qvi jugum Polonicum excussurus, ne nervus rerum gerendarum deficeret, acceptâ à Walthero Plettenbergio Magistro Livoniæ Provinciali certâ pecuniæ summâ, Fratres Livonicos planè ab imperio Ordinis Teutonici Anno 1513. liberavit, Vid. David Chytræus *in Saxonia.*

CAP. XXIX.

De *Fratre Poppone Secundo Magistro terræ Pruschiæ.*

FR. (*a*) Poppo de Osterna Magister terræ Pruschiæ secundus præfuit VII. annis & resignans officium suum ad partes Teutoniæ est reversus, & non longè post in Magistrum generalem electus.

ANIMADVERSIO.
AD CAP. XXIX.

(*a*) Ut ex Dusburgio apparet, Poppo de Osterna Magistratu hoc functus est vivente adhuc Hermanno de Saltza Magistro Generali. Conf. *infra cap. XXXIII.* Sed si Grunovium consulamus, tradit ille Popponem missum esse ab Henrico Comite de Hohenloë Magi-

stro

stro generali post fata Hermanni de Saltza. Et certè licet Grunovio in annis computandis non ubiq; licuerit esse accurato, cum in antiqvis Chronicis, qvibus ipse usus est, numeri fuerint variè corrupti, (qvapropter etiam errores in numeris commissos ipse deprecatur *in præfat. Chronici sui,*) in hoc tamen mihi non videtur errare. Cognoscimus hoc ex Privilegio primo Civitatis Elbingensis Anno 1246. ab Henrico C. de Hoeloe, qvem tamen Dusburgius noster prorsus omittit, concesso: Subscriptio dicti Privilegii ita se habet: *Fr. Henricus de Hoenloh Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum Hierusalem Minister humilis* &c. Inter testes Privilegio huic nomina sua apposuerunt: Fr. Heidenricus honorab. Ordinis Prædicatorum Culmensis Episcopus, Frater Albertus Ord. minorum. Frater Poppo Magister Prussiæ, Henricus Marschalcus &c. Conf. hic Index Magistrorum generalium & Provincialium, ut & notæ ad Vitam Conradi Landgr. Hassiæ. Jeroschinus Popponem hunc dicit fuisse satis laudabilem *fol. 46.* Recentiora autem Chronica Apostasiam Prussorum ejus sævitiæ & injustitiæ tribuunt, ut ad cap. XXXII. dicetur.

CAP. XXX.

De
Vario defectu fratrum & Christi fidelium in Pruschia.

IN primitivo fratres & alii Christi fideles in terra Pruschiæ multiplicem & incredibilem defectum passi sunt in cibo & potu & vestitu & aliis vitæ humanæ necessariis, si ipsi fortè aliqvos agros colere volebant, hoc fieri non potuit, nisi noctis tempore, & qvid ipsi seminaverunt cum magno periculo & labore, alii introeuntes labores ipsorum metebant, & ecce mira gratia Dei fuit in eis. Ipsi enim ducebant pro deliciis, cum talia pro Christi nomine paterentur, aut & si biberent calicem salutiferæ passionis.

CAP. XXXI.

De (a) *Apostasia prima Pruthenorum. De Sventopelci contra fratres Domus Teutonicæ Anno Domini MCC.XLII. & primo de invidia Diaboli contra prosperitatem fidei.*

LOngum & supra ingenii mei parvitatem esset singulariter enunciare, qvam potenter, & magnificè, qvam eleganter & strenuè Magister & fratres prædicti, tanqvam alteri Macchabæi, in ampliando fines Christianorum & dilatando, & impugnando hostes, in expugnando munitiones ingesserunt manus suas, qvorum proelia & triumphos usqve ad finem seculi narrabit omnis Ecclesia sanctorum. Postqvam ergò Deo propitio omnia prædicta castra essent ad laudem & gloriam Christi ædificata, & vicinæ gentes in circuitu durissimæ cervicis colla fidei & fratribus submisissent; Non tamen sine gentium ipsarū strage maxima, multâqve Christiani sangvinis effusione, & fides Christi in eis maximè profeciisset, serpens antiqvus, draco venenosus, humani generis inimicus, tantam prosperitatem fidei & fidelium diu sustinere non valens, Ecclesiam scil. sanctam in Pruschiæ partibus dilatari, cultum divinum ampliari, infideles confundi, exaltari Christianos, innovari signa, immutari mirabilia, qvasi lethali vulnere malitiæ suæ interius sauciatis, cœpit mille modis cogitare & variis machinationibus procurare, qvaliter venenum suum posset latenter infundere, vineam Domini demoliri, & in agro Domini Zizaniam superseminare. Tandem excitavit contra fidem & fidelium turbam persecutionem durissimam, in hunc modum.

ANI-

ANIMADVERSIO.

(a) Apostasias Prussorum eas in hoc opere tantum enumerat, qvæ sub Ordine Teutonico contigerunt. Harum prima præsenti capite commemoratur: secunda qvæ annos 15. duravit cap. 84. & 167. Tertia cap. 184. Qvarta cap. 222. Qvinta cap. 255.

CAP. XXXII.

De

Persecutione Sventopelci contra fidem & fideles in Pruschia.

FUit in terra Pomeraniæ Dux qvidam nomine (a) Svventopelcus, filius iniqvitatis & filius perditionis, ut Scriptura impleatur, habens cor plenum omni dolo & fallacia, qvi cœpit cum Pruthenorum gente jam noviter conversa ad fidem Christi habere verba pacifica in dolo, confœderans se cum ipsis sub hoc pacto, qvod ipsi Fratres domus Teutonicæ & alios Christi fideles à terminis Pruschiæ ejicerent violenter, bonusqve visus est sermo in oculis eorum, & abierunt multi & qvasi omnes consenserunt ei. Hoc facto, idem Dux firmavit castra sua circa littus Wisele sita, & posuit in eis gentem peccatricem, viros iniqvos & sceleratos, qvi facti sunt fratribus in laqveum magnum. Exierunt enim de dictis castris & qvoscunq; fratrũ subditos viderant navigio præterire, irruerunt super eos repentè, & percusserunt eos plagâ magnâ, deducentesqve spolia multa, alios ceperunt, qvosdam miserabiliter occiderunt, sicqve Christianorum sangvinem per circuitum effuderunt, & toties hoc factum fuit, qvod nullus de cætero negotia fratrum agere, aut victualia fratribus de Elbingo & Balga & de locis aliis in summa necessitate constitutis ducere præsumebat. Hæc omnia fratres cum omni

omni mansvetudine & patientia voluerunt sustinere, qvàm defendendo se mittere in Christum domini manus suas.

ANIMADVERSIO.

Ad Cap. XXXIII.

(a) Qvid Svventopelcum, qvi ad illud usqve tempus amicitiam cum Crucigeris sincerè coluit, ad arma contra Crucigeros corripienda impulerit, variant Chronographorum sententiæ. Qvidam hoc tribuunt Sventopelci suspicionibus & invidiæ. Cum enim ille, Cruciferorum potentiam brevi tempore nimium excrevisse, totamq; ferè ab ipsis Prussiam possideri cerneret, cœpit ipse sibi metuere, ne subactâ Prussiâ Cruciferi Pomeraniam invaderent. Auxerunt fortasse metum continua bella cum Polonis, qvibus Crucigeri ex pacto assistere cogebantur. Ad Prussos itaqve misisse, ipsisq; operam suam pollicitus esse dicitur, si Ordinis jugum excutere vellent. Prussi libertatis pristinæ memores facilè ad arma concitati sunt. In hanc sententiam inclinare videtur Dusburgius noster, qvem seqvuntur Casp. Schuz. *lib. 1. fol. 21.* Matth. à Michov. *lib. III. cap. XL.* Mart. Cromer. *lib. VIII. de Ort. & Rer. gest. Polon. fol. 542.* Qvædam autem Chronica MSS. Anonymorum recentiora culpam conferunt in Popponis de Osterna Magistri Provincialis rigorem. Innumera enim onera in extruendis arcibus urbibusqve humeris Prussorum contra privilegia imposuisse memoratur, qvæ cum Prussi ferre non possent, Sventopelcum solicitarunt, ut se in patrocinium suum reciperet. Habent hæc duo Chronica MSS. in Bibliotheca Wallerodiana, qvamvis primum eorum manifestè sibi hoc in puncto contradicat. Addit calculum suum Waisselius *sub Poppone Magistro generali ad An. 1255. fol. 83.* Tandem Joh. Micrelius Sventopelcum ut optimum Principem planè excusat, culpam omnem conjiciens in Cruciferos, qvi beneficiorum sibi à Sventopelco, præsertim in bello supra cap. X. memorato, præstitorum immemores, ausi sunt contra Sventopelcum Polonis suppetias ferre. Totam rem seqventi modo enarrat. Cum Lescus Albus à Sventopelco tributum subjectionemqve exigeret,

Sven-

immo

Sventopelcus, qvi nihil horum Polonis debebat, in Conventu Glansavienſi Leſcum occidit, ubi etiam Henricus Dux Wratislavienſis vulneratur. Interea Cruciferi Pruſſiam intrant, qvibus Sventopelcus contra veteres Pruſſos, ut jam dictum eſt, ſuppetias fert: Poſthæc Henricus vulneris accepti memor, aſſumpto in ſocietatem Belli Conrado Maſoviæ Duce, Sventopelci provinciam infeſtat, arcemqve Birgaſt. qvæ hodie à Polonis dicitur Bidgo Sc, occupat. Sventopelcus injuriam hanc ulturus Maſoviam ferro & igni vaſtat, hocqve ipſo Polonorum arma in ſe concitat. Hic Polonis Cruciferi ſe conjungunt & Sventopelci animum contra ſe exacerbant. Vid. Micrœl. *lib. II. Chron. Pomeran. cap. 92. & ſeqq.* Sed ut jam alia alibi trutinanda præteream, de ſuppetiis Cruciferorum Poloniæ Principi contra Sventopelcum latis nihil legimus in Polonicis vel Pruſſicis Scriptoribus. Neqve veriſimile eſt Cruciferos tum temporis potuiſſe Polonis ſuppetias ferre, cum ipſis bella Pruſſica ſatis negotii faceſſerent. Micrælius etiam non probat ſuam ſententiam ex ullo antiqviorum, meritò igitur nobis videtur eſſe ſuſpecta, & ex nimio Principum ſuorum amore profecta.

CAP. XXXIII.

De
Legato Sedis Apoſtolicæ.

HOc tempore fuit Innocentius Papa IV. qvi Pontificatûs ſui Annó primo, Anno ſcilicet Domini (*a*) MCCXLIII. intelligens ex clamoſa inſinuatione Fratris Hermanni de Saltza generalis Magiſtri Ordinis domus Teutonicæ, novellam plantationem fidei in Terra Pruſchiæ notabiliter deficere per tyrannidem Svvantopelci Ducis prædicti, miſit ad dictas terras Legatum Wilhelmum qvondam Mutinenſem Epiſcopum, qvi poſtea

Anno Domini MCCXLIII. Innocentius IV. Papa & Fridericus II. regnáverunt. Anno MCCXLV. idem Papa concilium habuit Lugduni, ubi inſtituit octávas Nativitatis B. Mariæ Virginis.

fuit Papa Alexander IV. ut dictas terras in (*b*) Episcopatus qvatuor limitaret, & si qva inveniret correctione digna, corrigeret, & in statum debitum reformaret. Qvi Legatus scripsit & mandavit auctoritate Apostolica dicto Duci, ut à persecutione fidei & fidelium cessaret: at ille immemor salutis suæ, pertinaci animo induratus, ut lignum tortuosum, qvod flecti non potest paternis monitis, qvæ verè ex radice caritatis processerant, factus inobediens, magis ac magis convalescebat in malo, & fundebat Christi fideles nunc per terram, nunc per aqvam, & simpliciter ubicunqve poterat, alios spoliavit rebus suis, qvosdam captivavit, cæteros trucidavit. Videns ergo Legatus qvod in ipso Duce signa correctionis non apparerent, nec aliqvo modo ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ vellet redire, monitione sufficienti præmissâ, ut crescente contumacia meritò crescerent & pœna ad refrænandam dicti tyranni & suorum complicum malitiam, jussit in regnis & provinciis ad hæc deputatis crucem auctoritate Apostolica prædicari, præcipiens cruce signatis, & fratribus domus Teutonicæ, in virtute sanctæ obedientiæ, ac in remissione peccaminum injungens, ut fidem Christi & fidelium Ecclesiam in Pruschiæ partibus collectam à tam crudeli & injustâ dicti Ducis persecutione pro viribus suis à modo defensarent.

Item S. Emundum Cantuariensem Archiepiscopum. Sanctum Stanislaum Episcopum Cracoviensem ab iniquo Principe interfectum. Et S. Petrum Martyrem Ordinis Prædicatorum canonizavit.

Anno MCC XLV. electus fuit Landgravius Thuringiæ in Regem Romanorum.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. XXXIII.

(*a*) Vid supra Notas *ad part. I. Cap. V. Lit. B.* ubi diximus secundum alios Scriptores hanc legationem esse missam Conrado Landgr. Hass. Mag. Generali Prussiam administrante.

(*b*) Prussiam hic legimus in qvatuor Episcopatus fuisse divisam, etiamsi non-

nondum tota Prussia fuit Ordini subjecta, qvod etiam ex bullis Pontificum hac de re scriptis apparet; Primus Episcoporum fuit CULMENSIS, qvi jam antea fuerat Episcopus Prussiæ constitutus, adeò ut hic tantum in Episcopatu Culmensi confirmatus esse videatur, Sedem hic habet Lubaniæ. Secundus POMESANIENSIS, qvi sedem suam habuit Risenburgi, Ecclesiam autem Cathedralem in urbe Mariæ Insulana. Tertius WARMIENSIS cujus sedes olim fuit Brunsberga; hodie autem est Heilsberga. Præcedit hodiè Culmensem. Qvartus SAMBIENSIS, qvi sedem habuit in oppido Fischausen/ usqve ad Georgium à Polenz Episcopum Sambiensem, qvi sub Alberto Seniore, primo Duce Prussiæ, ejuratâ Religione Pontificiâ, Balgam concessit. Sublati verò sunt deindè Sambiensis & Pomesanienſis Episcopatus. Sunt autem adhuc loca qvædam in Prussia qvæ ad Diœcesin qvinti Episcopi nempe CUJAVIENSIS sive POMERANICI pertinent, ut Gedanum aliaqve ad Pomerelliam olim pertinentia. Vid. Grunovv *Tract. IX. fol. 194. b.* Ex qvatuor illis Episcopis, Culmensis, Pomesanienſisqve & Sambiensis successu temporis, susceptâ Veste & Regulâ Ordinis Teutonici, jugum Cruciferorum subierunt. Memorant id disertis Verbis de Episcopo Culmensi Miechovius & Cromerus, qvod Ecclesiam suam, qvam prius in Regularium Canonicorum S. Augustini Regulam transtulerat, postea in Cruciferorum Ordinem ad instantiam Magistri & Ordinis transmutarit, consentiente Legato Pontificio. *Vid.* Matth. à Michavv *lib. III. c. LVI. ad an. 1264.* Cromer. *lib. XI. Pag. 575.* Ex Episcopis Sambiensibus Siffridus Episcopus Sambiens. III. cum Capitulo suo ordinis Regulam susceperit, *Vid.* Henneb. in Comment. *ad Tab. Geogr. pag. 131.* Simon Grunovv *tract. IX.* Episcopatum verò Varmiensem nunqvam Ordinis imperium agnovisse scribit Cromerus *lib. 2. Descript. Polon. pag. 220.* Qvanta bona Episcopis Prussicis sint attributa, expressum est in bulla Innocentii IV. Pontificis & Gvilhelmi Mutinensis Episcopi legati Pontificii. Dubio vero non caret, qvo tempore Episcopi Prussici Archi Episcopo Rigensi, ut Metropolitano suo, fuerint subjecti. Factum id esse in ipsa con-

junctione Ordinis Ensiferorum (in Livonia) cum Ordine Teutonico (in Prussia, habitantium) sunt, qvi affirmant. Eâ enim lege Fratres Ensiferorum Cruciferis Ordinis Teutonicorum se subjecisse feruntur, ut vicissim Episcopi Prussici subessent ArchiEpiscopo Rigensi. *Vid.* Franc. Menennius *in Delic. Eqvestrib. p. 107.* Sed cum Rigenses eo tempore tantum habuerint Episcopum, nec nisi circa annum 1255. demum adeptus sit ArchiEpiscopalem dignitatem Albertus II. Episcopus Rigensis, ut Balth. Russovv *in Chron. Livan. part. I. fol. 21. b.* tradit, sententia ea probari non potest. Martinus Cromerus autem de Præmislo Rege, qvi An. 1295. in Regem Polonorum electus est, agens, dicit, Culmensem Episcopum à Cruciferis prius in ordinem redactum; tunc autem (nempe tempore Præmisli) ut nihil Cruciferi commune cum Polonis haberent, à Gnesnensi ArchiEpiscopo abstractum Rigensiqve subjectum esse *lib. XI. de Ort. & Reb. Gest. Polon. pag. 575.* Nostrâ sententiâ eodem tempore Varmiensis Culmensis, Pomesanensis, & Sambiensis Episcopi fuerunt ArchiEpiscopo Rigensi subjecti, qvamvis tempus determinari vix qveat. *Vid.* Th. Treterus *in Vita Joh. I. Episcopi Varm.* Notandum verò & illud est, qvod Grunovius refert, Conradum Zölnerum Mag. Gener. Privilegium obtinuisse, ut Episcopi Prussici Archiepiscopo Rigensi subessent. *Vid. Grunov. Tract. IX. fol. 130. a.*

CAP. XXXIV.

De *Vastatione Partium Inferorum Prussiæ.*

HIs itaqve sic peractis Sventopelcus Dei timore postposito addens mala pejora prioribus, Vitium persecutionis, qvod ante qvasi occultum fuit, in publicam formam redegit. Ordinavit enim qvod Neophyti qvi de facili in errores pristinos relabun-

buntur uno die de omnibus finibus terræ Prussiæ spreta & abjecta Religione fidei fratribus movendo bellum rebellarent. Congregati ergò Prutheni omnes qvasi Vir unus & idem Sventopelcus factus fuit Dux & Capitaneus eorum & armatâ manu & brachio extenso intraverunt dictæ terræ partes in feriores, & omnes Veteres Christianos, qvi de Alemania venerant in subsidium terræ Pruschiæ, miserabiliter occiderunt, mulieres & parvulos in Captivitatem perpetuam ducentes. Interfecerunt & Fratrem Conradum de Tremonia Virum devotum & in rebus bellicis circumspectum cum omni familia suâ, & omnia castra præter Balgam & Elbingum expugnantes occisis fratribus & Christi fidelibus funditus everterunt.

CAP. XXXV.

De

Vastatione Partium Superiorum Prussiæ.

NOn longe postea idem Sventopelcus filius Diaboli congregavit iterum neophytos Apostatas, & ingredientes armata manu hostiliter partes superiores, sive terram Pomesaniæ & Culmensem rapina & incendio devastabant, expugnantes & penitus destruentes omnia Castra & muniti ones præter tria scilicet Thorun, Colmen, & Redimum, de populo etiam DEI ad laudem & gloriam ejus ibi habitante trucidaverunt IV. Millia, sic qvod tota terra Pruschiæ videbatur Christianorum sangvine rubricata.

CAP. XXXVI.

De

Expugnatione Castri Sardewicz & inventione capitis B. Barbaræ Virginis & Martyris.

NUllus sanæ mentis cogitare vel audire posset qvod fidei negotium in prædictis partibus sub innumeris expensis & angustiis ad DEI gloriam tam magnificè promotum. Si per unius tyranni malitiam ad talem interitum devenirent qvin ad gravem Cordis perturbationem & compassionem debitam moverentur. Verum fratres his visis consternati mente elegerunt potius mori in bello qvam videre tot mala gentis suæ & sanctorum, ex qvibus unus scil. Fr. Th. de Bernheim antiqvus Marschalcus totus magnanimus erat, nempe Ulisses in pectore nec manu minor Hectore & fratres IV. & armigeri XXIV. noctis tempore in Vigilia B. Barbaræ Vir-

De Fratre Conrado Mag. V. Generali Domus Teutonicor.

Frater Conradus Landgravius qvondam Thuringiæ Magister V. Generalis Ordinis domus Teutonicæ obiit IX. Kal. Augusti. & sepultus est Marpurgk. Hic dum adhuc esset secularis, civitatem Uritislaviam potenter expugnavit pro qvodum Religionem vellet ingredi, doluit & humiliavit se pro hujusmodi delicti satisfactione, sic qvod nudis pedibus & Capite ante processionem in dicta Civitate iret, & posuit se ante fores Ecclesiæ exhibens virgam, qvam manu gestabat, populo, ut qvilibet eum ad placitum verberaret; nullus tamen eum tetigit, prater unam Vetulam, qvæ plures plagas dedit ei. Iste Frater Conradus per hunc modum conversus fuit ad Ordinem domus Teutonicorum. Qvodam die fugiens frequentiam populi & strepitum populi causarum, cum Hartmanno de Helderunge & Theodorico de Graninghe & paucis de familia sua secessit ad Castrum suum Neneburgk, ubi dum considerent, supervenit qvadam meretrix, qvam alloqvens Landgravius, ait: Unde venis? qvæ respondit: Sedi in rubeto madida & frigida per diem, ad qvam ille; Tu misera, plus pateris pro pœnis inferni, qvam alius pro gaudio æterno. At illa respondit: Domine nescio altum modum, per qvem possim acqvirere vitium meum; Cui Landgravius:

ctus: Velles vivere caste, si haberes necessaria Vitæ; qvo audito illa suspirans ingemuit, & cum lacrymis ait: Ita verè Domine. Unde Landgravius miserans miseriam animæ ipsius, constituit ei certos reditus qvibus deberet qvamdiu viveret sustentari. Qvo facto ipse omnia verba increpationis, qvibus eam corripuit, conferebat, conferens ea in corde suo, cogitans qvod magis sibi ipsi fuissent necessaria, qvam illi. Illa enim necessitate paupertatis urgente peccavit: ipse ex rerum affluentia delectatus Deum peccatis suis contra se temere provocavit, & sic occupatus totam noctem duxit insomnem. Mane facto dum Hartmannum & To. prædictos didicisset cogitatione simili occupatos, ivit cum eis nudis pedibus & sine lineis ad Capellam B. Nicolai in Gladbach requirens ibi DEI consilium in hoc casu: Ubi et divinitus fuit inspiratum, qvod ipse cum paucis de familia sua accessit ad Dominum propriam & confessus fuit ei omnia peccata sua, qvi propterea injunxit ei, ut susciperet Ordinis Domus Teutonicæ habitum Regularem. Qvo facto, in reditu filiam Ducis Austriæ sibi in Conjugio oblatam, respuit, & sancto proposito inhærens, secretario suo, qvod gestum fuerat, enarravit, ob reverentiam Dei & sui, dictum Ordinem assumerent, qvi omnes consenserunt ejus precibus inclinati. Interea dum hæc agerentur, qvidam miles cum multis armigeris terram dicti Landgravii hostiliter depredavit, & dum esset in reditu accurrit ei famulus de Castro suo nuncians ei, qvod Uxor ipsius eadem hora fuisset periclitata in partu, & cum puero mortuo exspirasset. Qvo audito miles perturbatus consideravit, qvod Deus ipsum sic plagasset, pro eo, qvod per hujusmodi deprecationem sanctum propositum Domini

Virginis & Martyris accesserunt ad Castrum Sardevvicz Svvantepolci & applicantes scalas ad mœnia intrantes qvia secretè invenerunt qvinqvaginta Viros ad ejus custodiam deputatos, Viros utiqve robore fortes & in armis exercitatos qvod fratres cum suis XXIV. armigeris aggressi sunt viriliter. (*a*) Illi ex oppositio hostiliter se opponentes fortiter defenderunt, nunc istis nunc illis repressionem sustinentibus bellum durissimum inter illos est ortum, qvod duravit ab ortu diei usqve ad horam tertiam. Tandem ipse DEUS qvi sperantes in se non derelinqvit fratribus opem & Victoriam de cœlo misit ut occisis omnibus præter paucos qvi fugientes evaserunt mulieres (*b*) CL. ibi captas cum parvulis legaverunt. Qvo facto invenerunt in qvodam Cellario cistam, seu arcam & pixidem argenteam in ea & in pixide erat caput

put (c) B. Barbaræ Virginis & martyris, qvo viso, proni ceciderunt in terram collaudantes DEUM tam glorioſi muneris inventione. Elevantes ergò has ſanctas reliqvias, cum magno gaudio cellarium exierunt qvod cum videret qvædam Matrona antiqva qvæ cum aliis ſtetit ligata ait ad fratres. Nunc poteſtis gaudere & juſte debetis, qvia meritis B. Barbaræ habetis qvicqvid honoris hodie eſtis conſecuti, ad qvam fratres: Qvis tibi hæc indicavit aut qvomodo potes hoc ſcire? Qvæ reſpondit: Ego ſpirituali devotione ſemper dilexi S. Barbaram, unde hac nocte apparuit mihi tribus vicibus, ſuccinctis veſtibus, ac ſi parata eſſet ad ambulandum & ego dixi ad eam: Qvo vadis S. Virgo? Qvæ reſpondit: Ego volo ire ad Civitatem Colmenſem & audire ibi Miſſam & dum tertio appareret mihi & diceret ad me Valeas dilecta mea, ego cecidi de ſtrato meo & ſecuta fui ipſam

ni ſui Landgrafii voluit retardare. Reddito ergò ſpolio his qvibus abſtulerat accessit ad Dominum ſuum, petens Veniam de commiſſo. Cui Landgravius: Qvomodo, inqvit, audes in conſpectu meo comparere! At ille: Confiſus, inqvit, de ſolitâ benignitate gratiæ veſtræ ad Vos veni, qvia concepi firmiter in Corde meo intrare Ordinem Domus Teutonicæ, ſicut & Vos. De qvibus Verbis Landgrafius tantum exultavit, qvod cum gaudio invuens in amplexus ejus, omne delictum remiſit. Hoc facto, cum dicto milite & Hartmanno & Th. præmonſtratis & cum multis aliis militibus & nobilibus venit ad Fratres Domus Teutonicæ Marchburgk, ubi dum deberent veſtiri, & more conſveto proſtrati jacerent ante altare, & ſacerdos poſt alias Orationes alta Voce cantando inciperet: Alleluja. Veni Sancte Spiritus. Deſcendit Spiritus S. corporali ſpecie ſicut flammæ ignis ſuper ipſos & qvanto magis qvilibet ipſo accenſus fuit in dilectione DEI, tanto majori ſumma prædicta in conſpectu omnium aſtantium apparebit. Hic Fr. Conradus Landgrafius Magiſter adeo illuminatus fuit, à gratia Spiritus S. qvod facta hominum ſecreta novit, Unde nullum vitio fornicationis reum circa ſe potuit ſuſtinere. Qvod qvidam Abbas intelligens voluit examinare ſi ita res ſe haberet, & ad ducens ſecum duos Juvenes fornicatores deveſit ad Magiſtrum, qvi ſtatim vi ſis famulis juſſit eos recedere. Sed dum famuli præmiſſa verâ contritione & confeſſione rediirent, Magiſter intuens eos ait: O bone Jeſu, qvam miſericors & bonus tu es, iſti duo famuli prius fuerunt filii Diaboli, modo ſunt filii DEI.

ipsa disparuisset, vidi vos armatos in castro. Existis scio in dubitanter qvod meritis & precibus ejus traditum est Vobis hoc Castrum, ut reliqvias ipsius vobiscum ducatis in terram Prussiæ ubi in majori qvam hic reverentia habeantur. Post hæc Fr. Th. qvibusdam fratribus & armigeris ad dicti Castri custodiam ordinatis, cum paucis reversus, has sanctas reliqvias versus Colmen duxit ubi Clerus & populus cum solemni processione accurrens eas ad Ecclesiam portaverunt, & ad castrum antiqvum posuerunt ubi usqve in præsentem diem propter crebra miracula qvæ per eam Dominus operatur in veneratione assidua reqviescunt.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. XXXVI.

(*a*) Alii Præsidiarios arcis hujus dormivisse tradunt.

(*b*) Chronicon Germanicum antiqvum habet CCC.

(*c*) Pater S. Barbaræ fuit Dioscorus, homo Græcus, cultui Deorum deditus, qvi filiam suam Barbaram ob Christianismi professionem Marciano Præsidi tradidit. Is cum animum ejus blanditiis neqvicqvam tentasset, nervis eam bubulis cædit. Deinde ferreis ungulis dilaceratæ faces accensas admovet, tum caput malleolis pertundit, ac postremò ubera præcidit ferroqve subjicit. Martyrii minister fuit ipse Pater teste Simeone Metaphraste *apud Laurent. Surium Tom. VI. d. 4. Decembr.* Conf. Petr. de Natalibus *lib. 1. cap. 25. idem habet Jeroschinus & alii.* De tempore Martyrii non una est sententia. Maximiano Imperante hoc contigisse, referunt citati Auctores: Baronius autem putat sub Maximino Thrace. Neqve de loco Martyrii consentiunt omnes. Usuardus & Ado Viennensis in Martyrologiis ad 16. Decembris putant in Tuscia ipsam esse passam: Baronius verò ex aliis MSS. Nicomediæ id factum esse scribit, cum qvo etiam facit Chronicon Ordinis. Non desunt etiam, qvi in Ægypto Heliopoli martyrium eam subiisse scribant, ut auctor est Baronius *ad 4. Decembr. in Martyrologio*, qvod etiam

jam ex nostris Scriptoribus habet Nicolaus Jeroschinus *in Chron. fol. 52. fac. 2. col. 1.* Majus adhuc dubium est, qva ratione caput hoc (Martinus Cromerus totum corpus intelligit *lib. 8. pag. 544.*) in Prussiam sit delatum. Waisselius dicit, Svventopelcum caput hoc à vicinis Christianis rapuisse. *in Chron. pag. 65.* Aliud Chronicon MS. caput hoc per Luderum Ducem Brunsvicensem Magistrum generalem in Prussiam fuisse allatum refert. Sed manifesto errore. Luderus enim centum fermè annis post inventum in Prussia caput hoc vixit. Error Auctoris hujus fluxit ex Jeroschino perperam intellecto, qvi testatur Luderum, laudatum integrum de S. Barbaræ Vita & Martyrio Germanicis versibus conscripsisse librum, ad qvem etiam Lectorem, qvomodo hoc caput in Prussiam sit delatum scire volentem, ibidem remittit. Sed Liber ille forsan injuriâ temporum jam intercidit. Extat tamen in Bibliotheca Electorali Regiomontana Codex antiqvus maximam partem chartaceus, *inter MSS. Lit. Yy. num. 125.* In hoc fol. 70. & seqq. reperitur Vita B. Barbaræ. Adjuncta ei est Historica Narratio, de capite B. Barbaræ in Pomeraniam & Prussiam delato. Variæ autem ibidem adducuntur opiniones. Prima sententia est, qvosdam fuisse Peregrinos, qvi in multis orbis Ecclesiis nec prece nec precio reliqvias sanctorum obtinere poterant. Venisse hos tandem Romam, ibiqve caput S. Barbaræ sibi monstratum furto sustulisse. Indè fugientes tempestate obortâ in littus Pomeranicum ejectos. Alii dicunt (ut in memorato Codice habetur) Ducem Pomeraniæ sacris Christianorum susceptis, hoc caput à Pontifice acceptum in Pomeraniam deportasse. Alii dicunt orta qvadam in Dania inter Regem & Clerum dissensione, missum esse in Daniam à Pontifice Legatum, eumqve ad Gedanensem urbem delatum, captum & reliqviis dictis exutum esse. Ad ultimum triennio elapso ab Episcopo Caminensi agnitum liberatumqve; pro qvo beneficio postmodum Episcopum Caminensem à Diœcesi Archiepiscopali in perpetuum exemptum esse. Postremam hanc sententiam habent & alia Chronica MSS. addunt tamen nonnulla alia. Videlicet, Ericum VII. Regem Daniæ, adhuc adolescentem, Lutetiæ Parisiorum,

rum, cum ibidem studiorum causa commoraretur, Senebaldo Genuensi familiariter usum esse. Hunc Senebaldum postea ad sedem Pontificalem evectum & Innocentium IV. vocatum, Erico jam Regi, caput hoc, per Cardinalem qvendam mississe; Sed Cardinalem in Gothlandiam, ubi tum Rex commorabatur, vela facientem, naufragio facto in Pomeranicam oram ejectum esse refert. Hinc capsæ à Cruciferis in arce Sardevvicz repertæ hæc verba inscripta fuisse dicuntur: *Innocentius Pontifex Maximus Fratri ac Filio Ergestero* (alii legunt Engeltiro) *munusculum sacrum Divæ Virginis Barbaræ ut Regi Catholico transmisit.* Cont. & Henneb. *in Comment. ad Tab. Geogr. tit.* Schartenwitz. Translatum est caput illud Culman maximâ cum pompâ, populoqve canente:

Du (Preussen) bist gewiß an der süssen Barbara
Das Sie dich nimmer will verlahn
Sondern stets dich in Liebe han.
O zarte Barbara nun bleib
Bey uns/und vertreib
Was du weist uns wieder seyn
Durch die bittre Marter dein.

Ut habet Nic. Jeroschinus & Anonymus Chronici Antiqvi circa Annum 1430. scripti Auctor.

Animadversiones ad Vitam Conradi Magistri generalis.

(a) Hujus Magistri generalis tempore, nimirum Anno 1250. d. 20. Augusti Ludovicus IX. Rex Galliæ insignia Ordinis Teutonici dicitur ornasse tribus liliis, qvæ cruci aureæ solent addi, ut testis est Auctor Chronici Ordinis *fol. 69.*

(b) Simon Grunovius de successione Magistrorum generalium prorsus ab his diversa tradit. Nam ex ipsius sententia electus est Hermannus de Saltza Anno 1210. obiit autem Anno 1221. Qvo ipso anno convocatum est Venetias Collegium Eqvitum Ord. Teut. sive, ut vulgò vocant, Capitulum generale; ubi scissis in diversas partes Electorum studiis, ab altera parte electus est Ludovicus à Qveden-

ab alterâ verò Henricus C. de Hoenloe. Cæterum Henrico Treviris non ita longè post abrogatus est Magistratus, substitutusqve Poppo de Osterna. In extremâ tandem senectâ rursus ad Henricum de Hohenloe devolutum est imperium. Defuncto posthæc Ludovico de Qveden, An. 1222. electus est Conradus Hassiæ Landgravius. Hæc Grunovius *Tract. 5. fol. 60. seq. Tract. 6. fol. 78. b. seq.* Addit Grunovius, à morte Hermanni de Balke Poponem de Osterna in Prussiam ab Henrico de Hohenloe Magistro missum esse. *Tract. VII. fol. 86.* Præter hæc est etiam in Bibliotheca Electorali Regiomontana Codex membranaceus Regulam & Consvetudines Ordinis continens, cui præfixi sunt Fasti Prussorum. In iis ad 14. Calend. April. Hermannus de Saltza dicitur IVtus Ordinis Teutonici Magister fuisse. Ast ad 10. Calend. Aug. Conradus Landgravius VItus Magister fuisse dicitur. Ex qvo itidem palam fit, inter Hermannum & Conradum fuisse alium qvempiam Magistrum, qvem tamen Dusburgensis noster non agnoscit. Sed & alium adhuc Magistrum in supra memoratis Fastis invenias, nomine Henricum de Barc; ex numero tamen addito non satis liqvet, utrum qvintus an septimus fuerit Magister, de qvo tamen in Historicis nostris altum est silentium. Augent difficultatem variæ Privilegiorum subscriptiones, ex qvibus prorsus ab eo, qvem nobis Dusburgensis noster texit, diversus constituendus esset Magistrorum, maximè Provincialium, ordo. Siqvidem in Privilegio Culmensi An. 1251. renovato, reperitur nomen Ludovici Provisoris Prussiæ i. e. Magistri Provincialis, qvem tamen Chronica, qvæ omnium teruntur manibus, non agnoscunt. Habent qvidem Schüzius aliiqve Dusburgensem secuti inter Magistros & Ludovicum de Baldersheim, sed eum demum An. 1265. (Schüzius habet An. 1269.) huic Provinciæ præfectum memorant. *Vide infra cap. 19.* Huc pertinet, qvod An. 1246. Henricus ab Hohenloe Civitati Elbingensi primum Privilegium dedit, cum tamen apud Dusburgensem, Schüzium, Waisselium aliisqve typis exscriptos ejus mentio fiat nulla. Ad ultimum, Dusburgensis ipse non videtur esse certus de Magistrorum, maximè Generalium, successione, annisqve

qve cuiqve Magistrorum assignandis. Primos qvippe illos, puta, Hermannum, Conradum, Popponem, aliosqve, non nisi in Synchronismis, ut exteros recenset, non adjectis annis, qvando vel electi, vel è vivis sublati sint, qvod certo nobis argumento esse potest, Ordinis Teutonici Fratres parùm de Successionibus Magistrorum generalium solicitos fuisse. Hæc omnia sententiam Dusburgensis mirificè videntur confirmare. Qvid hic nobis antehac visum sit, jam alibi exposuimus, qvæ hic commemorare placet, qvò clarius patescat, qvid nosmet ipsi jam in iis desideremus. Videlicet I. Chronologia Grunoviana prorsus est erronea. Falsum enim est, Hermannum de Saltza An. 1221. obiisse, cum Anno 1226. inter Conradum Masoviæ Ducem & Hermannum illum Pacta sint inita; idem etiam Hermannus An. 1233. Privilegium Culmense Prussis dederit. Sed condonabimus Grunovio Chronologicos errores, qvos ipse deprecatur; Excusari tamen non potest II. qvod Conrado Landgravio Popponem præposuerit, cum in confesso sit apud omnes, Poponem Conrado fuisse suffectum. III. Non videtur esse necessarium, ut inter Hermannum & Conradum alium qvempiam interseramus Magistrum generalē cum Grunovio, cum manifesta satis indicia supersint, errorem hunc Grunovii ex Culmensi & Elbingensi Privilegiis non intellectis fluxisse. Legerat ille in subscriptione Culmensis Privilegii An. 1233. dati Ludovicum in Qvidzin Provisorem, hinc suum Ludovicum de Qveden commentus est, cum tamen illud *in Qvidzin* non sit nomen illius Fratris; sed locus, ubi Magistratu suo fungebatur. Qvidzin enim in hunc usqve diem vocatur à Polonis urbs Mariævverder. Neqve ex Privilegio Elbingensi potest evidenter deduci, Henricum illum de Hohenloe Magistrum fuisse Ordinis Teutonici generalem. Qvanqvam enim ipse Privilegium Elbingensibus dedit, præsente Magistro Provinciali Poppone de Osterna, nomenqve suum inter testes subscribente; hoc tamen negotium illud nondum conficit. Fortassis enim tantùm Vicesgerens Magistri generalis per Prussiam fuit. Neqve hoc asserimus sine ratione. Habemus hujus conjecturæ non exiguum argumentum in ipsa subscriptione dicti Privilegii,

vilegii, qvæ sic habet: FRATER HENRICUS de HOHENLOE HOSPITALIS S. MARIÆ TEUTONICORUM HIERUSALEM MINISTER HUMILIS. Ast Magistri generales, nunqvam, qvod sciam, hoc titulo sunt usi, sed semper se Magistros vocarunt. Fuisse autem olim tales Vicesgerentes à Magistro generali non rarò in Prussiam missos, etiamsi Magister Provincialis eam gubernaret, probat non tantum exemplum Eberhardi de Seyne, qvi Culmensibus Privilegium A. 1251. renovavit, tametsi eo tempore Ludovicus qvidam fuit Prussiæ Provisor i.e. Magister Provincialis (ter enim titulus Provisoris Prussiæ in ea significatione in Privilegio Culmensi reperitur) sed etiam exemplo Friderici de Fochsberg, qvem Prussiæ Regentem, tacentibus Chronicis aliis, iisdem ferè temporibus fuisse Grunovius tradit *Tract. VII. fol. 86. a. fin.* Tales Vicesgerentes & subseqvutis temporibus non rarò fuisse constitutos, infra in Dissertatione de Republ. Prussorum Veterum probabimus. In Fastis etiam illis, qvos supra citavimus, nomen Henrici de Bark effictum esse videtur ex nomine Hermanni de Balk Magistri Provincialis, adeò ut neqve hinc Grunovio qvicqvam accedat præsidii. IV. Ex dictis etiam liqvidò constat, & in Dusburgio nostro non pauca ex Historia antiqva desiderari. Omittit enim Ludovicum illum Provisorem sive Magistrum Prussiæ, qvi subscripsit Privilegium Culmense renovatum. Omittit insuper omnes alios Magistrorum generalium Vicesgerentes. Omittit deniqve annos, qvibus primi illi Magistri ad imperium sint admoti, qvæ summæ confusioni occasionem præbuere. Hæc alibi scripsimus, ita tamen, ut suo qvemqve abundare sensu permiserimus. Nunc nobismetipsis illud, qvod tertio loco de Henrico ab Hohenloe diximus, non probatur. Qvanqvam enim hæc suâ non carent probabilitate, subverti tamen facilè possunt omnia, si sigillum Magistri hujus Privilegio Elbingensi appensum inspiciamus. Illud enim seqventem habet inscriptionem: S. MAGISTRI HOSPITALIS S. MARIAE TEUTONICI. Ex qvo apparet non Vicesgerentem illum sed Magistrum Ordinis Teutonici fuisse.

CAP.

CAP. XXXVII.

De

Obsidione Castri Sardewicz & occisione nongentorum Pomeranorum.

CUm autem hæc ad aures dicti Ducis devenirent, ultra modum perturbatus fuit, & totum conatum suum in virus vindictæ convertens, convocavit omnes Neophytos Apostatas terræ Pruschiæ & dictum castrum Sardevvicz obsedit, & cum instrumentis bellicis, sagittis & aliis modis, qvibus potuit qvinqve septimanis fortissimè impugnavit, qvibus fratres & alii obsessi viriliter restiterunt. Sed qvia idem Dux omni dolo plenus fuit, dolosè egit, ut tandem iniqvitas ejus Dei odium inveniret, assumpsit majorem partem exercitus sui, relictâ in obsidione parte altera & secretè noctis tempore transivit glaciem Wissele & terram Colmensem multipliciter deprædavit. Cui fr. Theodoricus Marschalcus cum paucis occurrit, confidens de Dei misericordia, cui facilè est concludere in paucis, aut in multis, & inito certamine percussit eos plagâ non modicâ. Occidit enim nongentos Viros, aliis in fugam conversis; & præter alia spolia, qvæ multa fuerunt, CCCC. eqvos hostium conservavit. Dux autem confusus cum paucis rediit ad aliam partem exercitus sui, qvem reliqverat in obsidione tam occultè, qvod obsessi in castro non poterant considerare, qvod actum fuerat in conflictu. Unde miserunt qvendam Fratrem ad Marschalcum qvi experiri posset de exercitu hujusmodi veritatem, qvi Marschalcus ipsum instructum remisit, præcipiens, ut qvando ipse cum dicto exercitu Svventopelci inciperet bellum, ipsi de castro descenderent & juvarent, addens ut castrum possideat postea, qvi

hic

hic victoriam obtinebit. Marschalcus itaqve dum exercitum Ducis vellet invadere, iterum in prælio Svventopolcus ex primâ strage habens certa indicia & signa evidentia Deum sibi terribiliter offensum, & divinæ protectionis clypeum à se recessisse, non dubitans, meticulosus factus fuit, & ideò emarcuit cor ejus, qvod ipse cum multis paucos non audebat aliqvaliter expectare, sed in fugam conversus cum suis processit & hostium tentoria combussit, timens dicti Ducis fraudulentam malitiam, tamqve dolosæ vulpis astutiam, qvæ sæpè fallit ingenium venatoris, non audebat seqvi fugientes; sed per totam diem conservavit exercitum suum adunatum, firmans rupturas castri per impugnationes factas. Tandem in vespere, relictis ibi pluribus armigeris, recessit.

CAP. XXXVIII.

De

Traditione castri Nakel, & depræda-tione Terræ Pomeraniæ.

LEgatus sedis Apostolicæ, qvi continuis curis & solicitudinibus urgebatur, circa fidei negotium, ut proficeret & inimicus fidei Dux Pomeraniæ deficeret. Videns, qvod bellum inciperet aliqvaliter prosperari in manu Fratum, vocatis ad se (*a*) de Polonia Duce Casimiro, & (*b*) Duce de Calis, & Fratribus, consuluit eis, ut cum exercitu procederent contra Svventopelcum, qvi Mandatis ejus parentes, secesserunt cum magno exercitu versus castrum ipsius Nakel, figentes ibi tentoria sua, & castris ibi secundum militarem disciplinam collocatis, & erectis ibi (*c*) machinis & instrumentis aliis bellicis, & præparatis omni-

mnibus, qvæ ad impugnationem urbium necessaria sunt. Castrenses perterriti, sub his conditionibus, ut salvis rebus & personis possent exire, castrum Fratribus tradiderunt. Qvi locantes in eo Fratres & armigeros pro custodia, cum alia parte exercitûs intraverunt terram Pomeraniæ attingentes à fine usqve ad finem fortiter, sed non svaviter omnia disponentes, imo qvicqvid igne consumi potuit combusserunt, occisis plurimis & mulieribus captis & parvulis cum præda maxima redierunt.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. XXXVIII.

(*a*) Casimirus ille, de qvo Dusburgensis noster, erat Dux Lencicienſis & Cujavienſis, undè ipsum non vocat Ducem Poloniæ, sed *de Polonia* id est alicujus partis Poloniæ. Facilè autem Casimirus hic ad bellum contra Svventopolcum poterat à Legato Pontificio excitari, cum Svventopelcus Prussiam infestans, etiam in Cujaviam, qvæ erat in ditione Casimiri, impetum fecerit. *Vid.* Salomon Neugebauerus *lib. 3. Hist. Polon. in Boleslao Pudico pag. 147.*

(*b*) Dux Calissienſis fuerat tunc Boleslaus.

(*c*) Machinas illas antiqva Chronica Germanico sermone conscripta vocant Bleyden/ sive Bliden. *Vide qvæ infra ea de re notavimus ad cap. 114.*

CAP. XXXIX.

De *Reformatione pacis inter Swantepolcum & Fratres.*

HIs itaqve sic dispositis & à Deo misericorditer ordinatis, Svvantepolco Duci, qvi pridiè tam duræ cervicis fuit & obstinatis in perfidia, qvod nec prece nec precio nec minis flecti potuit, qvod vellet redire ad S. Matris Ecclesiæ gremium, mo-

mo hæc vexatio dedit intellectum, ut videns qvod fratribus à modo non posset resistere, venit ad Legatum & Fratres & humiliatus coram eis recognovit se perperam egisse contra fidem & fideles, (*a*) supplicans, ut sui misererentur, & cum eo agerent gratiosè, exhibens se & sua fratribus in emendationem. Legatus his auditis diversos habuit tractatus cum fratribus super hac re, dicens, qvod difficile ei esset credere, qvia scilicet pacis fœdera rupit, ex adverso consideravit, qvod petenti veniam sinus misericordiæ non est præcludendus, ex his eligens qvod melius novit scilicet pacem, qvia nonnisi in tempore pacis colitur author pacis. Svvantepolcus ut firma esset inter eum & fratres compositio castrum suum Sardevvicz dedit Fratribus in pignus & filium suum primogenitum Mestovvinum, Winarum Burggravium & (*b*) Woyac Ducem exercitus sui in obsides, juravitqve ad sancta Dei (*c*) Evangelia per eum corporaliter tacta, qvod deberet fratres juvare contra infideles, qvoties necessitas hoc exposceret, & qvod non deberet à modo contra fidem & fideles tam detestabilia facta, qvalia prius fecerat, attentare, & dedit literas suas fratribus sigillo suo sigillatas in testimonium promissorum. Hoc facto, fratres ei omnes captivos, qvi poterant reperiri, inter qvos fuerunt LXX. matronæ Nobiles & honestæ præter alias mulieres, viros & parvulos, reddiderunt, dictamqve paeem ftatres eam firmiter observabant, qvod præter alia, qvæ ad pacis observantiam sunt necessaria, nullum bellum contra infideles ulterius movere sine dicti Ducis consilio voluerunt.

ANIMADVERSIONES.

Ad Caput XXXIX.

(*a*) Schüzius hanc Pacificationem refert ad annum 1243. *in Chron. fol. 22. a. fin.*

(*b*) Imos

(*b*) IMOS vocatur in Chronico Ordinis. Idem habet ex Chronico dicto, ut pleraqve omnia, Thomas Waisselius *in Chron. fol 66.* Sed Johannes Micrælius alia nobis tradit *in Chron. Pomeran. pag. 220.*

(*c*) Mos ad S. Evangelia jusjurandum præstandi antiqvissimus est. Jam enim Chrysostomus hom. 12. in Matth. *Audite*, inqvit, *vos Clerici, qvi jurantibus Sacra Evangelia porrigitis. Qvomodo potestis ab illo jurejurando esse securi, qvi semen perjurii datis?* Sed & alios ritus hic in usu fuisse certum est. Idem enim Chrysostomus testatur, alicubi moris fuisse, ut Christiani sacramentum præstituri, sacram mensam contingerent. *hom. 26. ad Populum Antiochenum.* Alios jam ritus prætereo, de qvibus videatur Aloysius Novarinus *Tom. II. Adagiorum, Excursu 119. pag. 332. seqq.* Paganinus Gaudentius *in lib. de moribus Seculi Justinianæi cap. 6.*

CAP. XI.

De

Novo bello Swantepelci & conflictu in Rensen.

SEd qvia sensus humani semper proni sunt in malum, & à viâ, qvam homo ab adolescentia sua consvevit cum senuerit de facili non recedat: Ideo perversus ille Dux Pomeraniæ plenus iniqvitate, innatam sibi malitiam qvam à juventute sua solitus fuit exercere non diu potuit occultare, sed post contractam pacem, revoluto anno, immemor salutis suæ & sacramenti qvo firmaverat dictam pacem immemorqve sangvinis sui, scilicet filii & aliorum obsidum, qvos dedit in pignus, rupto fœdere pacis, cum Neophytis apostatis terræ Pruschiæ & Sudovvitis, collegit exercitum grandem nimis, qvi præter alia mala in captivis & occisis & infinita præda totam terram Colmensem, exceptis tribus castris, Thorun, Culmine & Redino in solitudinem re-

degerunt. Qvo facto cum exercitu suo venerunt ante castrum & Civitatem Colmen,& ibi steterunt usqve ad vesperam in superbia & abusione,postea secessserunt usqve ad paludem, qvæ dicitur Rensen, & ibi per noctem qvieverunt. Qvo percepto fratres de Colmine cum CCCC. Viris secuti sunt eos, & dum media pars Exercitus infidelium paludem prædictam transivisset, Fr. Theodoricus antiqvus Marschalcus voluit posteriorem partem invadere,asserens,qvod anteqvam alii redirent, isti essent occisi ; cui consilio contradixit Fr. Dellvvinus novus Marschalcus, & licet seniores fratres invitè facerent, qvia videbatur eis,qvod invadendo eos ante cogerent ipsos ad defensionem ; tamen secuti fuerint consilium ejus & aggressi sunt eos viriliter in anteriori parte, & statim conversi sunt in fugam, qvos Christiani seqventes, plures occiderunt, & dispersо exercitu Christianorum Marschalcus cum XXIII. armigeris venit circa montem qvendam, in qvo invenit IV. millia infidelium contra se parata ad bellum. Sed dum Prutheni viderent tam paucos circa Vexillum fratrum, resumptis Viribus & audacia, irruerunt repentè in eos, & Marschalcum & fratres omnes cum CCCC. viris occiderunt præter X. qvi fugientes salvati sunt. Tandem venerunt fratres de Thorun,cum CC. Viris ad locum & horam eis deputatam à Marschalco, & dum viderent fratres occisos,fugerunt ; qvos Prutheni seqventes plures occiderunt, alii evaserunt. Collectâ ergo prædâ,qvæ magna fuit nimis, multas mulieres & parvulos cum magno gaudio deduxerunt. Inter qvos fuit Martinus Golin cum sorore sua imprægnata, qvæ dum propter gravedinem partus non posset seqvi, exercitum acceleran-tem, is,qvi eam captivam duxit,cum gladio Ventrem ejus aperuit, & infans Vivus cecidit in arenam, & ipsa exspiravit. Qvod factum

factum detestabile idem Martinus in tantum abhorruit & tantam concepit inde invidiam contra Infideles, qvod postqvam fuisset liberatus ab eis percussit eos sæpius plagâ magna, prout inferius apparebit. Post recessum ipsorum dum fratres viderant mala qvæ fecerant in populo, dixerunt invicem: Væ nobis, ut qvod nati sumus videre contritionem populi nostri & contritionem terræ nostræ & sedere illic cum detur in manus inimicorum trucidati sunt senes ejus. Juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum. qvæ prius erat libera, facta est ancilla. Ecce forma nostra & pulchritudo nostra & claritas nostra desolata est & coinqvinaverunt gentes, qvod ergò vobis ad hæc vivere. Sciderunt ergo Vestimenta sua & cooperuerunt se ciliciis & cum eis gravi timore perterritus omnis populus, qvi superstes fuerat, planxit. *1. Macch. 2. 8. seq.*

ANIMADVERSIO.

Ad Cap. XL.

(a) Causam belli hujus Joannes Micrælius, ut suum excuset Sventopelcum, affert hanc: Dicit in pactis promisisse Cruciferos restitutionem arcis Sardevviz: Pacatis vero rebus non Sventopelco eos, ut in pactis promissum erat, sed Samborio fratri Sventopelci, Ordini Teutonico addito, arcem tradidisse. Sed neminem suæ sententiæ allegat Authorem, qvod alias facere solet. *Vid. lib. II. Pomer. cap. 97. p. 280.*

Caput XLI.

De

Qvodam Miraculo.

Quædam Mulier dum post conflictum cum aliis civibus de Colmien iret ad locum certaminis ad sepeliendum corpora interfectorum & maritum suum semivivum vellet ad Civita-

tem ducere, ille restitit; & dum qværeret, qvare ibi lubentius moreretur, respondit, qvod B. Virgo Maria eodem die cum thuribulo, præcedentibus duabus Virginibus cum Candelis ardentibus omnes occisos thurificasset, & dum veniret ad eum, & sensit eum adhuc vivum, ait: Tertia die morieris & gaude, qvod anima tua sicut cæteræ animæ occisorum, ad æterna gaudia evolabit, ductusqve sic cum aliis in Civitatem Colmensem tertiâ die mortuus est ut prædixit, & credidit omnis populus Verbis ejus.

CAP. XLII.

De
Altercatione Duarum Viduarum pro uno Viro.

POst hunc Conflictum Episcopus Colmensis videns Civitatem Colmensem desolatam Viris, omnes enim occisi fuerunt in conflictu prædicto, injunxit Viduis in remissionem omnium peccatorum, ut famulos suos ducerent in maritos, ne negotium fidei ibidem omnino periclitaretur. Undè accidit qvod duæ Mulieres dum ad Ecclesiam irent, viderent inter alios in foro ludentes ad talos, qvendam famulum fortem & pulcrum aspectu, licet non benè Vestitum, qvarum una secretè dixit ancillæ suæ, ut illum duceret ad domum suam. Alia verò hoc considerans præcepit ancillæ suæ occultè, ut eum deduceret ad hospitium suum, nec eum dimitteret, qvousqve reverteretur. Qvo facto ipsa eum vestivit honestè & contraxit cum eo matrimonium in facie Ecclesiæ. Prima mulier hoc intelligens, diu fuit ingrata alteri mulieri. Hic famulus natus fuit de Hallis, & adeò honestus & sapiens fuit, qvod in prudentia parem in Virtutibus non habebat.

CAP.

CAP. XLIII.

De

Tribulatione Fratrum post Conflictum.

PROpter hanc stragem fratrum Svantepolcus gavisus est gaudio magno valdè, & apponens iniqvitatem super iniqvitatem suam, addensqve dolorem super dolorem vulnerum fratrum, nitebatur modis, qvibus potuit, qvaliter populum eis subjectum in summa necessitate constitutum ab ipsis averteret & ad voluntatem suam perfidam precibus & muneribus inclinaret, & licet aliqvi ab eo corrupti essent, & ad ipsius beneplacitum occultè inclinati; tamen DEI providentiâ & fratrum discretione provisum fuit, qvod nullus audebat talia publicè ostentare. Et sic ejus machinationibus in nihilum redactis, in malo suo proposito non profecit.

CAP. XLIV.

De

Pace iterum reformata & destructa, & de ædificatione castri Santirii.

SVantepolcus Dux Pomeraniæ prædictus cum in hac callida tentatione non proficeret, invenit aliam graviorem, æstimans indubitanter, tunc tempus aptum & diu desideratum advenisse, in qvo posset sine alicujus resistentia illam modicam scintillam Christi fidelium, qvæ residua mansit, post ultimum conflictum extingvere penitus & delere, & congregavit duo Millia virorum præelectorum in armis, & transiens Wisselam navigio intravit ter-

terram Colmensem,duobus diebus & duabus noctibus sustulit, qvicqvid relictum fuit, aliud convertit in Cinerem & favillam. Medio tempore qvo hæc agerentur , fratres de Culmine cum Nobilibus & civibus suis de civitate Culmensi congregati videntes mala qvæ fecerat Svantepolcus cum Exercitu suo ingemuerunt, & tundentes pectora sua cum lacrymis rogaverunt Deum, dicentes : Parce Domine, parce populo tuo & ne des hæreditatem tuam in perditionem. Fratres attendentes qvod si iterum invaderent exercitum illum & perderent victoriam , sine spe recuperationis amitterent terram Pruschiæ,& fides Christi ibi per consequens deleretur. Nobiles verò & Cives de Culmine dicebant, qvod potius vellent honestè mori in bello , qvam sic vivendo miserabiliter deficere de die in diem. Et irruit Spiritus Domini in fratres & omnes qvi aderant , & licet essent nimis pauci respectu inimicorum ; Confisi tamen in Domino aggressi sunt hostes hostiliter & audacter antè Civitatem Colmensem,& factum est prælium magnum inter eos pluribus cadentibus ex utraqve parte. Tandem Pater misericordiarum & DEUS totius consolationis qvi suos in omni tribulatione consolatur,confortavit fratres in tantum qvod Svantepolcus de hoc perterritus cum omni populo suo fugit & inclinavit se versus locum , ubi naves reliqverat,sperans per easdem evadere. Sed non sic impii, non sic, sed tanqvam pulvis,qvem projecit ventus à facie terræ. Sic venit ventus validus & omnes naves illas longè à littore removit, & factum fuit eis cum istis navibus, sicut accidit Pagano Regi Saracenorum perditâ Victoriâ à facie Karoli fugienti. Et cum non invenirent naves intraverunt Wiselam & submersi sunt præter Svantepolcum & paucos qvi cum eo recesserant, omnes qvi prius gladium evaserant ; Sicqve consolatus est Dominus

nus populum suum in necessitate maxima constitutum. Fratres sic undiqve angustiis angustiati inter multa consilia hinc inde qvæsita tandem fratris dicti Rabe de Redino Viri prudentis & in arduis negotiis circumspecti consilium hoc fuit, ut Mestvvinum filium Svantepolci obsidem mitterent Duci Austriæ & demandarent ad partes Almaniæ, Bohemiæ, Cracoviæ & Poloniæ statum terræ Prussiæ & fratrum, attendentes, qvod negotium fidei & fidelium breviter ibi periret, nisi per divinæ Virtutis auxilium & ipsorum celeriter succurreretur; qvod cum factum fuisset venit fr. Poppo Magister cum IV. fratribus, & de Marchia, Misna & Thuringia Sex fratres. Dux etiam Austriæ misit sub expensis suis XXX. Sagittarios Eqvites in subsidium dictæ terræ. De qvorum adventu fratres multum gavisi sunt. Svantepolcus autem è contra perturbatus & meticulosus factus intantùm, qvod præ timore gratiam qværens iteruu à fratribus obtinuit & vetus pax innovatur. Tantum innata ejus malitia à persecutione fratrum & suorum fraudulentia & Clandestina non cessavit, & qvando super hoc argueretur à fratribus non curavit: Tandem ut occulta ejus malitia detegeretur, congregato Exercito valido, intravit hostiliter Cujaviam terram Ducis Casimiri eam Incendiis & rapinis multipliciter devastando, captisqve ibi multis Christianis & occisis cum aliarum rerum rediit præda magna, super qvo dum iterum reprehenderetur ait: qvod nec propter Papam, nec propter Imperatorem, vel aliqvem viventem vellet desinere persequi hostes suos, & addidit: Reddatis mihi filium meum, si vultis habere pacem mecum. Cum ergò fratres non redderent ei filiũ suum incepit eos publicè persequi sicut prius. Ædificavit enim circa confluentiam fluminum scil. Wiselæ & Nogadi castrum dictum Santirium, in qvo locavit Viros ini-

qvos, qvi Fratrum subditos nec pacificè ascendere aut descendere navigio permiserunt: qvin spoliarent eos rebus suis, vel caperent ac mactarent.

CAPUT XLV.

De
Ædificatione Castri Swetze & impugnatione ipsius.

FRatres itaqve videntes sibi nova bella imminere Castrum Sardovvicz fideli suo Samborio filio Svantopelci resignantes cum omnibus attinentiis commiserunt, ecce mira res & ultra modum stupenda, filii oppoſuerunt se Patri propter severitatem, qvam in fidei & fidelium ignominiam exercebat. Hoc facto fratres miserunt nuncios Legato sedis Apostolicæ & Magistro Generali, nunciantes eis, novum bellum & Statum terræ Pruschiæ. Qvo audito Legatus personaliter crucem contra dictum tyrannum prædicavit, & mandavit in diversis regnis & Provinciis auctoritate Apostolica prædicari. Sed qvia perversa malitia & malitiosa perversitas reproborum lætatur cum male fecerit, & exultat in rebus pessimis, ideò iste gavisus valde de castro Santirio, qvod in grave construxit præjudicium fidei & Christi fidelium, incœpit ædificare castrum aliud ex opposito civitatis nunc Culmensis, qvæ dicitur *(a)* Svvecza, ut omninò in fluvio Wisele tam supra qvam infra transitus Navigio necessarius valdè fratribus non pateat. Qvod cum ad aures Magistri deveniret mandavit fratribus de Colmine, ut cum suis navigio descenderent. Ipse autem cum Fratribus de Thorun & Duce Casemiro ad dictum locum intenderet cum exercitu eqvitare vole-

volebat, nempè dicti castri ædificationem impedire. Svvantopelcus videns naves fratrum ad Littus applicari, sublatis tentoriis, pontem, per qvem aditus ad castrum patuit, dejecit & fugit. Tandem retrospiciens videnqve, qvod fratres eqvites cum suo exercitu non possent convenire ad eos, qvi de Colmine navigio descenderant propter profunditatem fluminis, qvod fuit medium inter eos, resumptâ audaciâ cum suis rediit, & dum videret Magistrum se ad impugnationem castri inclinare, refecto celeriter ponte, misit CCC. Viros ad castrum, ut defenderent. Aggressi ergò fratres cum Duce Casimiro castrum fortissimè impugnaverunt, & tam durum inter eos fuit bellum, qvod utriusqve partis plures homines fuerunt letaliter vulnerati, & de castro multi mortui ceciderunt, sed qvia castrum à Deo firmatum fuit qvod de facili non potuit expugnari fratribus infecto negotio recedentibus, Svantepolcus reversus ipsum castrum melius confirmavit.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. XLV.

(*a*) Erasmus Stella à Svecis sive Gothis hoc oppidum antiqvissimis temporibus esse conditum autumat, eò qvod ipso nomine memoriam Svecorum conservare videatur. Sed dubium primò est, utrum eô tempore populi illi Septentrionales dicti sunt Sveci, ut nunc dicuntur. Antiqvitus enim appellati sunt Svevi, deindè Sveones, tandem Svedi, & regnum ipsum Svedioda & postea contractè Svedia. Svecorum verò nomen recentissimum est. *Vid.* Hugo Grotius *in Prolegom. ad Procop.* Johan. Loccenius *Lib. I. Antiq. Sveco. Goth. cap. I. fin.*

(*b*) Munivit illud castrum An. 1340. Diedericus ab Aldenburg Magister generalis, teste Hennebergero *in Comment. pag. 431.*

CAP. XLVI.

De

Ædificatione Castri Poldenberg.

FRater Poppo Magister considerans dicti Ducis astutiam in hoc, qvod castris se undiqve firmaret, præcavens periculis in futurum, in monte sito inter Civitatem nunc Colmensem & antiqvum castrum, ædificavit castrum qvod à nomine montis Potterberg nuncupavit, locans ibi XII. fratres, cum (*a*) multis armigeris. Hæc ædificatio facta fuit, ne Svantepolcus dictum montem ædificiis occuparet, & factus fuisset error novissimus pejor priore.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Qvadraginta milites fuisse impositos, scribit Auctor Chronici antiqvi Germanico idiomate scripti in 4.

CAP. XLVII.

De

Impugnatione castri & Civitatis Elbingensis.

SVantepolcus Dux Pomeraniæ intelligens absentiam Fratrum & civium de Elbingo congregato magno exercitu ad impugnandum castrum & Civitatem ibidem processit, qvo viso mulieres deposito ornatu muliebri, mentem virûm induerunt & femur cingentes gladio mœnia ascenderunt, tam viriliter se ad defensionem disponentes, qvod nusqvam ibi sexus fragilitas apparebat. Unde Dux æstimans exercitum Fratrum & civium reversum, cum verecundia recessit. Nec credas hoc solum hic

hic factum, sed pluries in (*b*) aliis locis ubi in absentia virorum munitiones fuissent periclitatæ, si non restitisset audacia mulierum.

ANIMADVERSIONES.
Ad Cap. XLVII.

(*a*) Referunt hoc Historici nostri ad An. 1244.

(*b*) Ob similem fœminarum Culmensium virtutem, Privilegium illud Culmense fœminis in familia herciscunda favorabile datum esse perhibetur. Qvamvis autem hujus rei in antiqvis Scriptoribus firmum non reperiam fundamentum, confusè tamen hoc ipsum Dusburgensis hoc loco innuere videtur.

CAP. XLVIII.
De
Qvodam milite Swantepolci.

FUit qvidam miles de familia Svvantepolci, qvi fratres Domus Teutonicæ adeò formidabat, qvod viscera ejus contremuent, dum audiret eorum nomina recitari. Undè accidit hoc tempore, qvod idem Dux causa solatii secessit ad qvandam villam, & ad majorem gaudii exercitationem vocavit qvosdam alios milites ad se & ait: Mittamus unum famulum ad campos, qvi post primum ferculum festinus revertatur & referat fratres cum exercitu advenire, & videamus qvomodo iste miles timidus se disponat, qvod cum eis multum placeret, missus fuit nuncius ad hujusmodi negotium peragendum. Fratres qvibus hoc proditum fuit, cum venissent non longe à dicta villa, nuncius jam exierat, & videns fratres cum armigeris venientes, stupefactus & præ nimio timore pallidus effectus, cum planctu magno & extracto gladio reversus ad Svvantepolcum, ait: Citò

surgite & recedite, qvia revera fratres cum exercitu veniunt. Illi qvi hoc præordinaverant, riserunt; Sed miles ille timidus audiens nomen fratrum, statim saliit ultra mensam & recessit. Sed nuncius ingeminans verba priora, seriosè & cum juramento confirmans, dixit, fratres cum exercitu jam esse in vicinio. Undè Dux aliis ridentibus recessit cum uno famulo, qvem qvidam Frater qvi ad hoc fuerat deputatus seqvens, in qvodam flumine, dum Ducem non posset comprehendere famulum interfecit, alii fratres ceperunt & occiderunt, qvicqvid ibi de familia sua mansit.

CAP. XLIX.

De

Navali Bello.

FRater Poppo Magister solicitus de salute fidelium, misit fratrem Conradum dictum Bremer cum multis armigeris, ut tres naves oneratas victualibus duceret in Elbingium, qvi cum propè veniret Santirium, invenit Svvantepolcum & multos de populo suo cum XX. navibus exspectantes, qvos cum Frater Conradus videret, non tanqvam meticulosus expavescens, sed velut magnanimus in Domino confisus navibus suis virtute remigantium velociter currentibus cum magno impetu ipsos viriliter est aggressus, sic qvod pluribus de navibus Ducis submersis aliæ fuerunt confractæ. Undè hostes videntes eos vicinos, littori accesserunt cum lapidibus, projicientes, Fratri Conrado unum dentem eruerunt, & plures alios læserunt, alii salvi in Elbingum pervenerunt.

CAP.

CAP. L.

Item de eodem.

FRatres de Elbingo qvi adventum istarum navium diu cum magno tædio & defectu expectaverant, instructi de statu terræ Colmensis, naves cum suis initiis remiserunt, qvæ dum venirent, circa castrum Svvetzam, Svvantepolcus cum multis armigeris & X. navibus iterum invasit eos. Capitaneus verò dicti Ducis fratrem Fridericum de Wida qvi aliis præfuit est aggressus, & maxillam ejus lanceâ perforavit, sed frater Fridericus ex adverso se opponens ipsum interfecit. In navi civium de Elbingo, qvæ cum impetu veniens stetit immobilis super arena, occisi fuerunt duo fratres ; Sed frater Fridericus superveniens alios liberavit & in suam navem locavit, sic qvod duobus fratribus & III. viris & de parte adversa XX. interfectis alii evaserunt.

CAP. LI.

De
Qvodam nobili Viro, qvi receptus fuit ad ordinem Domus Teutonicæ.

NOn longè postea deficientibus victualibus in castris, Fratres cum familia sua jam penè media consumpti clamaverunt pro auxilio ad Dominum, qvi pia semper gestat viscera super afflictos. Undè cujusdam nobilis (*a*) viri de Cracovia ad religionis ingressum animum inclinavit, qvi tres magnas naves vino & medone seu mellicrato, & aliis qvæ ad victum sunt necessaria replens & CCC. boves & vaccas, & alia multa jumenta præmisit ad castrum Thorun, seqvutusqve cum magna reverentia

est

est receptus & Ordinis Domus Teutonicæ susceptit (*b*) habitum regularem & fratres de magnis angustiis liberavit.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. LI.

(*a*) Nobilem hunc Virum de Cracovia, ne memoria ejus pereat, nominant qvædam Chronica, sed recentiora. Et qvidem in Bibliotheca Wallenrodiana primum Chronicon dicit, nomen ejus fuisse, Johannes Szandemjeski secundum autem forsan correctius, Joannes Sandomirski. Hunc Joannem Hennebergerus dicit condidisse oppidum Bretchem, qvod Poloni vocitant Bratizan, i. e. frater Joannes, qvia Joannes hic factus erat Frater Ordinis Teutonici. Vid. Henneberg. *in Comment. ad Tab. Geogr. Pruss. tit.* Bretchem.

(*b*) Ordinariè tantùm in Ordinem hunc admittebantur Nobiles Germani, sed extra ordinem admissi etiam sunt Poloni & Prussi Nobiles, ob magna in Ordinem Teutonicum merita, ut alibi uberius demonstrabitur.

Cap. LII.

De *Victoria in qva Fratres mille & qvingentos Pomeranos occiderunt.*

FRater Poppo Magister præmissis exploratoribus, qvi diligentius respicerent qvid ageret Svantepolcus cum suo & Ducis Casemiri exercitu convenit juxta castrum (*a*) Wischerot, ibiqve castra metati sunt exploratores reversi dixerunt, qvod Svantepolcus cum magna potentia exercitus sui staret circa castrum Sveczam & firmaret illum. Consultum ergò videbatur omnibus, ut invaderent eum ibi, præmissiqve sunt de Colmine X. viri eqvites, qvi exercitum inimicorum inqvietarent, qvi de XX. viris

viris ex parte adverſa occurrentibus unum militem occiderunt, alii XIX. viſo vexillo fratrum fugerunt, & ipſis cum fuga venientibus ad exercitum Svantepolci omnes terga verterunt, qvorum pauci ad caſtrum venientes ſalvati ſunt, alii omnes aut ſubmerſi ſunt, vel in ore gladii ceciderunt. Sicqve de populo Pomeranorum (*b*) mille & qvingenti viri in illo die à fratribus ſunt occiſi. De qva victoria fratres Deo grates referentes cum maxima præda hoſtium exultantes in Domino reverſi ſunt.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Codex Regiomontanus habet Weſtherod; Elbingenſus Wiſcherod. Nobiliſſimus Dominus Zamelius putat legendum Wiſſegrod.

(*b*) Jeroſchinus habet mille & qvinqvaginta.

CAP. LIII.

De *Qvodam miraculo.*

HOc tempore qvidam de Miſna cruceſignatus, dum completo peregrinationis ſuæ voto ſtetiſſet per annum in terra Pruſchiæ in reditu verſus Patriam ſuam mortuus eſt in via, cujus filius ſolicitus de diuturna Patris abſentia, qværens Patrem in Pruſchia non invenit, ſed cum rediret venit ad qvandam villam, ubi Epiſcopus cœmiterium conſecravit, in qva conſecratione dum Epiſcopus (*a*) aqvam benedictam aſpergeret ſuper tumulos defunctorum, cujusdam mortui corpus de ſepulcro exiliens (*b*) appodiavit ſe ad parietem Eccleſiæ, qvod primo ſolus Epiſcopus vidit, ſed tandem oratione impetravit, qvod totus populus qui conſecrationi interfuit vidit manifeſtè. Conjuravit itaq;

Epiſcopus illum mortuum, ut diceret quis eſſet, & quare de ſepulcro exiliiſſet, qui reſpondit, quod fuiſſet in terra Pruſchiæ alienus per annum, & in reditu mortuus & ibi ſepultus, & propter unum agrum quem vicino ſuo dum vixerat injuſte abſtulit damnatus fuiſſet, ſed propter votum peregrinationis, ipſe Chriſtus, cujus injuriam vindicavit pœnam æternam in temporalem commutavit, ut ſcilicet in Purgatorio puniretur, quousque aliquis de propinquis ſuis redderet dictum agrum. Quo facto Epiſcopus quæſivit, ſi aliquis notitiam haberet ejus? Cui reſpondit filius, quod ille mortuus eſſet pater ejus, & promitteret bona fide dictum agrum ſe redditurum, quo dicto Epiſcopus juſſit dictum mortuum redire ad ſepulcrum quod & ipſe fecit. Ecce quantam gratiam confert ipſe Chriſtus & vivis & mortuis peregrinis, qui vicem ejus dolent in opprobrio ſuæ crucis & Eccleſiam ſanctam ab oppreſſione infidelium exponendo res & corpora defendere non formidant.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Aqvam luſtralem primùm inſtituiſſe Alexandrum I. Papam, habet Platina *in ejus Vita*. Antiqvum ejus aqvæ in Eccleſia eſſe uſum, cognoſcimus ex Euſeb. *lib. 10. Hiſt. Eccl. cap. 4.* Gregor. Nazianz. *Orat. 10.* aliis.

(*b*) i. e. *applicavit ſe ad parietem*, ſive innixus parieti. *Vid.* Gerhardus Joannes Voſſius *lib. III. cap. I. pag. 370. & lib. IV. cap. I. pag. 679. de Vitiis Serm. Latini.*

CAP. LIV.

Item de Victoria Fratrum, in qva iterum MD. de Pomerania ſunt occiſi.

Poſt-

Conradus Landgr. Thuring. V. Mag. Gen. Ord. Teut.
Poppo de Osterna II. Mag. Provincialis in Prussia.

POstqvam Legatus sedis Apostolicæ crucem in propriâ personâ prædicavit & jussit per alios in regnis & provinciis ad hoc deputatis prædicari, commoti sunt Principes & Nobiles de Almannia super contritione terræ Pruschiæ, misitqve Dux Austriæ in subsidium Drusigerum Dapiferum suum cum multa militia & viris exercitatis in bello, venit & Henricus de Lichtenstein miles, & cum eo plures peregrini. Cum his & Duce Casemiro Magister & fratres cum suis intraverunt terram Pomeraniæ & potenter & hostiliter per transeundo IX. diebus & noctibus vastaverunt, sic qvod non erat in ea angulus aliqvis qvod non rapina & incendio visitassent. Medio tempore qvo hæc agerentur Svantepolcus cum suis subditis & Neophytis terræ Pruschiæ congregavit exercitum grandem nimis, & fratres cum suo exercitu recedentes seqvens singulis noctibus mansit in eo loco, in qvo fratres fixerunt tentoria sua, ligans (*a*) dextrarios suis, ubi fratrum eqvi erant prius locati & sic notans numerum tentoriorum & viarum diversitatem consideravit, qvod exercitus suus in duplo fratrum exercitu Major esset, & gavisus est gaudio magno valdè, & confortans suos, consolatus est in hæc verba: Crastinâ die faciemus, qvod Pomerani & Prutheni à jugo Teutonicorum in perpetuum absolventur. Manefacto dum fratres recederent, qvidam de exercitu Svantepolci invaserunt spolium qvod multum fuit nimis. Occupavit enim duas leucas (*b*) & de viris qvi ordinati sunt ad custodiam ejus XXX. occiderunt. Sed Drusigerus missus à Magistro qvod considerans Dominus Henricus de Lichtenstein repentè irruit in hostes, & prædam qvam abstulerant restituit in locum suum. Qvo percepto Svantepolcus cum tribus turmis venit in auxilium suis, qvos videntes Poloni perterriti omnes fugerunt, præter qvendam militem Martinum

tinum de Crudevvitz vexilliferum & Ducem Casemirum, ad cujus consilium statim missum fuit pro Domino Henrico de Lichtenstein; medio tempore Fratres ordinaverunt se ad pugnam. Sed Svantepolcus considerans qvod fratres nollent fugere, mandavit mille viris potioribus de exercitu suo, ut de eqvis descenderent, informans eos, ut cum magno strepitu & clamore fratres invaderent, & stantes retrò occultati (c) clypeis cum Lanceis suis eqvos Christianorum transfigerent, dicens, gravibus (c) onerati sunt armis & pedestres bellare non possunt. Post ordinationem utriusqve exercitus ad prælium, Dominus Henricus reversus fuit, & intuens hostes ait ad fratres: periculum est in mora, accedamus ad eos; & irruerunt, cum impetu in hostes, factusqve est conflictus horribilis inter eos, & de exercitu Svantepolci in loco certaminis mille qvingenti viri mortui ceciderunt, de Christianis nullus fuit lethaliter vulneratus, præter X. (a) dextrarios eorum, qvi transfixi lanceis hostium occubuerunt. Sicqve fratres & peregrini cum mille sexcentis dextrariis adversariorum, & præda alia multa nimis & gloriosa victoria redierunt, cooperante Domino nostro Jesu Christo, qvi est benedictus in secula seculorum Amen. Drusigerus Dapifer, qvi prius tanqvam formidolosus à bello cum suis recesserat, nunciavit in civitate Thorun fratres & peregrinos & totum exercitum Christianorum in prælio cecidisse, & factus fuit tantus planctus in terra Colmensi & Poloniæ à Christi fidelibus, qvantus à seculo est auditus. Sed crastina die circa horam vesperarum, dum fratres cum suo exercitu victoriosè redirent, facta est lætitia magna in populo Christiano & tanta qvod etiam hesterniæ diei mœstitiam excedebat.

ANIMADVERSIONES.

(a) Occurrit hoc vocabulum *infra cap. 101. & cap. 239.* Qvid autem per dextrarios intelligatur, notavimus *ad cap. CIII.* (b)

(*b*) Schuzius *lib. 1. fol. 24.* habet: fast eine deutsche Meile
(*c*) Notari hic merentur arma Pomeranorum & Fratrum Ordinis Teutonici.

CAP. LV.

De

Reformatione pacis inter Swantepolcum & Fratres.

CUm sic terra Pomeraniæ justo DEI judicio esset depopulata, Svantepolcus Dux, qui ante tanquam leo rugiens, erecta cervice circuit, quærens quomodo fratres & novellam fidem cum multa Christiani sangvinis effusione plantatam in terra Pruschiæ destrueret. Nunc quasi agnus mansvetus, demisso vultu, inclinato capite, humiliter supplicavit fratribus, ut eum ad solitæ benignitatis suæ gratiam recipere dignarentur. Fratres attendentes, quod ipse in angustia positus semper sub simplici & agnina pelle cor vulpinum omni dolo & astutiâ plenum gereret, qvod rei exitus approbavit, qvia jam (*a*) tertia vice sub sacramento suo firmata fœdera pacis rupit, timebant ab eo iterum defraudari: Sed qvia bonum pacis semper amplectendum est, propter eum qvi est auctor pacis & amator, qvi est Christus JESUS, ideircò post varios tractatus veterem inter se & dictum Ducem habitam (*b*) pacem secundum formam pristinam cum cruce signatorum consilio reformabant.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. LV.

(*a*) Connumerat hic & illa Pacta, qvibus An. 1232. Sventepolcus, ut Princeps Christianus, se Ordini Teutonico contra Prussos paganos auxilio futurum promiserat. Cæteroqvi bis tantùm, ut cum reconciliato sibi hoste, pacta inierant Cruciferi. Primò An. 1243. *Vid. supra cap. 39.* Deindè An. 1244. *ut supra in titulo capitis 44. indicatur.*

(*b*) An. 1246. Oppisso Abbas Messanensis ab Innocentio Pontifice Legatus pacem inter Sventopolcum Pomeraniæ & Casimirum Cujaviæ Lencitiæqve Duces atqve Cruciferos redintegravit exacto à Sventopolco jurejurando, qvo nihil se deinceps cum Prussis Paganis commercii habiturum esse, promisit. Qvo facto à censuris Gvilhelmi prioris Legati in eum vibratis ipsum absolvit Abraham Bzovius *Tom. XIII. Annal. addict. an. n. XVIII.* & antè eum Matth. à Michov. *lib. 3. Chron. Polon. cap. 44.*

CAP. LVI.

De

Fratre Henrico Magistro III. An. Ch. MCCXLVII.

FRater Henricus de Wida Magister terræ Pruschiæ tertius præfuit VIII. annis. Hic nobilem Virum Dominum de Wida consangvineum suum cum qvinqvaginta viris expertissimis (*a*) in bello adeo viriles fuerunt, qvod fama publica de ipsis testabatur, qvod hasta eorum nunqvam fuerit aversa, nec sagitta ipsorum abiit retrorsum, & multos Nobiles de Almannia peregrinos ad terram Pruschiæ secum duxit. Hic frater Henricus de licentia uxoris suæ habitum fratrum Domus Teutonicæ suscepit, & ipsa claustrum Sanctimonialium in (*b*) Tronsivvitz intravit, qvod claustrum ipse instituit & fundavit, & donis Magnificis dotavit. In quo etiam ipse post multa bella quæ gloriosè in dicto officio gessit, ut inferius apparebit, vocatus à Magistro generali ad Capitulum in itinere infirmatus, mortuus est & sepultus.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) De sunt qvædam supple itaqve hæc: *misit, qvi.*
(*b*) Dranzwitz habet Schüz. *lib. 1. fol. 24. b.*

CAP.

CAP. LVII.

De

Expugnatione cujusdam castri & de castro Christburg.

HIc frater Henricus Magister postquam instructus fuisset à Fratribus, quot mala Svvantepolcus & sui complices Neophyti Apostatæ terræ Pruschiæ fidei & fidelibus intulissent, incepit toto cordis desiderio ad ipsorum destructionem & exaltationem fidei laborare. Congregatis ergo fratribus & peregrinis, profectus est ad bellum, & in vigilia Nativitatis Dominicæ noctis medio quiescentibus hominibus venit ad castrum Pomeranorum, quod situm tunc fuit in loco, qui nunc dicitur Christburg antiqvum, & applicatis scalis ad mœnia occulte intraverunt, captisque & occisis omnibus expugnaverunt, ponentes ibi fratres & armigeros multos pro custodia dicti castri. Hujus etiam nomen quia in ipsa nocte Nativitatis Christi fuit à fidelibus expugnatum, vocatum est Christburg, quod interpretatur castrum Christi, quod vocatum est ab Angelo testamenti priusquam in mente Magistri aut aliorum fratrum conciperetur.

CAP. LVIII.

De

Translatione Civitatis Colmensis.

HOc tempore nobilis ille & illustris Princeps (*a*) de Antlat cum multa militia venit ad terram Pruschiæ, & præter multa bona, quæ ibidem gessit ad corroborationem fidei & fidelium Civitatem Colmensem de castro antiquo (*b*) transtulit ad cli-

clivum montis, in quo nunc sita est, per quam translationem terra Colmensis salvata fuit.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. LVIII.

(*a*) Chron. Germ. antiqvum in formâ qvartâ habet Anclant. Jeroschinus legit Aulardt.

(*b*) Grunovius hanc translationem adscribit Eberhardo de Seyne qvem cum plena Magistri potestate huc in Prussiam ut Visitatorem fuisse missum refert. Perperam autem translationem hanc An. 1254. contigisse Privilegiumqve Culmense post eam translationem renovatum esse refert. Cum Privilegium illud Culmense Anno 1233. datum & An. 1251. renovatum esse constet. Habetur hujus privilegii ab Eberhardo de Seyne An. 1251. renovati autographum exemplar latino sermone scriptum in tabulario Thorunensi, qvod simul cum aliis Terrarum Prussiæ Privilegiis, Cracoviæ in comitiis Coronationis Serenissimi Regis Joannis III. à Statibus Prussiæ productum est. Vidi & ego hoc ipsum Privilegium Culmense indultu Magnifici Magistratus Urbis Thorunensis. Est illud in membrana charactere satis eleganti scriptum. Habet duo sigilla funiculis suspensa. A dextrâ appendit sigillum Vices-gerens Magistri generalis per Germaniam, cujus forma est hæc: Expressa est B. Virgo puerulum JESUM in sinistro gestans brachio, dextrâ verò manu sceptrum tenens. Epigraphe est S. PRÆCEPTORIS ALEMANNIÆ. A Sinistrâ appendit sigillum sine dubio Provisor Prussiæ sive Magister Prussiæ Provincialis. Distinctè enim hoc dignosci non potest, cum illud sigillum jam sit vetustate corruptum. Ad verbum autem convenit cum eò, qvod in Juribus Municipalibus Prussiæ Regiæ, ut & Privilegiis Prussiæ Ducalis typis est impressum. Germanicum Privilegii Culmensis renovati exemplar satis antiqvum, habetur etiam in Bibliotheca Vindibonensi, ab ipso forsan Magistro Prussiæ Imperatori illo tempore transmissum. Initium ejus & finem exhibet nobis Petrus Lambecius *lib. 3. Bibl. Vind. bon. cap. 8. fol. 833.*

CAP.

CAP. LIX.

De
Diversis Tractatibus & Parlamentis Svvantepolci.

SVVANTEPOLCUS audiens adventum Magistri, rogavit eum, ut Dominum Henricum de Lichtenstein sibi mitteret, qui cum ad eum venisset, post multas querelas, quas de fratribus coram eo proposuit, ait: paratus sum ad omnem justitiam me obligare, & facere quicquid præceperint Fratres, si filius meus restituitur, quem dedi eis in obsidem. Dominus Henricus attendens, quod in veritate dirigendus est quilibet & docendus, dixit ad eum: Filium vestrum nullo modo rehabere potestis, quia pacem, pro cujus securitate ipsum Fratribus in obsidem tradidistis, non semel sed pluries irritastis, adhærendo Apostatis & infidelibus, cum quorum exercitu terram Christianorum & fratrum rapinâ & incendio devastastis, & negotium fidei infinitis angustiis Christianorum magnificè promotum per vestram militiam destruxistis, Christi fidelibus quibusdam miserabiliter trucidatis, aliis in servitutem perpetuam deductis. Undè non justitiam, sed gratiam reqviratis. Sed quia Veritas odium parit, & à perversis continnè detrahitur sermonibus veritatis; Ideò istè perfidus Svvantepolcus tanquam aspis surda obturans aures suas à veritate, auditum avertit, & talia verba ab ipso audire contemnens, dictum Dominum Henricum salvum remisit in civitatem Colmensem, ubi Magistro & Fratribus quæ audiverat recitavit. Non longè postea idem Dux Magistrum induxit, quod cum eo convenerat in quadam Insula Wisele, ubi post multos variosq; tractatus habitos inter se sine fine amicabili sunt divisi.

CAP. LX.

De

Resignatione pacis & Vastatione terræ Cujaviæ.

ELapso modico temporis spatio Svvantepolcus iterum ingratus beneficio & multifariæ gratiæ, quam eidem in summa necessitate constituto, fratres sæpius exhibuerant, occultè homines fratrum spoliavit, & modis variis perturbavit. Tandem resignans publicè pacem, incepit Christianos hostiliter persequi, sicut prius, & congregato exercitu valido, Cujaviam terram Ducis Casemiri intravit improvisè, & vastavit eam incendio & rapinâ, & occisis multis Christianis, mulieres & parvulos cum aliarum rerum magno spolio secum duxit.

CAPUT LXI.

De

Expugnatione castri Christburg.

NEc dum idem Svvantepolcus satiatus sangvine Christiano, apposuit adhuc peccare, ut in iram Deum excelsum denuò provocaret. Invidebat enim felicitati Fratrum in eo, qvod castrum Pomesanorum nuper expugnaverant, & cogitavit, quomodo vindicaret. Congregavit ergò omnem potentiam exercitûs sui & Neophytorum Pruschiæ, & ut præmissum est, quia omni dolo plenus fuit, semper dolosè egit. Undè divisit exercitum suum in duas partes, ut una castrum antè invaderet, altera retrò. Processit itaqve ipse cum una parte dicti exercitûs ad anteriorem partem infirmiorem, & adeo infestus

fuit

fuit in impugnando, quod fratres vix poterant defendere illam partem. Undè factum est, quod alia pars exercitus in posteriori parte sine aliquo defensionis obstaculo castrum subintravit. Sicque isti antè & retrò ipsos impugnaverunt, ita ut breviter concludendo omnes fratres cum eorum familia in ore gladii trucidarent.

CAP. LXII.

De
Reædificatione castri Christburg.

EX hoc lamentabili eventu Fratres & Magister perturbati consideraverunt, quod indomita colla istarum gentium non possent fidei subjugari, nisi in medio Nationis ejus perversæ haberent castrum, de quo ipsas quotidiè impugnarent. Convocatâ iterum multitudine peregrinorum, qui continuè de partibus Almaniæ per prædicationem S. crucis confluebat. Præparatis omnibus, quæ ad ædificationem castrorum fuerunt necessaria, processerunt ad terram Pomesaniæ, immutantes locum, & non nomen, ædificaverunt (*a*) castrum Christburg in eo loco, in quo permanet usque in præsentem diem, ad laudem & gloriam JESU Christi, munientes ipsum omnibus, quæ ad custodiam castrorum fuerunt necessaria, relinquentes & ibi magnam potentiam armatorum. Postea in successu temporis locaverunt ibi circa castrum civitatem, ad quam inhabitandam confluebat multitudo fidelium, qui pro defensione fidei Christianæ quotidie intrepidè res & corpora exponebant.

ANIMADVERSIO.

(*a*) New Christburg. Castrum hoc jam ante An. 1249. fuisse conditum cognoscimus ex Privilegio Prussis Veteribus dicto anno, die 7. Id. Febr. à legato Pontificio dato ubi jam mentio fit novi & Veteris Christburg.

CAP. LXIII.

De

Devota vita Fratrum de Christburg.

IN hoc castro Christburg fuerunt DEO devoti & miri tam abstinentiæ regularis quam observantiæ Sectatores, & cum hoc strenui milites in bello, ita ut verè posset de ipsis dici, qvod in domo Monachalem, & in campovitam ducerent militarem. Inter hos fratres fuit quidam dictus de Glisberg, qui tantæ fuit sanctitatis, quod in die Paraſceves, dum divinum officium in Ecclesia ageretur, & more solito geniculando se inclinaret ad crucem osculandam, imago crucifixi lignea elevans se extendit brachia sua, volens eum circundando brachiis amplecti, qvo se idem frater indignum æstimans ait: Non decet te Domine, quod tu inutilem peccatorem amplectaris. Fuit & quidam alius frater, qui circa cutem suam nudam catena & grossa & ferrea continuè usque ad mortem suam pro nocturnali cingulo utebatur.

CAP. LXIV.

De

Morte Pomeranorum plurium & Pruthenorum.

ÆDificato castro Christburg turbati sunt insipientes corde, Neophyti & Svantepolcus, & continuaverunt unanimiter, quomodo ipsum dejicerent & delerent, impugnationem modis attentantes. Tandem fecerunt inter se mutuam conspirationem, ut simul obsiderent castrum Christburg: nec recederent ab obsidione, quousque terræ alteri coæquaretur. Congregati

ti ergò Prutheni cum magno exercitu, præmiserunt multos armigeros, qui currus & quadrigas ducentes victualia & arma custodirent, quos præmissos invaserunt fratres in prælio & omnes occiderunt, currus & quadrigas ad castrum suum deducentes. Quo percepto, Prutheni indignati ad propria redierunt. Sed Svantepolcus cum exercitu suo venit ad castrum Santirium, ibique castra metatus est, & præmisit multos milites & armigeros, qui utrum castrum Christburg obsessum esset diligentius explorarent, quos milites invaserunt & fratres de Christburg, & occisis pluribus ex eis, alii fugientes cum clamore valido venerunt ad exercitum Domini sui Svantepolci. De quo idem exercitus Pomeranorum tantum territus fuit, quod omnes terga verterunt. Quo viso, fratres sequebantur eos, & quosdam occiderunt, aliquos ceperunt, sed Dux cum paucis navigio vix evasit. Sicque Svantepolcus devictus, quia tota virtus exercitus sui fuit enervata, à modo conquievit.

CAP. LXV.

De
Conflictu in Nattangia ubi LIV. fratres cum multis Christianis fuerunt occisi.

POstquam maledictionis iste filius Svantepolcus opposuit se fratribus, & Neophytos terræ Pruschiæ ad Apostasiam fidei incitasset, non patebat via secura nec per terram nec per aquas ad partes inferiores, nec è converso, nisi in gravi multitudine pugnatorum. Unde Magister justos fratres & armigeros misit,

Anno Domini MCCXLIX. mortuo Landgrafio, Wilhelmus Comes Hollandiæ electus fuit in Regem Romano.

sit, qui fratres de Elbingo & Balga sibi assumpserunt, & armatâ manu intrantes terram (a) Nattangiæ perincendium & rapinam vastaverunt, factaque magnâ strage hominum dum recedere vellent, invenerunt omnes vias per hostes occupatas, & potenter exercitum prohibentes, sic quod coacti fratres retrocesserunt ad villam quæ dicitur Crucke, quod videntes Prutheni obsederunt eos. Itaque nec isti audebant intrare ad eos, nec illi ad istos exire ad pugnam, tandem crescente turbâ Pruthenorum coacti sunt fratres subire hæc pacta. Dederunt enim fratrem Henricum dictum Botel Marschalcum & tres alios fratres in obsides sicut Prutheni petebant, ut alii capti salvi tamen in corpore permanerent. Hæc pacta solùm illi DEO delicto fratri Johanni Vice-Commendatori de Balga displicuerunt, qui consuluit bonâ fide, ut fratres confisi in Domino intrepidè exirent ad pugnam. Prævalente ergo consilio aliorum & datis obsidibus, ut dictum est, Prutheni rupto fœdere irruerunt in illos, & LIV. fratres & omnes alios occiderunt. Anno Dn. M.CCLIX. Post hanc cædem quidam vir de Nattangia caput fratris Johannis Vice-Commendatoris prædicti fixit in lanceam & elevans in altum ait: Si tuo sano consilio acquievissent fratres tui, occisi utique non fuissent. Inter istos quidam frater Martyrium fuit passus, Prutheni ligaverunt eum vivum per manus ad arborem & excisum umbilicum ventris sui, cui adhærebat viscus, affixerunt arbori, quo facto plagis multis compulerunt eum ut circuiret arborem quousque omnia viscera ipsius arbori adhæserunt, & sic in confessione veræ fidei reddens DEO Spiritum expiravit. Volve & revolve omnia scripta Martyrologii, ubi non occurret tibi tale genus Martyrii? Nec Tarquinius superbus primus inventor omnium tor-

(a) *manorum; sed post modicum tempus est à Frisonibus interfectus & sic uterque cæpit coronâ Imperiali.*

tormentorum genus hujusmodi invenit. (*b*) Ecce quomodo concluſit Dominus in gladio populum ſuum, effuderunt enim gentes ſangvinem ipſorum tanquam aquam in circuitu terræ, & non erat qui ſepiliret, ſed carnes eorum terræ beſtiis reliquerunt. Usque quo Domine iraſceris, in finem miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri ut ultio ſangvinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt, introeat in conſpectu tuo. Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, & propter gloriam nominis tui propitius eſto nobis, ne forte dicant gentes, ubi eſt Deus eorum.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Waiſſelius refert hoc ad An. 1249. diem S. Andreæ ſacrum.

(*b*) Adduntur hic qvædam in codice Regiomontano; Sed qvoniam nullum habent ſenſum, deſuntqve in Codice Elbingenſi, meritò & hic omittuntur.

CAP. LXVI.

De
Peregrinis & Pace reddita terræ Pruſchiæ.

HÆc plaga magna DEI facta in fratribus & populo, & ad aures Principum Almaniæ pervenit & commovit eos ad compaſſionem. Unde factum eſt, quod ipſe Chriſtus, qui percutit, & ſanat, tetigit gratia ſui Spiritus quorundam Principum corda, videlicet Marchionis de Brandeburg, qui An. Dn. MCCLI. & Epiſcopi de Mersburg, & Comitis Hen-

An. MCCL. Henricus Rex Daciæ à fratre ſuo juniore Abel occiditur, ut pro eo regnaret, ſed juſto Dei judicio ne pro malitia commodum reportaret, ſecundo anno eſt à Friſonibus occiſus. Hoc factum prædixit Regi S. Wenceslaus Dux Bohemorum, qui antè

CCC. annos eodem modo à fratre suo fuerat interemptus, & rogavit dictum Regem Henricum ut in honorem sui nominis Ecclesiam faceret fabricari, sicut fecit, scilicet Monasterium Ordinis Cisterciensis in Revalia quæ est sita in terra Lyvoniæ. Anno Domini MCCLI. Conradus filius Friderici Imperatoris secundi de filia Regis Jerosolymitani intravit regnum Apuliæ & Neapolim muros funditus destruxit, sed anno sequenti mortuus est veneno.

Henrici de (a) Sitarsburg, qui anno ejusdem sequenti intraverunt terram Pruschiæ cum multitudine armatorum, quorum singuli terminos dictorum Apostatarum potenter pertransierunt, incendio & rapina destruendo, occidendo & rapiendo, quousque omnino deficerent nec ultra possent aliqualiter respirare. Ex tunc Pomesani Warmienses, Nattangi & Barti ordinante Domino JESU Christo, in cujus manu sunt omnes potestates & omnium jura regnorum, reversi sunt ad fidem, & Fratrum imperio datis obsidibus se iterum subdiderunt. Eodem tempore & eadem causa fatigatus Svvantepolcus Dux Pomeraniæ laboribus & expensis, nec valens ultra resistere fratribus, compositionem, quam fecit (b) Jacobus Archidiaconus Leodiensis, qui postea fuit Urbanus Papa IV. inter eum & fratres servavit ratam, usque in finem vitæ suæ. Sicque à die quâ incœpit bellum Svvantepolci fuit anno undecimo terminatum & terra Pruschiæ in pace quievit.

ANIMADVERSIONES.

Ad Caput LXVI.

(a) Schwartzburg habet Jeroschinus.

(b) Hic etiam Jacobus Archidiaconus Leodiensis Legatus Pontificis Romani Pacta cum Prussis veteribus, qvæ sub calcem Chronici hujus dabimus An. 1249. iniisse dicitur. Hæc alii, forsan præsente Dusburgii capite inducti, ad An. 1251. alii ad Anno 1252. ad alium annum alii rejiciunt. Constat autem Cruciferos aliqvoties Prussis Veteribus Privilegia dedisse. Provinciæ namqve Culmensi Pri-

Privilegium, qvod vocatur Culmense datum est An. 1233. Cum Provincia Pomesanienſi deindè Pacta qvædam interceſſiſſe teſtatur Dusburgenſis *part. 3. cap. 14.* An verò cum Pogesanis pacta peculiaria ſint ſancita non memorat Dusburg. *cap. 15.* Poſthæc cum Natangi, Warmienſes & Barthenſes eſſent ſubacti, hæc ipſa Pacta An. 1249. ſancita eſſe putamus, tametſi Dusburgenſis eorum cap. 27. nullam faciat mentionem. An ſint An. 1251. renovata, non liqvet. Sed neqve cognoſci poteſt, utrum cum Sambienſibus aliisqve Pruſſicis gentibus poſtea ſub jugum Cruciferorum actis aliqva interceſſerint Pacta; cum Dusburgenſis nihil de iis habeat *Vid. infra cap. 70. 72.*

CAP. LXVII.

De
Bello Sambitarum, Devaſtatione territorii Girmovv.

MUlta bella geſta ſunt contra gentem Sambitarum, quæ ſingulariter enumerare nimis longum eſſet, tamen aliqua ſunt ponenda. Frater Henricus dictus Stango Commendator de Chriſtburg cum exercitu magno de Magiſtri mandato proceſſit ad bellum contra Sabiam & intravit circa locum, ubi nunc ſitum eſt Caſtrum Lochſtete tempore hyemali vaſtando per incendium & rapinam ex utraque parte usque ad villám Girmovv occiſis & captis multis hominibus, ubi occurrunt eis Sambitæ armatâ manu, quibus ſe oppoſuit idem Commendator, quaſi leo intrepidus, & ut retardaret, quousque exercitus ſuus poſſet recedere ad tutum locum, lanceis ſuis plures vulneravit, tandem circumvenerunt eum Prutheni dolose & plagis pluribus impoſitis de equo dejecerunt. Quod videns frater Hermannus germanus dicti Commendatoris, commota fuerunt viſcera ejus ſu-

per fratre suo, non valens tam injuriosam mortem ipsius sustinere, accessit ad bellum, & post longam defensionem, in qua plures lethaliter vulneravit, ambo mortui ceciderunt; alii fratres cum exercitu suo evaserunt.

CAP. LXVII.

De

Qvodam miraculo.

DE isto fratre Henrico Stangone Commendatore de Christburg refertur indubitanter, quod dum ipse in capella flexis genibus ante altare rogaret Deum, ut ostenderet ei aliquo signo, si ejus gratiam meruisset, crucifixus ligneus, coram quo oravit, extendit brachium suum, & cruce signando ipsum benedixit, quo signo viso contentus recessit. Hoc vidit & publicavit frater Henricus ejusdem castri Sacerdos, qui tunc orando in quodam capellæ angulo latitabat.

An. Domini MCCLIII. Alexander Papa IV. qvondam legatus Wilhemmus terræ Poloniæ & Pruschiæ, vacante Imperio fedit. Hic fuit beneficus gratiosus & pius in pauperes & multa bona fecit pro statu terræ Pruschiæ qvi angustias, qvæ ibi fratres domus Teutonicæ & alii Christi fideles patiuntur, fide viderat oculatâ.

CAPUT LXIX.

De

Prænostication eventus belli Sambitarum.

Sam-

SAmbitæ post ædificationem castri de Balga curiosius exquirentes fratrum conditionem & statum volentes plenius experiri, miserunt unum de Senioribus suis versus Balgam, qvod fratres cognita causa itineris sui grataner susceperunt, omnia facta sua in refectorio, dormitorio & Ecclesiam ei ostendentes; qui cum habet plenam de statu fratrum notitiam reversus ad Sambitas ait: Scitote quod fratres sunt homines sicut & nos, habent laxos & molles ventres, sicut & nos videtis habere in armis, cibis, & aliis satis conveniunt nobiscum. Sed in hoc differunt à nobis: Habent enim unum opus in consvetudine, quod sine dubio destruet nos. Ipsi singulis noctibus surgunt de strato suo & conveniunt in oratorio & in die pluries, & exhibent reverentiam Deo suo, quod nos non facimus. Unde in bello nos sine hæsitatione aliqua superabunt. Et quia iste vidit fratres comedentes (*a*) caules, quibus Prutheni non utebantur, credidit esse germina, undè addidit: & ipsi etiam comedunt germina, sicut equus & mulus, quis posset talibus resistere, qui in solitudine sine labore inveniunt cibum suum?

DE MAGISTRO ORDINIS DOMUS TEUTONICÆ VI.

Fr. (b) *Poppo de Osterna Mag. generalis VI. Ordinis domus Teutonicæ fuit hoc tempore. Hic post multa bella quæ ante assumptum officium & post gloriosè gessit in terra Pruschiæ & Livoniæ, gravatus senio & labore officium suum humiliter resignavit, & successit ei frater* (c) *Anno in officio supra dicto.*

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Hoc ex Dusburgensi habent. Hennebergerus, Waisselius, & alii plurimi. Ego qvid de hac relatione sentiendum sit, ignoro. Erasmus enim Stella Prussos Veteres elixarum carnium usum ignorasse, terram etiam minimè coluisse refert. *lib. 1. antiq. Boruss.* Undè concludimus, illos inter alia & his, qvæ ex terra sponte nascuntur, vitam sustentasse, nilqve nisi herbas, lactucam & alia olera comedisse.

disse. Testatur id de omnibus ferè gentibus antiqvis universè Porphyrius, qvod herbis olim virentibus victitarint, earumqve primitias Diis in sacrificium obtulerint *lib. II. de Abstinentia.* Consentit cum his Hesiodus qvi aureum sub Saturno genus hominum describens, de ipsorum victu hæc habet:

— — — Καρπὸν δὲ ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα.
Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον. — — —

Lib. I. Operum & dierum vers. 117. seq. Ovidius qvoqve Lib. II. Fastorum v. 147. de Arcadibus populis vetustissimis, & antè Jovem genitum terras in Græcia possidentibus, hæc habet:

Pro domibus frondes norant, pro frugibus Herbas,
Nectar erat palmis hausta duabus aqva.

Et lib. 4. Fast. v. 185.

Lacte mero veteres usi narrantur & HERBIS.
Spontè suos si qva terra ferebat, ait.

Et postea v. 197. seqq.

Panis erat primis virides mortalibus HERBÆ
Qvas tellus nullo solicitante dabat.
Et modo carpebant vivax è cespite GRAMEN,
Nunc epulæ è tenerâ fronde cacumen erant.
Postmodò glans nata est, bene erat jam glande repertâ
Duraqve magnificas qvercus habebat apes.
Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.

Speciatim verò de Fennis, à qvibus Lithvanos Prussosqve originem traxisse credo, sic loqvitur Tacitus lib. de morib. Germ. in fine: *Fennis mira feritas, fœda paupertas, non arma, non eqvi, non penates: VICTUI HERBA, vestitui pelles, cubile humus: sola in sagittis spes, qvas inopiâ ferri ossibus asperant.* Qvæ cum Prussis veteribus apprimè conveniant omnia, cur solum victum ex herbis ipsis denegaremus? Vid. infra Dissert. XV. de Re Oeconomica Prussorum.

(*b*) Vide qvæ supra ad Vitam Conradi Landgravii Thuringiæ dicta sunt.

(*c*) Est Hanno de Sangerhausen, de qvo postea agetur. CAP.

CAP. LXX.

De *Subjugatione Sambitarum.*

REversis ad fidei unitatem gentibus supra dictis, restabant adhuc Sambitæ, ad quorum subjugationem Christus anno incarnationis suæ MCCLIV. misit (*a*) Ottocarum Regem Bohemicæ, virum utique DEO devotum, & exercitatum in armis, Otthonem Marchionem de Brandeburg, qui in itinere hujus peregrinationis Marscalcus ejus fuit; Ducem Austriæ; (*b*) Marchionem Moraviæ; Henricum (*c*) Episcopum Colonienſem; & Episcopum Warmienſem; & Episcopum (*d*) Olmacenſem, cum ingenti multitudine peregrinorum, & de Saxonia, Thuringia, Misna, Austria & Rheno, & aliis Almaniæ partibus Barones, milites & nobiles, quorum animus accensus fuit ad vindicandam injuriam Domini crucifixi. Tanta fuit multitudo hujus exercitus, quod excedebat numerum LX. millium pugnatorum. Curruum & quadrigarum, ducentium arma & victualia, numerum non audivi. Venit itaque exercitus iste tempore hyemali in Elbingum & negotium fidei, quod DEUS in sua providentia disposuit ad salutem, inimicus humani generis Diabolus voluit impedire; ordinavit etiam quod inter unum virum de Saxonia, & alterum de Austria in quodam molendino tanta fuit orta altercatio, quis eorum primus deberet molere; verum etiam Rex & alii Principes armâ ad pugnam induissent, sed vir DEI Olmacenſis Episcopus pacis amator hujusmodi dissensionis materiam amputavit, & pacem pristinam reformavit. Facta ergò concordiâ, Rex Bohemicæ præcessit exercitum suum usque ad castrum Balge, ubi ex ordinatione fratrum invenit quendam

senem virum, dictum Gedune, Patrem Wissegaudi de Medenou, de gente illorum, qui dicuntur Candym, qui omnem virtutem bellatorum de Sambia plenè novit, à quo dum Rex quæreret, visâ primâ parte exercitûs modicâ, utrum cum tot armatis aliquid posset agere? respondit, quod non. Deinde supervenit exercitus duplo major, quo viso respondit ut prius; tertio venit exercitus in triplo major, nec adhuc suffecit ei, tandem supervenit tota residua pars exercitûs, qui operuit glaciem, sicut locustæ operiunt terram, & dum Rex quæreret, utrum aliquid posset agere in terra Sambiæ cum tanto exercitu? sufficit, vade quocunque tibi placet, & quid volueris, impetrabis. Rex dedit ei vexilla sua ut figeret ea super prædia & habitationes suas & parentum suorum, ut viso signo Regis nullus eum molestaret. Ipse verò nimis tardabat, nesciens quam impetuosi essent Teutonici in bello, undè dum rediret ad propria, invenit suam & suorum habitationes exustas, familias suas & suorum & fratrum suum, Ringelum dictum, & omnes de sangvine suo interfectos. Intravit itaque Rex Sambiam cum exercitu suo circa territorium, dictum Medenau, & exustis omnibus, quæ igne consumi poterant captisque & occisis multis hominibus ibidem pernoctavit. Sequenti die venit ad territorium Rudoviæ & castrum ibidem potenter expugnavit, tantaque facta fuit ibi strages in populo Sambitarum, ut nobiles obferrent Regi obsides, supplicantes, ut eos ad gratiam suscipere dignaretur, & totum populum non deleret. Posthæc venit ad territoria Qvedenovv, Waldovv, Caym, & Tapiou, & ne tantam stragem faceret in eis sicut in aliis, obtulerunt singuli filios suos in obsides, obligantes se sub pœna capitum suorum, mandatis fidei & Fratrum humiliter obedire. His omnibus rite peractis, Rex obsi-

des

des prædictos fratribus assignavit, procedens usque ad montem, in quo nunc situm est castrum Kunnigspergk, consulens fratribus, ut ibi (e) castrum pro defensione fidei instaurarent, relinquens ipsis magnifica & Regia dona in subsidium ædificii ejus. Consummato ergò peregrinationis suæ labore, reversus est Rex ad regnum suum sine magno præjudicio gentis suæ.

ANIMADVERSIONES.

(a) Eô nomine appellatus fuisse dicitur Primislaus II. qvasi Ottoni carus, qvoniam Ottonis IV. Imperatoris partes seqvebatur contra Philippum Imperatorem Hujus Primislai II. sivè Ottocari I. filii fuere Wencelaus III. sivè Ottocarus II. & Primislaus III. sive Ottocarus III qvem qvidam etiam filium Wenceslai III. faciunt. In hujus Ottocari III memoriam condita est arx Regiomontana, sed non eo in loco, ubi nunc est sita, ut seqventi capite dicetur. Ex hac expeditione ab Ottocaro in Prussiam suscepta Æneas Sylvius & Hagecus concludunt, Prussiam fuisse Imperio Bohemico subjectam: Sed satis imperitè. Si enim ex singulis expeditionibus Principum contra Paganos Prussos susceptis urbiumqve fundationibus, illud Liceret inferre, qvot, qvæso, Prussiæ Domini essent comminiscendi? Vid. supra *cap. XVI.* de Urbe Elbingensi item *cap. 120. & 124.* de Brandenburg. De aliis etiam Civitatibus à Nobilitate Germanica conditis Vide *cap. XXVII.*

(b) Fridericum eum vocat Schuzius. Addit etiam Tilemannum Landgravium Thuringiæ. *lib. 1. fol. 27. a.*

(c) Chronicon Ordinis, Schüz. *lib. 1. Chron. Pruss. fol. 27. fin.* & Thom. Waisselius *f. 78.* omittunt Episcopum Warmiensem. Sed rectius Dusburgius, cum qvo facit Nicolaus Jeroschinus, qvi etiam Warmiensem Episcopum Anshelmum nominat; Idem habet Chron. Antiq. German. in forma qvarta. Item Chron. I. M. S. Bibliothecæ Wallenrodianæ. Conf. Matth à Michov. *lib. 3. cap. 54.*

(d) Bruno Comes de Schonberg Saxo Episcopus Olomucensis decimus septimus, in Episcopum evectus An. 1242. obiit an. 1281. Vid. Chronicon Chronicorum Gvalterii.

(e) Arx

(e) Arx Regiomontana An. 1255. condita est, deinde verò accesserunt ipsæ urbes Regiomontanæ. Et qvidem in Apostasia Prussorum secunda, *de qva infra, cap. LXXXIV.* additum est oppidum prope templum S. Nicolai, qvod nunc templum Polonicum est. Sed cum oppidum illud esset à Samlandis in cineres redactum, translatum est in eum locum, ubi nunc sita est PALÆOPOLIS. *Vid. infra cap. CI.* KNIPHOVIANÆ urbis initia referuntur ad tempora Werneri ab Urseln, qvi huic Urbi primum concessit privilegium An. 1324. In eo privilegio expressa fit mentio urbis Kniphovianæ, adeò ut falsum sit, nomen hoc à Kniprodio Magistro Generali demum fluxisse. Antea insula illa, ubi Kniphovium situm est, dicebatur Voigds Werder/ ut ex eodem Privilegio apparet. Probat autem Hennebergerus, tantùm illo tempore unam plateam fuisse, qvæ nunc longa dicitur. Hoc autem ex Privilegio dicto elici potest, ubi hæc habentur. Hat uns gut gedaucht zu geben und zu besitzen eine newe Stadt Kneiphoff genandt/ zu beyderseits des Weges/ als man gehe aus der Alten Stadt Königsberg zu S. Georgen/ in dem Werder/ daß vor alters ist genandt Voigds Werder. Conferantur etiam ea qvæ circa finem Privilegii habentur. Post Wernerum ab Urseln transtulit Luderus Dux Brunsvicensis Magister Generalis circa An. 1332. in novam hanc Urbem, Ecclesiam Cathedralem, qvæ prius in Veteri Urbe in templo S. Spiritus fuit. Simon Grunovv. *Tract. IX.* Confer. Casp. Hennebergerus *in Comment. ad Tab. Geogr. f. 209.* LÖBNICENSIS urbs qvando condita sit, variant sententiæ, qvas Vide apud Henneberg. p. 237. Privilegium ipsis primum (in qvo jura Civitatis Löbnicensibus dantur) concessit Bertholdus Bruhan (ut ipsum Dusburgius appellat *infra cap. CCXXXI.* in ipso Privilegio vocatur Bartel Bruhan/ undè autem Hennebergerus illum Albertum appellet, ignoro) in qvo Privilegio Civitas illa nunqvam appellatur Löbenicum, sed semper die Newstadt; Nova civitas. Ex qvo patet nomen Löbenici recentius esse. Undè autem illud fluxerit, itidem non adeò manifestum est. Hennebergerus ex communi fama refert, cum contra transactionem Löbnicenses supra fluvium, Katz-

bach

bach dictum, ædificia exstruerent, Magistrum hanc rem ad se deferentibus respondisse: Löve nicht i. e. ich gläube nicht/ sive ich traue nicht i. e. *non credo*, indè Löbenicum dictum esse. Henneb. *pag. 237.* Aliàs me audivisse memini, Löbenicht dictum fuisse prius Lewemayd i. e. chara virgo, uti Germani B. Virginem appellant, idqve qvoniam civitas hæc B. Virgini Mariæ, vel etiam S. Barbaræ Patronæ Prussiæ fuit dedicata. Et sanè Löbnicense monasterium B. Virgini Mariæ, & Löbnicense templum, in monte situm, S. Barbaræ fuisse dedicatum, ibidem notum est in vulgus. Schuzius à fluvio *Lebo* qvi eo in loco in Pregelam se exonerat, (qvem tamen hodie non reperias) vel à pago *Leben*, qvi eo in loco situs erat, ubi est vetus oppidum Regiomontanum, Löbenicum dictum esse putat. *lib. II. fol. 73. b.*

CAP. LXXI.

De
Ædificatione castri Kunninsberg vel Tuvvangste.

Post recessum Domini Regis de Bohemia, Magister & Fratres præparabant eâ successivè, qvæ ad ædificationem fuerunt necessaria, & assumptis sibi fidelibus suis Pruthenis cum magno exercitu venerunt An. Dn. MCCLV. & in eo loco, qui nunc dicitur (*a*) castrum antiquum, ædificaverunt castrum Kunningsberg, vocantes illud ob reverentiam Regis de Bohemia castrum Regis. Apud Pruthenos dicitur Tuvvangste, à nomine Sylvæ, quæ fuit in dicto loco, relinquentes ibi Fratrem Burgardum de Hornhusen pro Commendatore, cum multis fratribus & armigeris (*b*) Postea translatum fuit hoc castrum ad eum locum, ubi nunc est situm in eodem monte, & duobus muris & IX. turribus lapideis est vallatum.

Poppo de Osterna VI. Magister Gen. Ordinis Teut.
Henricus de Wida III. Mag. Provincialis in Prussia.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Arx Regiomontana videtur fuisse condita eo in loco, ubi nunc Hortus est Serenissimi Electoris, ut putat Casp. Hennebergerus *in Chron. pag. 168.* probatqve id ex fossis illis præaltis, qvæ adhuc reperiuntur. Colligi idem potest ex Dusburgii nostri *cap. CI.*

(*b*) Qvando illa translatio contigerit, non liqvet, nisi qvod suspicari liceat, in Apostasia secunda fuisse à Sambitis priorem Arcem aut planè destructam, aut saltem oppugnatam, hinc Fratres commodiorem locum arci qværere coacti sunt.

CAP. LXXII.

De

Vastatione terræ Sambiæ & ædificatione Castri VVilavv.

EOdem anno, quo Kuningsberg fuit ædificatum, Nadrovvitæ, Scalovvitæ & Sudovvitæ gentes vicinæ indignatæ ex hoc, quod Sambitæ se fidei & fratribus subdidissent, timebant enim, quod ipsi per eos deberent etiam fidei subjugari, sicut rei eventus postea comprobavit. Undè congugatâ magna exercitus sui potentiâ, terram Sambiæ rapinâ & incendio transiverunt, captis hominibus pluribus & occisis, & dum recederent, placuit eis, ut castrum Wilovv ædificarent, ne improvisus & facilis aditus in terram Nadroviæ pateret à modo fratribus & Sambitis. Undè ædificato castro prædicto relictisque ibi Tirskone & filio suo Maydelo cum multis armigeris, ad propria sunt reversi. Sed ecce mira DEI providentia in sui dispositione non fallitur: Ordinavit quod ea quæ Nadrovitæ sibi fecerant in præsidium, postea fuerunt eis facta in magnum laqueum & ruinam. Tetigerat enim DEUS dictorum Tirsconis Capitanei dicti castri & virorum

rorum, qui cum eo fuerunt, ut relictâ Idololatriâ, se ad Christi fidem converterent & fratres, & facti sunt, strenui pugiles fidei Christianæ.

CAP. LXXIII.

De

Bello contra Terram de Wohensdorph & oppugnatione castri Capostete.

ET quia idem Tirsko plenam habuit notitiam viæ ad terras vicinas. Idcircò Commendator de Kunigsberg cum exercitu Sambitarum, dicto Tirskone Ductore, intravit terram Wohensdorph improvisè, & applicatis scalis ad mœnia, ordinatisque modo debito quæ ad impugnationem sunt necessaria castrum Capostete violenter expugnavit, & in cinerem redegit, captisque & occisis in dicto castro & territorio ipsius pluribus hominibus totoque territorio rapinâ & incendio devastato recessit.

Anno Domini MCCLVI. Principes Almanniæ duos, scilicet Alphonsum Regem Castellæ & Richardum Comitem Cornubiæ fratrem Regis Angliæ, in discordia elegerunt in Regem Romanorum quæ discordia multo tempore duravit.

CAP. LXXIV.

De

Expugnatione aliorum castrorum, & Subjectione terræ VVohensdorph.

SEquenti anno idem (a) Commendator de Kunigsberg validum exercitum iterum congregavit, & ad dictam terram Wohensdorph est profectus, castraque metati sunt in obsidione

caſtri (*b*) Ochtolite, & modo ſupra dicto ipſum expugnantes, captis ibi pluribus hominibus & ipſius territorio & occiſis, funditus combuſſerunt. Caſtrenſes autem de tribus aliis caſtris, ſcilicet Unſatrapis, Gundovv & Angetete, videntes, quod Dominus pugnaret pro fratribus, & non poſſent eis amplius in bello reſiſtere, dederunt obſides & colla ſua fidei Chriſtianæ & Fratribus humiliter ſubjecerunt.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Jeroſchinus interpres Dusburgii nominat eum Burchardum.
(*b*) Jeroſchinus legit Auctolite, alii Ochtadite.

CAP. LXXV.

De

Vaſtatione cujusdam partis Nattangiæ.

CUm hic viris de Wohensdorph & aliis, quos habere poterat idem Commendator, congregavit exercitum & intravit quoddam confinium terræ Nattangiæ, quod cum aliis pacem ultimo factam noluit acceptare & per rapinam & incendium vaſtavit. Capitaneum dicti confinii dictum Goducke cum duobus filiis & multis aliis occidit, uxorem ejus & totam familiam cum mulieribus & parvulis cum præda alia deduxit.

CAP. LXXVI.

De

Adventu Marchionis Brandeburgenſis.

HOc anno ſcilicet Domini MCCLV, dominus Joannes Marchio

chio Brandeb. vir in armis exercitio ex experientia sufficienter instructus, cum multa militia & armatorum apparatu venit ad terram Pruschiæ tempore hyemali, sed quia hyems fuit tepida ad hostes fidei vicinos transire non potuit. Sunt enim intermediæ paludes & alia viarum discrimina, quæ non nisi in intensissimo gelu indurantur & eis sic non induratis non patet transitus ad eos. Undè necessitate cogente rediit ad patriam & pro voluntate meritum facti recepit, licet opus volitum non complevit.

CAP. LXXVII.

De

Fratre Gerhardo Magister Pruschiæ.

FRater (*a*) Gerhardus de Hirzberg terræ Pruschiæ IV. præfuit II. annis. Hic post multa qvæ fecit bona in terra Pruschiæ, reversus Almanniam factusque Magister terræ Teutoniæ, ibique mortuus est & sepultus.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Inter hunc Gerhardum de Hirsberg & Decessorem illius Henric. de Wida interponit Grunovius alium Magistrum Provincialem, nomine Gerhardum de Klevven, cui deinde ab Annone de Sangerhausen suffectum esse dicit, Gerhardum de Herzberg. *Vid.* Grunovv. *Tractat. VIII. fol. 100. b. & fol. 112. a. fin.* Confusio illa sine dubio indè oritur, quod Vicesgerentes Magistri generalis non distingvat à Magistris Provincialibus.

CAP. LXXVIII.

De

Laudabili vita cujusdam fratris de Kuningsberg.

Hoc

Poppo de Osterna VI. Mag. Gener. Ord. Teutonici.
Henricus de Wida III. Mag. Provincialis in Prussia.

HOc tempore in conventu Fratrum de castro Kuningsberg fuit Frater Hermannus dictus Sarracenus, Natus de Svevvia, qui cum adhuc esset secularis tantum dilexit B. Virginem Mariam, ut nulli petenti in nomine ipsius aliquid denegaret; undè accidit, quod dum miles captus ab eo in bello arctaretur, ut aut certam summam pecuniæ, quam solvere non poterat, daret; aut capitalem pœnam subiret: Instructus per qvendam, rogavit eum dictus miles, ut ob reverentiam B. Virginis Mariæ parceret ei, quâ prece auditâ, statim sine omni exactione absolvit eum.

ITEM de EODEM.

HIc frater Hermannus cum jam receptus esset ad Ordinem Domûs Teutonicæ, & iret ad locum ubi vestiendus fuit, invenit in quodam campo multam militiam in hastiludio congregatam, quorum unus jam paratus in equo & armis præconizari jussit, si aliquis esset, qui eum invadere auderet pro equo & armis & reverentia Virginis suæ, quo audito frater Hermannus de Virgine sua Maria, cui se serviturum promisit confisus, accessit ad ipsum & in primo congressu dejecit ad terram & eqvum & arma pauperibus erogavit.

ITEM de EODEM.

CUm isto fratre Hermanno jam professo in Ordine & proficiente mirabiliter de virtute in virtutem, B. Virgo Maria sæpius secretè & familiariter loquebatur, & accidit quodam tempore, dum B. Virgo ei turbato vultu apparet, & ipse tristitiæ causam diligentius investigaret, ipsa respondit hoc movet me ad turbationem, quod dilecti filii mei fratres tui de domo Teutonica non referebant quondam in collationibus suis, nisi de filio meo, & me, & de gestis sanctorum. Modò non referunt nisi

nisi de factis Regum & Principum & seculi vanitate. Ita quod filius meus & ego & Sanctorum vita rarò vel nunquam recitatur.

CAP. LXXIX.

De *Fratre Hartmanno Magistro Pruschiæ.*

FRater (*a*) Hartmannus de Grunbach Magister terræ Pruschiæ V. præfuit III. annis. Hic nomen habuit à re, quia durissimæ fuit cervicis. Interpretatur Hartmann durus vir. Iste dictus fuit (*b*) Watmal ab illo (*c*) panno laneo, dicto Watmal, quod instituit fratribus deferendum. Ipse etiam duos fratres Ordinis sui, qui conspirationem fecerant cum Pruthenis in Apostasia post conflictum in Curonia, de quo infra dicetur, jussit in Elbingo comburi in conspectu multitudine populi circumstantis. De quo facto Dominus Papa tantum commotus fuit, quod ipsum Magistrum mandavit deponi de officio suo, & eum & omnes quorum consilio hoc actum fuit puniri pœnitentiâ animali.

An. Domini MCCLVII. Papa Alexander S. Claram de Ordine S. Damiani, quæ postea Sancta fuerunt Ordinis fratrum minorum canonizavit. Hoc tempore fuit Albertus Magnus Clericus de Almannia Ordinis Prædicatorum qui in scientiis parem non habuit. Hic ipse Episcopatum Ratisponensem resignans in civitate Coloniensi XVIII. annis actu fuit legens & ætatis suæ anno LXXX. & Domini Anno MCCLXXX. mortuus & Coloniæ est defunctus. Floruit & eodem tempore Thomas de Aquino Discipulus Alberti Ordinis Prædicatorum, qui postea canonizatus fuit à Papa Joanne XXII. Anno Domini MCCLIX. Constantinopolis quæ per Gallicos & Venetas capta fuerat, per Palæologum Imperatorem Græcorum recuperatur. Eodem anno & Florentinis & Lucanis pugnantibus contra Senenses ultra sex millia capti & mortui ceciderunt.

ANI-

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Alii ipsum vocant Hermannum, sed hi ex præsenti capite redargui possunt.

(*b*) Dn. Zamelius putat legendum esse Waltmann q. Gewantman: vel si retinendum est Watmal putat dici Watmal/ quasi Gewantschmäler. Notatu digna sunt, quæ de hoc vocabulo habet Joachimus Vadianus in Notis ad Notberti Abbatis monumentum de fundatione cujusdam Ecclesiæ: *Watspendæ vox barbara vestium donationem significabat, quas hodie certo tempore suis Abbates & Episcopi tribuunt. Watt, Germani vestitum vocant, &* Wattman *dictus vulgò qui pannos vendit. Spendæ autem vox apud nos etiamnum durat, quia annonam certo die certoque dimensu pauperibus distribuendum significamus.* Hæc Vadianus apud Melch. Goldastum *Tom. III. Rerum Alemannicarum pag. 93. conf. & Tom. II. pag. 74.*

(*c*) Pannus fuit in Prussia confectus, unde eum Auctor Chronici Latini sub Frid. scripti, appellat Pannum Pruthenorum. Addit etiam quod fratribus piscem, qui Streckfuß appellatur, edendum plerumque dederit. Waisselius verò *f. 82. b.* legit Stockfisch.

CAPUT LXXX.

De

Ædificatione castri in monte S. Georgii in Carsovia.

HOc tempore fuit in partibus Livoniæ Magister Frater Burgardus de Hornhusen, qui assumptus de terra Pruschiæ, datus fuit Fratribus Livoniæ in Magistrum. Hic quia notitiam plenam habuit utriusque terræ, & tanquam homo affabilis in omnium oculis fuit gratiosus: ordinavit quod sub æqualibus expensis & laboribus fratrum de Livonia & Pruschia ædificabatur An. MCCLIX. castrum in terra (*a*) Carsoviæ in monte S. Geor-

Georgii quod tum fuit summè necessarium ad incrementum fidei Christianæ: quo ædificato, relicti ibi fuerunt viri legales & experti in armis, fratres & armigeri de Pruschia & Livonia pro custodia dicti castri.

ANIMADVERSIO.

(a) Carsovia, Curioniæ fuit Provincia, ut ex cap. seq. probatur. Matthias Strykoroski Assostevicius per Caryones Venedarum populos apud Ptolemæum, intelligi putat Curonos. *lib. II. Hist. Lithv. cap. VI.* qvod tamen dubium est. Primus qui Curorum facit mentionem, est Auctor Vitæ S. Anscharii Apostoli septentrionalium gentium, apud Adamum Bremensem Sec. XI. Scriptorem *in lib. de situ Daniæ cap. 76. p. 146.* Vixit autem Anscharius Sec. IX. sub Ludovico Pio Imp. ipse Adamus hanc provinciam disertis verbis appellat Curlaud. *l. c.* Vid. & Joan. Loccenius *lib. III. Antiquit. Sveo-Goth. cap. ult.*

CAP. LXXXI.

De
Conflictu in terra Curoniæ ubi CL. fratres & multi de populo Christiano interfecti ceciderunt.

ANno Domini MCCLX. Fratres de Livonia & Pruschia cum validis exercitibus ad deferenda victualia Fratribus de castro S. Georgii convenerunt, & dum appropinquarent huic castro, venit nuncius qui dixit, quod IV. millia Lethovinorum vastassent quandam partem terræ (a) Curoniæ per incendium & rapinam, & effusionem multi sangvinis Christiani, & mulieres & parvulos captos cum multa alia præ- *An. 1260.*

Anno Domini MCCLX. Rex Ungariæ Regem Bohemiæ in bello aggreditur, cum diversarum Nationum XL. millibus equitum; cui Rex Bohemiæ cum centum millibus equitum & se-

septem millibus dextrariorum coopertorum, occurrit. Cum hi insultum simul facerent, tantus pulvis surrexit, ut in media die homo hominem vix agnoscere posset. Tandem Rege Hungariæ graviter vulnerato, ipse cum suis fugit, & in quodam fluvio præter occisos XIV. millia hominum de Ungaria sunt submersa.

da deduxerunt. Quo audito dum fratres & totus exercitus se præpararent, ut animas Christi sangvine redemptas de manibus hostium liberarent, quidam de Pomesania Nobilis dictus (*b*) Macto filius Pipini, dum ab eo Fr. Henricus Marschalcus quæreret, quomodo aggrediendi essent hostes, ait, relinquamus equos nostros longè à nobis, ut non sit nobis spes redeundi ad eos & accedamus pedestres ad ipsos, sicque populus destitutus auxilio equorum, manebit in prælio, aliter infugam sine dubio convertetur, cui consilio militia Regis (*c*) Daciæ, de Revalia, & plures alii contradixerunt asserentes, quod propter gravedinem armorum non possent durare in bello sine equis. Quo facto venerunt Curonenses petentes humiliter, quod si Deus daret Christianis victoriam, & tunc eis mulieres & parvuli liberi redderentur, quorum precibus licet fratres satis fuerant inclinati, communis tum populus Pruschiæ & Livoniæ contradixit asserens, quod de captivis eorum fieret secundum consvetudinem in bello hactenus observatam, & quare Curonenses tantam conceperunt indignationem contra fidem & fidelium turbam, quod dum Fratres inciperent Lethovvinos impugnare, ipsi tanquam apostatæ à tergo Christianos hostiliter invaserunt, & percutientibus Lethovvinis ante, Curonensibus retro, totus quasi populus terræ, derelictis ibi Fratribus, & eorum fidelibus recessit. Ex tunc quidam Nobiles de Pruschia fideliter Fratribus adhæserunt, quorum unus de Quedenovv Sambita (*d*) Sclodo Pater Nalubi, convocans suos consangvineos & amicos, ait: Hodie reducite

ducite ad memoriam venustatem vestium, quæ vobis per fratres sæpius sunt oblatæ, & pro amœno ipsarum colore permittatis hodiè vestem corporis vestri sangvine vulnerum rubricari, & pro dulcedine medonis seu mellicrati, quod de manu ipsorum sæpius sumpsistis, bibite hodiè amaritudinem diræ mortis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis. Hoc facto intervenerunt viriliter conflictum, & tanquam alteri Macchabæi pugnaverunt, factumque est ibi grande bellum, ex utraque parte pluribus cadentibus, tandem post longam altercationem habitam inter eos fratres permittente Domino victoriam perdiderunt, quia tota virtus exercitus sui per fugam omnis populi fuerat enervata, ceciderunt que in illo conflictu in die B. Margarethæ in terra Curonensi in campo juxta fluvium Durbin frater (*e*) Burgardus Magister Livoniæ & frater Henricus (*f*) Botel Marschalcus Pruschiæ, & cum eis CL. fratres, & de populo Dei tanta multitudo, quod eorum numerum non audivi. Post hanc stragem hostes secuti sunt populum fugientem, qui adeo meticulosus factus fuit, quod tres vel quatuor hostes centum Christianos occiderent, aut cum magna verecundiâ fugarent; Ecce quomodo confortati sunt inimici nostri in multitudine spoliorum, equorum & armorum, qui de manibus tot millium occisorum rapuerunt & nunc gloriantur in Virtute suâ. Contere ergo DEUS fortitudinem illorum, & disperge illos, ut cognoscant, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu DEUS noster.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Curoni olim parebant Svedis, deindè etiam Danis. Sed cum oppugnarentur à Livonicis Cruciferis ac Christiana Sacra recipere cogerentur, subjecerunt se Mendogo Lithvanorum Duci. Hic verò cum ad Religionem Christianam suscipiendam à Cruciferis Li-

vonienſibus eſſet allectus, & in Regem Lithvanorum coronatus, ut vicem Cruciferis rependeret, ceſſit jure ſuo, quod habuit in Curoniam. Sed poſtea ad Ethniciſmum relapſus, Curoniam hoſtiliter ferro & igni vaſtavit; de quo noſter Dusburgius in hoc Capite. *Vid.* Balth. Ruſſovv Part. II. Chron. Livon, Albert Wijuk Kojalovvicz *part. I. Hiſt. lib. IV.*

(*b*) Macce appellatur aliàs, ſive Matte. Id verò oritur ex confuſione literæ c. & t. quæ in Dusburgio frequens eſt. *vid. Cap. VII. fin.*

(*c*) Rex Daciæ ſive Daniæ tunc tenuit Æſtoniam in Livonia. Huic Cruciferis opem tulit ex pactis *Vid. inf. cap. CCCXXXVI.*

(*d*) Scolde *ab aliis vocatur.*

(*e*) Burchardus von Hornhuſen.

(*f*) Botte habet Jeroſchinus & Auctor Chron. Antiq. Germ. in Bibl. Electorali Regiomontana.

CAP. LXXXII.

De

Prænoſticatione hujus Belli.

FRater Hermannus dictus Sarracenus cum de Caſtro Kuningsberg cum aliis fratribus ad bellum Curoniæ prædictum procederet, B. Virgo Maria apparens ei dixit: Hermanne ego ad Convivium filii mei te invito. Unde idem Fr. Hermannus dum recederet, dixit quibusdam fratribus: Valete, à modo me non videbitis, quia virgo Dei genitrix me ad æterna gaudia invitavit.

AD IDEM.

FUit in partibus Almanniæ Deo devota mulier in quodam inclusorio, quæ fuit ſoror Fratris Conradi de Wuzvvangen, qui poſtea fuit Magiſter Generalis Domus Teutonicæ, cui Dominus apparens, oſtendit ei hanc ſtragem in quadam viſione.

Vidit

Vidit enim fratres & eorum armigeros cum infidelibus bellare & occidi, & eorum animas in cœlum ab angelis deportari.

ITEM de EODEM.

EAndem omnino similem visionem vidit quidam Rusticus triturator, vir simplex & rectus ac timens Deum in terra Pruschiæ, dum staret ante fores domus suæ, vidit manifestè in aëre fratres cum Lethovinis bellantes, & vocavit ad se familiam suam & ait: Nonne videtis, quomodo nostri fratres pugnant cum infidelibus, modo fugiunt tum Prutheni quam Livonienses, modo fratres & pauci cum eis stant in bello seviriliter defendentes, undique vallati hostibus. Heu modo occiduntur. Nunc video B. Virginem Mariam & Sanctas Virgines & Angelos DEI cum animabus ipsorum ascendere in cœlum. Inter has animas ut uterque vidit, duæ fuerunt eminentiores aliis, quæ fuerunt animæ fratris Hermanni dicti Sarraceni, & cujusdam fratris dicti de Glisbergk, de cujus statu in ædificatione Castri Christburg superius est præmissum. Concordabant etiam ambo in hoc, quod omnes animæ, quarum corpora in hoc conflictu Curoniæ ceciderunt, salvatæ fuerunt præter unam. Quæ fuerint Causæ damnationis suæ, nescio, DEUS scit. Ex hoc colligendum est, & indubitanter credendum, quod ipse CHRISTUS, per quem nihil in terra fit sine causa, hanc plagam præteritam & futuram apostasiæ in populo suo fieri permisit, ut hi interfecti mercedem promeritam reciperent in cœlis. Superstites autem in periculo constituti magis ac magis convalescerent in fide & confunderent non credentes quia virtus fidei in securitate periclitatur, & in periculis est secura, & intelligas in operibus bonis idem.

CAPUT LXXXIII.

De

Combustione Castri Lenceberg & plurium Pruthenorum.

EO tempore, quo Prutheni suspecti fuerunt de apostasia, Fr. Wolradus Advocatus Nattangiæ & Warmiæ, qui dicebatur Volradus mirabilis ((*a*) & verè ita erat) sedit in collatione cum Nobilibus dictæ terræ in Castro Lencenberg, & post modicum tempus quidam extinxit lumen & invasit fratrem Volradum, & utique occidisset eum, si non fuisset armatus. Reverso posthæc lumine ostendit vestes laceratas, & quæsivit à Nobilibus, quid talis homicida meruisset, responderunt omnes, quod dignus esset comburi ; Alia vice idem Fr. Volradus plures prioribus ad idem Castrum invitavit & dum inebriati murmurare inciperent, de morte ipsius, exiit & Clauso ostio dictos Nobiles & totum Castrum redegit in favillam.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Parenthesi inclusa non habentur in Codice Elbingensi.

CAP. LXXXIV.

De

Apostasia Pruthenorum secunda, quæ duravit XV. annis.

EOdem anno in vigilia B. Matthæi Apostoli & Evangelistæ, Prutheni videntes fratres debilitatos in hoc bello, in Fratribus, armigeris, Equis, armis, & aliis, quæ ad prælium sunt necessaria, addentes mala malis & dolorem super dolorem, apostataverunt

verunt à fide & fidelibus iterum, & in errores pristinos sunt relapsi & Sambitæ quendam dictum (*a*) Glande; Nactangi Henricum (*b*) Monte; Warmienses Glappum (*c*) Pogesani Auctumo (*d*) Barthi Divanum (*e*) in Capitaneos & Duces sui Exercitus elegerunt.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Anteqvam baptizatus esset, dicebatur Glande: in Baptismo autem nomen accepit Richardi. Henneb. *pag. 55.*
(*b*) Henricus in Baptismo vocatur, cum ante hac dictus esset Monte.
(*c*) Qui in baptismo victus erat Carolus.
(*d*) Nicolaus dictus est in Baptismo.
(*e*) Divanus in Baptismo dictus Otto. Hæc omnia annotavit Dominus Zamelius.

CAP. LXXXV.

De *Multa Christiani effusione Sanguinis.*

HI Capitanei & Duces Exercitiuum statuerunt diem certum ad hoc, ut omnes convenientes in armis, quoscunque fidei Christianæ professores occiderent & usque ad internecionem delerent; quod & perfecerunt, quia omnes Christianos, quos extra munitiones in terra Pruschiæ invenerunt quosdam miserabiliter trucidantes; alios captivantes, in perpetuam servitutem deduxerunt, Ecclesias, Capellas & oratoria DEI comburentes, sacramenta Ecclesiæ irreverenter tractantes, vestes sacras & vasa ad illicitos usus pertrahentes, Sacerdotes & ministros alios Ecclesiæ mirabiliter trucidantes. Sambitæ quendam Sacerdotem fratrem Domus Teutonicæ, qui ad baptizandum eos missus fuerat,

fuerat, comprehenderunt, & collum ejus sub duobus asseribus compresserunt, quousque deficiens exspiraret, asserentes, quod tale genus Martyrii competeret Viris sanctis, quorum sangvinem effundere non auderent.

CAP. LXXXVI.

De *Conflictu in Pocarwis, ubi multi Christiani sunt occisi.*

Anno Domini MCCLXI. Urbanus Papa IV. instituit festum Corporis Christi, quod postea Viennæ à Clemente Papa V. in Concilio Generali An. MCCCX. confirmatum fuit.

Anno Domini MCCLXI. volante famâ persecutionis hujusmodi per Almanniam commoti sunt Principes & Barones. Undè Dominus de Reyder & multi Nobiles de aliis Teutonicæ partibus compatientes fidei & fidelibus, quod novella plantatio Ecclesiæ in partibus Pruschiæ per multorum fidelium sangvinis effusionem erecta, deberet tam miserabiliter interire, venerunt dictæ terræ in subsidium. Cum quibus fratres & eorum armigeri intraverunt terram Natangiæ, & de vastatâ ipsâ incendio & rapinâ, captis & occisis multis, redierunt ad eum locum, ubi nunc situm est Castrum Brandenburg, ibique Castra metati sunt. Placuitque fratribus & peregrinis, ut aliqua pars exercitus rediret in dictam terram iterum depopulandum relictâ aliâ parte in dicto loco. Quo facto Nactangi considerantes, quod pauci non auderent ipsorum terram deprædari, congregati invaserunt residuam partem Exercitus in Pocarvviz, peregrinis & Fratribus ex adverso viriliter se opponentibus, & præcipue quidam miles de

West-

Westphalia dictus (*a*) Stenkel de Bentheim, qui audierat in quodam sermone Episcopi, quod animæ fidelium interfectorum in Pruschia deberent ad cœlum sine omni purgatorio volare, hic per urgens (*b*) dextrarium suum calcaribus, applicatâque lanceâ, more militari pertransit hostium Cuneos interficiens impios à dextris, à sinistris, & cadebant ab eo huc & illuc. Sed in reditu, dum venisset ad medium ipsorum, occisus est, ortumque est inter eos grave bellum ex utraque parte, pluribus vulneratis lethaliter & occisis. Tandem sicut DEO placuit ita factum est, quod ipse Dominus de Reyder cum magna parte Exercitus & fratribus, qui cum eo fuerant, est occisus, quidam capti, in fugam cæteri sunt conversi. Dum hæc agerentur, fratres cum alia parte exercitus dum appropinquantes loco certaminis viderunt Exercitum Christianorum confusum, nec possent præ multitudine hostium liberare, per viam aliam ad propria sunt reversi. Post hanc cædem Nattangi volentes victimam Diis offerre miserunt sortem inter Teutonicos ibi captos, ceciditque duabus vicibus super quendam Burgensem de Megdenburg, Nobilem & divitem, dictum Hirtzhals/ qui sic in angustia constitutus, Henricum Monte rogavit, ut ad memoriam reduceret beneficia, quæ ipsi in Civitate Megdeburg sæpius exhibuit, & eum ab hac miseria liberaret, quo audito Henricus eidem compatiens, ipsum duabus vicibus liberavit. Sed dum tertio missa sors caderet iterum super eum, noluit redimi, sed sponte offerens se in bona confessione hostiam DEO, ligatus super eqvum suum, est Crematus: Nota hic quod idem Henricus & plures alii sub Juramento suo postea affirmabant, quod cum idem Burgensis in equo crematus emitteret spiritum, viderunt ex ore ipsius columbam albissimam evolantem.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Chron. Germ. in 4. M.S. habet Schenckel von Bencheim. Forsan legendum est Stenzel von Bentheim/ quæ conjectura est Nobilissimi Dn. Zamelii.

(*b*) de dextrariis vide quæ notavimus *ad cap. 102.*

CAP. LXXXVII.

De

Prænosticis hujus Belli.

FUit in partibus Almanniæ quædam vitæ Sanctæ mulier in quodam (*a*) recluſorio, quæ audiens dæmonum multitudinem cum magno ſtrepitu & fragore præcedere cellam ſuam, adjurans ipſos quæſivit, quo tenderent, qui dixerunt: Verſus Pruſchiam. Ibi cras erit grande bellum. Reſpondit ipſa, dum redieritis renunciate mihi, quid ibi ſit actum. Qui reverſi dixerunt, quod Chriſtiani perdidiſſent victoriam & quod omnes animæ quarum corpora ibi occiſa fuerunt eſſent ſalvatæ, præter tres, quæ non devotionis tantum ſed exercendi malitiam ſuam venerunt ad hoc bellum.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Supra *cap. 82.* nominat incluſorium.

CAP. LXXXIIX.

De

Morte plurium Peregrinorum.

EOdem anno Comes de Barbye venit in Pruſſiam cum multâ militiâ, & intravit terram Sambiæ: poſt cujus depopulationem Sambitæ congregati invaſerunt eum in die B. Agnetis Virginis

ginis, & vulnerantes ipsum graviter, aliqui in fugam conversi sunt, alii capti vel occisi.

CAP. LXXXIX.

De

Desolatione Castri Helisberg.

NOn longè postea Prutheni cum tribus exercitibus & tribus Machinis & instrumentis aliis bellicis Castrum Helisberg Episcopi Warmiensis obsederunt. In quo obsessi fame cogente CCL. equos & eorum cutes comederunt. Tandem deficientibus omnino victualibus, relicto Castro, secretè recesserunt usque ad Civitatem Elbingensem, ubi obsidum XII. Pruthenorum, quos secum duxerant, omnium eruerunt oculos & ad Parentes suos remiserunt.

CAP. XC.

De

Obsidione Castrorum Kunnigsberg, Cruceburgk & Bartenstein.

FIlii ergò Belial videntes, quod omnia succederent eis ad votum, cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt super populum tuum, Domine, cogitaverunt consilium adversus sanctos tuos, dixerunt: venite, disperdamus eos de gente, nec memoretur Israhel ultra. Ut ergo populum tuum, Domine, usque ad internecionem delerent, convenerunt, & Castra Kunnigsberg, Cruceburg & Bartenstein obsederunt: In circuitu cujuslibet tria propugnacula firma & vallata plurimis

mis armigeris viris bellicosis,& in armis strenuis construxerunt. Itaque non patebat aliqua via intrandi aut exeundi obsessis: Quot autem impugnationes, quot pericula, quot inedias, quot defectus intolerabiles obsessi fratres & alii in dictis Castris sustinuerunt, nullus ad plenum sufficeret enarrare. Compulsi enim fuerunt, postquam oves & boves, porcos & vaccas & equos plures non haberent,comedere pelles eorum, summâ necessitate ipsos ad talia perurgente. Tanta fuit in hoc cibo inconsveto pellium duritia, ut multi fratres Comedentes eas dentibus sunt privati.

CAP. XCI.

De

Fratre Helmerico Magistro terræ Prussiæ An. MCCLXII.

FRater Helmericus terræ Pruschiæ Magister VI. præfuit *III.* annis, & sepultus in Ecclesia Colmensi. Hoc tempore præfuit Marschalcus Terræ Pruschiæ Fr. Theodoricus vir in armis strenuus & in Christo devotus.

CAP. XCII.

De

Desolatione Castri Resela.

FRatres de Castro Resela audientes, quod Castra Kunnigsberg, Cruceburg & Bartenstein essent à Pruthenis obsessa, timuerunt valdè & post multa consilia variosque tractatus habitos Castrum in Cinerem redigentes, per occultas vias solitudinis recesserunt, &c.

CAP.

CAP. XCIII.

De Victoria in qua de Juliaco & Marcha Comites Sambitarum Tria millia occiderunt.

HIs variis tribulationibus concussi fratres & Christi fideles terræ Pruschiæ, jam pene deficientes, consternati mente planxerunt planctu magno, quousque in eis deficerent lachrymæ, nec poterant alter alterum consolari, quia timebant sibi Deum nimis offensum. Jam duobus annis pugnaverant & eis semper deficientibus hostes fidei præfecerant; Unde humili & contrito corde elevatis oculis in cœlum cum lachrymis clamaverunt pro auxilio ad Dominum & exaudivit eos. Misit enim de (*a*) Juliaco & de Marcha Engelbertum Comites cum magna potentia pugnatorum, qui anno Dn. MCCLXII. in Vigilia B. Vincentii circa horam vesperarum venerunt ad Castrum Kunnigsbergk & volebant eo die propugnacula Sambitarum, quibus Castrum Kunnigsbergk obsessum fuerat, expugnare; Sed fratres quia modicū super erat diei ad tam grande bellum disvaserunt. Mane facto dum Exercitus Christianorum ad impugnandum propugnacula vellet accedere, unus de Sambitis non remansit, relictis propugnaculis & recesserant, & viam occupaverant peregrinis, de quo comes Juliacensis commotus, recessit cum exercitu, nesciens insidias sibi positas in via, præmisit ergo de consilio fratrum nuncios, qui viarum discrimina præviderent, quorum unus scilicet Stanteko, qui cum custodibus Sambitarum convenerat, vulneratus graviter cum extracto gladio

& cruentato prodidit insidias; Unde peregrini comperaverunt se ad bellum & Comes de Marcha Equites & alii pedites invaserunt eos hostiliter, sic quod divino protecti adjutorio gloriosè de hostibus triumphabant, aliis gladio trucidatis, aliquibus tergavertentibus, quibusdam cedentibus ad Villam, quæ quondam Calige etiam Sclume dicitur, de qua cum maxima difficultate fuerant expugnati. Oportuit enim omnes fratres & eorum armigeros de Kunnigsbergk advocari, hi viriliter eos fuerunt aggressi, & post longum bellum, in quo ex utraque parte plures vulnerati & mortui ceciderunt, omnes inter fecerunt. Sicque DEO propitio die illâ Sambitarum & aliorum Pruthenorum ultra tria millia sunt occisa, eodem die revoluto, anno, quo conflictus fuit in Pocarvvis.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Nomine Wilhelmum *Vid.* Adelarius Erichius *lib. 5. Chron. Juliacensis cap. 14. fol. 245. b. & 289.*

(*b*) Engelbertus I. qui totam vitam suam in ejusmodi expeditionibus contrivit. Hujus posteri deindè Cliviam, & successu temporis etiam Juliacum & Bergam adepti sunt. *Vid.* Adelarius Erich. *lib. VI. Chron. Jul. cap. 6. & 9.*

CAP. XCIV.

De

Prænosticatione hujus Victoriæ.

HAnc Stragem Sambitarum prædixit quidam Pruthenus & sic affirmativè confirmabat ipsum futurum, quod ausus fuit dicere sub pœna capitis sui, nescio quo spiritu ad fratres de Kunnigsberg: In die B. Vincentii Sambitæ occidentur. Sed cum exercitus eodem die recederet, improperatum fuit ei mendacium,

cium, qui adhuc firmus stans in primo proposito ait: adhuc hodiè Sambitæ occidentur, vel terra aperiet os suum, & sicut Dathan & Abiron de glutiet eos vivos, & sicut prædixerat factum est.

CAP. XCV.

De

Fidelibus Sambitis, qui fratribus de Kunnigsberg adhæserunt.

NEc adhuc vexatio ista dabat intellectum Sambitis redeundi ad S. Matris Ecclesiæ gremium, sed erecta cervice contra Domini flagella in iracundiam concitati sunt, & contra frates ad bellum durissimum provocati. Præter paucos viros præclaros genere & Nobiles, qui relicta domo paterna venerunt successivè ad Castrum Kunnigsberg cum omni familia sua, & fratribus fideliter adhæserunt.

CAP. XCVI.

De

Bello fratrum de Kunnigsberg contra Sambitas, & primò contra territorium Quidenovv.

NAlubo filius Sclodonis de Queden vir ferocis animi & indomiti cordis, tamque præsumptuosus, æstimans verecundiam, si tam citò fratribus subderet Collum suum, noluit sequi parentes suos. Unde fratres commoti, dum vellent cum Exercitu procedere contra ipsum, germanus ejus scil. Wargullo miserans teme-

temeritatem adoleſcentiæ ſuæ, de fratrum licentia proceſſit, & dixit ad eum: Nalubo Maledicte, nunc ſurgas & ſis vagus & profugus de terra tua, quia non obediſti voci nec & parentum tuorum, alioqui fratres & armigeri eorum, qui jam veniunt, te occident. Qui fugiens receſſit ad territorium Scoken Vicinum & evaſit ipſe ſolus; ſed tota familia domus ſuæ & ſubſtantia fuit à fratribus diſſipata. Tandem idem Nalubo fatigatus crebris impugnationibus ſe fidei ſubjecit, & ſanctus fuit vir fide & converſatione laudabilis.

CAP. XCVII.

De *Difficultate deferendi Victualia ad Caſtrum Kunnigsberg.*

PRutheni in malitia ſua obſtinati cogitaverunt, quomodo Caſtrum Kunnigsberg deſtruerent, locum ſcilicet *illum*, quem Dominus ad laudem & gloriam nominis ſui præelegit. Unde Ulciſcens in omnes ad inventiones eorum, machinationes, quascunque attentaverunt, in nihilum redegit. Conſiderantes itaque Prutheni, quod Caſtrum Kunnigsberg violenter non poſſet expugnare, tanquam viri experti & ſubtiles in bello ordinaverunt multas naves, quibus naves fratrum ducentes victualia ad Caſtrum Kunnigsberg deſtruerent & delerent, ut deficientibus ſic victualibus & ipſi Fratres deficerent. De quo Commendator & fratres turbati miſerunt occultè quendam virum, qui dictas naves terebro perforavit, & hoc totiens iteravit, quod fatigati laboribus & expenſis ab impugnatione navium fratrum, quarum multas deſtruxerant, captis hominibus & occiſis, deſiſtere ſunt conati.

CAP.

CAP. XCVIII.

De

Destructione pontis quem Prutheni fecerant in flumine Prigore.

CUm autem Prutheni per hunc modum non proficerent convenerunt iterum, & excogitatis variis modis, quibus inceptam malitiam perficerent, omnium sententia convenit in hoc, quod fieret pons super aquam (a) Prigore, & in quolibet fine pontis (b) propugnaculum firmum ad modum turris, & sic tolleretur omnis materia veniendi navigio ad Castrum Kunnigsberg. Quod cum fratres in dicto Castro jam pene consumpti inedià considerarent, eligentes potius mori in bello, fame quam sic miserabiliter interire, venerunt armatâ manû navigio, & dum appropinqvarent ponti, fixis anchoris, venit ventus validus, & duxit eos violenter ad pontem, quod factum fuit Dei Providentiâ, & ascendentes Pontem invenerunt multos viros armatos in ipso, & in propugnaculis, ipsis viriliter resistentes, ortum fuit inter ipsos tam durum bellum, quale unquam visum fuit in hoc seculo inter paucos bellatores. Tandem misit eis Deus opem & auxilium de cœlis, ut in dubitanter creditur, quia humanæ virtuti quasi impossibile fuit eis tantæ multitudini resistere, ut fugatis hostibus pontem & propugnacula, fratres funditus destruerent & delerent. In hâc pugnâ quidam Frater Geverhardus natus de Saxonia quosdam Pruthenos fugientes secutus, cuidam ex eis uno ictu caput amputavit cum gladio, de qua plaga idem vulneratus statim non cecidit ad terram, sed sine capite viâ, quâ cœperat cum aliis per spacium modicum ambulavit & ce-

cidit: de qua re fratres & alii qui viderant admirati fuerunt ultra modum, aſſerentes nunquam talia ſe vidiſſe.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) PREGELAM hodiè appellamus amnem, cui aſſidet Regiomontum. Antiquioribus autem dicitur PREGORA vel PRIGORA. Ita habet Nicolaus Jerochinus & Auctor *Chron. antiq. Germ. in form. 4. in Bibl. Electorali Regiom.* ut & primum urbis veteris Regiomontanæ Privilegium Latino ſermone ſcriptum à Conrado de Tyrberg, Anno 1286. Prid. Cal. Martii conceſſum. Sed & exteri omnem illum appellant Pregor, ut Andr. Angelus *in Annal. March. p. 105.* Sed Eraſmus Stella *lib. II. antiq. Boruſſ.* nec eum cum recentioribus Pregelam, nec cum antiquioribus Prigoram, ſed PERGULUM appellat.

(*b*) Bergfrieden habent Chronica Germanica.

CAP. XCIX.

De *Impugnatione Caſtri Kunnigsbergk.*

NOn longe poſt hic Henricus (*a*) Monte Nattangiorum Capitaneus congregato magno Exercitu, venit ad campum Kunigsbergk, ut impugnaret Caſtrum. Cui fratres cum ſuis armigeris occurrerunt, ex adverſo ſe viriliter opponentes: ſed Henricus Monte prædictus videns à longe fratrem Henricum Ulenbuſch tendentem baliſtam, acceſſit feſtinus ad eum dicens: hodiè te mittam in cœlum, & transfixit eum lanceâ ſuâ graviter vulnerando, licet de hoc vulnere poſtea ſanaretur: Hoc videns quidam famulus cum modicâ lanceâ, dictum Henricum vulneravit, & ſic ei reddidit Talionem, de quo vulnere debilitatus cum exercitu ſuo infecto negotio retroceſſit.

ANI-

ANIMADVERSIO.

(*a*) Hercus Monte ab aliis appellatur. Henrici nomen dicitur in baptismo accepisse. *vid. sup. Cap. 84.*

CAPUT C.

Item de eodem & quodam mirabili facto cujusdam Balistæ.

NUllus sufficeret ad plenum perorare, quot modis & quam variis & subtilibus Sambitæ & alii Prutheni castrum Kunnigsbergk sæpius impugnabant, sic quod ex utraque parte plures occisi fuerunt & lethaliter vulnerati. Unde accidit una vice, quod Sambitæ cum Exercitu impugnantes dictum castrum, adeò infesti fuerant in hac pugna, quod quidam frater inter alios, qui se ad defensionem oppositerant, coactus fuerit relinquere balistam tensam & effugiens vix evasit, quam balistam quidam Sambita tollens suspendit ad collum suum. Alii circumstantes admirati fuerunt ultra modum, quid esset, quia prius talia non viderunt, & in diversis locis manibus attrectantes, tandem quidam per depressionem resolutâ clave, corda balistæ collum ejus præscidit, ita ut post tempus modicum exspiraret, de quo facto Prutheni balistas valdè de cætero timuerunt.

CAP. CI.

De

Destructione oppidi Kunnigsberg siti in monte S. Nicolai.

CIrca Ecclesiam Parochialem (*a*) S. Nicolai in monte juxta

Caſtrum Kunnigsberg fratres locaverunt quoddam (*b*) oppidum, & quia non bene fuit firmatum, ſupervenerunt Sambitæ improvisè, & captis & occiſis pluribus hominibus ipſum penitus deſtruxerunt. Undè poſtea ttanslatum fuit (*c*) in vallem inter Prigoram & Caſtrum, in eum locum, in quo usque in diem permanet hodiernum.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Hodiè eſt templum Polonicum.
(*b*) Hodie ſuburbium eſt Veteris oppidi diciturque Steinthamm/ antea verò dicebatur Konigsberg ſimpliciter, ut patet ex Privilegio primo Regiomontanis à Conrado Turberg Juniore Magiſtro Pruſſiæ Provinciali Anno 1286. conceſſo.
(*c*) Hodiè dicitur Palæopolis i. e. Altſtadt.

CAP. CII.

De *Vaſtatione Villæ Dramenovv & morte plurium Sambitarum.*

NEmo poſſet conſcribere, & ſi ſcriberet vix crederetur, quàm ſolliciti fuerunt fratres in impugnatione Sambitarum, ut eos iterum ſubjicerent fidei Chriſtianæ; Undè debilitatis & effugatis hic qui in territoriis Waldovv Quedenovv & Wargen, & vicinis locis aliis habitabant, Fratres cum exercitu contra territorium Pubeten proceſſerunt & depopulatâ quadam Villâ, dicta Dramenovv, captis pluribus & occiſis, dum cum magno ſpolio recederent, hoſtes inſecuti eos, invaſerunt, & quaſi in fugam converterunt. Sed frater Henricus Ulenbuſch vir totus animoſus ipſis reſtitit, & adeo viriliter ſe oppoſuit, quod alii reſum-

sumptis Viribus & audacia reversi ad prælium prædictorum Sambitarum occiderunt multitudinem capiosam.

CAP. CIII.

De

Victoria fratrum contra Sambitas in territorio Bethen.

IN terra Sambiæ est quoddam territorium dictum Bethen, in quo homines feroces habitabant, & adeo potentes, quod de una villa quingenti viri ad bellum habiles poterant procedere, quos fratres de Kunnigsberg soli invadere non audebant. Unde rogaverunt Magistrum de Livonia, ut de partibus suis aliquos fratres & armigeros ipsis in subsidium destinaret, assignantes diem & locum ubi jubebant ad prælium convenire. Venientes itaque fratres de Kunnigsberg cum suo Exercitu in termino præfixo ad locum deputatum, incœperunt dictum territorium rapinâ & incendio devastare, Livoniensibus adhuc non comparentibus. Undè Sambitæ commoti convenientes, exercitum fratrum hostiliter invaserunt, & dum jam vellent in fugam converti compellente ipsos nimia hostium potentiâ, exercitus fratrum Livonensium cum multis & magnis dextrariis supervenit, sicque simul invadentes totum illum Exercitum Sambitarum in ore gladii deleverunt, captis mulieribus & parvulis habitationes hujus territorii & circumjacentium in cineres redegerunt.

Poppo de Osterna VI. Magister Gen. Ordinis Teut.
Helmericus de Reichenberge VI. Mag. Provinc. Prussiæ.

ANIMADVERSIO.

(a) Quid eorum temporum Scriptores per dextrarios intellexerint docet nos Auctor Chronici Colmariensis, qui de Alberto Austriaco agens. *Ex his*, inquit, *armatis centum inermes mille lædi potuerunt, Habebat & multos, qui habebant dextrariios i. e. equos magnos, qui inter equos communes quasi Bucephalus Alexandri eminebant.* Edidit hoc Chronicon Urstitius *part. II. Hist. Germ.* Verba ipsa reperies *fol. 75.* Adducit quoque Joannes Gerh. Vossius alia loca, ut ex Walsingamo pag. 237. *Miles intrat armatus insidens dextrarium decentissimè phaleratum.* Idem Beka in Andreâ: *Corruit cum dextrario quem insequentes hostes consequenter occiderunt.* Et in Wilhelmo: *Levitate sui dextrarii semel & iterum Hollandiensem transvolavit exercitum.* Sic enim Matthæus Parisiensis ad an. 1241. *Insidebat*, inquit, *equum Nobilissimum dextrarium Italicum.* p. 565. Edit. Gvilhelm. Wathii. Est itaque dextrarius eqvus Nobilissimus, Magnus belloque aptus: Undè autem ejusmodi eqvus dicatur, non una est sententia. Henricus Bangertus *in not. ad L. V. Chron. Slavici Arnoldi Lubecensis cap. 3.* putat dextrarium dici, quia ejusmodi eqvus dextrâ ducitur, eam verò originem vocis se ex antiquo quodam Lexico hausisse refert. Esset itaque secundum ejus expositionem dextrarius, Ein Handpferd. Joannes Gerh. Vossius putat dextrarium dici à dexteritate. Sed optimè sentire videtur Wilhelmus Wathius *in Glossario Matthæo Parisiensi subjuncto*, qui à Gallico vocabulo illud deducit. *Destrier* enim sive *détrier* Gallis (ut olim & Anglis) est *Cheval d' armes:* id est eqvus bellicus. Nisi fortè dicas & hoc Gallicum verbum, deduci à Latino *dextra.*

CAP. CIV.

De

Reformatione pacis inter Fratres & Sambitas.

Hic

HIc & variis afflictionibus Castigati Sambitæ à Domino per manus fratrum & aliorum Christi fidelium non valentes amplius resistere præsentatis filiis suis in obsides subdiderunt se iterum fidei Christianæ.

CAP. CV.

De

Recidinatione Sambitarum de territorio Rinovv.

SEd inimicus humani generis Diabolus qui paci fidelium semper invidet & quieti, suggessit his hominibus Sambiæ qui in territorio Rinovv fuerant constituti, quod in apostasiæ vitium iterum sunt relapsi. Unde ipsi congregati cum Exercitu Castrum Vischusen Episcopi Sambiensis impugnaverunt, in quo nisi duo viri, scilicet unus frater & famulus ejus fuerunt illâ vice. Et ecce mira res, percussi acrisiâ excœcavit eos malitia ipsorum, ut Zonam seu Corrigiam pendentem ante oculos ipsorum non viderunt, quam si cum minimo digito manus suæ traxissent, dicti Castri ostium aperuissent, & ipsum per consequens funditus destruxissent, & sic post impugnationem aliqualem infecto negotio recesserunt.

CAPUT CVI.

De

Destructione territorii Rinovv & Morte habitantium in eo.

QUod cum ad aures fratrum de Kunnigsberg deveniret, indignati ex hoc, congregaverunt cum aliis Sambitis exercitum

tum & intrantes dictum territorium Rinovv omnes viros interfecerunt mulieres& parvulos cum omni ipsorum substantia deducentes, sicque iterato quievit in pace terra Sambiæ sicut prius.

CAP. CVII.

De

Ædificatione Castrorum Tapiaw, & Locstete in terra Sambiæ.

INfra Apostasiam secundam Castrum(a)Tapiavv,quod Pruthe-ni nominant sugurbi & in successu temporis Castrũ, Wiklant-fort,quod dicitur nunc Locstete, à nomine cujusdam Sambitæ, dicti Laucstiete, qui ibidem morabatur,ædificaverant, munientes ea, ut facilius compescerent malitiam Sambitarum.

ANIMADVERSIO.

(a) Auctor Chron. Latinè sub Frid. Mag. scripti arces Tapiavv & Locstete dicit ab Henrico de Wida Magistro Provinciali tertio exstructas esse. Sed Dusburgio ut antiquiori fides habenda est.

CAP. CVIII.

De

Desolatione Castri Girdawie.

HOc tempore quidam dictus Girdavv,cujus progenies adhuc dicitur Rendalia, Zelator fidei & fidelium, habuit in terra Barthensi castrum dictum à nomine suo Girdavv. Hic post multa bella & impugnationes, quas à compatriotis suis apostatis sustinuit, dum omninò deficeret ei victus, combusto Castro cum omni domo & familia sua ad fratres de Kunnigsberg repedavit.

CAP.

CAP. CIX.

De

Morte VI. Fratrum & plurium Christianorum in Castro VVeistote Pila.

IN eadem terra Barthensi, ut quidam referunt, fratres habebant Castrum dictum Weistote-Pilam, situm in littore fluvii Gobonis. Qui fratres quodam die exercitum Pruthenorum, qui Ducis villas ibi deprædaverat, sunt seqvuti: sed Prutheni erumpentes de Insidiis, quas statuerant, sex fratres & plures Christianos occiderunt.

CAP. CX.

De

Desolatione Castri Weistotepile.

NEc dum satiati Prutheni in commodo fratrum collegerunt magnum exercitum & obsidentes castrum Weistotepilam tota die usque ad crepusculum fortiter impugnaverunt, fratribus ex opposito viriliter se defendentibus, sed cum Prutheni infecto negotio recesserunt, fratres considerantes infirmitatem Castri & quod non possent tam graves impugnationes à modo sine magno periculo sustinere, combusto Castro secretè recesserunt.

CAP. CXI.

De

Castro Wisenburg & morte XX. fratrum & plurium Christianorum.

Poppo de Oſterna VI. Magiſter Generalis Ord. Teut.
Helmericus de Reichenberge VI. Mag. Prov. in Pruſſia

CAſtrum Wiſenburg, quod à Pruthenis Wallevvona dicitur, ſitum fuit in terra Barthenſi in littore fluminis (*a*) Gobrionis, ad quod de Sudovvia & aliarum Nationum partibus venit exercitus, & deprædato territorio circumjacente receſſit, quo facto quidam de familia fratrum conſuluit eis, ut ſequerentur ſine omni timore, cui fratres conſentientes cum ſuo Exercitu velociter ſunt ſecuti. Sed dum ſtatim eos non invenirent, volebant redire, quod ille traditor prohibuit, promittens bonâ fide, quod circa flumen, quod dicitur (*b*) Wengrapia eos ſine dubio invenirent. Cui loco dum appropinquarent, ſicut præordinatum fuerat, inimici repentè inſiluerunt in eos, quod videntes fratres, aſcenderant quendam montem vicinum, & de illo ſe longo tempore viriliter defenderunt. Cadebant ex utraque parte plurimi interfecti. Tandem permittende Domino Prutheni prævalentes XX. & totum exercitum ipſorum occiderunt.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Gubene, habet Jeroſchinius. Oritur dimidio milliari à Vico Rhenenſi, præterlabitur Raſtenburgum & Luneburgum.

(*b*) Wangrapien, dicit Jeroſchinus; Hodie dicitur Angerap, qui amnis propè Inſterburgum cum Inſtera conjunctus, appellatur PRIGORA ſive ut hodiè vocamus PREGELA.

CAP. CXII.

De *Deſtructione Caſtri Wieſenburg.*

HOc caſtrum Wiſenburg à Pruthenis ferè tribus annis fuit obſeſſum, & erexerant tres machinas, cum quibꝰ quotidiè

Anno Dn. MCCLXIII. Idem Urbanus Papa Regnum (b) *Ceciliæ quod Manfredus violenter occupa-*

tidiè castrum impugnaverunt, tandem fratres unam violenter rapientes duxerunt ad castrum, & cum ea se multo tempore defenderunt. Non longè postea deficientibus omnino victualibus fratres cum suis armigeris relicto castro secrete An. Domini MCCLXIII. recesserunt, dirigentes viam suam versus Ducatum Masoviæ. Quo intellecto, dum (*a*) Dyvanus tunc Barthorum Capitaneus cum multis armigeris eos sequens, non posset comprehendere, quia equi ipsorum læsi substiterunt. Ipse assumens sibi XIII. viros in velocioribus equis præcessit alios, & dum appropinquarent, invenit fratres jam fame deficientes & præ lassitudine non valentes ad bellum, & invasit illos viriliter & in primo congressu occidit tres, alii ad defensionem se opponentes dictum (*a*) Dyvvanum graviter vulnerarunt, & extunc cessavit à bello, & fratres cum suis in pace recesserunt.

cupaverat dedit Karolo Comiti Provinciæ, fratri Regis Franciæ, ut eriperet illud ab eo.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) De Nomine Dywani *vid. infr. cap. 137.*
(*b*) i. e. Siciliæ.

CAP. CXIII.

De

Destructione castri Cruceburg.

ANno Domini eodem sc. MCCLXIII. DE MAGISTRO GEdum Castrum Cruceburg à Nattangis fuisset tribus annis, tribus Machinis & tribus propugnaculis obsessum, fratres cum familia sua post multa bella gloriosa ibidem gesta, defidientibus

NERALI DOMUS TEUTONICÆ.

Frater (a) Anno Generalis Ordinis domûs Teutonicæ septimus, fuit hoc tempore. Vir utique DEO de-

omninò victualibus, secretè, noctis tempore, de castro recesserunt. Quod cum perciperent Prutheni, seqvuti sunt eos, & omnes præter duos fratres in ore gladii occiderunt.

devotus, qui multa bona fecit pro statu Ordinis & terræ Sanctæ. Obiit VIII. Idus Julii.

ANIMADVERSIONES AD VITAM ANNONIS.

(a) Auctor Chronici Latini sub Frid. Scripti, dicit hunc Magistrum Haymonem aliàs Appellari. Simon Grunovius refert Matrem hujus Magistri fuisse Jutam, quæ à Prussis pro Sancta culta est. Habuit illa tres filios; Anno in Prussiam concessit Ordinis Teutonici Eques factus. Secundus Episcopali fulsit dignitate; Tertius ductâ uxore postquam Pater in prælio cæsus esset bona paterna occupavit. Cum vero in Thuringia patria Jutæ bellum gereretur, accersivit Anno à Sangerhausen Matrem suam in Prussiam, cum adhuc esset Commendator terræ Culmensis in Althaus. Juta in Prussiam cum venisset & Culmseæ per aliquod tempus habitasset, rea acta est turpissimi alicujus facinoris, à quo se gestato tripode candente purgavit: Serviit deindè ægrotis magna pietate, ita, ut etiam ei Christus aliquoties apparuisse dicatur. Obiit Anno 1260. & sepulta est Culmseæ *Vid.* Sim. Grunovv. *tract. IX. fol. 133.* Ast Hennebergerus Jutam Menekonis de Querfurt Magistri Matrem facit *in Comment. ad Tab. Geogr. Pruss. pag. 53.* Hunc verò Hannonem ducem Brusvicensem fuisse probat ex Petri Albini Chronico Misnico. Item ex Heinrici Buntingii Chronico Brunsvicensi. Est enim in ducatu Brunsvicensi urbs & districtus Sangerhausensis, quem Fridericus Asper à Magno Brunsvicensi Duce adeptus est, habet districtus ille Sangerhusius in insignibus suis tres Leones, quos etiam Hanno, de quo jam agimus, habuisse memoratur. *Vid.* Henneb. *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 373.*

CAP.

CAP. CXIV.

De *Impugnatione Castri Bartenstein.*

IN castro Bartenstein fuerunt fratres & alii armigeri, CCCC. tempore obsidionis, fecerantque Prutheni tria (*a*) propugnacula in circuitu castri, in quibus continuè fuerunt MCCC. viri in armis expediti, habebant & tres machinas quibus ipsum impugnaverunt; sed antequam desolaretur præter mirifica facta plura per fratres ibidem gesta, erat quidam Vir Miligedo in dicto castro Bartenstein, qui adeò virilis fuit, quod per mortem ipsius Prutheni æstimabant se occidisse partem mediam obsessorum. Undè collegerunt concilium, quomodo ipsum dolo traderent & occiderent, & excogitatis variis traditionum fraudibus tandem incœperunt per hunc modum. Ordinatis primò insidiis miserunt quendam virum in Armis strenuum, qui sicut Goliat agmina filiorum Israel obsessorum militiam exprobraret, clamans altâ voce dixit: si est quisquam in castro, qui audeat me aggredi in prælio singulari, ergrediatur ad me foras; Quo audito Meligedo petitâ licentiâ fratrum & obtentâ, egressus est, & illum fugientem sequtus est, sed dum ruptis insidiis hostes cum magnâ turbâ videret venientes, ipse occiso illo fugit ad Sylvam, & præter occultas vias ad castrum Bartenstein est reversus, his modis & aliis cum totiens tentaverunt, quod in fine ipsum decipientes occiderunt; Eodem modo quidam vir dictus Troppo totus magnanimus & fidei Zelator ab eis occisus fuit. De quorum morte facta est lætitia magna in Populo Prutheno-rum & Tribulatio nimia fratribus è converso. Sed ut fratres

gaudium ipsorum in luctum converterent atque dolorem, Suspenderunt in patibulo facto ante portam castri XXX. obsides Pruthenorum, quos captivos tenebant, ex quo accidit quod cum Prutheni viderent filios & consangvineos suspensos, planxerunt & ipsi similiter planctu magno.

ANIMADVERSIO.

(*) Propugnacula dicit Dusburgius ad imitationem versionis Vulgatæ Bibliorum, ubi propugnacula dicuntur quæ dici debebant Machinæ, ut Deut. XX. v. 20, *Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia & in cæteros apta usus, succide & instrue propugnacula, donec capies civitatem, quæ contra te dimicat.* Distingvit hic autem Dusburgius propugnacula à Machinis. Ideò per propugnacula intelligendi sunt & aggeres, vel etiam Turres bellicæ; per machinas verò catapultæ, Balistæ & Arietes, quæ veteres Historici nostri Germanicè appellant Bleyden. Cognoscimus hoc etiam, ex duobus Chronicis M. S. S. Lubecensibus, quæ citat Heinricus Bangertus *in lib. VI. Chron. SLAV. cap. ult. pag. 405.* ubi hæc habentur verba: De Van Lübeck Makeden ock Vele Pramen To Wolbewiget. Da Worpen Se Up mit Eeren Blyden. Nominantur propugnacula hæc à nostris Scriptoribus Bergfrieden. *Vid. Animadversiones ad cap. 98.* Sveticè appellantur Blydhor & Buckhor/ teste Johanne Loccenio *lib. 3. antiq. Svev-Goth. cap. II.* conferatur de his ipsius *in Polioreticis lib. II. Dial. IV. & lib. IV. Dial. I.* Qualis apud Gothos quorum majores in Prussia nostra habitarunt fuerit urbes oppugnandi ratio, videri potest apud Procopium *lib. I. de Bello Gothorum mult. post. med.* Vid. & Henricus Bangert. *loc. cit.*

CAP. CXV.

De

Destructione trium Propugnaculorum, & occisione mille & plurium Pruthenorum.

Post

POst hæc surrexit quædam altercatio inter familiam fratrum & Pruthenos existentes in obsidione pro quodam (*a*) caldario, qui debebat deferri de uno propugnaculo ad aliud, in quo Prutheni consecrata secundum ritum ipsorum decoquere consveverunt. Ad hanc pugnam venerunt fratres cum CL. viris, & factum fuit inter eos bellum magnum. Tandem fratres volente Domino caldarium violenter obtinuerunt, & procedentes ulterius illa tria propugnacula penitus destruxerunt, ita quod de MCCC. Viris, qui ad defensionem ipsorum fuerant ordinati, vix aliquis mortem evasit, & de parte fratrum solus Marschalcus cecidit interfectus.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Caldarius pro vase æneo. Gregorio Turonensi caldaria lignea, est vas oleribus coquendis destinatum *lib. de Glor. confess. c. 98.* Vitruvius antiqvus Scriptor mentionem facit alieni caldarii *lib. 5. Archit.* Ut & Plinius æris caldarii *l. 34. Nat. Hist. c. 8.* Alias caldarium veteribus locum balneorum designat.

CAP. CXVI.

De

Desolatione (a) castri Bartenstein.

REædificatis denuò propugnaculis, dum in quarto anno scil. Domini MCCLXIV. fratres deficientibus victualibus non possent à modo resistere Pruthenis, deceperunt eos tribus vicibus in hunc modum. Fratres cum totâ familia sua se in moëniis castri sub silentio à mane usque ad horam nonam occultaverunt, & dum Prutheni viderent, quod nullus in Castro comparet, reret,

Anno Domini MCCLXIV. Cometes tam nobilis apparuit, qvalem tum nullus vivens vidit ab oriente cum magno fulgore fulgens usq; ad medium hemisperii

pharii occidentem, comam perlucidam pertrahebat & licet in diversis mundi partibus multa significaverit, hoc tantum unum compertum est, & verum, ut cum plus quam per tres menses duraverit ipso primo apparente. Papa Urbanus capit infirmari, & in eadem nocte quâ Papa moriebatur & Cometes dispa ruit.

raret, putabant obsessos effugisse & viriliter accedentes impugnaverunt castrum; sed fratres exeuntes de insidiis ipsos represserunt, multos sagittis & ictibus occidentes & lethaliter vulnerantes. Tandem post infinita pericula & bella quidam frater devotus rogavit Deum, ut eiostenderet quid in hac necessitate tutius esset ad aggrediendum. Cui vox cælitus missa respondit. Judæa & Jerusalem nolite timere, Vos egrediemini & Dominus erit vobiscum, constantes estote vidibitis auxilium super vos. Quâ auditâ sequenti die fratres dividentes se & suam familiam in duas partes, quarum una venit ad castrum Kunnigsberg, altera in Elbingum, assumptisque reliquiis Sanctorum, relictoque in castro quodam fratre sene decrepito & cæco, qui ipsos sequi non poterat, recesserunt. Idem tamen frater, qui mansit in castro ad singulas horas canonicas signum dedit more solito cum campana. Tandem cum diutius occultare non posset, accesserunt successivè hostes ad castrum, & dum viderent eis neminem resistere, intraverunt, & occiso fratre castrum ad usus suos conservantes multa de ipso contra fratres prælia exercebant.

ANIMADVERSIO.

(a) Urbis Bartensteinensis hic, ut in superioribus, nulla fit mentio. Nam Urbs condita est post hæc tempora à Ludero de Brunsvig. Magistro Generali, ut cognoscimus ex privilegio Fundationis Bartensteinensi urbi An. 1332. concesso.

CAP.

CAP. CXVII.

De

Impugnatione castri Wilow.

HOc tempore Pruthenorum Sudovvitarum & Lethovvinorum exercitus validus intravit terram Sambiensem & ordinatis Lethovvinis cum una Machinâ ad unam partem, & aliis cum alia ad alteram, castrum Wilovv obsederunt per octo dies cottidie impugnantes; tandem uno die cum omnes ad pugnam accederent, Sagittarii cum telis machinæ, cum lapidibus, alii cum lignis & straminibus, ad combustionem castri & reliqui diversis modis obsessos inquietarent. Henricus Tupadel, qui postea factus fuit frater Ordinis domus Teutonicæ, vir strenuus in armis & arte balistariorum plenius edoctus, populum obsessum animavit ad defensionem & cum eis ignem sæpius appositum ad comburendum castrum extinxit. In hac durissimâ pugnâ plures infideles fuerunt occisi & lethaliter vulnerati; sed Henricus prædictus quendam virum nobilem & potentem Capitaneum Lethovinorum, cum balista Sagittans telo tetigit & occidit & ex alia parte quendam Magistrum, qui ad Reparationem Machinæ ascendit, summitatem ejus sagittavit & cum telo affixit ad machinam manum ejus, quo viso infideles territi ab obsessione recesserunt.

CAP. CXVIII.

De

Morte fratris Helmerici Magistri & XL. fratrum & plurium Christianorum.

Hanno de Sangerhauſen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Helmericus de Reichenberge VI. Mag. Prov. in Pruſſia.

EOdem anno Henricus Monte Capitaneus Nattangorum cum valido exercitu intravit terram Colmenſem, & præter populum multum & aliarum rerum prædam inæſtimabilem, quam ſecum duxit, omnia ædificia extra munitiones ſita combuſſit, & terram illam Chriſtianorum Sangvine rubricavit. Quod cum ad aures fratris Helmerici Magiſtri deveniret, convocavit omnem virtutem exercitus ſui & ſecutus eſt eos usque ad terram Luboviæ & ordinato exercitu ſuo ad prælium, eos viriliter eſt aggreſſus. Prutheni autem vallati indaginibus fortiter in primo reſtiterunt, ſed tandem fugerunt, & Chriſtiani ſequentes eos diſperſi fuerunt, & licet in hac fuga plures occidiſſent, tamen Prutheni, cum viderent Paucos viros circa vexillum, coadunati redierunt ad indagines, & incipientes novum bellum, quod diu duravit, ultimo permittente Domino, cujus incomprehenſibilia ſunt judicia, Magiſtrum & fratrum Theodoricum Marſchalcum & XL. Fratres & totum exercitum Chriſtianorum interfecerunt, factaque fuit tanta plaga in populo DEI, ut æſtimaretur major, quam illa quæ præceſſit in conflictu Curonienſi, quia licet hic tot non eſſent occiſi ſunt ibi, tamen quaſi omnes electi & præelecti viri, quorum ſapientiâ & induſtriâ & terra Pruſchiæ & bellum regebatur, ſunt extincti. In hoc loco certaminis poſteà quidam Eremita habitans vidit noctis tempore candelas ardentes plurimis vicibus, quæ interfectos ibi jam coronam Martyrii apud Regem martyrum manifeſtius declarabant.

CAR. CXIX.

De

Fratre Ludowico Magiſtro terræ Pruſchiæ VII.

Fra-

FRater Ludovvicus de Baldersheim Magister Pruschiæ VII. præfuit annis VI. Ao. Domini MCCLXV. hoc tempore Frater Fridericus de Holdenstete fuit Marschalcus.

CAP. CXX.

De *Adventu multorum peregrinorum.*

Volante fama destructionis castrorum omnium, quæ prædicta sunt, per Almaniæ partes, commoti sunt Reges & Principes, & ut Ecclesia Dei in Pruschiæ partibus per multam Christiani Sangvinis effusionem complantata omnino non deficeret, sed per ipsorum jucundum adventum sumeret debitum incrementum. Ideò An. Dn. MCCLXV. (a) Dux de Brunsvvich & Landgravius de Thuringia, Anno ejusdem MCCLXVI. (b) Otto Marchio Brandenburgensis & filius ejus & frater carnalis; Anno ejusdem MCCLXVIII. (c) Ottocarus Rex Bohemiæ multis stipati militibus & potentiâ armatorum venerunt Pruschiam in subsidium dictæ terræ, ut videlicet rebellionem compescerent Pruthenorum. Sed quia nondum venit hora, in qua Deus vellet misereri populo suo, sed amplius castigari, desideratum desiderium dicti Principis propter molliciem hyemis non poterant deducere ad effectum, sed derelictis Christi fidelibus terræ Pruschiæ in magnis periculis ad propria sunt reversi.

An. Domini MCCLXV. Clemens Papa IV. Karolum prædictum coronavit in regnũ Ceciliæ quod ei Papa Urbanus dedit. Hic Karolus Manfredum filium naturalem Friderici Imperatoris secundi vitâ & regno privavit.

ANIMADVERSIONES.

(a) Albertus nomine, qui etiam cum Ottocaro in Hungariam expeditionem suscipisse dicitur Anno 1260. *Vid.* Andreas Angelus *lib. 2. Annal. Brandeb. pag. 106.*

(q) *Vide infra cap. 122.*
(c) De prima Ottocari hujus expeditione in Prussiam Vide supra *cap. 70.*

CAP. CXXI.

De

Fratre Ulrico & morte L. Pruthenorum.

HOc tempore fuit Frater Ulricus de Megdeburg in conventu Kunnigsberg, qui adeo fortis erat in corpore, quod plurium virorum vires excederet. Accepit enim duos armigeros quemlibet cum uno digito per cingulum, & eos in sublime ipsis renitentibus elevavit. Hic ordinatus fuit cum quibusdam fratribus & armigeris ad custodiam navium Christianorum, quæ per mare venerant ad terram Pruschiæ, quas Prutheni antea sæpius destruxerant. Undè accidit, quod cum ipse cum paucis circa naves prædictas remansisset, venerunt Prutheni armati cum V. navibus, & dum ad destruendas naves suas appropinquarent, Frater Ulricus accepit malum de navi sua & illorum naves percutiendo, tot submersit, quod L. Prutheni cum navibus suis sunt submersi. Alii hæc videntes perterriti recesserunt.

CAPUT CXXII.

De

(a) *Ædificatione castri Brandenburg.*

ANno Domini MCCLXVI. (b) Marchio Brandenburgensis, ut præmissum est, cum multitudine pugna-

Anno Domini MCCLXVI. multi Sarraceni ex Africa venientes Hispaniam occupant, sed tandem Christiani

gnatorum venit ad terram Pruschiæ, *ni non sine multa sangvinis sui effusione de ipsis triumphabant.* & cum aliud agere non posset, de consilio Magistri & Fratrum ædificavit castrum Brandenburg & à nomine Marchionatus sui ad perpetuam memoriam sic voluit appellari.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) De ædificatione castri Brandenburg nihil habet Jeroschinus Interpres Dusburgii.

(*b*) Nomine Otto (ut dictum est cap. 120.) cognomine vero Pius. Cum ex Palæstina rediisset, contra Prussos profectus est. Andr. Angelus *lib. 2. Annal. March. pag. 107.*

CAP. CXXIII.

De
Morte Swantepolci Ducis Pomeraniæ & rebellione Mestovvini filii sui contra Fratres.

HOc anno Svvantepolcus Dux Pomeraniæ decidit in lectum, & ut cognovit, quod moreretur, vocavit ad se filios suos & pro testamento ultimo, quod morte confirmavit, dedit eis hanc doctrinam, dicens: Postquam inter me ex una parte & Fratres Domus Teutonicæ ex altera bellum crevit, ego semper decrevi; per fas & per nefas & variis modis impugnavi eos, & non profeci, quia Deus cum eis est, & pugnat pro eis. Undè consulo, quod nunquam vos eis opponatis, sed cum omni reverentia honorate. Huic doctri-

Anno Domini MCCLXVII. Soldanus Babiloniæ Armeniâ destructâ Antiochiam unam de famosioribus Civitatibus Orbis cepit, & occisis & captis omnibus ipsam in solitudinem redegit.

næ non adhæsit Mestrovvinus primogenitus ejus. Sed mortuo Patre, dum esset Dux Pomeraniæ, temerario quodam ausu, sequens siniſtra patris sui prima vestigia, induxit Pruthenos; quod cum exercitu terram Colmensem & Episcopatum Pomesanienſem ex oppositо castri sui Nuvvenburg destruerent incendio & rapinâ, & XV. naves Fratrum oneratas rebus necessariis ad defensionem fidei & fidelium Prutheni ex una parte Wisele & castrenses de Nuvvenburg ex altera fortiter impugnaverunt, quousque nautæ coacti, cum aliter evadere non possent, ejectis de navibus rebus omnibus evaserunt.

An. Domini MCCLXVIII. Conradinus Nepos olim Friderici Imperatoris II. in bello à Karolo Rege Celitiæ predicto capitur & cum multis Nobilibus de Almannia decapitatur.

CAP. CXXIV.

De
Vindicta hujus rebellionis.

QUo percepto, Magister & fratres collecto magno exercitu intravit in die Beatorum Petri & Pauli Apostolorum terram Pomeraniæ circa castrum Dersovviam & utriusque castri territoria circumjacentia captis multis hominibus & pecoribus incendio devastavit. Quo facto Mestovvinus Dux Pomeraniæ, qui prius tanquam Leo sæviit in fratres, & eorum subditos, modo ex vexatione hujusmodi mitigatus cum multis precibus humiliando se obtinuit à magistro, quod inter eum magistrum & Fratres fuit pax pristina reformata.

CAP.

CAP. CXXV.

De

Destructione castri Brandenburg.

FRater Fridericus de Holdenstete Commendator de Brandenburg, cum Fratribus & armigeris suis profectus fuit ad territorium Nattangiæ, quod dicitur Solidovv, circa castrum Cruceburg, per incendium & rapinam occisis & captis plurimis devastavit. In reditu occurrit ei nuncius, qui dixit, quod castrum Brandenburg esset destructum per hunc modum. Quædam mulier Pruthena similis conditionis, filia Belial, recessit de dicto castro, Glapponi Capitaneo Warmiensium Fratrum absentiam recitavit, qui cum multis armigeris veniens ipsum expugnavit. Quo audito Commendator turbatus ivit cum suis versus Kunigsberg & reversus navigio Brandenburg, fratres & aliquos de familia sua, qui se in turri lignea dicti castri defenderunt ab impetu & impugnatione Pruthenorum salvos secum duxit.

Anno Domini MCCLXX. VIII. Calend. Septembr. Ludovicus Rex Francia cum duobus filiis suis & multis Principibus iter assumpsit pro recuperatione terræ Sanctæ: sed ipse cum uno filio & multis aliis in via moriebatur. Hic Christianissimus Rex post multas orationes hanc intulit: Introibo in domum tuam, adorabo ad templum Sanctum tuum & confitebor nomen tuum. Et hoc dicto in Domino obdormivit. Alia pars exercitus processit & cum ad eos Karolus Rex Ceciliæ cum suis veniret gavisi sunt, & in tantum angustiaverunt Soldanum & suos quod oportuit, eos inire pacem sub his pactis, quod ipse Soldanus omnes Christianos captivos redderet & quod Ecclesiis Dei constructis in omnibus civitatibus regni sui admitteret, ut fides Christi prædicaretur in toto regno suo, & qui vellent baptizari baptizarentur, & quod ipse fieret tributarius Christianis. Hoc facto venit Edoardus Rex Angliæ cum multitudine Frisonum & peregrinorum & computabantur in toto exercitu CC. millia pugnatorum & Sperabant Christiani quod non solum terram Sanctam sed & terram Sarracenorum sibi deberent subjugare, sed exigentibus peccatis totus exercitus Christianorum est dispersus, ita, quod ne illo nulla alia utilitas est secuta, quia Papa, Patriarcha, Legatus, Rex Navarræ, sunt defuncti.

CAP.

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Ludovicus de Baldersheim VII. Mag. in Prussia Prov.

CAP. CXXVI.

De

Reædificatione castri Brandenburg & laudabili vita cujusdam fratris ibidem.

MArchio de Brandenburg intelligens, quod castrum per eum ædificatum esset à Pruthenis destructum, turbatus est, & collecto iterum magno exercitu rediit Pruschiam, & de Magistri & fratrum consilio ad eundem locum castrum aliud ejusdem nominis instauravit. In hoc castro fuit quidam frater Hermannus de Lichtenburg Nobilis, qui præter alias castigationes & abstinentias quibus se afflixit continuè circa corpus suum nudum loricâ pro camisia utebatur. Undè accidit quod super indutis aliis armis, dum ad bellum proficiscens impetuose se haberet sicut in tali negotio est consvetum, in tantum caro ejus corrosa fuit, ac si fuisset scorpionibus cæsa. Pro quo dum frater Petrus Sacerdos confessor ipsius eum redargueret, asserens quod tempore belli deberet loricam deponere, propter armorum gravedinem aliorum: Respondit, quod nulla necessitas ad hoc eum posset artare, quod vivus eam posset deponere. Sed in ipsa nocte sequenti apparuit ei B. Virgo Maria, quæ tactu placidæ manus suæ ipsum sanavit, sic quod dum eum frater Petrus prædictus iterum videret, nulla corruptionis alicujus in cute ipsius macula comparebat.

CAP. CXXVII.

De

Fratre Theodorico Magistro Pruschia VIII.

Fra-

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Theodoricus de Gattersleben VIII. Mag. Prov. in Prussia.

FRater (a) Theodoricus de Gattersleben. Magister terræ Pruschiæ octavus præfuit (b) VI. annis. Anno Domini MCCLXXI. Hoc tempore fuit & Marschalcus, Frater Conradus de Tierberg Senior.

ANIMADVERSIONES.

(a) Hunc Magistrum ab Hartmanno de Heldrungen fuisse in Prussiam missum dicit Auctor Chronici Latinè scripti sub Friderico Magistro Prussiæ.

(b) Auctor Chronici Germanici in 4. habet 8. annos. Sed ex collatione Historiæ apparet, non posse huic Magistro plures quam sex annos assignari. *Vide quæ diximus ad cap. 129.*

CAP. CXXVIII.

De

Vastatione terræ Nattangiæ per Dominum Theodoricum Marchionem Misnensem.

ANno Domini MCCLXXII. dum videns videret Dominus afflictionem populi sui in Pruschia & jam venisset plenitudo temporis in quo sui voluit misereri, Dominus Theodoricus Marchio, Misnensis filius Illustris Principis Domini Henrici, de quo in bello Pomezanorum (a) superius est præmissum, venit ad terram Pruschiæ cum multitudine pugnatorum & dum assumptis sibi Magistro & fratribus hostes vellet aggredi, invenit propugnaculum in tractu terræ Nattangiæ firmatum multis armigeris, qui ingressum dicto Principi prohibebant.

An. Domini MCCLXXII. Gregorius Papa IX. fuit. Hic sanctam Hedwigin Ducissam Poloniæ Canonizavit.

An. Domini MCCLXXIII. Rudolphus de Astburg in Regem Romanorum est electus.

Sed fratres Theodoricus & Guntherus Germani de Regenſtein aſſumptis ſibi fratribus & armigeris dictum propugnaculum occiſis & captis omnibus deſtruxerunt. Hoc facto dictus Princeps ſequens ſacra Patris ſui veſtigia tanquam leo intrepidus, qui ad nullius pavet occurſum, cum exercitu ſuo proceſſit intrans terram Nattangiæ, usque ad forum, quod dicitur Cierkin, ubi manſit tribus diebus & noctibus ſingulis diebus perluſtrans Nattangiam incendio & rapinâ. Tantamque fecit in eis ſtragem, quod ſequenti anno ſe fidei & fratribus iterum ſubdiderunt. His itaque ſic geſtis, idem Dominus Marchio rediit ad partes ſuas, non tamen ſine ſuorum diſcrimine; quia de populo ſuo in prima impugnatione propugnaculi CL. & in vaſtatione terræ Nattangiæ L. Viri à Pruthenis ceciderunt interfecti. Hic DEO devotus Princeps præter multa alia beneficia, quæ pro ſtatu terræ Pruſchiæ fratribus impendebat, XXIV. viros nobiles & in armis de familia ſua veſtiri fecit in Ordine Domus Teutonicæ, & providens eis abundanter in omnibus, quæ ad Religionem & militiam fuerant neceſſaria reliquit in terra Pruſchiæ.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Part. III. cap. XIII.

CAP. CXXIX.

De *Fratre Conrado Magiſtro Pruſchiæ IX.*

FRater Conradus de Tierburg Senior Magiſter terræ Pruſchiæ IX. præfuit VII. annis. Anno Domini (*) MCCLXIV.

Hic

Hic à Magistro Generali vocatus ad Capitulum mortuus est in via.

(*) Jeroschinus, Interpres Dusburgii, habet MCCLXXVII. Facit cum Jeroschino & auctor Chron. Antiq. Germ. MSS. in forma quarta, in Biblioth. Elector. Regiom. ut & Schuzius aliique ut dubium non sit, quin hic in Dusburgio sphalma librarii occurrat.

CAPUT CXXX.

De

Morte Henrici Monte Capitanei Nattangiorum.

POst hujus Principis recessum Nattangi incœperunt trepidare timore, ubi aliquando non erat terror. Nusquam fuit locus adeò occultus, ubi non timerent sibi periculum imminere. Undè accidit, quod Henricus (*a*) Monte Capitaneus ipsorum, cum quibusdam suis complicibus secessit in desertum & dum solus sederet in tentorio suo sociis suis in Venationem exeuntibus, supervenerunt ex inopinato rerum eventu fratres Henricus de Sconnenberg Commendator de Christburg, & frater Helvicus de Goldbach, cum quibusdam armigeris, & viso Henrico gavisi sunt valdè, & rapientes eum ad arborem suspenderunt & suspensum gladio transfixerunt.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Henricus nomen undè habet *vid. supra ad Cap. 84.* Vocari se deinde Hercum voluit

CAP. CXXXI.

De

Morte Glapponis Capitanei VVarmiensium & subjectione VVarmiensium & Nattangorum.

Hanno de Sangerhausen. VII Mag. Gen. Ord. Teut.
Conradus de Tierburg IX. Mag. Provinc. in Prussia.

GLAPPO Capitaneus Warmiensium habuit quendam Virum sibi subjectum, dictum Steinovv, quem tenerrimè dilexit. Sæpius eum à mortis periculo liberavit: sed ille immemor beneficii sibi ab eo præstiti retribuebat mala pro bonis, & odium pro dilectione. Cogitavit enim qualiter ipsum in mortem traderet, & ut hoc posset deducere ad effectum, invitavit ipsum ad expugnandum Castrum quoddam, situm in terra Sambiæ, circa littus maris recentis, ferè ex opposito Castri Brandenburg, assignans ei diem, quando cum suo deberet exercitu advenire. Medio tempore iste Steinovv venit ad Commendatorem de Kunigsberg, & factum hujusmodi prodidit, consulens ei, ut cum exercitu suo secum iret; qui annuens consilio suo, assumptis sibi pluribus fratribus & armigeris, venit, & Glapponem cum exercitu suo in obsidione dicti castri invenit, & irruens repentè in ipsos omnes occidit. Sed Glapponem secum duxit Kunigsberg, & in monte, qui à Nomine suo usque in præsentem diem dicitur mons Glapponis, suspendit. Occisis ergo Capitaneis & aliis per quos bellum regebatur, Nattangi & Warmienses se fidei & fratribus iterum submiserunt.

CAP. CXXXII.

De

Bello singulari omnium Castrorum & Civitatum terræ Prussiæ in secunda Apostasia, primo de Balga.

PRæmisso in Generali de Bello secundæ Apostasiæ (*a*) descendendum est ad singulare prælium cujuslibet Castri & territorii terræ Pruschiæ. Undè non moveat Lectorem si aliqua bella

bella infra secundam Apostasiam jam posita, vel ponenda non inveniat eo ordine, quo sunt digesta, quia jam transiverunt à memoria hominnm nunc Viventium, quod nullus de ipsis posset se modo debito expedire: factum quidem pro majori parte ponitur, sed tempus debitum non servatur. Unde per anticipationem multa reperies hic posita & descripta. Postquam Warmienses Nattangi & Barthi An. Dn. MCCLX. apostatassent à fide & fidelibus, circumiverunt terras suas armatâ manu, & quotquot invenerunt Christianos, occiderunt, mulieres & parvulos captos deduxerunt. Posthæc processerunt versus Balgam & equos fratrum & pecora spoliaverunt, quod non una sed pluritus Vicibus factum fuit.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Codex Thoruvvensis addit hæc verba: *quæ Anno 1260. incepit.*

CAP. CXXXIII.

De

Occisione III. Fratrum & XL. Virorum.

NOn longè postea duo Nobiles & potentes (*a*) Stumo & Stutze cum magno Exercitu venerunt ante Balgam. Fratres cum suis occurrentes eis, duos Pruthenos nobiles interfecerunt. Hac die fuit tanta Nebula, quod nullus alium à longè videre potuit. Undè factum fuit, quod dum fratres Pruthenos recedentes vellent invadere, quia media pars exercitus ipsorum transivit paludem, illi, qui in Insidiis latitabant, erupcrunt, & tres fratres cum XL. viris interfecerunt.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Sckumme habet Jeroschinus. Codex Thorunensis *Scumo.*

CAP. CXXXIV.

De

Morte quorundam Pruthenorum.

A principio fundationis sui, in Castro Balga fuerunt fratres & armigeri, adeo magnanimi & audaces, quod vix aliquis exercitus hostium poterat ab eis recedere sine damno. Undè contigit, quod cum Pobravvo cum Nattangis & Warmiensibus exercitu congregato præmitteret noctis tempore multos pedites ad campum de Balga, & ipse mane sequens cum equitibus, pecora fratrum recepisset, occisis tribus Viris, qui custodiebant ea. Frater Gerhardus de Reno & plures alii fratres cum armigeris sequentes illos dictum Pobravve & sex Viros occiderunt & prædam de ipsorum manibus eruerunt.

CAP. CXXXV.

De

Bello civium de Brunsberg infra secundam apostasiam & captione Castri & Civitatis.

DOminus & frater Anshelmus (*a*) Ordinis domûs Teutonicæ Episcopus Warmiensis ædificavit Castrum & civitatem Brunsberg in illa insula in defensu fluvis (*b*) Sergie vix ad duos jactus lapidis à loco, ubi nunc sitæ sunt, quas Prutheni cum magno Exercitu in primo anno secundæ apostasiæ obsederunt per unum diem fortiter impugnantes. Quibus cives & Castrenses se opponentes viriliter restiterunt, loca illa castri & Civitatis, ubi aditus poterat patere hostibus, turribus & quadrigis & li-

lignis aliis præcludentes. In hac impugnatione ex utraque parte multi vulnerati, & quidam mortui ceciderunt : tandem cum non proficerent, recesserunt. Postea cogente necessitate XL. Viri de dictis Castro & Civitate pro fœno & lignis deferendis exierunt, qui omnes ab inimicis fuerant interfecti. De quo Cives & Castrenses territi desperabant, quod non possent à modo resistere, si insurgeret nova impugnatio. Combustis ergò Castro & Civitate recesserunt cum omni familia sua, nihil de omnibus rebus & utensilibus suis secum deferentes, nisi quantum poterant in humeris deportare, quibus recedentibus occurrerunt in Via LX. Viri Christiani, quos fratres de Elbingo miserant eis in auxilium. Sed dum audirent quod Castrum & Civitas essent exustæ processerunt omnes pariter in Elbingum; Deinde Anno Domini MCCLXXIX. Dominus Henricus Episcopus Warmiensis civitatem & Castrum Brunsberg in eum locum ubi nunc sitæ sunt collocavit. Hic Episcopus, dum primo post consecrationem suam intraret Episcopatum suum, non invenit nisi singulis annis de quodam molendino in reditibus totius diœcesis unam marcam.

ANIMADVERSIO.

(a) Anshelmum fuisse Ord. Teut. fratrem asserit etiam Jeroschinus. Item ipse Anshelmus in Privilegio hujus Episcopatus sic scribit: *Fr. Anshelmus Ordinis Hospitalis S. Mariæ Hierosolymitanæ &c.* ut hac citat Thomas Treterus *in libro M. S. de Vitis Episcoporum Warmiensium.* Post Anshelmum verò nemo Episcoporum Warmiensium fuit Ordinis illius frater. Testatur id Æneas Sylvius, qui ad hunc Episcopatum à Pontifice Romano commendatus erat. Is enim de Ecclesia Varmiensi scribens: *Quæ una est*, inquit, *illis in partibus jure suo utens nec Subjecta fratribus. Reliquos Episcopos habitum Ordinis gestare oportet:* Vid. Corpus Hist. Polon. *Tom. 1. pag. 5.* Quærebant quidem Cruciferi modos, quibus Episcopa-

scopatum hunc in suam potestatem redigerent, sed frustra. Sigefridus à Feuchtwangen hoc obtinuit, ut Magister generalem totius Episcopatus Advocatum (Landvoigt.) constitueret, tempore Eberhardi Episcopi Warmiensis tertii, quæ consuetudo postea duravit, usque ad res Ordinis Teut. inclinatas, cum Episcopatum Franciscus Kueschmalz administraret, qui jugum hoc precio ab Ordine redemit. Thom. Treterus *l. c.* Wernerus de Orselen etiam Magister Ordinis Generalis cum multos commendatione suâ apud Episcopum in Canonicos promovisset, deinde ipsorum ope fretus defuncto Henrico Wagenax Episcopo, statim Henneman-num in illius locum suffecit; sed resistente Capitulo, nihil obtinuit. Sequentibus quoque temporibus electioni Episcoporum Warmiensium à Capitulo factæ restiterunt Magistri. Obtinuit postea Magister Ord. Teut. à Pontifice Nicolao V. ut in Episcopatu Warmiensi duos Canonicatus totidemque præbendas quibus vellet, conferre, & de illis providere posset, ut literæ gratiarum actoriæ à Magistro Pontifici scriptæ (quæ hodieque in Bibl. Elect. Regiomontana asservantur) testari possunt. Sed cum Capitulum huic rei restitisset, revocavit tandem Nicolaus V. facultatem hanc An 1453. d. 7. Id. Aug. Pontificatus sui an. VI. Cum deinde anno 1454. Prussia ad Regem Poloniæ transiisset, juravit Capitulum Warmiense Casimiro Regi, quod primam occasionem dedit Regi parandi sibi juris Patronatus in Ecclesiam Warmiensem, licet Episcopus ipse tunc temporis Mariæburgi degens cum quibusdam Canonicis jusjurandum illud, non perstiterit. *Vid.* Mart. Crom. *lib. XXII.* Porrò cum Anno 1466. inter Regem & Cruciferos pax constitisset, cesserunt Cruciferi jure suo, quod in Ecclesiam Warmiensem habuerunt, qui est secundus prætextus in dictum Episcopatum. Hinc Poloni Æneam Sylvium à capitulo electum & à Pontifice confirmatum admittere in Episcopatum noluerunt. Cromer. *lib.* 25. Æneas Sylvius in Pontif. Rom. electus contulit Episcopatum Paulo à Legendorf, quo mortuo, Rex Poloniæ Kielbassam constituit Episcopum Warmiensem: Sed cum Prutheni contra eundem exacerbati, huic rei resistereut, substituit Rex Oppo-

rovium Secretarium suum. Capitulum interim sibi elegerat Nicolaum à Tungen. Hinc ad bellum res devenit, donec tandem Anno 1479. Nicolaus Tungenus à Rege in gratiam receptus promisit cum Capitulo, imposterum non nisi gratum Regi Episcopum à Capitulo electum iri. Vid. Cromer. *lib. XXXIX. sub an. 1479.* Sed & hîc controversiis exortis de grato Regi Episcopo, tandem Fabianus de Lusinianis sub certis conditionibus Regi Sigism. I. jure Patronatus cessit An. 1512. d 7. Decemb. in Comitiis Petri covienſibus. Hæc pleraque deprompta sunt ex libro MS. qui inscribitur: Fundatio, jura, Privilegia Ecclesiæ Varmiensis Conf. & Schuz.

(*b*) Serge habet Codex Thorunienſis, ut & Jeroschinus. Hodiè vocatur Passaria. Ast Hennebergerus *in Comment. ad Tab. Geogr. Prussiæ lib. de fluminibus* habet alium fluvium Sirgune sive Sirge, in lacum Drausen se exonerantem, qui cum hoc fluvio non est confundendus. *Vid. infra cap. 138. ubi de Sirguna: & supra cap. XI.*

(*c*) Codex Regiomontanus habet *et.* nos ex Thorunienſi restituimus, à *loco.*

CAP. CXXXVI.

De

Bello fratrum de Christburg in secunda Apostasia, & de quodam miraculo, & de occisione multorum Pruthenorum.

FRater Theodoricus dictus (*a*) Rode, Commendator de Christburg infra secundam Apostasiam exiit cum fratribus & peregrinis numero centum, & post deprædationem terræ Pogesaniæ, secuta fuit eos innumera multitudo Pruthenorum, quam dum sine conflictu evadere non posset, confisus de misericordia DEI vertit faciem suam ad eos, & dum viriliter aggrederetur in bello, conversi sunt in fugam, & fratres & peregrini

sequentes ipsos, tot occiderunt, quod nunquam à paucis hominibus uno die tot fuerunt interfecti. (*b*) Captivi autem, qui ligati ducebantur à fratribus, dixerunt, quod vidissent in actu bellandi unam pulcherrimam Virginem vexillum fratrum in aëre ducentem, de qua visione tam meticulosi facti fuerunt, & emarcuit Cor eorum, quod nullus ad defensionem ponere se audebat.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. CXXXVI.

(*a*) Jeroschinus habet Rodde Fragmentum Thorunense Rhode. Ex hâc familiâ dubio procul oriundus fuit Wilhelmus de Rode Nobilis Lovanienſis, qui seculo sequenti decies octies in Prussiam expeditione susceptâ tandem anno Domini 1392. obiit & Lovanii sepultus est in æde sacra Dominicanorum Choro medio. Lapis sepulcralis hanc habet inscriptionem: *Miles Wilhelme de Rhode Mors sepelivit te, cujus multas acies audacia trivit. Tu vice tersenâ Prussos adisti, & semel ad Christi tumulum propriâ sub habena &c.* Ex hac stirpe etiam Justus Lipsius genus suum deducit. Nam Ægidius Rhodius Justi Lipsii, de quo nobis sermo est, proavo, filiam suam in matrimonium collocaverat. Uxor etiam Philologi hujus incomparabilis ex hac stirpe fuit oriunda. *Vid.* J. Lipsius *in Lovanio. lib. 2. cap. 8.*

(*b*) Hæc usque ad finem capitis in fragmento Thorunensi desiderantur.

Cap. CXXXVII.

De *Expugnatione cujusdam propugnaculi.*

COngregati Pogesani rursum bella movere volunt, & procedentes usque Christburg, quoddam Castrum situm juxta ipsum,

ipſum, in quo fideles Pomeſani habitabant, fortiter impugnantes, tandem intraverunt potenter,& captis & occiſis hominibus, præter eos,qui ad Caſtrum Chriſtburg confugere poterant, dictum propugnaculum funditus de ſtruxerunt.

CAP. CXXXVIII.

De

Morte duodecim fratrum & quingentorum virorum& de deſtructione civitatis Chriſtburg caſtri Pomeſanorum, & ſuburbii fratrum & occiſione plurium Chriſtianorum.

DIvanus dictus Clekine Capitaneus Barthorum & Linko Pogeſanus cum magno Exercitu intraverunt terram Colmenſem & dum ad clamorem hujus Exercitus fratres de Chriſtburg & alii conveniſſent ad terram Colmenſem,Pogeſani,ut Divanus præordinaverat,cum valido exercitu equitum & peditum venerunt ad Caſtrum dictum Trampere, ſitum infra Chriſtburg & Mergenburg,in Cujus obſidione reliquerunt pedites,& quendam dictum Colte ipſis Capitaneum præfecerunt. Sed equites tranſiverunt usque ad territorium dictum Algent, in quo nunc ſitum eſt Caſtrum Mergenburg, & usque ad Inſulam S. Mariæ occidendo,capiendo & cremando,quicquid in via eis occurrit. Quo intellecto fratres de Caſtris Puſilia & Viſchovia cum ſuis armigeris venerunt fratribus & Civibus de Chriſtburg in armis jam paratis in auxilium. Et dum fratres procedentes appropinquarent Caſtro obſeſſo, Prutheni ceſſantes ab impugnatione converſi ſunt in fugam. In hac fuga & impugnatione caſtri multi Prutheni occiſi fuerunt, & lethaliter vulnerati, & Colte

Capitaneus eorum etiam cecidit gladio interfectus, sicque pedites fugientes occurrerunt equitibus; de quo territi, congregaverunt se & equites & pedites, & in littore Sirgure castra metati sunt, fratribus ex opposito se locantibus cum suo Exercitu. Prutheni videntes quod sine bello evadere non possent, consideratâ opportunitate, dum Christiani quasi nihil timentes sine custodiâ debitâ essent, imo etiam sellas de equis posuissent, mediam partem exercitus sui occultè permiserunt transire fluvium, quæ Christianos retro, alii ante, bello durissimo invaserunt, & antequam Christiani se possent præparare ad defensionem, occisi fueruut XII. fratres & quingenti Viri circa Villam Poganste, reliquos fugientes ad Civitatem secuti sunt, & post modicam impugnationem potenter intraverunt, & civitatem & Castrum Pogesaniorum & fratrum suburbium penitus destruxerunt, captis & occisis omnibus, præter illos, qui ad castrum fratrum confugere potuerunt. Hoc tempore non remanserunt in Castro Christburg, nisi tres fratres & tres famuli & quidam Pomesanus, dictus Scienes, qui propter quædam delicta, quæ commiserat, fuit vinculis mancipatus. Hic fractis compedibus cum gladio & lanceis tanquam leo (*c*) intrepidus stetit in ponte Castri fratrum, & prohibuit introitum hostibus, quousque porta clauderetur. Quo facto, quidam frater telo occidit quendam Pruthenum, cui XL. (*d*) pueri Christiani capti & ligati simul commissi fuerant custodiendi, & pueri currentes ad Castrum evaserunt perpetuam servitutem.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Collectanea Magnif. Domini Zamelii habent Dekine. Et sic etiam Elbingensis & Thorunienſis Codices. Idem Zamelius Diwanum hunc putat dictum esse à voce Prussica & Lithvanica *Deiwa* i. e. *Deus*. Unde eidem à Prussis videri possit datum nomen Ottonis. apud Henneb. *pag. 13.* (*b*)

(*b*) Collectanea Dn. Zamelii habent Trampere vel Trampen. Jeroschinus verò & Chronicon Antiq. Germ. in 4. habent Tranpeyen. Alii Trampien.

(*c*) Simile olim factum Horatii Coclitis, vide apud Livium *lib. 2. c. 10.* Flor. *lib. 1. cap. 10.*

(*d*) Thorunienſe Fragmentum legit, *primum.* In Regiomontano exemplari hoc legi non poterat. Reſtituimus itaque hæc ex Germanica Jeroſchini verſione.

CAP. CXXXIX.

De

Morte plurium Pruthenorum.

DIvanus prædictus iterum ſæviens in Sangvinem Chriſtianum, congregato Exercitu valido, territoria circa Chriſtburg & Mergenburg denuo deprædavit putans quod nunc deberet ei ad votum ſuccedere ſicut prius. Jam enim tot fratres & alios Chriſtianos interfecit & captivavit quod non credidit aliquos ſupereſſe qui reſiſtere poſſent ei. Unde præmiſſo exercitu ſuo cum ſpolio ipſe cum paucis ſequebatur. Sed fratres de Chriſtburg & Elbingo cum modico Exercitu confiſi in eum, cujus virtute unus perſequebatur mille, & duo fugaverant decem millia, venerunt ad fluvium (*a*) Ghobar, ubi Divanum viriliter ſunt aggreſſi, & quendam conſangvineum ipſius, dictum Dabore, & totum populum occiderunt. Sed Divvanus cum paucis non ſine magnâ verecundiâ fugiens ſic evaſit. Reducentes ergò fratres prædam, quam de manu ipſorum eruerunt cum gratiarum actione ad propria ſunt reverſi.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Thorunienſe Fragmentum habet Chobar. Eſt autem fluvius die Guber dictus.

Hanno de Sangerhausen VII. Magister Gen. Ord. Teut.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Provinc. Prussiæ.

CAP. CXL.

De *Difficultate ducendi Victualia ad Castrum Christburg.*

VAllatis fratribus de Christburg undique potentiâ hostium, raro absque magno periculo & labore necessaria ipsis duci poterant de Elbingo. Undè accidit tribus Vicibus, quod cum per fluvium Sirgune talia ducerentur, & fratres & famuli rebus & Vitâ sunt privati, de quo tanta fames orta fuit in Castro Christburg, quod nisi (a) Namile quidam Nobilis de Pomesania (b) *** existens cum adversariis, occultè tamen diligens fidem & fratres, non subvenisset, castrum fuisset hominibus vacuatum. Quod cum Prutheni perciperent, indignati dictum Namile ceperunt, & aquam bullientem in os ejus fuderunt, & medium ad ignem positum assantes quousque semi animis vix posset respirare, & sic eum fratribus transmiserunt, qui infirmus multo tempore supervixit. Tandem iterum prævaluit fames in dicto Castro in tantum, quod fratres necessitate famis coacti, fidelibus suis Pomesanis, qui adhæserunt eis, dixerunt & svaserunt, ut recederent ab eis ad alia loca salvo jure & libertate ipsorum, ut possent sustentari, ne ibidem fame morerentur. Unde paucis remanentibus, alii recesserunt. Ecce mira DEI & exuberans gratiâ, quæ fratres istos & alios Christi fideles non solum in isto Castro, verum etiam in tota terra Pruschiæ misericorditer adimplevit, ut tales defectus quam intolerabiles & humanæ vitæ necessitati omnino contrarios in tantâ patientiâ & mansvetudine tolerarent, quod non sicut tristes, sed quasi semper gaudentes credebant se paradysi deliciis interesse.

(a) Co-

ANIMADVERSIONES.

(a) Codex Thorunienſis legit Namite. Legendum autem eſſe Samile, docet Interpres Dusburgii Jeroſchinus. Idem cognoſcimus ex Chron. M. S. Germanico ſatis antiquo, in formâ, ut vocant, quartâ, Bibl. Elect. Reg. ubi legitur Dilman Samile. Sine dubio enim in antiquiori Codice ſcriptum fuerat Z, quod Librarius mutavit in N. Ab hoc Samile Genus ſuum deducit Magnif. atque Nobiliſſ. Dn. Zamelius Conſul Elbingenſis Civitatis meritiſſimus putatque Dilman eſſe nomen Tilemanni, quod dicto Samile Chriſtiani impoſuerunt. Fuſius hoc perſequitur Fredericus Zamelius Conſul Elbingenſis, Gothofredi hujus pater, in faſciculo Epigramatum, cujus inſcriptio eſt: familiæ Monumentum ad Liberos. Ibi enim in Carmine ad filios Cariſſimos ſic canit:

Favit Chriſticolis noſtri cognominis auctor
Clamque ſuâ duro tempore fovit ope.
Samilen dixere ſenem, vox ſignat amatum,
Fecerat hæc illi nomina gentis amor
Zeta ſuo Slavi commutant Sigma Pelasgum.
Zamilen ſcribunt haud abeunte ſono.
Napulen legit hic: Namilen legerat alter,
Plus noxæ primo proximus error habet.
Annales ſuperant bis qui expreſſere Samilen,
Incautum potuit fallere ſegnis apex.
Fortè & cum rigidi ſubiiſſent geſta Nalubæ
Confudit.

— — —

Et poſt.

Zamilen repeto: Proniis regnabat in oris
Dena & ſex paſſum millia Druſis abeſt.
Surgana obit fines, quæ cum ſubit æquora Druſi,
Doce velut Cancro ſe meliore probat,
Tunc mea barbaricâ gens Nobilitate valebat
Curradis Scythicas Præſes agebat opes.

Paucis interjectis hæc habet:

Illo

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. in Prussia.

Illo Tustinus *pridem satus unica proles*
Hoc genitus Laurens, *hoc* Tilemannus *erat.*
Hinc Clemens, Thomasque *celer, triplicesque* Jacobi
Ordine: ab hoc Proavus posteriore meus.
Primus hic Elbingam Proniis descendit ab oris.

In spicilegio quoque Adoreæ Poëticæ ad liberos suos eandem texit Genealogiam.

(*b*) Codex Regiomontanus hoc loco legit, *Tussutu* sed nullo sensu. Codex Elbingensis hæc plane omisit. Codex Thorunienſis habet pater Tussini, & sic etiam in suo Codice legit Beat. Fridericus Zamelius Cos. Elbingensis ut ex Carmine jam jam Citato liquet.

CAP. CXLI.

De

Fratre Engelkone viro laudabilis Vitæ de Christburg.

HOc tempore in dicto Castro Christburg fuit frater(*a*)Engelko natus de Westphalia, vir miræ devotionis & abstinentiæ, totus DEO consecratus, qui propter alia Virtutum opera hoc insigne habuit in se, quod circa nudam carnem suam lorica ferrea utebatur pro Camisia, & ante mortem suam quatuor tales Loricas attritas vetustate & rubigine sic consumpsit.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Engelke/ habet quoddam Chron. Germ. antiqvum.

CAP. CXLII.

De

Bello civitatis Insulæ S. Mariæ, & destructione ejus infra secundam Apostasiam.

Pru-

PRutheni nec dum satiati sangvine Christiano iterum parant arma ad occidendum & flagellandum & crucefigendum Christi fideles, ut sic veniret super eos omnis sangvis Justus, qui effusus est in terra Prussiæ pro defensione fidei Christianæ. Congregati ergo cum multitudine copiosa bellatorum infra secundam Apostasiam processerunt contra Civitatem Insulæ S. Mariæ & ordinatis insidiis ad locum competentem, pauci comparuerunt, quos fratres & Cives cum armigeris suis sequentes in Campo, qui est inter Civitatem & molendinum, hostiliter invaserunt, plures occidentes & lethaliter vulnerantes, & cum jam sperarent eos deleri usque ad internecionem, Prutheni, qui ad Insidias locati fuerant, eruperunt, & omnes fratres & cives interfecerunt, præter paucos, qui confugerant ad Civitatem, quos hostiliter sequebantur, & post modicam impugnationem, civitatem expugnaverunt, & partim captis, aliis trucidatis, reliqui ad castrum fugerunt & salvati sunt. Destructâ ergò civitate funditus incendio cum prædâ maximâ recesserunt.

CAP. CXLIII.

De

Secunda dictæ Civitatis insulæ S. Mariæ destructione.

REædificatâ civitate Insulæ S. Mariæ per fratres cum magnis laboribus & expensis, accidit, quod Prutheni cum immenso Exercitu depopulatâ terrâ Colmensi processerunt ad Castrum Belichovv cujusdam Nobilis de Pomesania, dicti Jonis filii Sargini situm supra Ossam, de quo Castro exiit Fr. Conradus Sverus, de Elbingo cum multis armigeris, & habuit contra ipsos hasti-

hastiludium, in quo plures ex utraque parte fuerant vulnerati. Quo facto accesserunt ad Civitatem Sanctæ Mariæ, & post longam & duram impugnationem iterum ipsam penitus destruxerunt, quibusdam fugientibus ad Castrum, aliis in quodam propugnaculo Civitatis se defendentibus salvati sunt, cæteri capti sunt & occisi.

CAP. CXLIV.

De
Ædificatione castri Starkenberg & morte plurium Christianorum.

HOc tempore Frater Anno Magister generalis Ordinis domûs Teutonicæ mandavit Magistro & Fratribus de Pruschia, ut castrum in terminis Colmensis & Pomesaniensis diœcesium super Ossam ædificarent. Ipse enim castrensibus vellet abundanter in necessariis providere. Ad cujus ædificationem Magister multum populum convocavit, & dum quilibet ibi in officio sibi injuncto laboraret; supervenit exercitus Pruthenorum improvisè & totam illam multitudinem interfecit. Sed longè postea iterum Magister populum convocavit, & tunc ædificationem dicti castri per Dei gratiam consummavit, vocans ipsum (a) Starkenberg, quod latinè dicitur, fortis mons, & multos fratres & armigeros ad ejus custodiam deputavit.

ANIMADVERSIO.

(a) Castellanus sive Præfectus ejus arcis videtur primum obtinuisse locum inter Præfectos arcium. Cum enim ex more omnes Magistratus Ordinis Teutonici in Prussia singulis annis officii sui insignia adeoque ipsa officia in manus superiorum Magistratuum seu Præceptorum majorum traderent, Castellanus Starkenbergensis simul

simul cum Magistratibus superioribus seu Præceptoribus Majoribus non nisi coram ipso Magistro generali se suo Magistratu abdicare, insigniaque ejus tradere jubetur. Deinde alii Præfecti arcium communiter in Consvetudinibus Ordinis appellantur (ut & olim vulgò appellabantur) HausCompthurs: Starkenbergensis verò solus appellatur in allegatis illis Consvetudinibus Castellanus. *Vid. Consvetud. nam.*

CAP. CXLV.

De *Expugnatione castri Starkenberg, & morte plurium fratrum & Christianorum.*

PRutheni audientes dicti castri ædificationem, indignati sunt, & cum valido exercitu obsederunt: Sed frater Conradus de Blindenburg exiens ad eos in prælium, vulneratus fuit V. vulneribus ad modum V. vulnerum Christi, & occisus, pro quo ipse Domino sæpius cum lachrimis supplicavit. Deindè Prutheni vallantes undique castrum ad impugnationem, hostiliter processerunt. Fratres ex adverso se opponentes multos Sagittis occiderunt, & lethaliter vulnerabant. Tandem Prutheni provocati in iram, elegerunt potius omnes mori, quam infecto negotio ab obsidione recedere, & accedentes propius post multorum utriusque partis occisionem, dictum castrum expugnaverunt, & occisis fratribus cum omnibus habitatoribus suis ipsum in favillam redegerunt. Post multos annos postea, dictum castrum translatum fuit super Ossam in Diœcesim Colmensem, & ibi usque ad diem permanet hodiernum.

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gener. Ord. Teut.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. in Pruss.

CAPUT CXLVI.

De

Desolatione castri Spittenberg in secunda Apostosia.

IN terra Pomesania fuit quoddam castrum dictum Spittenberg, in quo fratres habitabant: Sed cum in secunda Apostosia totiens à Pruthenis vexarentur, nec possent eis à modo resistere, propter defectum necessariorum, combusto castro cum suis armigeris recesserunt, & sic adhuc remanet desolatum.

CAP. CXLVII.

De

Bello terræ Colmensis in secunda Apostasia, & primo de fratre Heydenrico Colmensi Episcopo.

FRater Heydenricus (a) Ordinis Prædicatorum fuit infra secundam apostosiam Episcopus Colmensis. De quo indubitanter refertur, quod Beata Virgo Maria cuidam pauperi viro apparuit, dans ei literam dicto Episcopo deferendam, quam literam dum Episcopus legeret, invenit totam vitam suam in ea descriptum & additum, quod Christiani in terra Prussiæ deberent à Pruthenis vexari adhuc multis tribulationibus & pressuris.

ANIMADVERSIO.

(a) Fratris Heydenrici honorab. Ord. Prædic. Colmensæ Episcopi, fit mentio in Privileg. Civit. Elbing. An. 1246. concesso inter testes. Item in pactis Pruthenorum auctoritate Pontificii Legato Jacobi publicatis An. 1249. *Dn. Zamelius.*

CAP.

CAP. CXLVIII.

De

Obsidione Civitatis Colmense.

POsthæc venit exercitus Pruthenorum, & civitatem Colmense obsedit. De quo Episcopus turbatus vocavit ad se Nobiles & feodotarios, injungens eis pro peccatis, ut exirent & diligentius explorarent numerum exercitus & valorem. Quibus euntibus occurrerunt quidam Prutheni, cum quibus convenerunt in bello, & unum ex eis virum longissimum, qui plus quam ab humero & sursum omnes alios in logitudine excedebat, vulneraverunt, secum ad civitatem semivivum deducentes, pro cujus captione Capitaneus Pruthenorum turbatus ultra modum, promisit recedere ab obsidione, & nulli Christiano homini nocere, ut eis dictis Vir sic vulneratus redderetur hoc ex utraque parte factum fuit.

CAP. CXLIX.

De

Morte plurium civium de Colmense.

TEmpore messium venit exercitus Pruthenorum & XIII. diebus occultavit se in nemore circa locum, qui dicitur Vugelsang; ita tamen quod singulis diebus pauci comparuerunt in campo, & cives de messibus fugaverunt. Tandem cum segetes essent maturæ, nec amplius sine damno possent stare, cives credentes exercitum recessisse, exierunt omnes ad messem, quo viso Prutheni cum magno & horribili insultu irruentes in eos, occiderunt viros, & mulieres, & parvulos, in captivitatem perpetuam deduxerunt.

CAP. CL.

De

Bello fratrum de Redino & destructione civitatis ibidem.

NUllo posset ad plenum scribere vel dictare, quanta Fratres & Burgienses de Redino infra secundam apastasiam passi sunt pro defensione fidei Christianæ à Pruthenis, quia per illum locum quasi continuè fuit introitus & exitus ipsorum ad terram Colmensem. Referunt quidam, quod civitas de Redino duabus vicibus fuerit expugnata, captique & occisi, quicunque reperti fuerant homines ibidem.

CAP. CLI.

De

Morte quorundam infidelium.

DE Redino quidam & Martinus de Golin equitantes in solitudine ad videndum, si aliquid à casu occurreret eis, incæperunt in via errare, & in illo errore de tribus Viris Pruthenis occurrentibus eis duos occiderunt, tertium ut eos ad viam rectam duceret conservantes, qui duxit eos in terram inimicorum, cujus dolum dum viderent, occiderunt eum, & cum festinatione recedentes, à quinque Pruthenis equitibus ipsos sequentibus comprehensi sunt & ligati, commissique custodiæ duorum. Sed tres Prutheni alii eqvum illius fratris, qui effugerat, sunt secuti. Quo facto, dum isti duo Martinum ligatum vellent evaginato gladio decollare, ipse svasit eis, ut prius ei vestes exuerent, ne sangvine maculararentur, cui consentientes, dum Brachia

Mar-

Martini solvissent, ipse erepto gladio ambos interfecit, & soluto fratre illo à vinculis, ambo processerunt contra tres alios & eos etiam peremerunt, & extunc ad castrum de Redino sine deviatione aliqua sunt reversi.

CAP. CLII.

Item de Martino de Golin, & bello ipsius mirabili.

HOc etiam tempore XX. Prutheni Poloniam deprædati sunt de mandato fratrum de Redino. Martinus de Golin prædictus cum XVII. sociis sequebatur. Qui Prutheni reversi de Polonia invenerunt custodes Martini dormientes, & occiso uno alium postquam numerum sociorum ejus & locum ubi essent indicasset ad arborem ligaverunt. Quo facto irruerunt in eos hostiliter, Martino & sociis suis viriliter se defendentibus ex adverso; Multi sunt ex utraque parte graviter vulnerati. Quod cum videret quidam socius Martini, qui nudus fluvium vicinum ad capiendum cancros transnatavit, reversus arripuit gladium & clypeum cujusdam interfecti, nudus intravit pugnam, qui horribiliter sectus & vulneratus ab eis, ita quod in pluribus locis magna frusta de suo corpore dependebant, adeo fuit inter eos durum bellum, quod, fatigati utraque parte voluntariè consentiente omnibus vicibus quieverunt, & toties novam pugnam resumptis viribus sunt aggressi. Tandem cum jam omnes Christiani & Prutheni essent mortui, ille custos, qui ligatus fuit ad arborem solutus à vinculis venit ad locum certaminis, & solum Martinum semivivum invenit, quem positum super vehiculum equos, arma, & res alias Pruthenorum secum duxit in Redinum.

CAP.

CAP. CLIII.

De

Bello fratrum in castro Wartenberg, & morte plurium Christianorum.

FUit castrum quoddam in terra Colmensi, in quodam monte dicto Wartenberg sito in medio stagni, trahens nomen suum ab eodem monte, in quo fratres cum multis armigeris habitabant. Et accidit quadam die dominicâ, quando populus de vicinis villis esset in solatio & choreis, supervenit quidam exercitus de Sudovvia improvisè. & totum illum populum interfecit, mulieres & parvulos secum ducens.

CAP. CLIV.

De

Expugnatione castri Wartenberg.

QUotiescunque & quantumcunque gentes istæ de Christiano sangvine funderent; non tamen à persecutione cessabant. Utebantur enim totis viribus, ut eos usque ad interitum delerent; Undè Sudovitæ congregato iterum exercitu majori veherunt ad castrum Wartenberg, & post multas impugnationes & duras, fratribus eis pro sua possibilitate resistentibus, tandem ipsum cremando funditus destruxerunt, duos fratres cum tota familia occidentes, & sic dictum castrum in præsens remanet desolatum.

CAP. CLV,

De

Destructione castri Birgelau.

(a) Cri-

(a) CRinota filius Regis Lethovinorum assumptis sibi pluribꝰ aliis gentibus usque ad (b) XXI. millia virorum ad prælium congregavit, & dum appropinqvaret terræ Pruschiæ, divisit exercitum suum in tres turmas, quarum unam misit contra Massoviam, aliam (c) contra Pomesaniam, & utramq; terram rapinâ & incendio devastavit. Reliqui intraverunt terram Colmensem & præter alia mala, quæ ibidem fecerunt, castrum (d) Birgelovv expugnaverunt, pecora & omnem suppellectilem fratrum & eorum, qui ad dictum castrum confugerant, deducentes. Fratres & alii homines in quadam turri se defendentes sunt salvati.

ANIMADVERSIONES.

(a) Jeroschinus habet Trinote. Idem habet Auctor Chronici Germ. Antiq. quo usus est Dn. Zamelius.

(b) Jeroschinus dicit triginta millia. Item Chronicon. Germ. modò citatum.

(c) Auctor Chronici antiqui Germanici dicit, quod turma illa missa fuerit in territorium Christburgense, situm in Pomezania.

(d) Est hodie in ditione Thorunensis Civitatis. Arcis verò illius ex lapidibus structæ rudera tantùm conspiciuntur. Habuit olim Conventum Fratrum. Henneb. *in Comment. pag. 32.*

CAP. CLVI.

De

Bello totius Colmensis terræ in secunda Apostasia.

De

Morte plurium Christianorum.

FRater Heydenricus Episcopus Colmensis dum Capellam Hospitalis infirmorum de Thorun extra muros sitam consecras-

set. Sed Prutheni qui hujus consecrationis præconizationem intellexerant, congregato exercitu, populum post consecrationem recidentem hostiliter invaserunt. Et interfectis viris, mulieres captivas & parvulos deduxerunt.

CAP. CLVII.

De
Combustione Hospitalis Thorunensis & impugnatione Civitatis.

HOc etiam tempore Sudovitæ cum majori exercitu, quam antea visus fuit in Pruschia, intraverunt terram Luboviæ, & castrum & Civitatem ejusdem nominis funditus destruxerunt. Deindè circa castrum Straisberg manentes, terram Colmensem diviso exercitu præoccupaverunt plura castra, ut populum ad ea confugientem occiderent & captivarent. Posthæc venerunt Thorun & Hospitale & quicquid fuit extra muros quod igne consumi potuit cremaverunt. Tandem venientes ad civitatem Colmensem ipsam per diem & noctem fortissime impugnaverunt, licet nihil proficerent, civibus se viriliter defendentibus ex adverso. Sic dum dictam terram per dies quatuor devastassent, cum inæstimabili spolio hominum, equorum, pecorum & aliarum rerum recesserunt. De hoc exercitu quidam vir fortis de Sudovia mulierem Christianam, quæ hoc tempore confugerat ad paludem, secutus fuit, & dum eam vellet trucidare, illa fragilitate sexus sui oblita viriliter restitit, de quo ipse indignatus, pollicem ei cum dentibus præcidit; illa è contra provocata in iram, cum luto os ejus & aures implens penitus suffocavit.

CAP.

CAP. CLVIII.

De

Morte plurium Pruthenorum.

NOn longè postea exercitus Pruthenorum intrans terram Colmensem, ipsam incendio & rapinâ & multâ strage hominum Christianorum vexavit. Tandem venerunt ad civitatem Colmensem, ubi eis cives occurrerunt armatâ manu,& inito certamine Capitaneum ipsorum & multos alios interfecerunt, & sic redemptus fuit captus ab eis omnis populus Christianus.

CAP. CLIX.

De

Vastatione terræ Colmensis & occisione quorundam Fratrum & armigerorum.

POst hæc Scumandus cum Sudovitis intrans terram Colmensem, divisit exercitum suum in duas partes,quarum una processit contra Thorun, alia contra Colmensem civitatem, occidentes, capientes & comburentes, quicquid in via occurrit eis. Sed circa horam vesperarum convenerunt apud castrum Birgelavv, ibique castra metati sunt. In ipsa nocte fratres dicti castri cum suis armigeris exierunt, & exercitum dormientem inquietantes, occisis pluribus & lethaliter vulneratis factus fuit clamor magnus, quo audito Custodes,qui vigilias noctis servabant super dictum exercitum jam parati in armis supervenerunt, & duos Frarres cum (*a*) dimidio & plures armigeros occiderunt.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Eodem modo legit Jeroschinus. Sic enim reddidit verba Dusburgii Germanicè:

Und irschlugen in dem Luder
Zwen und einen Halbbruder
Unde Wapener genug.

Codex verò Thorunienſis habet: *Et duos Fratres cum aliis armigeris occiderent.* Conſentit cum eo Auctor Chronici Germanici antiqui in Biblioth. Regiomont. qui dicit: Zwe Bruder und XV. Wapener. Non eſt tamen dubium, quin Dusburgius eo modo hæc verba ſcripſerit, ut à nobis ſupra ſunt exhibita, cum & Jeroſchinus ea retinuerit. Per dimidium autem Fratrem dubio procul intelligit Novitium, qui nondum plenè in Fratrum numerum erat receptus.

CAP. CLX.

De *Impugnatione caſtri Schonenſe & morte Divvani Capitanei Barthorum.*

DEmum Dyvvanus Capitaneus Barthorum cum octingentis viris obſedit caſtrum Schonenſe, & juravit per potentiam Deorum ſuorum, quod niſi cito traderent caſtrum in manus ſuas, ipſe tam Fratres quam armigeros ſuſpenderet antè portam caſtri. In hoc caſtro non fuerunt niſi tres Fratres & pauci armigeri, quibus armigeris induerunt fratres pallia ſua & parmas ad terrorem obſidentium, ut fratres plures apparerent. Quo facto dum ordinatis ex utraque parte, quæ ad impugnationem caſtrorum ſunt neceſſaria, ad impugnationem accederent, vulneratis de hoſtibus pluribus & occiſis, frater Arnoldus (*a*) Crop ſagittans cum baliſta dictum Dyvvanum per collum transfixit. Quo mortuo, alii infecto negotio receſſerunt. Iſti Dyvvano bla-

blasphemo accidit sicut Heliodoro, qui cum vellet in templo divinum ærarium deprædari, occisus à DEO concidit in terram, & qui cum multis consortibus & satellitibus ingressus fuit, nullo sibi auxilium ferente, in sella gestatoria portabatur.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Alii Kropff/ alii Kopff.

CAPUT CLXI.

De

Expugnatione duorum castrorum quorundam Feodatariorum Terræ Colmensis, scilicet Hemsol & alterius.

POstremo (*a*) Scumandus Sudovvitarum Capitaneus cum maximo exercitu Sudovvitarum & Pruthenorum terram Colmensem IX. diebus rapinâ & incendio vexavit. Infra quos IX. dies dum appropinquare cœpit Civitati Colmensi, quidam miles de Polonia dictus (*b*) Ninerik prædictam civitatem intravit, quam ipse miles promisit se ad manus dicti Scumandi traditurum. Undè dum visis hostibus cives mœnia ascenderent, ascendit & iste, sicut idem traditor dedit ei signum, sic una & altera vice sufflavit cornu suum, quô auditô cives perterriti dictum militem ceperunt, & comperto, quod voluit eos tradere, ipsum & filium suum cum uno famulo ante portam civitatis suspenderunt. Scumandus videns se deceptum, processit ad castrum (*c*) Hemsoth & ipsum potenter expugnavit, & XL. viros qui ad custodiam ejus deputati fuerant interfecit. Deinde castrum alterius feodatarii militis, dicti (*d*) Cippel, potenter & hostiliter intravit, & occisis & captis omnibus initi existentibus, utrumque castrum in cineres est conversum.

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. in Prussia.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Alii legunt Stumandus ex consveta confusione literarum t. & c. ut dudum jam notavimus, legendum tamen esse Scumand non Stumand docet Jeroschinus, qui expresse scribit Skumand.
(*b*) Codex Thorunienſis legit Niverik, addit tamen ab alii eum vocari WINRIK Jeroschinus quoque legit Nyverick.
(*c*) Alii legunt Heymsoht.
(*d*) Idem Codex Thorunienſis habet Zippel. Jeroschinus, Zippsill.

CAP. CLXII.

De

Malitia Pruthenorum scientium linguam Teuthonicam.

HEnricus (*a*) Monte Capitaneus Nattangiorum, & multi alii Prutheni, qui à pueritia nutriti fuerant circa fratres multa mala fecerunt tempore persecutionis hujus Populo Christiano, quia sæpissimè hoc accidit, quod quando exercitus infidelium pertransiit terminos fratrum, populus Christianus, qui ad castra confugere non poterat, in sylvis, rubetis & paludibus se occultavit, quod sentiens Henricus prædictus, assumptis sibi pluribus armigeris, accessit ad ea loca, ubi talia præsumebat, & habens verba pacifica in dolo ait voce Teutonica: si quis latitat hic exeat sine timore, quia exercitus infidelium jam recessit: cujus verbis dum fidem adhibendo exirent, ipse cum suis irruens in ipsos omnes cœperat vel occidit.

ANIADMVERSIO.

(*a*) Henrici nomen ante hac in baptismo assumserat *Vid.* Henneberg. pag. 13.

CAP.

CAP. CLXIII.

De

Bello Fratrum & Civium de Elbingo infra secundam Apostasiam, & de quibusdam fidelibus Pogesanis, qui fratribus adhæserunt.

DUm surgeret secundæ apostasiæ persecutio, quidam de Pagesania Nobiles, licet pauci, non ingrati beneficiis sibi à Magistro & fratriibus exhibitis, relictâ hereditate paternâ cum omni domo & familia venientes Elbingum fratribus fideliter adhæserunt.

CAP. CLXIV.

De

Destructione Castri Wecrize & alterius propugnaculi.

POgesani cum Sudovvitis & aliis gentibus de Pruschia congregato Exercito valido circumiverunt Pogesaniam, & Pomesaniam in principio secundæ Apostasiæ, & quotquot ibi Christianos invenerunt captis mulieribus & parvulis occiderunt. Deindè procedentes, Castrum Elbingense impugnaverunt, & adeo infesti fuerunt, quod utique suburbium expugnassent, si non quidam, dictus Wirtel, Capitaneum ipsorum cum lanceâ transfixisset. Quo mortuo turbati recesserunt usque ad (a) propugnaculum quoddam, situm inter fluvium Rogovv & (b) Wesecam flumen, in eo loco ubi Wesecа intrat stagnum Dru-

Drusine. Et post modicam impugnationem incendio destruxerunt, captis omnibus & occisis præter eos qui navigio per Drusinam evaserunt: Posthæc cum viderent sibi omnia ad votum succedere, accedentes ad Castrum (c) Wecrize situm supra Rogovv fluvium, ipsum post longam & duram impugnationem & obsessorum virilem defensionem tandem in cinerem redegerunt, captis omnibus & occisis.

ANIMADVERSIONES.

(a) Propugnaculum illud appellat Jeroschinus Ozzek.

(b) Weiske habet Jeroschinus. Weseke notissimus est iis in locis fluvius.

(c) Apud Jeroschinum appellatur Wentlitz / & postea Wetlitz. In Conditionibus pacis perpetuæ inter Casimirum Regem Poloniæ & Ludovvicum ab Erlichshausen Anno 1466. constitutis, appellatur Weklicz quod nomen & hodie retinet. Vid. Privilegia Pruss. Ducal. *fol. 21. b.* Nunc est pagus Elbingensis ditionis ex Privilegio Regis Casimiri 1454.

CAP. CLXV.

De

Expugnatione molendini Liefardi & morte plurium Civium de Elbingo.

ANno Domini MCCLXXIII. Cum jam Sambitæ, Nactangi, Barthi & Warmienses fatigati laboribus & expensis se fidei & fratribus subdidissent, Pogesani adhuc in pertinacia sua permanentes, congregatum Exercitum suum circa Elbingum in quoddam nemus locaverunt, de quo (a) pauci equites exeuntes ante civitatem Elbingensem se ostentaverunt, quos Cives de Elbingo, qui continue circa se habebant arma reposita, sequentes, aliquos interfecerunt. Sed dum se cives sic sequendo nimis

mis elongassent à Civitate, Pogesani, qui in Insidiis latitabant, exeuntes, viam redeundi ad Civitatem occupabant; Quo facto Cives angustiati, non valentes tantæ multitudini in campo resistere, ascenderunt molendinum Liefardi, quod admodum Castri aliqualiter firmatum fuit. Accurrentes itaque Pogesani dictum molendinum acriter impugnaverunt. Sed cum Cives adhuc nimis fatigati fortiter se defenderent, pluribus ex utraque parte læsis, illi desistentes à pugna per tempus modicum quieverunt. Cum secundo vellent accedere ad pugnam Pogesani hortabantur Christianos, ut Castrum & se traderent in manus suas, alioquin omnes occiderent & delerent. Tandem intervenerunt hæc pacta, ut Cives XXV. inter se potiores eis traderent, ut sic salvi alii permanerent. Quod cum factum esset, Pogesani rupto fœdere pacis ad impugnationem iterum accesserunt, & quia jam Cives non habebat, quo se defenderent, illi opposito igne castrum cremaverunt, quo viso, quidam periculum ignis dum vellent evadere, occisi sunt, alii saltantes de igne in plures lanceas erectas per Pruthenos ceciderunt, reliqui sunt cremati. Tantus ibi sangvis Christianorum fusus fuit, quod (*b*) fluvius vicinus amisso colere naturali sangvineus apparebat: Refertur à pluribus fide dignis, indubitanter debet credi, quod dum hæc agerentur, quidam in mœniis Civitatis Elbingensis stantes ad spectaculum viderant cœlum apertum & ab Angelis introduci animas occisorum.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) XXIV. habet Chron. quodd. M. S. antiqvum, ut notat Dominus Zamelius.

(*b*) Der Mölenfluß die Hommel genant. Dn. Zamelius.

CAP. CLXVI.

De

Subjectione Pogesanorum, & strage magna eorundem, & de pace reddita Christianis.

PErturbati ergò Magister & Fratres de hujusmodi lamentabili eventu, ad ulciscendam injuriam interfectorum, congregaverunt omnem potentiam exercitus sui, & intrantes terram Pogesaniæ, à fine usque ad finem rapinâ & incendio vastantes interfecerunt viros, & mulieres, & parvulos captos deduxerunt; Insuper & Castrum Helsberg, (quod) quidem tunc fuit in manu Pogesanorum, expugnaverunt, captis omnibus & occisis & extunc terra Pruschiæ quievit in pace.

CAP. CLXVII.

De

Continuo insultu hostium & variis tribulationibus Christianorum Pruschiæ infra secundam apostasiam.

QUot incommoda, quot pericula, quotque angustias fratres & alii Christi fideles in hac persecutione, quæ ultra XV. annos duravit ab hostibus in singulis civitatibus, castris & aliis locis perpessi sunt, in sola Dei cognitione ita subsistunt, quod nullus hominum nunc viventium posset ea plenius explicare. Vix fuit aliqua hora, in qua possent panem in saturitate comedere, nisi una vel duabus vel pluribus Vicibus surgerent ad pugnam

ab

ab hostibus propulsati. Et ut verum fatear in eis fuit impletum, quod de Judæis volentibus civitatem sanctam Jerusalem reædificare, gentibus ex adverso renitentibus, dicitur, quod media pars eorum faciebat opus, & altera tenebat lanceas ab ascensu auroræ, donec egrederentur astra, unâ manu faciebant opus, & altera tenebant gladium. Sed hi DEI ministri, ut docet Apostolus, in his omnibus tribulationibus, necessitatibus, angustiis, plagis, carceribus, seditionibus, laboribus, vigiliis & Jejuniis, in multa patientia quasi morientes vixerunt; quasi tristes, semper autem gaudentes fuerunt. Obsecro ergo eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter diversos casus; sed reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum sed ad correctionem generis esse nostri. Et enim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere magnì beneficii est indicium. Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, ut eos, cum dies Judicii advenit, in plenitudine peccatorum puniat: Ita ut in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis ita deinde vindicet, propter quod nunquam à nobis misericordiam suam amovet, corripiens verò in adversis populum suum non derelinquit.

CAP. CLXVIII.

De

Secunda Castri Bartenstein destructione.

SUdovvitæ audientes, quod Barthi, Warmienses & alii Prutheni se fidei & fratribus iterum subjecissent, indignati sunt, & convenientes cum magno Exercitu, improvise obsederunt

Castrum Bartenstein, quod post recessum fratrum Barthi sibi ad usus suos reservaverant, destruxerunt, captis & occisis omnibus etiam in cinerem redegerunt.

CAP. CLXIX.

De
Obsidione Castri Beselede & morte duorum millium Sudovitarum.

SEquenti anno Sudovvitæ, Nadrovvitæ & Scalovvitæ cum maximo Exercitu venientes, castrum (a) Beseledam, situm in sylva dicta Kertene juxta Bartenstein, obsederunt, fortissime impugnantes; Quod cum videret (b) Nomeda Mater (c) Posdraupoti de genere Monteminorum, ait ad filios suos; doleo, quod vos unquam genui, ex quo non vultis vitam & gentem vestram ab hostibus defendere; De quibus verbis filius ejus & alii Castrenses provocati, exierunt ad bellum, & de exercitu infidelium ultra duo millia occiderunt. Post hæc fratres reædificaverunt castrum Barthenstein, & habitabant ibi usque in præsentem diem.

DE FRATRE HARTMANNO, MAG. GEN. DO. TEUT. VIII.
Fr. Hartmannus de Heldrunge Mag. General. Domus Teut. VIII. hoc tempore (d) *fuit, qui obiit XIV. Kal. Septembris.*

ANIMADVERSIONES.

(a) In Districtu fuit Barthensteinensi, ubi adhuc in monte quodam vallum conspici, tradit Henneberg *in Comment. p. 31.*
(b) Mamedam vocat Henneb. *loco citato.*
(c) Jeroschinus habet Poldraupote. Henneberger Poßdraupts.
(d) In Chron. antiq. Germ. Bibl. Regiom. in 4. hic Magister Anno MCCLXXIV. electus esse & 8. annis imperasse dicitur.

CAP.

CAP. CLXX.

De

Bello Nadrowitarum & conversione plurium de dicta terra.

Anno Dn. MCCLXXIV. reversis ad Sanctæ matris Ecclesiæ unitatem Pogesanis, Warmiensibus, Nattangis, Barthis & Sambitis, factâque cautione debitâ per obsides, quod nequaquam de cætero tam detestabilia attentarent, sed fidei & fratrum imperio humiliter obedirent, Magister & fratres soliciti ad dilatandum terminos Christianorum, contra gentem. Nadrovvitarum arma bellica paraverunt. Postquam ergo Tirsko Pater Mandolonis castellanus de Wilovv, de quo superius est præmissum, se cum omnibus sibi adhærentibus fidei & fratribus subdidisset, plures de Nadrovia viri potentes & Nobiles venerunt ad fratres successivis temporibus cum omni familia sua, & renati fonte baptismatis, relictis Idolis, servierunt Deo vivo Jesu Christo.

Anno Dn. MCCLXXIV. Gregorius Papa X. habuit Consilium Lugduni pro subsidio terræ S. in quo Græci ad unionem S. Ecclesiæ redierunt. Nuncii quoque Tartarorum baptizati sunt. Dominus Beneventura Cardinalis de ordine fratrum Minorum mortuus est.

CAP. CLXXI.

De

Expugnatione duorum Castrorum terræ Nadoviæ in territorio Rethovvis.

FRater Conradus de Tierberg Magiſter conſiderans prudentiam & fidelitatem iſtorum Nadrovvitarum, & (cum) per eorum receſſum terræ Nadroviæ multum eſſent debilitatæ, miſit fratrem Th. Advocatum terræ Sambienſis & exercitum cum eis ad dictam terram Nadroviæ. Qui in greſſi territorium Rethovvi rapinâ & incendio vaſtaverunt, & procedentes ultra ad duo Caſtra dicti territorii poſt longum bellum inter eos habitum tandem divino freti auxilio utrumque expugnaverunt, & occiſis & captis multis hominibus, ipſa cum ſuis ſuburbiis ignis incendio conſumpſerunt, tantaque præda in equis, pecudibus & aliis rebus recepta fuit, quod vix eam deducere potuerant.

Anno Dn. MCCLXXV. Innocentius Papa V. qui prius dicebatur frater Petrus de Tharentaſis Ordinis Prædicatorum, & Rudolphus Rex Romanorum regnaverunt.

Hoc tempore primogenitus Rudolphi Regis rediens victoriosè de Comite Sabaudiæ in Reno ſubmerſus eſt.

CAP. CLXXII.

De

Expugnatione Caſtri Otholichiæ.

NOn longè poſtea idem Fr. Th. Advocatus de Magiſtri mandato aſſumptis ſibi pluribus fratribus & CL. equitibus cum multis peditibus navigio procedentibus venit ad territorium Nadroviæ, dictum Catthou, & ordinatis Sagittariis ad loca debita, applicatisque ſcalis ad mœnia, aggreſſi ſunt ad impugnandum Caſtrum Otho-

Anno MCCLXXVI. Adrianus Papa V. & Rudolphus Rex Romanorum regnaverunt.

Hoc anno Albertus Epiſcopus Pomeſanienſis ædificavit Caſtrum & oppidum Riſenburg in terra Pruſchiæ.

Eodem anno Joannes Papa XXI. natione Hiſpanus, magnum in arte phyſica librum

tholichiam; Sed quia Castrenses audierant, quod fratres antea tam potenter alia duo Castra expugnaverant, desperati tamque meticulosi non poterant diu resistere; Sed post modicam impugnationem pluribus de Castro vulneratis, aliis cedentibus, fratres violenter intraverunt, & occisis viris captisque mulieribus & parvulis ipsum funditus combusserunt.

brum composuit, qui summa vel thesarus pauper dicitur.

Hoc tempore Rudolphus Rex Romanorum Ottakarum Regem Bohemiæ in bello occidit, & Ducatum Austriæ filio suo Alberto dedit, qui postea factus fuit Rex Romanorum, & filiam suam dedit filio suo Regis Bohemiæ occisi.

CAP. CLXXIII.

De

Expugnatione Castri Caminis Wike.

DOminus Magister cum magno exercitu pertransivit terram Nadroviæ cum incendio & rapinâ; & cum perveniſſet ad Castrum Caminisvvikam, situm supra fluvium Arse, ordinatis modo debito, quæ ad impugnationem sunt necessaria, aggressi sunt ad Castrum, & vulneratis pluribus ex utraque parte quia in Castro prædicto erant CC. viri in armis strenui, tandem post longum bellum cum magna difficultate habitum inter eos, fratres violenter intraverunt, & occisis viris omnibus supradictis, captis mulieribus & parvulis cum inæstimabili prædâ ipsum Castrum penitus cremaverunt.

CAP. CLXXIV.

De

Desolatione terræ Nadroviæ.

Mul-

MUlta bella contra hanc terram Nadroviæ gesta sunt gloriosè, quæ non sunt scripta in hoc libro, quia nimis tædiosum esset singulariter omnia enarrare. Undè Nadrovitæ licet adhuc haberent magnam potentiam armatorum, & plures munitiones; tamen depositâ omni ferocitate se fidei & fratribus subdiderunt, præter paucos, qui terram Lethoviæ intraverunt, sicque terra Nadroviæ prædicta usque in præsentem diem remanet desolata.

CAP. CLXXV.

De

Bello Scalowitarum.

EXpugnatis per Dei gratiam Nadrovvitis, fratres contra Scalovvitas pugnandi acies direxerunt, æstimantes, se nihil egisse, cum adhuc aliquid superesset agendum; & nota, quod aliqua, quæ seqvuntur, gesta fuerant infra bellum Nadrovitarum, quia navigio poterat haberi aditus ad Scalovvitas, quem Nadrovvitæ commorantes longè à fluvio Memelæ non poterant prohibere.

CAP. CLXXVI.

De

Obsidione cujusdam Castri diuturna & quodam Castro mirabili.

SCalovvitæ habebant unum Castrum circa Raganitam in quodam monte, in cujus obsidione Rutheni cum maximo Exercitu fuerunt IX. annis ante ingressum fratrum domus Teutonicæ in terram Pruschiæ. Tandem Rutheni fatigati laboribus & expensis, quæsiverunt ab obsessis, de quo cibo viverent, qui respon-

sponderunt, de piscibus, qui sufficiebant obsessis omnibus ad vescendum. Quo audito Rutheni ab obsidione recesserunt. Ecce mira res, tunc abundabat piscibus, cum essent Scalovvitæ infideles; nunc autem fovet ranas, cum sunt Christiani; nec habet dicta piscina tantum de aqua, quæ sufficeret piscibus ad manendum. Cur hoc sit, nescio; Deus scit, cujus incomprehensibilia sunt Judicia, & investigabiles viæ.

CAP. CLXXVII.

De

Expugnatione Castri Raganitæ.

An. Domini MCCLXXVII. Nicolaus Papa III. & Rudolphus regnaverunt.

Hoc tempore Romæ Tyberis in tantum inundavit & crevit, ut per IV. pedes, & amplius, ascenderent super altare B. Mariæ rotundæ.

FRater Thomas Advocatus Sambiensis de mandato Magistri ducens secum plures Fratres & mille viros, qui in impugnationibus munitionum fuerant plenius exercitati, venit navigio ad terram Scalovvitarum, quæ sita est in utroque littore Memelæ, & accedens improvisè ad castrum, situm tunc in eo loco, ubi nunc est Castrum Raganita, incœpit ipsum impugnare, quidam scalis positis ad mœnia nitebantur ascendere: Sed cum Scalovvitæ ex adverso se opponere vellent, Sagittarii fratrum per crebra jacula ipsos repulerunt violenter, ergo illis intrantibus per mœnia, aliis per portam Castri totam multitudinem infidelium, qui plures fuerunt in Castro, quam Fratrum exercitus continebat, in ore gladii extinxerunt, mulieres & parvulos cum maxima præda rerum aliarum secum ducentes. Hoc facto Castrum & suburbium ejus & alia ædificia, quæ in Vicino fuerant, combusserunt.

CAP. CLXXVIII.

De

Expugnatione Caſtri Ramige.

ARdua & quaſi impoſſibilia humanæ naturæ homo confiſus in Domino audet aggredi, quando ex certis indiciis & ſignis evidentibus ſentit ſibi Deum propitium. Unde frater Theodoricus prædictus cum exercitu ſuo ad littus Memelæ oppoſitum accedens, caſtrum (*a*) Ramige eodem modo impugnavit, & licet in dicta impugnatione aliqui de ſuis vulnerati fuerant & occiſi; tamen eodem die ipſum violenter obtinuit & deſtruxit, partim hominibus captis, aliis occiſis.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Ranginte habet Jeroſchinus.

CAP. CLXIX.

De

Deſtructione Caſtri Labegow.

CUm autem hæc ad aures Scalovvitarum devenirent conturbata ſunt omnia oſſa eorum, & convenientes ſeniores populi concilium fecerunt in unum, quomodo ſe poſſent vindicare. Ordinaveruntque concorditer CCCC. viros præelectos ad bellum, qui navigio venientes ad Caſtrum fratrum (*a*) Labegovve improviſè in ortu diei quieſcentibus adhuc hominibus in ſtratu ſuo ipſum expugnaverunt, occidentes in eo quicquid maſculini ſexus fuit, præter mulieres & parvulos, quos exuſto prius Caſtro ſecum cum præda maxima deduxerunt.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Jeroſchinus in inſcriptione capitis habet Lobiow/ ſed poſtea Labiegow

gotv. Hic vectigal anno 1433. institutum causam dedit gravaminum contra Ordinem Teutonicum.

CAPUT CLXXX.

De

Vastatione terræ Scalowiæ.

SEd quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, necesse fuit, quod Scalovvitæ de delicto hujusmodi præsumptionis gravem subirent pœnam, ne talia de cætero attentarent. Congregavit ergò Magister & fratres validum exercitum in ultionem præmissorum, qui cum venirent in terram Scaloviæ, ipsam per incendium & rapinam pertransirent à fine usque ad finem, in illa parte, quæ tangit terram Pruschiæ, factaque strage magna hominum, mulieres & parvulos vinctos deduxerunt. Medio tempore, quo hæc agerentur Slinegota Capitaneus Scalovvitarum cum magno exercitu seqvutus est eos, quod considerantes Magister & Fratres positis occultè insidiis exercitum Scalovvitarum procedentem invaserunt & pluribus eis occisis, alios in fugam converterunt.

CAP. CLXXXI.

De

Quadam traditione facta contra Fratres.

FUit quidam Vir potens, cui nomen Sarecte Scalovvita, Castellanus in Castro Sareka, à nomine suo sic dicto, de illa parte Scaloviæ, quæ tangit terram Lethoviæ. Qui non habens virtutem armatorum, quæ posset Fratres offendere, excogitata

quadam fraude traditionis, voluit sub simulatâ specie boni eos decipere. Misit enim nuncios suos ad Commendatorem de Memelburgk, petens ab eo humiliter & devotè, ut cum armigeris suis veniret, & eum, qui cum totâ domo & familiâ vellet relictâ Idololatriâ baptismi gratiam percipere deduceret violenter, quia nonnisi in manu potenti evadere infidelium manus posset. Commendator auditâ hâc legatione gavisus est gaudio magno. Unde licet non posset habere plenam certitudinem facti, voluit tamen sub spe lucri tot animarum aggredi rem periculosam & dubiam propter Deum. Assumptis ergò fratribus quibusdam & armigeris processit, & in ira occurrit ei quidam vir, qui ipsum de traditione hujusmodi præmunivit, asserens, quod dictus Sarrecka cum multis armatis, ut eum & fratres occideret, in itinere expectaret. Hoc audito Commendator non volens, quod idem Sarecka de tanta iniquitate commodum reportaret, circumveniens eum, improvisè irruit in ipsum, & aliis præ timore in fugam conversis, ipsum cum octo potentioribus de parte ipsius capiens deduxit. In primâ verò nocte dum fratres quiescerent in tentoriis suis, idem Sarecka, qui fortis erat robore, solvit se à vinculis, quibus ligatus stetit ad arborem, & arrepto gladio unum fratrem & tres armigeros interfecit, & alteri brachium amputavit, in qua pugna & ipse etiam est occisus.

CAP. CLXXXII.

De

Expugnatione castri Sassoviæ.

FRater Conradus de Tierberg Magister hoc intellecto commotus est, & congregato exercitu valido mille quingentorum equi-

equitum, aliis cum XV. navibus procedentibus circa castrum Scalovvitarum Sassoviam convenerunt, & ad impugnationem ejus viriliter accedentes, ipsum post longam altercationem potenter expugnaverunt, & partim captis hostibus, aliis gladio trucidatis, in cinerem redegerunt.

CAPUT CLXXXIII.

De

Desolatione terræ Scaloviæ.

MUlta bella alia sunt gesta per Fratres contra Scalovitas, quæ tædiosum esset scribere. Postquam ergò potentiores terræ hujus Domini scilicet Surbanis, Svisdeta & Svedeta viderunt sibi Deum terribiliter offensum, & fratribus miro modo propitium, non audentes ultra Divinæ potentiæ resistere, ad Christianos, relictâ paternâ hæreditate, successivè cum omni domo & familiâ suâ successerunt. Communis autem populus audiens, quod Duces exercitus sui, per quos bellum gerebatur, recessissent, subjecit etiam se fidei Christianæ. Sicque terra illa fuit sine habitatore multis annis.

CAP. CLXXXIV.

De

Apostasia III. Pruthenorum & captivitate Commendatorum de Christburg & Elbingo & familia eorum.

CUm ergo sub innumeris expensis & laboribus, infinitisque angustiis ferocem illam gentem & indomitam Pruthenorum

rum non ſine maxima ſtrage fidelium, fratres jugo fidei vice altera ſubjeciſſent, & crederent, quod eſſet pax & ſecuritas, repentinus ſupervenit interitus. Nam inimicus humani generis, hoſtis fidei, pacis æmulus Diabolus, intrans in corda ipſorum, provocavit eos, ut iterum rebellionis calcaneum exigerent, ac contra ſtimulum induratâ nequitiâ calcitrarent. Cujus conſilio acquieſcentes omnes præter fideles Pomeſanos, factâ (*a*) conſpiratione, apoſtaſiæ vitium committere intendebant. Nullus tamen publicè audebat ſe fratribus opponere, præter Pogeſanos, qui Commendatorem de Elbingo & Helvicum de Goldbach Commendatorem de Chriſtburg, & eorum ſocios armatâ manu invadentes, captos deduxerunt. Sed quidam dictus Povvida ſtatim ipſos liberavit, Capellanum ipſorum Sacerdotem per gulam ad arborem ſuſpenderunt, & quendam famulum ipſorum interfecerunt, reliqua pars familiæ in fugam converſa vix evaſit.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Defectionem hanc cœpiſſe An. 1272. Annone de Sangerhauſen Magiſtro, & usque ad tempora Hartmanni Magiſtri, videlicet ad An. 1279. duraſſe, ſcribunt alii. Vid. Cœleſtinus Mislenta *in Præfat. ad Manuale Pruthericum.*

CAP. CLXXXV.

De

Occiſione multorum Pogeſanorum.

HOc tempore Frater Theodorus de Lidelovv Advocatus Sambienſis de Almania reverſus, Sambitas, qui ipſum tenerrime dilexerunt, ab errore hujusmodi revocavit. Quod cum Nattangi & Warmienſes perciperent, & ipſi à conceptâ malitiâ deſtiterunt, promittentes bonâ fide Fratribus adhærere.

Con-

Congrato itaque magno exercitu frater Conradus de Tierberg Magister & Fratres intraverunt terram Pogesaniæ, & viris sine numero interfectis, vastatâque terra incendio & rapinâ, mulieres & parvulos captos deduxerunt. Dum autem hæc agerentur, tam viri quam mulieres maledixerunt cuidam Sambitæ dicto Bonse, Camerario de territorio Pubeten (*a*) asserentes, quod ipse hujus nefandi criminis auctor fuisset motivum primum & origo. Hic Bonse voluit habere manifestè duas uxores, & quia fratres hoc prohibuerunt, provocatus in iram, omnes quasi Pruthenos ad Apostosiam incitavit. Unde exigentibus ejus demeritis, morte, quam meruit damnatus.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Ubi olim Sacer fuit lucus. *Vid.* Henneb. *pag.* 350.

CAP. CLXXXVI.

Ad Idem.

EOdem anno, tempore autumni Fratres iterum armatâ manu intraverunt prædictam terram Pagesaniæ, & vastatâ iterum incendio & rapinâ, captis & occisis omnibus, præter paucos, qui cum familiâ sua versus Lethoviam ad territorium castri Garthe secesserunt ipsam in solitudinem redegerunt.

CAP. CLXXXVII.

De

Vastatione terræ Colmensis & territoriorum castrorum Grudens, Insulæ S. Mariæ, Santirii, Cruceburg, & destructione castri Clementis.

Hoc

Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Provincialis Pruſſiæ.

HOc tempore fuit in terra Colmenſi quidam frater Bertholdus de Northuſen Provincialis commendator, qui licet eſſet (*a*) providus diſpenſator in cura domeſtica, tamen ad bellum fuit minus valens, quia minor eſt ad ſingula ſenſus, quia non obſtitit inſultationi infidelium, ut debebat. Unde Sudovvitæ ſæpius intraverunt terram Colmenſem, & factâ magnâ ſtrage in populo Dei vaſtatâque terrâ incendio & rapinâ receſſerunt, & cum ſentirent, quod nullus reſiſteret eis, auſi fuerunt cum modico exercitu dictam terram Colmenſem hoſtiliter ſubintrare. Tandem Magiſter fratrem Hermannum de Sconenberg virum in bellis exercitatum conſtituit in Commendatorem Provincialem dictæ terræ, qui eis viriliter reſtitit, quia quotiescunque Sudovvitæ cum parvo exercitu intrarent terram Colmenſem, ipſe cum armigeris ſuis audacter occurrit eis, & aggrediens eos in bello vicit, & occiſis plurimis, alios in fugam convertit, & hoc toties reiteratum fuit ab eo, totque occiſi fuerunt, quod Sudovvitæ amplius venire ſine magno exercitu non audebant. Provocati ergò de tanta ſtrage ſuorum, & tam variis damnis, quæ incurrerant in terra Colmenſi, Scumandus Capitaneus Sudovvitarum cum IV. millibus gentis ſuæ & virtute exercitus Lethovvinorum potenter intraverunt terram Colmenſem in die XI. millium Virginum, & mortem ſuorum multipliciter vindicabant. In primo congreſſu caſtrum cujusdam feodatarii dictum (*b*) Pollovviſt ſitum ſupra fluvium Oſſe graviter impugnaverunt, & utique deſtruxiſſent; ſed tandem hæc pacta intervenerunt; ut caſtrenſes duos viros expertos concederent, qui exercitum infidelium ducerent & reducerent per terminos Chriſtianorum, & ſic ſalvi permanerent. Quo facto proceſſerunt ante caſtra ſcilicet Redinum (*c*) Lipani, deindè ad caſtrum

castrum (*d*) Welscus, cujus suburbium funditus cremaverunt. Posthæc castrum dictum (*e*) Turnitz cujusdam feodatarii durissimè impugnaverunt, castrensibus è contra se opponentibus, & licet illâ die non proficerent in pugnando, manserunt tamen illa nocte in obsidione ejus. Sed crastinâ die dum sentirent castrum firmatum plurimis armigeris, quam antè, sine impugnatione alterâ recesserunt. Post hoc venerunt ad (*f*) castrum Clementis, quod fuit cujusdam feodatarii & undique vallantes impugnaverunt, tandem igne appositio penitus combusserunt, & centum homines Christiani fuerunt in eo extincti, præter mulieres & parvulos, quos captos deduxerunt. (*g*) Ultimo processerunt contra hæc castra & civitates, scilicet Grudentz Insulam S. Mariæ & Santirium & Christburg, & quicquid occurrit eis in via, vel occiderunt, aut ceperunt, vel in cinerem redegerunt. Deindè cum inæstimabili prædâ hominum Christianorum & aliarum rerum recesserunt. Quanta mala & quam magnam stragem in populo Dei & quantam verecundiam fecerit iste exercitus sacramentis Ecclesiæ & ministris, nullus sanæ mentis posset sine lacrymis cogitare.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Durius de ipso loquitur Jeroschinus, Interpres Dusburgii. Sic enim ille: Ein Land Commenttuwer/ uff den Pfennig suwer / den Unterthanen swinde/ und ken den Vienden Linde. Auctor Chron. Germanici antiqui in 4. dicit de ipso: Uff Geldein harter Mann/ Und all seim Gesinde. Quam ob rem etiam huic Bartholdo abrogatum fuisse magistratum à Magistro generali referunt citati Auctores.

(*b*) Alia antiqua Chronica Germanica habent Plovois vel Plaudis, Strykoloski legit Plocoist.

(*c*) Liepe legit Jeroschinus. Auctor Chron. Ger. antiqui in 4. legit Leipe. Henneb. *in Chron. fol.* 257. habet Libna, zuvor Leippe.

(d) Welsas habet Jeroschinus. *Auctor Chron.* Germ. modo citatus dicit Welsam das nu Pappau ist genant. Ipse Dusburgius infra cap. CCLVI. habet Welsais.

(e) Tewernitze habent alii antiqui Scriptores.

(f) Castrum Clementis, alias dictum Clementsburg/ hodiè Clementsfahren. Trajectus est ad Nogadum amnem, duobus milliaribus à Civitate Elbinga, in ditione ejusdem civitatis. Dn. Zamelius.

(g) Dn. Zamelii Chronicon M. S. Germanicum antiqvum, duo millia puerorum capta fuisse, refert.

CAP. CLXXXVIII.

De

Bello Sudowitarum, & de bello finali terræ Pruschiæ.

EXpugnatis favente Domino Jesu Christo cunctis gentibus terræ Pruschiæ, restabat adhuc una & ultima, scilicet Sudovvitarum, & potentior inter omnes, quam fratres non in humana virtute, nec in pugnatorum multitudine, sed in divinæ protectionis auxilio confisi, viriliter sunt aggressi. Attendentes, quod non solum caput & alia pars corporis, sed etiam cauda hostiæ secundum præceptum divinum in sacrificio jubetur offerri. Ut ergò fratres hostiæ suæ finem consumationis opponerent, inceperunt bellum contra terram Sudovviæ in hunc modum.

CAP. CLXXXIX.

De

Vastatione territorii Kimenow terræ Sudovviæ.

Fra-

Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Conradus à Tierberg IX. Mag. Prov. in Pruſſia

FRater Conradus de Tierberg Magiſter & plures fratres cum mille & quingentis equitibus intraverunt terram Sudovviæ, & territorium quod dicitur Kimenovv, depopulati ſunt, & præter occiſos, quorum multi fuerunt, mille captivos homines, cum ſpolio aliarum rerum ferè innumirabili deduxerunt. Sequenti die dum exercitus Fratrum redeundo veniſſet ad Sylvam, quæ dicitur Winſe, Sudovvitæ cum tribus millibus virorum Electorum ſecuti ſunt eos, quos Fratres cum ſuis viriliter invadentes occiſis multis & lethaliter vulneratis usque ad terræ ipſorum introitum fugaverunt. In hac pugnâ de exercitu Fratrum niſi ſex viri ceciderunt interfecti, alii ſalvi ſunt reverſi.

CAP. CXC.

De

Deprædatione terræ Poloniæ.

HOc tempore Lethovinorum exercitus validus intravit Poloniam & vaſtatis Briſcenſi & Dobunenſi confiniis per incendium & rapinam, tantam ſtragem fecit in populo Chriſtiano occidendo & captivando, quod numerum eorum nemo potuit veraciter æſtimare.

CAP. CXCI.

Ad idem de morte octingentorum Lethovvinorum.

NOn longe poſtea octingenti viri equites de Lethovvia deſtruxerunt in parte terræ Poloniæ, quæ dicitur Rerſavv X. villas, & occiſis multis Chriſtianis cum magno ſpolio receſſerunt.

runt. Medio tempore quo hæc agerentur vir Deo devotus (a) Leſtekinus Dux Cracovienſis, congregatis multis millibus virorum, aſcendit in montem quendam, & ait: Quicunque formidoloſus non eſt, aſcendat ad me, ut hodie vindicemus injuriam crucifixi. Et ut breviter concludam, ipſe ſicut Gideon de multis militibus non niſi CCC. viros obtinuit, cum quibus certamini ſe dedit, & hoſtes de Dei miſericordia, qui neminem deſerit ſperantem in ſe, viriliter eſt aggreſſus, & captivis Chriſtianis primo liberatis, inimicos fidei percuſſit plagâ magnâ, ſic quod de octingentis viris vix decem præſidio evaſerunt.

ANIMADVERSIO.

(a) Matt. Strykowski oſſoslevicius legit Lescelinus, & dicit eſſe Leſcum Nigrum, Principem Poloniæ.

CAP. CXCII.

De

Deſtructione territorii Sudowiæ Meruniske.

FRater Conradus Magiſter ſemper ſolicitus circa deſtructionem infidelium, congregatâ magnâ potentiâ, exercitus equitum & peditum, intravit Sudoviæ territorium dictum Meruniskam, cum equitibus, aliis relictis ante introitum terræ prædictæ, & occidit dominos hujus territorii famoſos XVIII. De alio populo promiſcui ſexus interfecit ſexcentos & captivavit, & dictum territorium vaſtavit per incendium & rapinam.

CAP. CXCIII.

De

Latrunculis.

Mira

MIra & insolita gesta sunt per latrunculos Christianos, scilicet per Martinum de Golin, Conradum dictum Dyvvel, & quendam dictum Stovemel, & Kudare de Sudovvia, & Nakam de Pogesania, & plures alios, quæ nullus posset ad plenum perorare. Iste Martinus cum IV. viris Teutonicis, & XI. Pruthenis quandam villam in terra Sudovviæ expugnavit captis hominibo & occisis. Et cum longè in reditu perveniffet ad talem locum, ubi omni timore postposito sedens in mensa cum Sociis suis refectionem sumeret post laborem, irruerunt repentè in eum hostes, & occisis IV. Sociis ejus Teutonicis, alii evaserunt, relictis ibi omnibus, quæ de armis & victualibus habebant. Hoc facto Sudovvitæ gavisi sunt valdè : Martinus autem turbatus circuivit, & quia omnia arma fuerant eis ablata, ipse secretè dormientibus hostibus successivè furatus fuit eis clypeos, gladios & lanceas, quibus habitis accessit cum suis occultè, & omnes in stratu suo occidit, præter unum, quem Martinus præoccupans iram, qua effugere voluit, interfecit, sicque cum Spolio primo & dictorum infidelium armis & rebus aliis est reversus.

CAP. CXCIV.

Ad Idem.

IDem Martinus & pauci alii iterum intraverunt terræ Sudovviæ quandam villam, & in crepusculo cum aliqui essent in balneo, alii in cœna, reliqui in diversis officiis, invaserunt eos, & occiderunt eos omnes. Martinus autem X. viros in balneo interfecit, sicque equos & pecudes & cætera cum mulieribus & parvulis deduxerunt.

CAP. CXCV.
De
Fugâ Sudowitarum.

EOdem tempore Sudovvitæ volentes vindictam sumere de præmissis, cum modico exercitu intraverunt terram Nactangiæ & depopulatâ quadam parte ipsius modicâ recesserunt, quos fratres cum suis armigeris violenter insequentes occisis plurimis & lethaliter vulneratis, aliis cum verecundia effugerunt.

CAP. CXCVI.
De
Fratre Conrado Magistro terræ Prusschiæ An. MCCLXXIX.

FRater Conradus de (*a*) Wuchvvangen Magister Pruschiæ decimus, præfuit 1. anno. Hic mortuo fratre Conrado de Tierberg Magistro terræ Pruschiæ, & fratre (*b*) Ornesto Magistro terræ Livoniæ ab infidelibus occiso, nunciis utriusque terræ à Magistro generali petentibus, datus fuit & Pruschiæ & Livoniæ Fratribus in Magistrum An. Dn. MCCLXXX. sed elapso uno anno cum sentiret, quod non sufficeret ad utriusque terræ regimen, resignato officio suo in Pruschia, Magister solius terræ Livoniæ remansit.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Recentiores vocant Feuchtwangen.
(*b*) Ernst. Vocatur in Chron. Antiq. Germ. Regiomont.

CAP.

CAP. CXCVII.

De

Vastatione territorii Pokime terræ Sudovviæ.

HOc tempore de Magistri mendato frater Conradus de Tierberg junior Marschalcus terræ Prussiæ, congregatâ omni potentia exercitûs sui, intravit terræ Sudovviæ territorium Pokimam, & factâ destructione magnâ per incendium & rapinam, captis & occisis multis hominibus, dum rediret, transiit cum exercitu suo post horam vesperarum glaciem illius stagni, quod dicitur (*a*) Negothin. Mane autem facto dissoluta fuit glacies, sic quod convectionis ejus vestigium non patebat.

ANIADMVERSIO.

(*a*) Alii Nevvotin. Est lacus, cui adjacet lezen / dicitur; hodie Iawetin.

CAP. CVCVIII.

De

Fratre Mangoldo Magistro Pruschiæ Anno MCCLXXX.

FRater Mangoldus Magister Pruschiæ XI. fuit II. annis. Hic fuit prius Commendator in castro Kunnigsberg, ubi multa bona gessit, & factus Magister terræ Pruschiæ, cum jam ferè duobus annis præfuisset vocatus ad Capitulum post electionem celebratam de fratre Burgardo de Schvvenden in Magistrum generalem Ordinis Domus Teutonicæ in reditu mortuus in ara.

CAP.

Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Mangoldus de Sterenberg XI. Magister Prov. in Prussia.

CAP. CXXIX.

De

Vastatione terræ Sambiensis.

TEmpore hujus Magistri Fratris Mangoldi Sudovvitæ ex præmissis & variis afflictionibus castigati per fratres ultra modum turbati sunt & concepta contra ipsos indignatione nimiâ, concilium fecerunt, quomodo possent oppressionem hujusmodi vindicare, & quia per se non poterant adjuncto sibi auxilio Lethovvinorum intraverunt potenter terram Sambiæ. Fratres longo tempore de hoc fuerunt præmuniti. Unde nihil aliud facere poterant, nisi quod X. diebus pertransierunt terminos dictæ terræ & habitationes, & alia, quæ extra Castra & munitiones sita fuerant cremaverunt, & sic occisis de exercitu suo V. Viris recesserunt.

Anno Domini MCCLXXX. Karolus Rex Salerni tanus & postea Rex Cæciliæ corpus Mariæ Magidalenæ rereluvit.

Eodem anno Albertus Magnus Coloniæ moritur. Hoc etiam anno S. Jodocus in Diœcesi Pomesanienſi in Pruschia incepit facere miracula.

CAP. CC.

De

Impugnatione Terræ Sudoviæ & captivitate & morte plurium Sudovvitarum.

MEdio tempore, quo iste exercitus infidelium fuit in terra Sambiæ, Fr. Ulricus Bavarus Commendator de Tapiovv cum XII. fratribus & (a) CCL. Viris equitibus intravit Sudoviam & præter alia damna quibus afflixit eam incendio & rapinâ (b) CL. homines cepit & occidit, uxores Nobilium filios & filias & fa-

& familiam captivavit, sic quod Sudovvitæ hic plus perdiderunt, quam in Sambia sunt lucrati.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Chronicon Germanicum MS. antiqvum in 4. habet CC.
(*b*) Idem Chronicon habet CC.

CAP. CCI.

De

Bello Fratris Ulrici contra Sudovvitas.

HIc frater Ulricus totus fuit magnanimus. Audebat enim aggredi ardua facta, quæ meticulosus inspicere formidabat, multa & infinita damna intulit Sudovvitis, totiens contra eos bellum movit, quod Magister timens ex hoc sibi aliquid notabile periculum evenire, prohibuit eum ne de cætero ipsos impugnaret sine sua licentia speciali. Et cum quæreretur ab eo quare sic infestus esset ipsis? Respondit, non curarem quid agerem, ut possem vulnerari ab eis V. vulneribus, sicut Christus pro me fuerat vulneratus; & sic factum fuit ei, quia Sudovvitæ tandem ipsum in bello vulnerantes, V. vulneribus occiderunt.

CAP. CCII.

De

Conversione cujusdam Sudowitæ & mirabili facto.

HOc tempore quidam Nobilis Sudovvita dictus Russigenus cum omni Domo & familia venit ad Commendatorem de

Balga & cum vellet intereſſe *(a)* divinis, prohibitus fuit; Cujus Prohibitionis cauſa cognitâ, baptizatus fuit cum omni familia ſua, & ſtatim poſt baptiſma incepit infirmari, poſitusque ad lectum miſit pro quodam fratre Sacerdote de Balga, qui ipſum baptizaverat, petens ab eo humiliter, ut ipſum in fide Chriſti informaret, quod ipſe Sacerdos cum omni diligentia adimplevit & circumſpiciens vidit de lignis factum ad pedes ipſius ſignum Crucis, quod ipſe Sudovvita ſibi juſſerat præparari; de quo Sacerdos admirans, quod talis eodem die baptizatus tantam ad fidem Chriſti gratiam haberet; cœpit inquirere utrum ante ſuſceptam fidem aliquid boni egiſſet? Reſpondit, quod multos Chriſtianos interfeciſſet, de aliquo bono facto nihil ſciret, præter hoc ſolum, quod dum ipſe cum magno exercitu intraſſet Poloniam, quidam Sudovvita imaginem B. Virginis Mariæ cum filio in gremio gerentem deportavit, & in reditu dum cum lanceis ſuis ad dictam imaginem ſagittarent, ipſe de hoc dolens, violenter rapuit & cuidam Chriſtiano dedit dicens: Accipe imaginem iſtam Dei tui & reporta ad locum, ubi in reverentiâ debitâ habeatur: Quo facto apparuit ei B. Virgo in ſpecie & habitu pulcherrimo in ſomnis & dixit, hoc obſequium quod mihi feciſti in imagine mea, tibi in regno filii mei refundetur; Quod cum ipſe Sudovvita ſacerdoti retuliſſet, ſtatim quaſi eodem die in Domino feliciter obdormivit.

ANIMADVERSIO.

(a) Quemadmodum Ethnici alios non ſuæ Religionis homines à ſacris ſuis arcebant, ſecundum illud Virgilii Æneid. 6. *Procul ô Procul eſte prophani* (quod etiam de Pruſſis gentilibus refert Helmoldus *l. 1. Chron. Slav. cap. I.*) ſic è contrario Chriſtiani antiquitus cavebant, ne Ethnici ad ſacra ſpectanda admitterentur. Sed & ipſi Catechumeni dimitti ſolebant antè S. Evchariſtiæ celebrationem.

Vid.

Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ordinis Teut.
Mangoldus de Sterenberg XI. Mag. Prov. Prussiæ.

Vid. Gabr. Albaspin. *lib. I. observ. XIX. num. V. p. 91. lib. 1. obs. I. num. V. p. 121. obs. II. num. V. p. 131. & in Comment. ad Concilii Elibertini Can. XVIII. ubi de moribus Christianorum in sacris agit.* De Ethnicis verò videatur Barnabas Brisson. *lib. I. de formulis.* & Petr. Georg. Tholosan. *lib. XXXI. Syntagm. Jur. cap. VIII.* Ad Ethnicismum redeuntes quomodo cruciferi ejecerint, *Vid. Diploma Nuncii Pontif. 1249.*

CAP. CCIII.

De
Ædificatione Castri Mergenberg.

Anno MCCLXXX. castrum Santirii mutato nomine & loco (*a*) translatum fuit ad eum locum, ubi nunc situm est, & vocatum nomen ejus (*b*) Mergenburg i. e. Castrum S. Mariæ, ad cujus laudem & gloriam hæc translatio facta fuit.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. CCIII.

(*a*) Santirium situm erat eo in loco ubi Vistula & Nogadus confluunt: Nunc verò Mariæburgum ulterius versus Septentrionem ad Nogadum amnem jacet.

(*b*) Constat ex hoc Capite Santirium tum fuisse solo æquatum, arcemq; Mariæburgensem veterem fuisse conditam. Cum deindè Sigefridus à Feuchtwangen Magister Generalis in Prussiam sedem suam transtulisset, arx Mariæburgensis digna visa est, in qua tantus Princeps domicilium suum figeret. Subsecutis temporibus tantopere est amplificata, ut inter præcipuas orbis terrarum arces numeraretur, quod sequenti versiculo Germanos indicare voluisse, testatur Hennebergerus: Mergenburg *ex luto*; Offen *ex Saxo*; *ex marmore* Meyland. Fidlerus etiam Poeta Regiomontanus sic de illa arce:

Fundamenta latent domibus camerata pro fundis,
Firmior Arctoo nulla sub axe jacet.

Hodiè ex Veteri arce, incendio consumptâ, non nisi muri conspiciuntur. In arce nova hodiè sedem suam habet Regius Oeconomiæ Mariæburgensis Administrator.

CAP. CCIV.

De *Destructione territorii Sudoviæ dicti Crasime.*

FRater Manegoldus Magister ut bellum Sudovvitarum per prædecessores suos viriliter inceptum non tepescceret tempore suo, sed proficeret de die in diem, congregavit omnem virtutem Exercitus sui, & in die purificationis B. Virginis Mariæ intravit territorium Sudoviæ dictum Crasimam, vastando per incendium & rapinam; habitationem etiam illius potentis Viri Scumandi Capitanei dicti territorii redegit in favillam & captis & occisis CL. hominibus cum præda maxima est reversus. Iste Exercitus dum dictum territorium intrare vellet, erravit & in illo errore ex Dei providentia facto, qui nihil solet agere sine causa dispersus fuit, & sic intrans territorium occupavit & destruxit. In hoc bello frater Ulricus Bavvarus Commendator de Tapjovv & IV. viri ceciderunt interfecti & Fr. Ludevvicus de Libencele captus fuit.

Anno Dn. MCCLXXXI. Martinus Papa IV. & Rudolphus Rex Romanorum regnaverunt.

Hoc tempore mense Februario Piscis maximus in illa plaga maritima qua sita est versus montem altum & portatus apud urbem Veterem quo multitudo Curialium venit, ad videndum monstrum hoc, quia pellis ejus pilosa fuit, pedes breves, cauda leonina, Caput Leoninum, aures, os, dentes & linguam habuit quasi leo. Referebatur quod in ejus captione planctus horribiles emiserat, sic quod multi pranosticabant futura ex hoc. Et ecce non longè post in regione Secilia Panormitani succensi rabie Gallicos qui morabantur ibi omnes tam mares quam fœminas in prædicti Regis contemptum occiderunt, & quod detestabilius fuit mulierum latinarum prægnantium latera aperientes, qua dicebantur de Gallis concepisse, partus occidebant antequam nascerentur.

CAP.

CAP. CCV.

De

Captivitate prima fratris Ludewici de Libencele.

FR. Ludevvicus de Libencele vir nobilis & in rebus bellicis ab adolescentia exercitatus mira gesta fecit in vita sua, quæ inferius apparebunt. Hic dum captus esset, præsentatus fuit Scumando, qui, quia similis ei fuit in audacia, multum dilexit eum, undè accidit, quod ipsum adhuc in captivitate positum duxit secum ad locum ubi potentiores terræ Sudoviæ convenerant ad potandum. In hac potatione quidam vir nobilis & potens fratrem Ludovvicum contumeliis & jurgiis ad turbationem animi provocavit. Unde ait ad Scumandum: duxisti me huc, ut iste Cor meum injuriosis affligeret verbis suis? Cui respondit Scumandus: doleo de turbatione tua, & si audes, vindica injuriam tibi factam, ego te juvabo: hoc audito frater Ludevvicus animatus fuit & æmulum suum gladio interfecit; Postea frater Ludevvicus per quendam famulum dicti Scumandi liberatus fuit à captivitate & ad fratres deductus.

Eodem tempore Tartari Orientales ultra quinquaginta millia Saracenorum occiderunt, sed Soldanus resumptis viribus & animo Tartaros invasit & in fugam conversos XXX. millia interfecit.

CAP. CCVI.

De

Conversione Scumandi Capitanei Sudovvitarum.

ISte Scumandus potens fuit & dives in territorio Sudovviæ dicto Crasima, & cum impugnationes continuas fratrum non posset sustinere, cessit de terra sua cum tota familia & amicis ad terram Russiæ, in qua dum per tempus aliquod habitasset, fatigatus exilio rediit ad terram nativitatis suæ, quod cum percipierent fratres ipsum in bello iterum invaserunt, tot vicibus illum vexantes, quod tandem cum omni domo & familia sua fidei & fratribus se subjecit.

CAP. CCVII.

De

Vastatione territorii Sudowiæ dicti Selia & secunda captivitate fratris Ludevvici.

EO tempore quo frater Mangoldus Magister vocatus ad capitulum esset in itinere constitutus, Fr. Conradus de Tierbergk Marschalcus cum multis fratribus & maximo Exercitu intravit Sudoviæ territorium dictum Silian, tam copiosus fuit iste Exercitus, quod multarum spacium Leucarum occupavit, ubi omnia ædificia dicti territorii redegerunt in favillam, occidentes quendam nobilem dictum Wadole Capitaneum ibidem & plures alios prædam inæstimabilem deduxerunt. In hoc Exercitu frater Ludevvicus de Libentele multis vulneribus lethaliter vulneratus, semivivus in nive fuit derelictus quem Sudovvitæ postea invenientes super eqvum positum, sic quod caput & brachia ex una parte, & crura ex altera dependebant tam ineptè deduxerunt, quod sangvis de vulneribus manans jam in corpore coagulatus coactus est violenter effundi, & sic sanatus fuit ut veraci-

raciter æstimabant. Hic Fr. Ludevvicus iterum captus præsentatus fuit cuidam nobili dicto Cantengerde & ejus custodiæ deputatus.

CAP. CCVIII.

De
Desolatione Castri Poterbergk & ædificatione castri Gimevve.

SVantepolcus quondam Dux Pomeraniæ, de quo superius est præmissum, quatuor habuit filios (*a*) Mestovvinum primogenitum, quem ut dictum est dedit in obsidem, Samborium, Wartislaum & (*b*) quendam alium (*c*) Iste Warceslaus factus fuit frater Ordinis Domûs Teutonicæ, & partem Ducatus, quæ ipsum contingebat, dedit fratribus Domus Teutonicæ in Pruschia in Eleemosinam. Samborius videns quod de parte sua non posset honestè secundum status sui dignitatem vivere, tradidit eam prædictis fratribus, ut ipsi & familiæ suæ in necessariis providerent: Idem fecit quartus frater, & ut hæc donatio firma esset, & in perpetuum valitura, hi tres renunciaverunt omni actioni juris vel facti quæ ipsis vel eorum successoribus in dicto ducatu competebat, dantes super hoc literas suas fratribus sigillorum suorum munimine roboratas. Mestovvinus autem audiens hæc, violenter has tres partes ducatus Pomeraniæ occupavit & invitis fratribus detinuit multis annis. Tandem venit Dominus Philippus Episcopus Firmanus legatus à sede Apostolicâ missus ad terram Poloniæ coram quo frater Conradus de Tierberg Magister conquestus fuit de violentia, quam dictus Mestovvinus fecit fratribus de Pruschia, in his tribus partibus Ducatus prædicti, & ad probandum, se & fratres habere merum

merum jus in illis, obtulit privilegia memorata. Auditâ ergo utriusque partis allegatione & reſignatis privilegiis prædictis à fratribus & quicquid habebant juris in his bonis. Idem legatus ordinavit, compoſitionem inter eos hoc modo: quod fratres Domûs Teutonicæ haberent territorium dictum (*d*) Wantecke in dicto ducatu Pomeraniæ, ubi nunc ſitum eſt caſtrum Gemeva & ſic ceſſaret omnis diſcordia inter eos. Undè fratres Anno Domini MCCLXXXIII. transtulerunt de terra Culmenſi caſtrum Potterberg & cum ædificiis ejus caſtrum (*e*) Gymevam ædificaverunt in eum locum ſuper Wiſelam ubi nunc ſitum eſt ad laudem & gloriam Jeſu Chriſti.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. CCVIII.

(*a*) Mſczugum hunc appellat Matth. à Michovia *lib. III. c. LXII. ad An. 1283.* aſt Cromerus utrumque agnoſcit nomen *lib. IX. pag. 559.*

(*b*) Ratiborium eum nominat Matth. à Michovia *l. 3. Chron. c. 62.* & Martinus Cromerus *lib. IX. pag. 558.* Verùm Caſp. Schuz. *lib. I. Chron. Pruſſ. fol. 13. ſeq.* & ex eo Joannes Micrælius *lib. II. Chron. Pomer. cap. 100. pag. 284. ſeq.* dicunt Sventopelcum duos tantum reliquiſſe filios Meſtwinum & Wartislaum duasque filias videlicet Salomeam, quæ nupſit Ziemomislo Cajaviæ Principi, & Eliſabetham, quæ Juromiro II. Rugiæ Principi in matrimonium collocata eſt. Samborium verò & Ratiborium ut & alium nomine Wartislaum dicunt fratres Sventopelci fuiſſe. Nituntur autem illi monumentorum Olivenſium auctoritate.

(*c*) Quomodo Pometelliam Ordo Teutonicus ſibi ſubjecerit, ſic alii referunt: Wartislaus, Samborius & Ratiborius, Sventopelci fratres donarunt Ordini ſuas partes Pomeraniæ cum Ordinem Teutonicum ingreſſi eſſent. Schuz. *lib. 2. fol. 50. ſeqq.* Micrælius *l. c.* Alii licet in hoc diſſentiunt, quod Samborium & Ratiborium putant fuiſſe filios Sventopelci, conſentiunt tamen & illi in hoc, quod Samborius & Ratiborius Cruciferorum inſtitutum amplexi ſua Or-

Ordini legarint patrimonia. Matth. à Michov. *lib. III.* Chron. *cap. LXII.* Cromer. *lib. X. pag. 566.* Interea Sventopelco fatis functo, bellum oritur inter Wartislaum & Mestvvinum sive Mscżugum de divisione Pomeraniæ, quod tandem iis pactis finitum est, ut Pomerania in æquales partes divideretur. In hac divisione Wartislao Dantiscum cessit. Sed neque hic res quietæ. Bello enim rursus inter fratres exorto cum Wartislaus suas partes inferiores esse cerneret, Conradum Marchionem Brandeburgensem sibi accersivit in auxilium, eique arcem Gedanensem tradidit. Confecto bello, Conradus arce cedere noluit, donec sibi sumptus belli exsolverentur. Wartislaus inter sacrum & saxum stans, habitum tandem fratrum Ordinis Teutonici induit suamque partem consignatis tabulis Ordini donavit. Posthæc mortuo Wartislao varii tumultus exorti sunt, hinc fratre Mestvvino Dantiscanam urbem arcemque à Conrado Marchione repostente, illius Cruciferis donationes Samborii Ratiborii & Wartislai urgentibus. Tandem Anno 1284. Philippus Episcopus Firmanus à Pontifice Romano missus, litem illam modo à Dusburgio memorato, composuit. Ex cujus relatione hoc etiam colligere licet, Cruciferos causa cecidisse. Nec enim Gedanum ipsis traditum, nec patrimonia Samborii & Ratiborii ipsis concessa, dubio procul ea de causa, quod fratres natu minores in præjudicium Fratris natu majoris nihil alienare potuerunt. Mestvvinus tamen sive proprio motu sive Legati Pontificii interceſſione Mevam Cruciferis donavit cum quindecim pagis. Et hoc territorium primum est quod in Pomerellia Cruciferi jure possederunt. *Vid.* Matth. à Michov. *lib. III. Chron. cap. LXII. Ad annum 1283.* Cromer. *lib. X. p. 566.* Micrælius *lib. II. Pomer. cap. 102. seq.* Pulso post obitum Wartislai Conrado Marchione, Mestvvinus Pomerelliam totam, excepto Territorio Mevensi, quietè possedit, & cum ipsi nulla spes prolis supereſſet, in animo quidem habuit Pomerelliam Ducibus Pomeraniæ Occidentalis, ut notat Micrælius, testamento relinquere; Sed reclamantibus Ordinibus, eam Primislao II. Regis Poloniæ Anno 1290. cum in Prussia Conradus à Feuchtwangen Mag. Gen. rerum potiretur, donavit. Marchiones Brandeburgici nondum spe occupandæ

Pomeraniæ dejecti invitante ipsos Petro Svvenze Gubernatore Pomeraniæ infestis animis & armis Pomeraniam intrant. Arcem Dantiscanam obsidione cingunt, omnibusque viribus oppugnant. Contra verò Bogussa Judex Pomeraniæ nomine Regis Poloniæ arcem strenuè ad tempus defendit, Interea Wladislaum Locticum Regem Poloniæ sollicitans de suppetiis mittendis. His frustratus, consentiente Rege, Cruciferos arcessit, quorum tunc Magister Provincialis Henricus à Ploczke fuisse memoratur. Hic promptum se præstitit atque paratum ad omnia; Sed cum arcem contra Marchiacos defendisset, arcis dominium sibi arrogavit & Bogussam variis contentionibus de impensis belli ortis inde in urbem ejecit. Posthæc An. 1311. habitus est propterea conventus, Bresiæ inter Wladislaum Locticum Regem Pol. & Carolum. Forsan ille fuit Carolus Beffart Trevirensis, (quem successisse Henrico tradit Cromerus *lib. XI. p. 584.* sed manifesto errore, cum Carolus non Henrico, sed Sigfrido à Feuchtwangen Magistro Generali successerit, sub quo Henricus à Ploczke Prussiæ præfuit titulo Magistri Provincialis, postea Commendator Magnus constitutus. *Vid. infra* Cap. CCLXXXVIII. Magister Generalis; Sed Magistro iniqua postulante exacerbatis utrinque animis discessum est. Subhæc Magister ut Gedanum aliaque Pomeraniæ loca Polonis adempta aliquo titulo possidere videretur, emit Pomeraniam à Joanne Tutoreque ejus Waldemaro Marchionibus Brandeburgicis decem millibus marcis latorum grossorum. Missi deindè à Pontifice Romano Inquisitores, qui in jura utriusque partis inquirerent, causamque deciderent. Hi Ordini Teutonico causâ cognita sacris interdixerunt utque Pomerellia redderetur injunxerunt. Sed neque huic sententiæ acquieverunt Cruciferi. Nam controversiam hanc appellatione ad sedem Romanam interpositâ protrahere conati, interea Johannem Regem Bohemiæ (qui jus suum in Poloniam & Pomeraniam prætendebat; eò quod Wenceslaus Rex Bohemiæ in regem Poloniæ fuerat creatus) solicitarunt, ut sibi Pomeraniam donaret, quod etiam à Rege, Polonis infenso facilè impetrarunt. *Vid.* Matth. à Michov. *lib. IV. cap. VII.* Martinus Cromerus

rus *lib. X. pag. 572. & lib. XII. pag. 580. seq.* Casp. Schuz. *lib. II. Chron. Pruss. fol. 55. 62. 68.* Joan. Micræl. *lib. II. cap. 103. seq. usque ad cap. 110. p. 294. seq.* Salom. Neugebauer *lib. III. Hist. Pol. pag. 173. seq.* Deindè sub Casimiro Rege, tentata iterum est Anno 1335. tuansactio inter Regem Poloniæ & Cruciferos à Rege Hungariæ; sed irrito conatu; Posthæc Anno 1339. alii Inquisitores à Papa Benedicto XII. missi, Polonis iterum Pomerelliam adjudicant, Micræl. *lib. II. cap. 110. p. 295.* Ad extremum anno 1343. Pacta inita sunt eo modo, ut Casimirus titulum terrarum Pomeraniæ, Culmæ, Michalovviæ, Nessovviæ, Orlovviæ, & Murinovviæ mitteret: Cujaviam verò & Dobriniam retineret. Micræl. *l. c. cap. 112. p. 297.* Casp. Shuz. *lib. II. Chron. Pruss. fol. 71.* Martinus Cromer. *lib. XII. non procul ab initio.*

(*d*) Wancke *Vid.* Henneb. *in Comment. pag. 317.*

(*e*) Mevve, ut habent Chronica M. SS. Germanica. Poloni autem etiamnum appellant Gnievv.

CAP. CCIX.

De

Fratre Conrado de Tirberg Magistro Prussiæ.

FRater Conradus de Tirbergk junior Mag. Prussiæ XII. præfuit V. annis cum dimidio. Hic Fr. Conradus fuit germanus fratris Conradi de Tirberg Magistri supra dicti, & erant ambo viri strenui & in armis & in factis omnibus glorioſi, Prosperatumque fuit bellum contra infideles in manibus ipsorum ita, quod ad votum eis omnia successerunt.

CAP. CCX.

De

Vastatione cujusdam partis terræ Sambiæ.

ANno Dn. MCCLXXXIII. octingenti Viri de Lethovia equites tempore hyemali per (*a*) Neriam Curonensem intraverunt Sambiensem terram & dico territoria ejus scil. (*b*) Abendam & Pubetam per incendium & rapinam vexaverunt, occidentes CL. homines Christianos, & nullo eis resistente omnes salvi redierunt. Hoc ideò accidisse creditur indubitanter, quia Magister & fratres præscientes ipsos Lethovinos venturos, expectabant eos cum Exercitu per dies aliquot, tandem attædiati de longâ morâ, quam in via ultra solitum contraxerat, dispersi redierunt ad propria. Sequenti autem die Lethovvini intraverunt Sambiam, & sine aliquo defensionis obstaculo fecerunt quod superius est præmissum.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Neria Curonensis (Die Churische Nárung) vocatur angustia illa terræ, quæ est inter locum Curonensem (Churisch Haff dicitur) & mare Balticum. Illa verò terra, quæ est inter lacum recentem (Frisch Haff) & mare Balticum, vocatur die Danzker Nárung.

(*b*) Jeroschinus habet Pobeten und Beten. Strykovius eo modo legit, ut à nobis ex Regiomontano exhibentur Codice.

CAP. CCXI.

De Ædificatione Castri novi in terra Sambiæ supra littus maris Salsi, in Neria (a) Curoniensi.

FRater Conradus Magister, ut vir sapiens & providus, considerans, quod per Neriam, viam utique occultam, possent fratribus & terræ Sambiæ multa damna & pericula ab infidelibus sub-

suboriri, ædificare fecit in dicta Neria super littus maris salsi castrum firmum, quod dicitur (b) Nova domus, ne Lethovvini terram Sambiæ intrent à modo improvisè.

ANIMADVERSIONES.

Ad Cap. CCXI.

(a) Sic Codex Regiomontanus legit, ut & Thorunienſis. Sed manifestus est error librariorum. Neque ex Elbingensi Exemplari hoc correxit Dn. Zamelius, adeò ut appareat hæc exemplaria ex eodem esse fonte ducta.

(b) Neuhauß hodiè uno tantum milliari distat ab urbe Regiomontana. Quando autem ex loco à Dusburgio determinato eo sit translatum non constat. Habetur ad Nihusium Theriotrophium amplissimum.

CAPUT CCXII.

De *Expugnatione Castri Kymenoviæ, & conversione mille & sexcentorum Sudovvitarum.*

HOc etiam tempore idem fr. Conradus Magister circa officium sibi injunctum solicitus multas noctes in somnis deduxit cogitans qnomodo inimicos fidei Sudovvitas ad viam duceret veritatis. Undè ad hoc perficiendum congregatâ multitudine copiosâ fratrum & aliorum pugnatorum dum in via esset versus Sudovviam, occurrit ei fr. Ludevvicus de Libentele, ducens secum Cantegerdam, qui ipsum captivum detinuerat, & mille & sexcentos homines de Sudovia promiscui sexûs, quos in captivitate positus ad fidem Christi convertit, quibus visis Magister gavisus est, & jussit eos procedere versus terram

(a) Sambiensem; Hoc facto, sequenti die Magister cum Exercitu suo intravit territorium Sudovviæ dictum Kimenovv, & castrum ejusdem nominis tam acriter impugnavit quousque Castrenses ipsum sub his pactis, ut scilicet salvis rebus & Personis exirent, tradiderunt; promittentes se fidem Christi accepturos. Unde dato ipsis ductore jussi sunt ut ad partes Sambiæ procederent sine mora; Crastinâ vero die depopulato territorio & Kymenoviæ interfecto ductore suo per viam aliam ad terram Lethoviæ sunt profecti. Sed fr. Ludevvicus cum sua comitiva processit ad terram Sambiæ ubi omnes fonte baptismatis sunt renati.

ANIMADVERSIO.

(a) Hæc est illa deportatio populi Sudavici in extrema Sambiæ loca, de qua supra egimus *in Animadversionibus ad Partis III. cap.3.* Sudinia namque olim non in extremis Prussiæ Septentrionalis oris, sed versus meridiem sita erat, ita ut à Septentrione attingeret Barthoniam & Scaloviam, ab oriente Lithvaniam, ab occidente Galindiam. Probari hoc ipsum facile potest. Si enim primo consideremus verba Ptolemæi has gentes describentis, videbimus Sudinos ab illo non collocari ad mare Venedicum, sed in locis mediterraneis. *Vid.* Ptolem. *lib.3. Geogr. cap.5.* Deinde manifestum etiam hoc est, ex Pactis Brestensibus Alexandri Regis, ubi Limites constituuntur inter Samogitiam & Sudaviam, quod fieri non posset, si Sudinia in Sambia ad mare Balticum esset collocanda. *Vid.* Jacobus Prilusius *in Statuto Polonico lib.5. cap.3. pag.744.* & Privilegia Prussiæ Ducalis *fol. 8. b. fin.* Tertiò denique evidenter hoc ipsum probari potest, ex aliquot pagis, qui hodieque appellationem Provinciarum Sudavicarum memoriam conservant. Sic Miernisken pagus est in Præfectura Marggrabovienſi sive Olecensi, quia olim ibidem Provincia ejusdem nominis in Sudovia sita erat. *Vid. supra cap.192.* Similiter Kirsovia, *de qua cap.* hodiè vocatur Krysſovva. In Præfectura quoque Lyccensi hodie reperitur lacus,

lacus, qui à Scumando Sudinorum Duce, appellatur Scomand-See. *Vid.* Henneberg. *in libro de Veteri Prussia fol. 40. seqq.*

CAP. CCXIII.

De

Morte Fratris Friderici Holle & XXX. Virorum.

EOdem anno fr. Fridericus dictus Holle germanus fratris Marquardi Revelinghe cum C. Viris equitibus de Castro Brandenburg processit contra Sudoviam, & dum accepto magno spolio in territorio Kirsoviæ rediret hostes sequentes ipsum cum XXX. Viris interfecerunt: Nec tamen hoc tacendum æstimo, quod idem fr. Fridericus antequam occideretur cuidam Viro strenuò in armis, qui occurrit ei in bello, tantam plagam cum gladio ad scapulam dedit & tam durè verberavit, quod ipse non habens virtutem subsistendi cum equo decidit ad terram, licet tamen ex tali plaga nullum vulnus haberet in corpore, nec & vestigium vulneris appareret. Sicut idem sic plagatus & alii Sudovvitæ, qui huic bello interfuerunt, & viderunt postquam ad fidem Christi conversi fuerant publicè sunt confessi.

CAP. CCXIV.

De

Conversione cujusdam nobilis & mille quingentorum de Sudovia & desolatione dictæ terræ.

MUlta & infinita sunt contra Sudovvitas bella gesta quæ causâ

causâ brevitatis pertranseo. Postquam ergo (*a*) Jedetus quidam vir Nobilis & genere & moribus potens & dives, Capitaneus Sudovvitarum de Kymenovia, non posset tam crebras & duras fratrum impugnationes à modo sustinere, cum omni domo & familia sua & mille & quingentis hominibus promiscui sexus cessit ad fratres & baptizatus est; Sed Scurdo Capitaneus alterius partis Sudovviæ spretâ Religione fidei cum suis hominibus (*b*) versus terram Lethoviæ est profectus, & sic terra Sudoviæ usque in præsentem diem remanet desolata.

ANIMADVERSIONES
Ad Cap. CCXIV.

(*a*) Jeroschinus eum vocat Idete. Strykovius vero in sua versione legit Jedekosz.

(*b*) Ex hoc loco, præter alias rationes, colligimus Sudaviam vel Sudiniam antiquitus non fuisse sitam in extremis partibus Sambiæ, ubi hodie eam sitam esse conspicimus; sed potius ea continentem fuisse Lithvaniæ, quoniam ex Sudovia facilis in Lithvaniam erat transitus. Videatur hoc optime demonstratum ab Henneb. *in lib. de vet. Pruss. & in Comment. ad Tab. Geogr. Prussiæ.*

Cap. CCXV.

De

Gratia quæ confertur infidelibus, qui ad fidem Christi convertuntur.

Quicunque relictâ Idololatria se transfert ad fidem Christi, fratres agunt cum eo misericorditer in hunc modum, (*a*) Si est generosus de nobili sangvine ortus bona & libera conferuntur & in tanta qualitate, quod secundum decentem possit vive-

vivere ſtatum ſuum; Si vero eſt ignobilis, ſervit & ipſe fratribus ſecundum terræ Pruſchiæ conſvetudinem hactenus obſervatam. Niſi meritis (*b*) vel demeritis eorum exigentibus aliter fiat. v. g. Ignobiles qui in apoſtaſia ſeu aliis neceſſitatibus fidei fratribus fideliter adhæſerunt, nunquam præclara ipſorum merita hoc exigunt, quod ignobilitas eorum in nobilitatem transeat generoſam & ſervitus in debitam libertatem? Utique Domine. Et ſanè hæc intelligas è converſo. Unde multi ſunt Neophyti in terra Pruſchiæ quorum progenitores fuerunt de nobili proſapiâ exorti; ipſi vero propter ſuam malitiam quam contra fidem & Chriſti fideles exercuerunt, ignobiles æſtimati ſunt; alii verò quorum parentes erant ignobiles donati ſunt propter fidelia ſervitia fidei & fratribus exhibita libertate.

DE FRATRE BURCHARDO, MAG. GEN. ORD. DOMUS TEUTONICI.

Frater Burchardus de Schvanden Mag. Generalis IX. Ordinis domus Teutonicæ præfuit hoc tempore. Hic neſcio quo ductus Spiritu dum ad terræ ſanctæ defenſionem debuit transire petitâ licentiâ & obtentâ habitum ordinis domus Teutonicæ depoſuit & Ordinem Hoſpitaliorum aſſumpſit in quo poſtea eſt defunctus.

Explicit bellum Pruſchiæ.

ANIMADVERSIONES
AD CAP. CCXV.

(*a*) Reperiuntur hodiè quædam familiæ Nobilium, quæ ex antiqua Nobilitate Pruſſica originem trahere putantur, ut familiæ LESGEVANGIORUM, PERBANDIORUM, PARTEINIORUN, PRAXEINIORUM, MALGEDEINIORUM, MEERKIORUM. Accenſuimus hic in Originibus Pruſſicis etiam familiam KALNEINIORUM. Hennebergerus tamen in opere ſtemmatum M. S. Kalneinios hinc eximere videtur, notatque olim ipſos alio nomine (nempe der Katzenblauer) eſſe gaviſos.

Burchardus de Schwenden IX. Mag. Gen. Ord. Teut.
Conradus à Tierberg Junior XII. Magister Prov. in Prussia.

(*b*) Barbarè demerita dicuntur pro peccatis. Vid. Voss. *lib. 1. de Vitiis Sermonis cap. 33. p. 144.*

Animadversio ad Vitam Bernhardi de Schvvenden Magistri Generalis.

De Bernhardo à Schvvenden plura habet Jeroschinus. Tradit enim ille, Burchardum in Palæstinam cum quadraginta fratribus se contulisse, ut Acconam à Soldano obsidione cinctam defenderet. Sed postquàm à Clero & civibus Acconensibus magnâ cum pompâ esset receptus, postridie in Capitulo munus suum resignasse, Ordinemque Joannitarum cum consensu Pontificis intrasse; Tandem in ultimo mortis articulo regressum ad Ordinem Teutonicũ anxie, sed frustra, petiisse. *fol. 144. b.* Auctor Chronici Latino sermone sub Friderico Duc. Sax. & Mag. Prussiæ scripti, hæc habet: *Qui cum satis optimè Ducatum Venetiis VII. annis tenuisset, nescio quo Spiritu ductus per mare navigavit in Accaron, ibique officium Magistratus sui resignavit licentiâque obtentâ in Ordinem S. Joannis se recepit. Quem tamen postea pœnituisse legimus, & religionem iterum petivisse; sed petitionem non obtinuit, & ita anxietate præventus carnis debitum solvit in Rhodos Insula.* Hæc ibi.

CAP. CCXVI.

Incipit bellum Lethowinorum.

ANno Domini MCCLXXXIII. eo tempore, quo ab incepto bello contra gentem Pruthenorum fluxerant jam (*a*) LIII. anni, & omnes nationes in dictâ terrâ expugnatæ essent, & exterminatæ, ita quod unus non super esset, qui Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non subjiceret collum suum. Fratres domus Teutonicæ prædicti contra gentem illam potentem & durissimæ cervicis exercitatamq; in bello, quæ fuit Vicinorum terræ Pruschiæ ultra flumen Memele in terra (*b*) Lethoviæ habitans inceperunt bellum in hunc modum. ANI-

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. CCXVI.

(*a*) Codex Regiomontanus habet LXXX. sed perperam. Restituimus itaque locum ex Jeroschino, qui annos 53. habet. Videlicet pacta cum Ordine Teutonico inita sunt Anno 1226. Bella verò Prussica gerere cœpit Ordo Teutonicus anno 1230. continuaritque usque ad An. 1283.

(*b*) Bellum Lithvanis illatum fuit ob auxilia Prussis contra Ordinem creberrimè missa, præsertim Peluså (ut Cojalovvicius putat) Crucigeros ad bellum inflammante. Alb. Wijuk Kajolavvicz *part. I. Hist. Lithv. lib. VI. p. 184.* Gestum est illud bellum ultra centum annos. Winricus à Kniprode Magister Generalis Annales recensendo suo jam tempore deprehendit, bellum cum Samogitis 85. annos gestum fuisse: in acie occumbentibus Christianis ex Crucigeris fratribus nobili prosapia oriundis 49. ex illustribus familiis 28. ex Ordine Civico 4000. ex nobilibus familiis 11000. ex gregariis militibus 8000. ex Advenis & Hospitibus 15000. Ex Rusticis partim, interfectis partim in captivitatem abductis 168000. *Vid.* Cœlestinus Mislenta *in Præfat. ad Manuale Pruthenicum.*

CAP. CCXVII.

De *Expugnatione Castri Lethoviæ dicti Bisene.*

FRater Conradus de Tierberg Magister terræ Pruschiæ prædictus, & multi fratres cum magno Exercitu tempore Hyemali transierunt glaciem Memelæ, & intrantes terram Lethovviæ castrum dictum Bisenam à mane usque ad Meridiem fortiter impugnaverunt, tamque infesti erant in dicta impugnatione, quod occisis multis de castro & lethaliter vulneratis tandem potenter

ter intraverunt, quibusdam captis, aliis trucidatis, in cinerem redegerunt; Reliqua pars exercitus intravit dicti Castri territorium & post magnum Incendium cum maximo spolio est reversa. In hac impugnatione plures Christiani sunt graviter vulnerati, & IV. fratres & unus famulus cum equis & armis in Memela submersi propter teneritudinem glaciei.

CAP. CCLXVIII.

De
Destructione Castri Garthe.

ANno Domini MCCLXXXIV. idem Magister nec dum bello infidelium satiatus, congregavit validum exercitum, & cum Scumando ductore processit contra castrum (*a*) Gartham, tempore æstivo & dum transivisset Memelam ordinavit Sagittarios ad loca debita, applicatisque scalis ad mœnia tam grande bellum ortum fuit inter eos, quod formidolosi talia inspicere non auderent, (*b*) istis viriliter impugnantibus, obsessi fortiter resisterunt, cadebantque ex utraque parte plurimi vulnerati. Tandem sicut DEO placuit fratres potenter intraverunt, & occisis omnibus & captis per incendium destruxerunt; Hoc facto mille viri & octingenti intraverunt territorium dicti castri vastantes quam plurimum incendio & rapinâ, & captis multis hominibus & occi-

Anno (d) Domini MCCLXXXIV. Honorius Papa IV. & Rudolphus Rex Romanorum regnaverunt. Hic Papa ordinem Carmelitarum, qui in Concilio Lugdunensi mansit suspensus, confirmavit; & Carmelitæ mantellos scarratos mutaverunt in Cappas albas.

Hoc etiam tempore promotus est Ordo Augustinensis, quantum ad Magistros Parrisiis.

Eodem tempore floruit Magister Ægidius Ordinis Augustini Doctor Magnus, qui postea à Bonifacio Papa VIII. factus Archiepiscopus Bituricensis, mortuus fuit Avinionis, Romana curia ibidem residente, sub Joanne Papa XXII. Anno M.CCLXXXVI. Kalend. Januar. & Pa-

occisis cum præda maxima rediérunt; In hoc territorio fuit occisus quidam Barthensis qui fugerat de Pogesania, & in ultima apostasia Commendatores de Christburgk & Elbingo cum eorum familia captivavit, quem sic inter factum canis ejus diris morsibus est aggressus, & aperiens latus ejus sinistrum, cor ejus, quod totum proditionum & fraudum conscium fuit de corpore extraxit, & in præsentia Christianorum plurium devoravit. (c)

& Parisius apud fratres sui Ordinis sepultus.

ANIMADVERSIONES
AD CAP. CCXVIII.

(a) Gartha hodiè dicitur Grodno, ut putat Matth. Strykovvosky Osslevicius *lib. 4. Histor. Lithv. cap. II. fol. 299.* & ex eo Kojalovvicz *loc. cit.*

(b) Matth. Strykovius sic legit in suo codice, ut notat ad marginem: *Quod formidolosum erat inspicere, hic fortiter impugnantibus, illis fortius repugnantibus*, quæ lectio, quoque præferenda.

(c) Addit Jeroschinus quædam de Capellano suspenso. Fusius etiam persequitur miraculum illud de cane proditoris.

(d) Synchronismos ad Caput hoc adjectis non habet Jeroschinus. *Vid. fol. 144. & 176. b. seq.*

CAP. CCXIX.

De
Morte Scumandi.

Ecce mirabilis conversio & mutatio dexteræ excelsi, iste Scumandus, qui ultra modum antè persequebatur Ecclesiam DEI, modo elator fidei factus est, Dux gloriosus populi Christiani; hic dum morti appropinquaret, interrogatus à fratre Conrado sacerdote de Balga, quomodo tantam gratiam in fide Christi à Domino meruisset? ait: nunquam aliquid boni feci

antè conversionem meam, nisi hoc solum, quod dum infideles imaginem B. Virginis Mariæ & filii sui spoliassent in Polonia, & secuissent per medium, ego de terra sustuli & mundavi vestibus meis, & ad locum decentem posui, quo dicto feliciter in Domino obdormivit.

CAP. CCXX.

De *Reditu Barthensium & plurium Lethovvinorum morte.*

ANtequam fratres impugnarent castrum, Gartham prædictum, quidam Bartenses, qui ultimo de Pogesania fugerant, cum Lethovvinis congregato Exercitu processerunt contra Poloniam, ubi præter alia mala, quæ feceruut, magnam prædam in hominibus & pecudibus deduxerunt. Sed duo Barthenses scil. Numo & Dersko post hujusmodi deprædationem factam in territorio Garthe secuti fuerunt Exercitum & ad petitionem ipsorum omnes Barthenses fratrum gratiam invenerunt & uxores ipsorum, & liberi sunt eis restituti; quod tamen Fr. Th. Advocato Sambiæ & multis aliis fratribus displicuit, dum ad ipsorum notitiam devenit propter futura pericula quæ per eos timebant incurrere, sicut rei eventus postea comprobavit; Dicti ergo Numo & Dersko habita gratia fratrum occurrerunt exercitui Lethovvinorum prædicto, & postquam expediverunt compaterotas suos, quod actum esset de Castro & territorio Garthe, & quomodo essent fratrum gratiæ restituti, occiderunt Lethovvinos & spolium secum duxerunt in Pogesaniam & habitabant ibi, sicut prius.

CAP.

CAP. CCXXI.

De

Traditione, in qua centum Christiani interfecti fuerunt.

Anno Domini MCCLXXXV. quidam Scalovvita dictus (*a*) Girdilo, qui magnæ reputationis quondam ante conversionem suam fuerat inter suos, jactavit se, quod grandius posset facere facta contra Lethovvinos, si centum viros in armis haberet. Quos cum fratres ei ordinassent, exiit cum eis versus Castrum Othekaym, & sicut iste traditor præordinaverat, viri de dicto castro congregati irruerunt in eos improvisè, & omnes præter paucos, qui effugerant, occiderunt.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Girdilonem hunc Kojalovvicius dicit in Lithvania magnis Magistratibus functum, posteà Religionis causa in Prussiam transgressum esse *loc. cit.*

CAP. CCXXII.

De

Apostasia IV. & vindicta ejus.

Anno Domini MCCLXXXVI. Fr. Th. Advocatus Sambiensis poterat cum Job dicere: quod verebar accidit, quia Barthenses, qui nuper gratriæ fratrum fuerant restituti & Pogesani & cæteri de Pruschia, volentes secundum solitum malitiæ suæ consvetudinem ite-

Anno MCCLXXXVI. Conradus Sacerdos de Almannia transiit ad terram Lethowiæ ad convertendum gentes ibidem, qui cum moram feciſſet per duos annos ibi, Lethowini ipsum interfecerunt. In loco autem ubi

iterum fratribus rebellare; Confœderationem fecerunt cum quibusdam de Pruschia, quorum detestabile factum benè hæc meruit, quod eorum nomina in publicam redigerentur formam; sed propter status ipsorum reverentiam est omissum. Convenerunt itaque sub his pactis ut Principem (a) Ruyanorum cum valido exercitu, invitarent & ejectis fratribus de terra Pruschiæ ipsum Regem & Dominum suum constituerent. Quod factum detestabile in ædificatione castri Raganite (b) detectum fuit, & quilibet de Bartha & Pogesania hujus nefandæ conspirationis recepit mercedem debitam pro labore.

ubi interfectus fuit postea,
(c) *candelæ ardentes sæpius sunt visæ.*

ANIMADVERSIONES
Ad Cap. CCXXVII.

(a) Rugia Insula in Mari Baltico habuit olim proprios Principes ex Slavico genere oriundos.
(b) Conspiratio illa Pruthenorum in ipsa herba extincta est.
(c) Scilicet noctu, ut addit Jeroschinus. *fol. 170. b. col. 1.*

Cap. CCXXIII.
De
Latrunculis qui LXX. regulos terræ Lethoviæ occiderunt.

HOc tempore quidam Lethovvinus dictus Peluse offensus à Domino suo quodam regulo qui quasi secundus fuit post Regem Lethovvinorum in regno suo, cessit ad fratres in terram Sambiæ, & ad petitionem suam Commendator de Kunnigsberg dedit ei Martinum de Gollin, Conradum (b) dictum Diabolum, & quendam dictum Stövemehl (c) & alios viros audaces XX. qui

in

in latrociniis fuerunt plenius exercitati, ut cum eo in armis irent ad vindicandam injuriam sibi factam; Qui cum venissent propè ipsius Reguli (*d*) habitationem, invenerunt quasi omnes nobiles vicinos Regni Lethoviæ ad nuptias ibidem invitatos, & dum secundum solitos mores omnes inebriati quiescerent, in stratu irruerunt in eos, & præter alios quorum multi fuerunt LXX. Regulos cum hospite occiderunt. Sponsum & Sponsam & uxores Regulorum cum familia, parvulis, & centum equos cum auro & argento & omni Domus suppellectili deduxerunt.

ANIMADVERSIONES
Ad Cap. CCXXIII.

(*a*) Peluſa è magnis Lithvaniæ ducibus ortus Stroinati Daumandivę filius, aut ob factiones, aut alia de causa proscriptus, inter Crucigeros exulabat, & Principatu in alienam domum derivato, ipse M. Ducis titulos privatâ auctoritate extra Patriam usurpabat. Alb. Wijuk Kojalovvicz *Part. I. Hist. Lithvan. Lib. VI. pag. 184.*

(*b*) Dyvel habent Chronica antiqua, vel variante dialecto Teuffel. Kajalovvicz perperam legit *Tuvil.*

(*c*) Chronicon Germ. quo Dominus Zamelius usus est, legit: Corad Teuffel oder Tubil/ Clauß Stobmel. Ruder & Nakain.

(*d*) Arx illa Struterie appellatur in Chronico primo Bibliothecæ Walrodianæ.

CAP. CCXXIV.
Ad idem.

IDem Martinus cum paucis sociis exiit versus Lethoviam, & dum per aquarum inundantiam pertransisset, venit ad fluvium, qui dicitur Buka, in quo vidit navem oneratam Mercimoniis descendentem, quam secutus occultè, dum post Cœnam nautæ quiescerent dormientes, irruit cum sociis suis in eos, &

omnes trucidavit, & cum gaudio intrantes navem pervenerunt ad Civitatem Thorun, ibique nave & mercimoniis venditis, cesserunt in divisione cuilibet (*a*) XX. marcæ.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Marcæ scil. argenti. Nam Chron. antiq. German. quo usus est Dominus Zamelius, legit 20. Mark lötiges. *Vid.* infra Dissertat. de Re Nummaria Prussorum.

CAP. CCXXV.

De

Laudabili vita quorundam fratrum in Castro Kunnigsberg.

A tempore fundationis suæ in Castro Kunnigsberg viri virtuosi fratres, & in armis strenui milites, habitabant in virtute abstinentiæ, Orationum, vigiliarum & genuflexionum alios excedebant. Inter quos hoc tempore fuit Fr. Albertus de Misna Commendator dicti Castri, vir DEO devotus, & in omni vita sua laudabilis. Mira facta possent de illo scribi. Refertur & indubitanter debet credi, quod ipse frater Albertus, dum esset in Juventute constitutus, datus ei fuit stimulus carnis, Angelus Satanæ, qui ipsum colaphizavit. Propter quod dum non solum ter, sed pluribus vicibus, Dominum rogasset, ut aufferetur ab eo, audivit vocem cœlitus missam dicentem sibi: Alberte, si vis evadere graves tentationes, debes devote singulis diebus dicere hanc Orationem: O summa caritas, da mihi rectum & sincerum desiderium pro te, & pro puritate vitæ, & purifica conscientiam meam, & libera me à pollutionibus. Quod dicitur in Teutonico (*a*) O öberste Lybe/ gyb uns rechten Jammer nach dier/ und nach einem reinem Leben/ und reinige unse conscientie-

und

und behütte uns vor Bewillung / Amen. Quam Orationem dum per tempus aliquod continuasset, legendo cum devotione, quasi extinctus fuit in eo fomes peccati, quod nulla vehemens temptatio momordit de cœtero mentem ejus.

ANIMADVERSIO.

(a) Nicolaus Jeroschinus sic reddit precatiunculam hanc:

O aller höchste Minne — Gib mier ein Leben ohne mein
Gib mier rechte Sinne — Und mache mein Gewissen rein
Unde lutierß Hertzen Gier — Und löse mich mit Heile
Daß ich sehne mich nach dier — Von des Fleisches Meile.

Continuatio CAP. CCXXV.

Item de eodem.

IDem Frater Albertus incidit quodam tempore in ægritudinem, de qua crines capitis sui & supercilia funditus sunt evulsa. Hoc generavit in eo tantam deformitatem, quod nullus voluit cum eo conversari, undè turbatus cum lacrymis petivit à Domino, ut de vinculo hujus imperii absolveret eum, aut certe desuper terram eriperet; In ipsa nocte curatus fuit adeo, & restituti crines sic quod præteritæ deformitatis nullum vestigium appareret.

Continuatio CAP. CCXXV.

Idem de eodem.

Accidit etiam postea, quod dum idem frater Albertus cum aliis fratribus esset in Exercitu contra hostes fidei, eo die, quo fratres & alii Religiosi communionem sacram corporis Dn. nostri Jesu Christi sumere consveverunt, elongavit se ab aliis & turbato corde cum lacrymis suspirans ait: O Domine Jesu Christe si nunc essem domi præmissis multis orationibus sumerem

corpus tuum, quo dicto statim apparuit corpus Domini in forma oblatæ, sicut ministratur in altari pendens in aëre, non longe ab ore suo, quod cum vidisset expavit, & dixit: Domine Jesu Christe, si oblata hæc est tuum verum corpus, transeat ad mei, & aperiens os suum, intravit, & cum inæstimabili gaudio sumpsit illud.

CAP. CCXXVI.

De

Vita alterius fratris ibidem.

EOdem tempore in dicto castro fuit Wolferanus Saxo, qui dum professionem fecisset in ordine Domus Teutonicæ, & vellet proficere de virtute in virtutem, Diabolus invidens felicitati suæ nitebatur modis, quibus poterat, impedire. Undè accidit, quod dum idem frater Wolferanus in prima nocte surgeret ad orandum, Diabolus apparuit ei visibiliter, & hic, & iste, & ille, continuaverunt singulis noctibus per curriculum unius anni, sic quod Diabolus in diversis formis apparuit illi, & variis machinationibus ipsum inquietavit, & ille viriliter restitit immobilis in Dei servitio perseverans. Revoluto itaque anno cum Diabolus in illusione hac non proficeret confusus destitit, & comparere amplius non audebat.

CAP. CCXXVII.

De

Fratre Menekone Magistro terræ Pruschiæ.

Fra-

FRater (a) Menko de (b) Quere-vvorde Saxo Magiſt. Pruſchiæ XIII. præfuit XI. annis. Quam glorioſus iſte fuerit in officio ſuo, teſtantur facta magnifica, quæ ſeqvuntur. Totus fuit magnanimus. Audebat enim aggredi rem arduam, quam alius temuerit cogitare. Unde formidabant ipſum omnes adverſarii ejus, ſic quod nec munitiones, nec locorum diſtantia ipſos à vindicta ſua defendere potuerunt.

Anno Domini MCCLXXXVIII. Nicolaus Papa IV. de Ordine fratrum minorum, & Rudolphus, Rex Romanorum regnaverunt.

(c) *Eodem propè anno Tripolis eſt deſtructa, captis Chriſtianis inibi exiſtentibus & occiſis; Hoc tempore in Almannia in Diœceſi Leovienſi in villa, quæ dicitur Erkel, quædam puella incepit vivere ſine cibo & potu, & ſic ultra XXX. annos vixit. Plebanus dictæ villæ, obtulit ei oblatam non conſecratam die, quo conſvevit corpus Domini ſumere, quod non potuit deglutire; Sed reſumptâ eâ, dedit ei hoſtiam conſecratam, quam ſtatim deglutivit; perpendens in hoc, quod cibum materialem non poſſet ſumere nullo modo. Hoc tempore fuit conflictus apud Coloniam Agrippinam, circa Villam* (d) *Wurmiæ, in quo Joannes Dux Brabantiæ obtinuit victoriam contra Syfridum de Runkel Archiepiſcopum Colonienſem, & præter communem populum ex utraque parte mille & CCC. nobiles ceciderunt interfecti.*

ANIMADVERSIONES.

(a) In Privilegio, oppido Hollandenſi dato, vocatur Meinhardus, quod etiam nomen agnoſcit & Hennebergerus.

(b) Comes de Querfurt. Mira de nativitate ejus refert Henneb. Videlicet Juta, mater Menekonis, Nobilem fœminam tres filios uno partu enixam conſpicata, & uno viro tot gigni poſſe liberos, negavit. Sed è veſtigio ſecuta eſt divina Nemeſis. Ipſa enim paulo poſt uno partu novem filios, inter quos hic Meneko, edit. Ex his octo vetulæ cuidam in profluentem projiciendos tradit. Accedit opportunè ipſe Comes; rogat, quid anus portet, quæ catulos ſe ad flumen portare reſpondit. Inſtat ille, oſtendat, num ex iis aliqui venationibus eſſe poſſint idonei. Anus, licet invita, pueros Comiti

tradit, factum ordine narrat, crimenque deprecatur. Idem postea facit & uxor, veniâque impetratâ monasterium ingreditur. *Vid.* Henneb. *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 53.*

(c) Synchronismus ille de destructa Tripoli, non habetur in Jeroschino, qui videatur *fol. 170.*

(d) Wurungen habet Jeroschinus.

CAP. CCXXVIII.

De

Ædificatione castrorum Raganitæ & scalovvicarum.

ANno Domini MCCLXXXIX. idem frater Meneko capiens summo desiderio Christianorum fines & terræ Pruschiæ angustias dilatare, cum omni potentia pugnatorum venit in die B. Gregorii Martyris ad terram Scalovvitarum, & ad laudem DEI & gloriam in quodam monte supra Memelam ædificavit castrum Landeshute, quod sonat in Latino custodia terræ, sed nunc dicitur communiter Raganita â fluvio vicino, relinquens ibi pro defensione ipsius fratrem Bertholdum de Austria, dictum Bruhane, commendatorem, cum XL. Fratribus, & centum armigeris præelectis. Non longè post ædificavit scalovvitarum Castrum in descensu Memelæ, ut Scalovvitæ conversi ad fidem Christi ibidem habitarent.

CAP. CCXXIX.

De

Fratre Bertholdo dicto Bruhane Commendatore de Kunningsberg & Vita ejus.

Hic

HIc frater Bertholdus postquam dicto Castro Raganitæ præfuit modico tempore, fuit in commendatorem fratribus de Kunnigsberg ordinatus. De hujus viri vita, & virtutum refulgentia mira facta referuntur. Ipse enim cum se Domino inspirante vellet reddere Religioni, considerans illa duo scilicet, Paupertatem & Obedientiam, quæ ad Regularem observantiam requiruntur, esse communia in Religionibus & Extra; sed tertiam scilicet Castitatem quam una de arduis, quia nemo potest esse castus nisi Deus det, voluit examinare, utrum fuisset ad observantiam, castitatis aggressusque rem inusitatam & plenam periculo. Assumpsit enim Virginem Juvenem, quæ propter eminentiam pulcritudinis suæ parem non habuit in vicinis, jacensque cum ea quasi singulis noctibus in stratu suo nudus cum nuda per annum, & amplius, ut ipsa per Sacramentum suum postea affirmabat, & integritatis suæ signa ostendebat, nunquam ipsam carnaliter cognovit. Ecce mira res & stupenda, Samson fortissimus, David sanctissimus, Salomon sapientissimus, mulieris victi blanditiis ceciderunt: hic spontè consortium ejus amplectens, vicit; & in Virtutum culmine est erectus. Nunquid ergo fortior Samsone, sanctior Davide, sapientior Salomone? Si audeam dicere, salvâ pace ipsorum, utique in hoc casu.

CAP. CCXXX.

De

Vastatione terræ Sambiensis.

EOdem anno in Autumno Rex Lethovvinorum cum octo millibus equitum intravit terram Sambiensem, & omnia ædi-

ædificia, & segetes cremavit, paucos Christianos occidit & modicam prædam deduxit, quia fratres adventum suum longo tempore præsciverunt; Et cum sic pertransivisset dictam terram à fine usq; ad finem fere per XIV. dies, iter arripuit redeundi. Non tamen sine suorum gravi interitu, qui præter alios multos occisos Frater (*a*) Henricus de Dobia cum quibusdam armigeris (*b*) LXXX. Lethovvinos interfecit.

Conradus (c) *de* Feuchtwangen *hujus inclyti Ordinis Magister Decimus sedit annis VII. Vir magni meriti, qui multos habuit ex Ducibus & Barsnibus Carnales amicos. Ob hoc Ordo multas habuit ex magnatibus prærogativas. Pragæ, diem suum ultimum obiit & in Drogovvitz castro sepultus est.*

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Advocatum hunc fuisse Sambiæ, dicit Auctor Chronici antiqui Germ. *M. S. in 4.*

(*b*) Idem auctor Chron. Germ. M. S. dicit, CC. Lithvanos tum fuisse occisos.

(*c*) Synchronismum hunc non habet Dusburgius; quoniam tamen hunc Magistrum Generalem agnoscit, *ut infra ex cap. 259. apparet, ubi ejus fit mentio;* idcircò defectum supplere voluimus ex Chronico cujusdam Anonymi Latino sermone sub Friderico Magistro Prussiæ scripto.

CAP. CCXXXI.

De *Impugnatione Castri Colayne.*

ANno Domini MCCXC. in die B. Gregorii Martyris Fr. Meneko Mag. cum quingentis equitibus & duobus millibus peditum castrum Colayne acriter impugnavit. In hoc Ca-

Anno Domini MCCXC. in die Potentianæ Virginis i. e. XIV. Kalendas Junii civitas Achonensis à Soldano destructa est, captis & occisis Christianis infinitis.

NOTA.

Quod circa annum Domini Sexcen-

centesimum eo tempore, quo Machometus moriebatur Eraclius Imperator in bello procedens contra Kosdræ Regem Persarum devicit, & partem ligni Dominici, quam de templo Domini tulerat, reportavit, Ecclesias DEI & terram Sanctam, quam destruxerat reparavit.

DE STATU TERRÆ SANCTÆ.

Non longè post recessum Heraclii Imperatoris de terra S. quidam nomine Homar, Princeps Arabum, qui tertius successor fuit Regni Mahometi, terram S. ingressus hostiliter occupavit, & sic Christiani in Civitatem S. Jerusalem & in partibus adjacentibus commorantes per CCCCXC. annos perpessi sunt jugum durissimum infidelium, & crudelium Dominorum. Tandem Dominus cum diu iratus fuisset, recordatus misericordiæ suæ, videns afflictionem populi sui, cuidam pauperi & religioso homini de regno Franciæ in Ambiensi Episcopatu vitam Eremiticam agenti, qui dicebatur Petrus Eremita, inspiravit, ut sepulcrum Domini & loca terræ Sanctæ visitaret. Qui cum venisset ad S. civitatem videns loca Sancta ab impiis irreverenter tractari, virum etiam Venerabilem Simeonem Civitatis Patriarcham unâ cum subditis suis tanquam vile mancipium cum omni abjectione innumeris

Castro fuit Sarminus Capitaneus, & erant cum eo CXX. viri bellicosi, qui viriliter fratribus restiterunt; Tandem omnes Castrenses præter XII. fuerunt lethaliter vulnerati, sic quod sangvis de mœniis fluxit, sicut aqua pluviæ inundantis, & cum esset circa crepusculum, quingenti Equites fratrum qui inter terram Lethovviæ & dictum castrum erant ad custodiam deputati, fatigati ex longa exspectatione, reversi cum magno strepitu & fragore, terruerunt communem populum, qui æstimans eos esse inimicos fugit ad naves; Fratres autem, licet ad hoc sæpius niterentur, non poterant tamen ipsos aliqualiter revocare. Undè à dicta impugnatione recesserunt. Surminus autem Capitaneus non longè postea dictum Castrum desolatum reliquit. Jurans per Deorum potentiam quod nunquam impugnationem fratrum in aliquo Castro de cætero exspectaret.

ris oppressionibus affligi, sicut erat Vir Sanctus, & valde compatiens, & super afflictos pia gestans viscera, cœpit dolere vehementer, & contristari, & variis modis secum anxius cogitare, si quo modo posset afflictis subvenire. Cum autem quadam nocte in Ecclesia Dominicæ Resurrectionis in Orationibus Domino supplicans pernoctaret, longo vigiliarum labore fatigatus, supra pavimentum Ecclesiæ inciperet paululum obdormire, Dominus noster Jesus Christus apparuit ei in somnis injungens ei legationem ad Dominum Papam & ad Principes occidentales, pro liberatione terræ Sanctæ. Ipse verò divina revelatione confortatus & Zelo civitatis succensus, cum literis prædicti Patriarchæ Simeonis & aliorum fidelium Hierosolymæ commorantium primo Dn. Papam Urbanum II. petiit, à quo benignè susceptus, Italiam transcurrens, & Alpes transiens, tam Principes Orientales, quam occidentales, quam inferiorem populum solicitè admonendo, & variis exhortationibus, sicut erat vir prudens & potens in opere & sermone, multorum animos ad suscipiendum peregrinationis Hierosolymicæ laborem inclinavit, Domino cooperante, & legati sui sermonibus copiosam gratiam largiente. Non multo tempore post Dominus Papa Urbanus prædictum Petrum in Gallias secutus, convocato concilio generali, calamitates & oppressiones fidelium in terra sancta commorantium, & tam Dominicum sepulcrum quam alia sancta loca ab mundis canibus conculcata & profanata diligenter exposuit omnibus, quos Spiritus S. adultionem injuriarum crucifixi & ad terræ sanctæ liberationem incitaret in remissionem omnium peccatorum, tam Sanctam & placitam peregrinationem injungens. Semen autem Verbi Dei cecidit in terram bonam & fertilem, & fecit fructum multum, sic quod multi Episcopi, Prælati Ecclesiarum, Principes, Duces, Comites, Barones & Nobiles, & alii signo salutifero Crucis humeris suis affixo sese voto peregrinationis Domino obligarunt. Anno ergo Domini MXCVI. prædictus Petrus cum crucesignatis & multitudine copiosa Teutonicorum mare transiens Hellespontum civitatem, quæ hodie Brachium S. Georgii dicitur, urbem etiam Antiochenam & civitatem S. Jerusalem, & procedente tempore per alios peregrinos advenientes infinitas & quasi inexpugnabiles civitates & Castra ceperunt, de manibus infidelium liberantes. Sic quod in Civitate S. Jerusalem Patriarcha fuerat institutus, qui sub se habuit IV. Archiepiscopos scil. Tirensem cum quatuor suffraganeis, Cæsariensem cum uno; Nazarenum cum uno; & Petracensem cum uno suffraganeo: Ecclesiæ collegiatæ, Monasteria Regularium

larium, Cœnobia Monachorum, Oratoria Eremitarum, Claustra sanctimonialium fuerant multa nimis. Rex fuit & Jerusalem, qui sub se habuit multos Principes, Comites & Dominos; Ecce quis enumerare sufficeret mira & magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, quæ in materiam laudis suæ & in usum necessitatis nostræ creavit. Vidit DEUS cuncta quæ fecerat, & erant valde bona & nihil odit eorum, quæ fecit; Solum peccatum, quod nihil est, odit, persequitur & destruit, undè cum sex diebus solo verbo cuncta creavit annis plus quam XXXIII. ad destruendum peccatum in mundo laboravit. Hoc solum est, quod ei displicet, quod oculos majestatis ejus offendit, quod ipsum mitem & suavem nobis asperum reddit: Hoc est quod de Angelo Diabolum fecit; de amico inimicum de libero servum, de incorrupto mortalem & corruptum, de beato miserum, & de Cive exulem & ejectum, de filiis Dei filios Diaboli, hoc est quod nunquam impunitum relinquit. Unde peccatis impiorum hominum exigentibus quæ terram sive multis modis sceleribus sordidabant, & ipsum provocabant, conversus est in crudelem, qui natura bonignus est & suavis. Undefacti sunt in derisum vicinis suis, & inimici eorum subsannaverunt eos. Cithara eorum versa est in luctum, & fortitudo eorum redacta est in favillam, facta est quasi vidua Domina gentium, Princeps Provinciarum facta est sub tributo. Adeo enim concluſit Dominus in gladio populum suum, & hæreditatem suam sprevit. Adeò facti sunt inimici eorum in capite, ut & ipsi in caudam, quod non solum terram Promissionis, sed omnes ferè regiones, Civitates & munitiones ab introitu terræ Ægypti usque ad Mesopotamiam, itinere plus quam viginti dierum, inimici eorum violenter abstulerunt, præter alias multas Civitates & munitiones maritimas. Postea multi Reges & Principes cum innumera multitudine armatorum venientes terram sanctam recuperarunt, & recuperatam iterum perdiderunt, sic quod Anno Domini MCCL. incœpit sensibiliter deficere, quousque anno ejusdem Domini MCCXC. Civitas Achonensis, quæ sola supererat à paganis funditus est destructa. Causa destructionis hujus Civitatis fuit duplex. Prima diversitas Dominorum qui in defensione ipsius discordabant. Secunda, quod cruce signati, quos Dominus Papa misit in subsidium, erant sine capite & rebelles & treugas continuè infringebant.

Quærimonia desolationis terræ sanctæ.

SIc ergo tuo Sancta terra Promissionis Deo amabilis & Angelis sanctis

venerabilis & universo mundo admirabilis, adeo electa & prælecta nec te potentia sua visibiliter illustraret & in te liberationis nostræ sacramenta ministrando genus humanum redimeret posita est, desolata & mœrore consumpta. Factus est Dominus inimicus, præcipitavit omnia mœnia tua, dissipavit munitiones tuas, dissipavit quasi ortum, tentorium tuum, demolitus est tabernaculum tuum, oblivioni tradidit festivitates & sabbathum in opprobrium, in indignatione furoris Regem & Sacerdotem. Omnes persecutores tui apprehenderunt te inter angustias, plorans ergo ploraſti in nocte & lacrymæ in maxillis tuis, nec est qui consoletur te ex omnibus caris tuis.

Exhortatio terræ S. ad Christianos pro liberatione sua.

Audite, obsecro universi populi Christiani & videte dolorem desolationis meæ recordamini quid acciderit mihi, intuemini & respicite opprobrium meum, apprehendite arma & scutum & exsurgite in adjutorium mihi, effundite frameam & concludite adversus eos, qui me persequuntur, eripite me pauperem & desolatum & de peccatorum manibus liberate.

CAP. CCXXXII.

De *Morte fratris Ernekonis Comendatoris de Raganita.*

EOdem anno circa ascensionem Domini Fr. (*a*) Erneko Commendator de Raganita, ad mandatum Magistri, profectus est navigio versus Lethoviam volens aliquas novitates experiri, & erant cum eo frater Johannes de Wienna & XXV. armigeri. Hic cum transiret castrum (*b*) Colaynum prædictum, Surminus Castellanus ibidem vocatis ad se Castrensibus, tractavit cum eis, quomodo posset fratres decipere, & præpositis multis deceptionis modis, tandem omnium in hoc resedit consilium, ut unus ex eis, qui lingvam sciret Polonicam, indutus vestibus mulieribus staret ad littus Memelæ, dum transirent, & rogaret, ut eum ad navem

navem assumerent, & à captivitate infidelium liberarent; Unde quidam Lethovvinus, Nodam nomine, vir in armis strenuus, qui tamen postea conversus ad fidem Christi in ea feliciter obdormivit, assumptis sibi LX. viris ad dictum negotium peragendum, veniens ad locum aptum, ordinavit, quod ille vestitus veste muliebri sedit in littore, alii latitabant in vicino. Non longè post Commendator, peracto negotio suo, dum appropinquaret, ille miser traditor cœpit voce flebili clamare & petere, ut eum ad navem sumerent, & animam suam Christi sangvine redemptam à servitute Diaboli liberarent. Quo audito dictus frater Erneko misertus sui accessit ad littus, statim ille rapiens navem firmiter tenuit, & vocatis sociis suis irruerunt in eos, & omnes occiderunt.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Strykovvski legit Ernelio.

(*b*) Colainum prima erat Lithvaniæ arx ad Nemenum versus Prussiam. Kojalovvicz *loc. cit. pag. 193.* Nicolaus Jeroschinus castrum hoc modò Kalayn/ modò Colayn appellat. Hoc Colaynum antea à Cruciferis destructum, à Surmino est instauratum.

CAPUT CCXXXIII.

De *Occisione XXV. Lethowinorum per fratres de Raganita.*

EX hoc eventu Lethovvini magnam audaciam sumpserunt, sic quod in die nativitatis B. Joannis Baptistæ proximo sequenti de confinio castri Onkaim XXXVI. viri egredientes ausi fuerunt contra fratres de Raganita sua latrocinia exercere; qui dum appropinquarent mittentes sortem secundum ritum eorum compertum fuit, quod eis prospere succedere non deberet. Undè

statim iter redeundi sunt aggressi. Fratres verò de Raganita turbati de interitu suorum, futurum periculum præcaventes, miserant nuncios, qui vias custodirent, quorum unus cum festinatione reversus, ait: Se prædictos latrunculos vidisse. Unde frater Ludovvicus de Libencele & Fr. Marquardus de Revelinge cum duobus fratribus & XXVI. armigeris secuti, invaserunt eos in quodam campo & XXV. ex eis occiderunt.

CAP. CCXXXIV.

De

Morte ferè quingentorum Lethovvinorum.

EOdem anno & tempore (*a*) Sesbuto Lethovvinus cum quingentis viris præelectis intravit Poloniam, & præter multa mala, quæ ibidem gessit, duxit secum tam hominum quam aliarum rerum magnam prædam. Iste Sesbuto licet esset cum infidelibus, occulte tamen dilexit fratres, antequam exiret cum isto exercitu, præmunivit eos. Unde Magister fratrem Henricum (*b*) Zutsvvert XXIX. fratres cum MCC. viris misit eis in occursum, qui venientes in solitudinem inter duos fluvios scil. (*c*) Liccam & (*d*) Naram per octo dies ipsos cum magno tædio & defectu victualium exspectabant. Tandem dum revertentes essent in vicino, primus Lethovvinus in acie missâ sorte clamavit: Væ nobis male ibit negotium nostrum, quem Capitaneus increpavit, ut taceret. Ille autem non cessavit id ipsum clamare, quousque fratres cum suis de insidiis erumpentes insilirent in eos, & (*e*) CCCL. ex ipsis occiderent, alii fugerent, & in solitudine quidam præ tristitia se suspenderunt, reliqui siti & fame attriti moriebantur, sic quod pauci sine mortis periculo evaserunt.

ANI-

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Jeisbutte habet Jeroschinus, alii Jesbute.
(*b*) Zukeswerth habet Jeroschinus & Chron. M. S. Germ. antiq. in 4.
(*c*) Malè Kojalovicius legit *Eleam*. Licca enim fluvius, quem Licca oppidum auctorem sui nominis nuncupat, notissimus est, influitque in Narvam.
(*d*) Narva fluvius Masoviæ, qui se in vistulam exonerat.
(*e*) Alia Chronica habent CCCC.

CAP. CCXXXV.

De *Consolatione fratrum & Christi fidelium.*

HOc tempore antequam idem Exercitus fratrum obtentâ victoria rediret, frater Meneko Magister cum quibusdam Præceptoribus sedit sollicitus de Exercitu prædicto, quia longam moram contraxerat ultra tempore debitum redeundi, turbatusque de morte Commendatoris de Raganita & suorum, & cum sic tristes conferrent ad invicem, venit nuncius, qui dixit, quod fratres de Raganita XXV. latrunculos occidissent; Adhuc illo loquente intravit secundus, qui cum victoria redire fratum Exercitum affirmabat. Vix iste verba finierat, & supervenit tertius, qui quendam Principem, qui voluit, ut communiter referebatur, sibi Pruschiæ terram ejectis fratribus subjugare, mortuum nunciat. Gavisi sunt ergò Magister & fratres gaudio magno, & immensas gratias DEO, qui consolatur suos in omni tribulatione de tot beneficiis, referebant. Ecce quomodo justo DEI Judicio mundus, qui ante gaudebat, turbatur, & fratrum tristitia in gaudium est conversa.

CAP.

CAP. CCXXXVI.

De

Combustione Castri Colayne & desolatione territorii Junigedæ.

Anno Domini MCCXCI. circa Purificationem B. Mariæ Fr. Bartoldus Bruhane commendator de Kunnigsberg & plures fratres cum M. & quingentis viris transeuntes castrum Colaynam, & invenientes ipsum vacuum combusserunt. Quo facto procedentes territorium Junigedæ rapinâ & incendio molestabant. Ita quod præter alia damna septingenti capti sunt homines infidelinm & occisi.

CAP. CCXXXVII.

De

Ædificatione Castri Junigedæ & destructione Castri Mederabe.

EOdem anno in festo Pasce Lethovvini ædificaverunt in eodem territorio Junigedæ Castrum, vocantes ipsum eodem nomine, quod frater Bertoldus prædictus intelligens, cum mille viris de Sambia accedens, dictam ædificationem voluit impedire, sed non valuit præ multitudine infidelium resistere, & ne omnino in vanum laborassent, fratres diverterunt iter suum versus castrum Mederabam, de quo Christi fideles multa incommoda passi fuerunt, & expugnantes illud potenter, captis & occisis omnibus, ignis incendio funditus cremaverunt.

CAP. CCXXXVIII.

De

Mirabili conventione cujusdam.

Hoc

HOc tempore in castro Mergenburg fuit frater Gerhardus, qui cum adhuc esset secularis erat de familia Illustris Principis Marchionis de Brandenburg & valdè peritus in arte carpentasiorum, quantum ad Instrumenta bellica facienda, quidum talia Instrumenta, quibus & castra & civitates destructæ fuerunt, multa feciſſet, accidit quâdam nocte dum adhuc in lecto jacens vigilaret, quod clausis januis venerunt quatuor viri portantes IV. candelas ardentes, accusantes eum in multis terminibus, & dicebant, quod nisi intra certum terminum vitam suam emendaret, sine dubio filius esset mortis, & in signum evidens hujus facti posuerunt super eum vestem albam, sicut solet poni super funera mortuorum; De quo ille miro modo perterritus, venit ad terram Pruschiæ, ducens secum vestem illam, & factâ professione in Ordine domus Teutonicæ, vitam sanctam inchoans feliciter consummavit.

CAP. CCXXXIX.

De

Deprædatione territoriorum Pastoviæ & Gesoviæ.

EOdem tempore frater Meneko Magister nec dum saciatus incommodo Lethovvinorum, cum centum fratribus & magna potentia Equitum territoria (*a*) Gesoviæ & Pastoviæ hostiliter est ingressus, maximo incendio devastando, paucos homines cepit & interfecit & prædam modicam rapuit. In recessu secuti fuerunt Lethovvini & sæpius invaserunt fratres. In hac pugna (*b*) Lesbuto qui ante fuit amicus nunc hostis, irruit in fratrem Heinricum Zutsvvert & ejus dextrarium vulneravit, de quo frater Henricus commotus ipsum lanceâ perforavit.

Sed Lesbuto sentiens sibi mortis angustias imminere, non valens se vertere, sed retrò percutiens, cum gladio dicti fratris Henrici digitum amputavit.

ANIMADVERSIONES

(*a*) Gersoviæ, habet Kojalovvicz.

(*b*) Alii habent Jesbuto; alii sesbuto, quod etiam apud Dusburgium nostrum reperitur *supra cap. 234.*

CAP. CCXL.

De
Vastatione territorii Oikaim.

CIrca festum B.B. Petri & Pauli Apostolorum ejusdem anni, frater Henricus Zutsvverts prædictus, Commendator de Balga, cum XX. fratribus & mille quingentis viris equitavit versus Castrum Sumgedum, & ordinatis insidiis, fratres de Raganita cum suis armigeris erecto vexillo processerunt ad dictum Castrum, in quo tunc multi hospites fuerunt, qui ex hoc multum indignati, armatâ manu ipsos hostiliter sequebantur; sed fratres magnam stragam fecissent in eis si minus maturè suas insidias non rupissent. Quo facto fratres cum suo Exercitu recedentes in quodam loco per tempus aliquod quieverunt, & post multos tractatus habitos, placuit omnibus, quod utique manu vacuâ non redirent. Undè intrantes territorium castri (*a*) Onkaim, devastarunt illud incendio & rapinâ captis ergo & occisis pluribus hominibus cum magno spolio redierunt, sed quia equites hujus territorii pridie iverunt ad clamorem, quem fratres circa Castrum Junigedam excitaverant, solum pedites sequebantur eos, occupantes viam in quadam sylva, quam fratres celeriter pertranseuntes in quadam campi planitie ipsos invadentes XII. occiderunt, alii in fugam conversi non audebant postea comparere.

ANI-

ANIMADVERSIO.

(*a*) Onkam, legit Stryikowski, Schuzius & Jeroſchinus. In Durburgio modò legitur Oukajin modò Oykain.

CAP. CCXLI.

De

Deprædatione terræ Poloniæ.

LUtuvverus Rex Lethoviæ etiam hoc anno filium ſuum (*a*) Vithenum cum maximo Exercitu miſit verſus Poloniam ad terram Briſtenſem & poſt multa damna ibidem facta in occiſione & captione hominum incendio & rapinâ, Caſemirus & (*b*) Lochoto Duces Poloniæ anxii de ſalute ſuorum, ſupplicaverunt fratri Menekoni Magiſtro Pruſchiæ, pro ſubſidio; qui cum magno exercitu veniens, dum dictos infideles inciperet impugnare, præfati Duces, cum omnibus ſuis terga verterunt; quo viſo fratres perterriti, non habentes potentiam reſiſtendi tantæ multitudini, receſſerunt etiam, ſed non ſine magno periculo ſuorum, quia multi fratres & alii Chriſti fideles fuerunt graviter vulnerati, antequam honeſtè poſſent à dicto certamine declinare.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Vitènes hic, ut referunt Hiſtorici Lithvanici, non fuit Regis aut M. Ducis Lithv. filius; Sed natus eſt Erogailæ quod eſt Samogitiæ oppidum, ex Parentibus ad Cæſarinum Columnam genus ſuum referentibus. Ob egregiam verò Indolem in Troidemi M. Ducis Lithvaniæ familiam puer aſſumptus, adoleſcens munere cubiculi præfecti, Vir denique dignitate Marſchalci ornatus eſt. Donec tandem Lauro (Troidemi filio Monaſticam vitam agente) auctore, Magnus Dux creatus eſt. De Putivero nihil norunt Scriptores Lithvanici. *Vid.* Matth. Strykovvski Oſſoſtevicius *lib. IX. Hiſtor. Lithvan. cap. IV. pag. 365.* Albert. Wijuk Kojalovvicz *part. I. Hiſt. Lithv. lib. V. fin. & lib. VI. in pr.* Ego tamen puto Petro Dusburgio,

gio, ut scriptori συγχρόνῳ, fidem esse habendam potius, quam scriptoribus illis Lithvanicis recentioribus. Consentiunt cum Dusburgio Nicolaus Jeroschinus *fol. 157. fac. 2.* Auctor Chronici antiqui Idiomate Germanico circa Annum 1430. scripti. Stryovvius etiam ipse in sua Dusburgii versione legit Utinverus.

(*b*) Chronicon Germ. antiqvum habet Loket. Exemplar Elbingense habet Lechoto. Est autem Uladislaus Lokietko sive Locticus Rex Poloniæ. *Vid. animadverss. ad cap. 350.*

CAPUT CCXLII.

De
Mirabili liberatione fratrum in quodam exercitu.

ANno Domini 1292. Magister solicitus circa injunctum sibi officium, & infidelium destructionem, congregato magno Exercitu fratrum & armatorum, venit ad terminos Lethovinorum. Ubi quidam Pruthenus accessit ad fratrem Henricum (*a*) Zutsvvert, dicens: Traditus tu es, & fratres tui, si intraveritis terram Lethovvinorum, ipsi congregati expectant vos, nec aliquis ex vobis poterit evadere mortem. Si reversi fueritis, vestri in reditu vos occident. Respondit frater Henricus si hæc ita se habent consule nobis quod tutius sit agendum. Cui ille: Redite ad partes vestras armati, si fortè defensionem vestram timeant & à conceptâ malitia resipiscant. Hoc facto frater Heinricus Magistro hæc omnia revelavit, qui de consilio fratrum misit exploratores ad terram Lethoviæ, qui reversi invenerunt præmissa omnia vera esse. Undè Magister jussit præconizari, ut omnes in reditu armati incederent, & misit occultè & successivè pro his, qui auctores hujus traditionis fuerant principales, & commisit singulos fratribus, qui ipsos, ne evaderent, custodi-

rent.

rent. Sed dum videret communis populus, quod principales hujus sceleris essent continuè cum fratribus in comitium, mensa, & aliis solatiis, timuit valdè, & suam malitiam detectam nihil mali audebat in fratres ulterius machinari, sicque fratres salvi DEI gratia sunt reversi. Ecce quomodo angustiæ fratribus erant undique, sed Deus quo in se sperantes non derelinquit, ipsos de hujusmodi tribulationibus misericorditer liberavit.

ANIMADVERSIO.

(a) Eodem modo legit Strykovius: alii autem veteres Zukeswert.

CAP. CCXLIII.

De *Vastatione terræ Poloniæ, & nece, & captivitate multorum millium Christianorum.*

EOdem anno Vithenus Filius Regis Lethoviæ cum octingentis viris intravit terram Poloniæ, & in die Pentecostes, dum in Ecclesia (a) Linikensi Canonici & ministri altaris & alii Clerici cum solemni ornatu essent in Processione, irruit hostiliter in eos, & in Ecclesia CCCC. homines Christianos trucidavit, Clericos & Prælatos, quos voluit, captivos secum duxit, omnem ornatum, calices & vasa Ecclesiæ ad illicitum usum pertrahebat, in contemptum DEI. Ecclesiam cum sacramentis redegit in favillam, depopulatâque terrâ circum adjacente factâque maximâ strage in populo DEI, tantam multitudinem deduxit captivam, quod cuique Lethovvino in divisione cesserunt XX. homines Christiani. Quo facto dum recederent, Casimirus Dux Poloniæ dolens de suorum interitu, cum mille & octingentis viris sequtus est eos: quod dum perciperet Bonislaus Dux Ma-

soviæ nescio quo ductus Spiritu treugas inter Christianos & infideles ad certum terminum ordinavit, infra quos dum Poloni nihil timentes officiis vacarent, Lethovvini rupto Treugarum fœdere, irruerunt in eos, & Casemirum Ducem & totum Populum peremerunt, præter unum militem, qui evasit solus, ut hæc aliis nunciaret.

ANIMADVERSIONES

(*a*) Lancitiensi legit Exemp. Elbingense. Lancitia verò est oppidum majoris Poloniæ.

(*b*) *Treuga* est vox barbara, & significat illorum temporum scriptoribus idem, quod pax seu induciæ à Germanico Treve. Vid. Vossius *lib. 1. de Vitiis Serm. Lat. Cap. 1. pag. 4. & lib. 2. cap. 18. pag. 313.*

CAP. CCXLIV.

De

Mirabili evasione Christi fidelium de manibus infidelium.

HOc anno circa festum B. Jacobi Apostoli frater Conradus Stango Commendator de Raganita cum paucis fratribus & armigeris ivit versus castrum Junigedam, præmittens nuncium, ut investigaret statum Castrensium; qui cum festinatione reversus ait, totum Campum & Castrum cum suburbio pugnatorum potentiâ plenum esse. Hoc audito, fratres & alii consternati mente dixerunt; ergò evadere ipsos non possumus, quid ergo faciemus? Respondit Commendator, confortans eos verbis Judæ Machabæi, dixit: Facile est concludere multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu DEI cœli liberare in multis aut in paucis; quia non in multitudine exercitus victoria, sed de cœlo fortitudo est. Pertranseamus ergo eos viriliter & Dominus liberabit nos; quod consilium placuit omnibus.

bus. Unde signantes se signo sanctæ Crucis, transeuntes dictum Exercitum Lethovvinorum plures interfecerunt, aliquos lethaliter vulnerarunt, cæteris in fugam conversis, cum suis sani & incolumes redierunt. Ecce quomodo unus persequebatur mille & duo fugabant X. Millia. Nonne ideo, quia Deus suos vendidit, & Dominus concluſit eos, utique tu es ergô DEUS, qui facis mirabilia magna solus Jesu Christi, qui es benedictus in secula seculorum Amen.

CAP. CCXLV
De
Exustione præurbiorum Castri Junigedo.

ANno Domini MCCXCIII. tempore hyemali, Magister nec sibi nec suis parcens, nec laboribus, nec expensis; Sed semper intentus ad exaltationem fidei & fidelium, congregatâ omni potentiâ exercitus sui, venit ad Castrum Junigedam, & hostiliter impugnavit, occisis pluribus duo suburbia dicti Castri (a) unum in monte aliud in valle redegit in favillam.

ANIMADVERSIO.

(a) Aliud illud fuit suburbium Castri Vista. Kojal. *l. c. p. 203.*

CAP. CCXLVI.
De
Impugnatione Castri Scalowitarum.

DE hoc exercitu fugit occulte quidam armiger de Raganita, natus de terra Barthensi, filius perditionis, qui veniens ad Regem Lethovvinorum obligavit se sub pœna capitis sui tradere

re ipsi Castrum Scalovvitarum. Cujus verbis Rex aurem credulam adhibens, dedit ei exercitum eadem hyeme. Qui venientes propè dictum Castrum, fratrem Ludevvicum dictum Osse interfecerunt, deinde cum occultè venirent usque ad portam, frater Conradus & frater Albertus de (a) Indagine cum suis armigeris licet paucis, audientes strepitum exercitus, oppositerunt se viriliter, & habito longo altercationis bello, tandem vix Castrum ab impugnatione Infidelium defenderunt; non tamen sine læsione plurium utriusque partis. Lethovvini autem videntes quod amplius agere non possent, cumbusto præurbio recesserunt.

ANIMADVERSIO.

(a) Von Hagen/ ut notat Ampliss. Dn. Zamelius.

CAP. CCXLVII.

De

Præurbiorum combustione Castrorum Inpigodæ & Pistæ.

EOdem anno in die B. Jacobi Apostoli frater Meneko Magister nec labore victus, nec morte vincendus, qui nec mortem timuit, nec vivere recusavit, congregatâ magnâ potentiâ Equitum, ambo Castra Lethovvinorum, scilicet Junigedam & Pistam fortiter impugnavit, & occisis & vulneratis aliquibus utriusque partis, cum amplius agere non posset, suburbia utriusque Castri funditus concremavit.

CAP. CCXLVIII.

De

Vastatione territoriorum Pastoviæ & Gesoviæ.

Anno

Anno Domini MCCXCIV. tempore hyemali Magiſter de ſalute fidelium ſollicitus, cum potentia exercitus ſui volens invadere territorium (a) Erogel, diſvaſum fuit ei. Unde diviſit exercitum in duas partes, ſic quod fratres de Raganita cum Sambitis intraverunt territorium Paſtoviæ, alia pars proceſſit contra territorium Geſoviæ, utrumque moleſtantes graviter per incendium, ſic quod occiſis & captis C. hominibus, cum præda maxima ſunt reverſi.

ANIMADVERSIO.

(a) Addit Jeroſchinus, Cœleſtinum Papam, cum vix annum ſediſſet, Pontificatu ceſſiſſe, & monaſterio, in quo antea vixerat, ſe incluſisſe. *fol. 176. Conf. quæ ad Caput CCLIX. notavimus.*

CAP. CCXLIX.

De

Eventu mirabili in hoc bello.

NOtandum quod quando movetur bellum, exercitus dividitur in diverſas vias, ut poſſit ordinatè & ſine preſſura procedere; tamen ſæpè contigit ex vario eventu, quod prætermiſsâ debitâ ordinatione conveniunt in glacie centum equites, vel CC. vel mille, ad unum locum. Qualiter autem glacies tam grave onus poſſit ſuſtinere ſine fractura, neſcio, DEUS ſcit. Undè in multis bellis hyemalibus & maxime in iſto, de quo jam dictum eſt, poſſet mira res & admiratione digna conſiderari, ſi quis vellet diligentius intueri. Quia exercitus iſte in fine hyemis, quando glacies ſolis calore ſuperveniente ſupra, & aquæ fluxu infra conſumitur, in media nocte armatus tranſivit glaciem Memelæ, & dum tranſiiſſet ſine omni periculo, diſſoluta fuit & confracta, ſic quod manè facto non apparebant veſtigia glaciei. Quis hæc facere poterat, niſi ille ſolus, qui imperavit mari, ut

tanquam murus staret à dextris & à sinistris, & sicco pede Israeliticus populus pertransiret.

CAP. CCL.

De

Deprædatione Castrensium de Pista.

HOc & tempore frater Th. de Esbeth, frater Otto de Bergo, & frater Otto de Zedelice cum CCC. viris missis ad custodiam Castri Raganitæ, assumptis sibi fratribus & armigeris ibidem profecti sunt ante Castrum Pistam, & totum gregem pecorum receperunt occisis multis infidelibus, LXX. homines captos deduxerunt.

CAP. CCLI.

De

Subversione Castri Ducis Masoviæ, quod dicitur VVisna.

EOdem anno Bonislaus Dux Masoviæ DEI timore postposito in contemptum DEI & fidelium Christi præjudicium non modicum & gravamen, hostes fidei Lethovvinos in Castro suo Wisna sæpius hospitavit, admittens, quod terram Pruschiæ & Poloniæ deprædarent. Nec de hoc desistere voluit, licet pluries salubriter moneretur. Unde frater Meneko Magister animadvertens, quod error, cui non resistitur, approbatur, & quod non caret occultæ societatis scrupulo, qui manifesto facinori desinit obviare, congregata multitudine pugnatorum, dictum Castrum expugnans, funditus extirpavit.

CAP.

CAP. CCLII.

De
Fratre Ludovico de Libencele, & bello ipsius contra Lethovvinos.

EOdem tempore frater Ludovvicus de Libencele fuit Commendator de Raganita, qui cum suis fratribus & armigeris multa bella glorioſe geſſit contra Lethovvinos. Navale bellum multiplex habuit, unum verſus (*a*) Anſtechiam terram Regis Lethovviæ, in quâ villam dictam (*b*) Romene, quæ ſecundum ritus eorum (*c*) ſacra fuit, combuſſit, captis omnibus & occiſis. Ubi frater Conradus dictus Tuſchevelt occiſus fuit. Alia bella habuit contra territorium Samechiæ dictum Graudam, ubi poſitis inſidiis, & paucis deprædantibus, ipſum omnes equites ſequentes, præter ſex, interfecit. Et in hoc bello hi de (*d*) Pograuda adeo debilitati fuerunt, quod multis annis non poterant in equitibus reſumere vires primas. Idem proceſſit contra territorium dictum Wayken, ubi & per inſidias multos nobiles interfecit. Non poſſet ad plenum ſcribi, quanta bella geſſerit contra eos. Sed ut breviter concludam, adeò infeſtus fuit eis, quod infra ſex annos, quibus dicto Caſtro præfuit, coëgit omnes Lethovvinos, qui ſupra littus Memelæ habitabant, à fluvio Nave, usque ad terram (*e*) Lamotinam, ut pacem cum Chriſtianis haberent ſub his pactis, ut certum cenſum annis ſingulis darent ei. Ecce mira res, quantacunque mala fecit eis, tum diligebant eum in tantum, ut etiam nobiles per quos Samechia tunc regebatur, populum communem contra Regem Lethovvinorum provocarent, ſic quod pluribus viribus convenerunt contra Regem ad bellum, ubi aliquando in uno conflictu centum, vel CC. vel plures ex utraque parte caderent interfecti. Nec

unquam temporibus suis Rex Lethoviæ cum Samechis poterat concordare, ut simul in bello procederent contra fratres.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Stanislaus Sarnitius Anstechiam fuisse dicit Curlandiæ Provinciam maritimam *lib. VI. Annal. Polon. f. 286. & 293. seq.* Sed Matthias Strykovvski Ossostevicius eam collocat in Samogitia, ad Dubissæ amnis ostia, ubi in Memelam se exonerat. *lib. III. Hist. Lithuan. pag. 74.* & ex eo Kojalovvicz *part. I. Hist. Lithv. lib. 2. p. 31. seq.*

(*b*) ROMOVE, legunt StriyKovvski & Kojalovvicz. Jeroschinus habet Romayn. Aliam verò hanc urbem fuisse à Romanova Prussiæ patet ex Dusburgii *part. III. Cap. V.*

(*c*) Auctor Chron. antiqui Germ. Idiom. scripti in 4. addit non urbem tantum fuisse sacram, sed & ipsos incolas.

(*d*) Vaykam & Pagraudam territoria Samogitiæ fuisse, scribit ex Strykovio, Kojalovvicz *part. I. Hist. Lithv. lib. VI. p. 206.*

(*e*) Striykovvskii habet à Narva usque ad Memelam. Auctor Chronici Germanici Antiqui in 4. prorsus hæc verba omisit, licet cætera ferè ad verbum hoc loco ex Dusburgio in Chronicon suum transtulerit. Jeroschinus verò eodem modo legit ut Dusburgius noster: Von dem Vliesse Nerge bis an das Ländil Lamotin.

CAP. CCLIII.

De *Morte fratris Th. de Esbeth & trium fratrum & plurium Christianorum & infidelium.*

ANno Domini MCCXCV. feria VI. ante diem Pentecostes V. fratres & centum quinquaginta viri de Sambia & Nattangia equitarunt versus Castrum Gartham, & dum appropinquarent, placuit eis, ut remissis equis Navigio Memelam descenderent, ubi in littore quâdam villâ Lethovvinorum, occisis

&

& captis pluribus hominibus, deprædatâ, iterum proceſſerunt. Sed infideles hoc videntes, armatâ manu occurrerunt eis, & inito navali bello Fr. Th. de (*a*) Esbek & quidam frater dictus de Veringe mortui ceciderunt. De Lethovvinis autem LXX. viri in armis ſtrenui ſunt occiſi. Hoc facto fratres iterum proceſſerunt usque circa caſtrum Junigedam, ubi dum naves propter defectum aquarum ſtantes, in arena procedere non valerent, infideles ſupervenientes, fratrem (*b*) Hennemannum dictum (*c*) kint, & fratrem dictum Liſt, & XXV. viros interfecerunt. Alii cooperante Domino evaſerunt. Iſte frater Theod. de Esbech mortem ſuam prædixit fratri Conrado Rufo, qui ei voluit dextrarium ſuum accommodare, dum recederet, dicens: ſufficit mihi in equo meo, quia vivum me à modo non videbis.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Esbeth habet codex Regiomontanus. Striykovvski legit modò Esbeth, modo Esbech. Codex vero Elbingenſis & Jeroſchinus habent Esbeck.
(*b*) Striykovvski habet Hevvenar. Elbingenſis codex Herman.
(*c*) Codex Elbingenſis habet Knit.

CAPUT CCLIV.

De *Perditione equorum fratrum de Raganita, & exuſtione præurbiorum dicti Caſtri Scalovvitarum.*

EOdem Anno Dominicâ ante Nativitatem Johannis Baptiſtæ, Lethovvini occultè & improviſè venientes ad Inſulam, ſub Caſtro Raganita ſitam, omnes equos fratrum & pecora recepe-

runt; Et post in autumno proximo utriusque Castri, scil. Raganitæ & Scalovvitarum suburbia destruxerunt.

CAP. CCLV.

De
Apostasia Quinta & vindicta ejus.

HOc anno Bolislaus Dux Masoviæ, de quo dictum est, dolens de subversione Castri sui Wisne, assumpto sibi Lethovinorum adjutorio, reædificavit illud, quod cum perciperet Magister, turbatus ultra modum. Timuit enim sibi & suis fidei & fidelibus iterum nova pericula suboriri; Demandavit omnibus sibi subjectis, à Majore usque ad minimum ut ad bellum se præpararent, si quomodo posset ædificationem impedire. Sed antequam fratrum exercitus conveniret & dispersus est in diversis locis; Nattangi, Diabolico spiritu instigante, consvetam malitiam innovantes, in opprobrium Jesu Christi apostasiæ vitium iterum commiserunt, quendam dictum Sabine in Ducem Exercitus eligentes. Principales & Capitanei hujus sceleris fuerunt Gauvvina, Stanto, Trinta, Missino, & plures alii, quorum memoria transeat in oblivionem perpetuam, qui ad perpetrandam hujusmodi malitiam sic se ordinaverunt, quod Stanto prædictus cum quibusdam suis complicibus, occultè & fraudulenter intravit Castrum Bartenstein, & fratrem Rudolphum dictum Bodemer, & fratrem Fridericum de Libencele cum eorum familiâ captivavit. Sed Missino cum viris de territorio Sclunien equos fratrum de Kunnigsberg deprædavit. Cæteri discurrentes per terram, viros Teutonicos occidentes, mulieres & parvulos eorum ceperunt. Ecclesiis, & Ecclesiæ Sacramentis & ministris magnam verecundiam facientes. Sed Deus, qui in

se

se credentes populos nullis finit concuti terroribus, sed sua pietate concessâ pace, Christianorum fines ab omni hoste facit securos, quorundam in hac apostasia corda divinitus illustravit, qui omnia secreta hujus malitiæ detexerunt. Quo facto Commendator de Kunnigsberg cum Exercitu rediit festinus de territorio Wohensdorff, volens rebellionem Nattangiæ castigare. Quod cum perciperent viri de territorio Sclumen, pœnitentiâ ducti, retulerunt equos fratrum de Kunnigsberg, obligantes se, quod vellent fratribus & fidei fideliter adhærere : Alii captivos reddiderunt, & sic terra Nattangiæ in pace quievit. Sed dum Commendator de Kunnigsberg cum suo Exercitu rediret, ut dictum est, Sambitæ & maximè Russici conspirationem fecerunt, ut omnes suos nobiles occiderent, & postea fratres & Christi fideles invaderent manu forti, eligentes sibi quendam Juvenem dictum Naudiecam, filium Joducæ, in Ducem belli, qui illa vice non audens contradicere invitus consensit. Sed post dies XIV. in præsentia Magistri & fratrum in Castro Kunnigsberg omnia secreta hujus Apostasiæ & principales auctores nominatim detexit. Undè Magister & alii attendentes, quod impunitas scelerum intentionem auget delinquendi, omnes illos, qui hujus detestabilis criminis reos invenit, fecit justo DEI Judicio diversis suppliciis trucidari, & sic iterum pax reddita est Christianis.

CAP. CCLVI.

De

Quodam fratre.

HOc tempore quidam frater in Castro (*a*) Welsais in infirmitate agonizans reclinatus in sinum fratris Theodorici Sacerdotis, jacens, raptus fuit per longum tempus, & vidit mirabilia

bilia multa. Tandem reversus ad se ait: (*b*) Domine Th. prædicite mihi: Jesu Christe fili DEI, quo facto diem & horam mortis suæ veraciter prædixit.

ANIMADVERSIONES

(*a*) Welsatz habet Jeroschinus.

(*b*) Verba sic redidit Jeroschinus: O lieber Herre Dittrich/ sprecht mier vor/ das ist nein Ule/ den Versche: Jesu Christe/ den man zu der Primen Zit/ täglich singen pflit *fol. 105. b.* Postponit verò Jeroschinus hoc caput proximè sequenti.

CAP. CCLVII.

De

Adventu fratris Conradi Magistri Generalis.

EO tempore, quo adhuc apostasia Pruthenorum nec dum haberet finem, frater Conradus de (*a*) Wugswangen Magister Generalis domus Teutonicæ, venit ad terram Pruschiæ, vidensque ipsam innumeris oppressam tribulationibus, fratres verbis & exhortationibus Salutiferis confortans per dona magnifica consolatur. (*b*)

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Auctor Chronici Lat. sub Frid. Mag. habet Wuchtwangen: recentiores verò Feuchtwangen.

(*b*) Addit hic Jeroschinus, Magistrum in Bohemiam secessisse, ibique mortuum esse in Dragovvicz. Verba ipsius sunt sequentia:

Und schitt darnach herabe/ Von Preussen hin gen Prage/
Do auch des Erdes Blage/ Vorschritt sie olden Dage
Und jen sonder Klage/ Ein ander besser Leben gab
Daß erhatt aldir ohne Stab/ iwernde strecke sonder Lab/
Zu Dragowitz da is sin Grab.

CAP.

CAP. CCLVIII.
De
Destructione Castri Kymel.

NOn longè post frater Ludovvicus de Liebencele cum quibusdam fratribus & CC. Viris ivit ad impugnandum quoddam Castrum, sed dux Exercitus errans in via pertransiit,& dum in reditu ad rectam viam rediret, intrantes ipsum, neminem in eo invenerunt, quia populi,qui in eo habitabant, videntes fratrum Exercitum,secesserunt ad sylvas,non volentes nec valentes ipsorum impugnationes sustinere. Combusto ergo Castro, fratres turbatè recesserunt; Sed Deus nolens omnino frustrari labores eorum, imo ferventi ipsorum desiderio complacere, ordinavit quod non longè viderent Castrum firmum dictum Kymel, pro cujus destructione fratres & sumptus & labores per se & per suos sæpius iterabant, licet non proficerent. Qui intrantes viriliter, occisis habitatoribus,ipsum appositio igne funditus cremaverunt.

CAP. CCLIX.
De
Vastatione territorii & præurbii Castri Garthe.

ANno Domini MCCXCVI. tempore hyemali, frater Siffridus de Reiberg Commendator de Balga cum multis fratribus & equitibus de Nattangia profectus est versus Lethoviam, & cum veniſſet circa Castrum Garthen,invenit ve-

Anno Domini MCCXCVI. Bonifacius Papa (b) *canonizavit Ludovicum Regem Francia.*

stigia hominum recentia, quos sequens frater Walthenus dictus (a) Goloni cum paucis armigeris omnes occidit, præter unum, qui fugiens venit ad fratrem Henricum de Wedere, & ipsum graviter vulneravit, non tamen sine defensione; qui frater Henricus ipsum lethaliter plagavit. Accepto ergo equo fratris Henrici idem Ruthenus recessit: sed frater Waltherus sequens cruoris, qui de vulneribus ejus manavit, vestigia, invenit eum & occidit. Sequenti die fratres transierunt glaciem Memelæ & intraverunt territorium & præurbium dicti Castri Garthe, incendio vexarunt & rapinâ, & post occisos captivos CC. homines deduxerunt.

ANIMADVERSIONES.

(a) Infra cap. 268. appellatur Goldoni.

(b) Addit Jeroschinus, ipsum hoc fecisse anno Pontificatus sui secundo. Addit & sequentia:

Zu diesem Bonifacio — Sprach zu einer Zeit also;
Der Vielreine Celestin, — Der sin Vorfahr war gesin.
An dem Ampte vor der Frist/ — Sam ein Fuchs bistu mit List.
Kamen in den Ehrenpriß — Un Herschst woll in Loewen wis
Hernach du vertreibest/ — Un als ein Hund erstirbest
Das auch sich allß ebbene — Erfand an seinem Lebene.

Deindè de Cælestino Decessore hujus addit:

Do dirre selbe gutte Mann — Daß Babistum hatt uffgetahn/
Da quam ein Wib vor ihn gegan — Und begand Ihm ruffen an/
Daß Er Ihr gebe seinen Segen — Und do Er hatte daß gepflin
Ein Kind Sie uf dem Arme trug/ — Daß der Naturen ungefug
Krumme Geschuff an der Geburth. — Daß ward bey deme Segne durt
Den Er dahin Strich mit der Hand — Wol gesund alda zu der Hant.

CAP. CCLX.

Idem de eodem.

Eodem

EOdem anno & tempore quo Reges solent procedere ad bella, Rex Withenus cum multitudine copiosa Lethovvinorum pugnaturus contra fratres, intravit terram Livoniæ. Unde frater Bertholdus Commendator de Kunnigsberg, qui hujusmodi eventum à multo retracto tempore summo desiderio optavit, scil. cum ipse Rex terram suam sic exiret; fratrum Exercitus subintraret, congregato magno Exercitu Capitaneum fecit fratrem Henricum Zursvvert Commendatorem de Balga, ut cum dicto Exercitu procederet versus Lethoviam, dicti Regis terram vastaturus, qui cum venisset jam non longe à terra Regis, nescio quo ductus Spiritu retrocessit, impugnansque Castrum Gartham tantam Castrensium per crebra jacula invenit resistentiam, quod, multis de Christianis graviter vulneratis, infecto negotio est reversus.

CAP. CCLXI.

De

Deprædatione quinque villarum.

POsthæc intravit Exercitus Lethovvinorum terram Colmensem, & circa castrum (*a*) Golubam, quinque villas despoliavit, captis & occisis ibi pluribus Christianis.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Infra, castrum Golubense à Conrado Sacco sexto decimo Magistro Provinciali conditum esse refert. *Vide quæ notavimus ad cap. 272.* Conf. Henneb. *in Comment. pag. 142.*

CAP. CCLXII.

De

Discordia Civium de Riga, contra Fratres Domus Teutonicæ & Livoniæ.

ANno Domini MCCXVII. orta est immortalis discordia inter Cives (a) Rigienses ex una parte, & fratres Domus Teutonicæ ex altera, quæ tantum invaluit quod infrà annum & dimidium fratres necessitate inevitabili cogente novem vicibus cùm ipsis conflixerunt. Et quamvis in uno conflictu succumberent; in aliis tamen sunt divinæ Virtutis auxilio prosperati. Anno Domini MCCXCVIII. Vithenus Rex Lethovvinorum ad vocationem civium Rigensium, Castrum in Carthusen captis IV. fratribus & eorum familia expugnavit & finibus dicti Castri per incendia & rapinas devastatis, dum ad terram suam redire disponeret, frater Bruno Magister terræ Livoniæ cum Exercitu modico sequens ipsum, Calend. Junii in littore maris juxta fluvium Treyderam invasit, & liberatis de manibus hostium ferè tribus millibus Christianorum & occisis de parte infidelium (b) octingentis, Rex tandem prævaluit & magistrum cum XXII. fratribus & M. D. Christi fidelibus interfecit. Eodem anno frater Godofridus Hohenloh Magister Generalis Domus Teutonicæ fuit in terra Pruschiæ, qui fratrem Bertholdum Bruhane Commendatorem de Kunnigsberg cum multis fratribus & armigeris misit ad terram Livoniæ, fratribus ibidem in auxilium. Hi cum Exercitu fratrum de Livonia convenientes in die B. B. Petri & Pauli Apostolorum, de civibus Rigensibus & Lethovvinis qui erant in obsidione Castri Molendini novi ultra IV. millia occiderunt. In hoc conflictu quidam Pruthenus de Sambia, sicut legitur in libro Regum de Achai, stetit & percussit inimicos, quousque deficerent manus ejus, & obrigesceret gladius in mani-

Anno Domini (a) *MCCXCVII. Frater GODOFRIDUS de HOHELOCH electus fuit in Magistrum Generalem Ordinis Domus Teutonicæ & præfuit XIII. annis. Nec tamen inter alios Magistros computatur, quia in XIII. anno* (b) *resignavit officium suum & iterum temerariè resumpsit.*

manibus ejus. Et ut breviter concludam, nullus posset plene scribere, quanta mala de hac dissensione fidei & fidelibus sunt exorta.

ANIMADVERSIONES
Ad Cap. CCLXII.

(*a*) Bertoldus Cisternensis Ordinis Abbas ab Hartvvico Archiepiscopo Bremensi consecratus, anno 1196. Meinhardo Episcopo Livoniæ primo successit, initiumque urbis Rigensis condendæ fecit; Albertus verò Episcopus Livoniæ tertius, urbem, jam condi cœptam, mœnibus cinxit. *Vid.* Matth. Zeilerus *in descript. Sveciæ. p. 288.* Sed Albertus Abbas Stadensis antiqvus Scriptor, nullâ Bertholdi factâ mentione, hæc solum habet ad annum 1205. *Albertus Livonensis Episcopus Civitatem Rigam ædificat.* Posthæc cum Rigensis urbs ejus Regiones prima & præcipua facta esset populo Commerciisque frequens, Cruciferi variis artibus libertatem ejus labefactare, urbemque potestati suæ subjicere tentabant. Obstitit eorum conatibus Joannes Quirinus Archiepiscopus Rigensis. Sed cum hunc Cruciferi in vincula conjecissent, Rigenses opem auxiliumque Vithenis Magni Ducis Lithv. implorarunt. *Vid.* Matth. Striykovski Ossostevicius *Lib. X. Hist. Lith. cap. 3. p. 734.* Alb. Wijuk. Kojalov. *Part. I. Hist. Lith. Lib. VI. pag. 213 seq.*

(*b*) Consentit cum Dusburgio Jeroschinus. Alia tamen Chronica antiq. habent M. & Octingentis.

(*c*) Jeroschinus tantum habet quingentos.

ANIMADVERSIONES
Ad Vitam Gottofredi.

(*a*) Chron. M. S. Germ. antiq. electionem hujus Magistri refert ad an. MCCXC. Ast Jeroschinus eadem habet quæ Dusburgius.

(*b*) Auctor Chronici Latinè sub Frid. Mag. scripti, dicit, hunc Magistrum Elbingæ Magistratu sponte suâ abiisse, postea, cum ipsum facti pœniteret, venetias petiisse, ut Magistratum vi obtineret; in itinere autem mortuum esse. *vid. Caput 278.* Simon Grunovius Gottfridum de Hohenloh Magistrum Generalem illum ipsum esse putat, qui antea sub nomine Heinrici de Hohenloh Ordini

Teuton. Mag. Generalis præfuit post obitum Hermanni à Salza; refertque hanc ejus secundam Electionem ad an. 1292. die S. Andreæ Apostoli. Dicit autem nomen Henrici ipsum accepisse, cum Sacro baptismate tingeretur: Nomen vero Gothofredi in susceptione Ordinis suum fuisse *Vid.* Grun. *tractat. 10. C. 2.* Verum hæc vix probari poterunt. Ut enim tactam, usitatum hoc non fuisse, ut illi, qui Ordinis Regulæ se subjicerent, nomina sua mutarent: certe tantum est temporum inter Henricum illum & hunc Gothofredum intervallum, ut unus idemque Magister esse non queat. Statuit enim Grunovius Henricum de Hohenloch an 1221. Hermanno de Salza esse suffectum, quo tempore minimum 30. annos natum esse oportuit. Deindè anno 1292. esse electum. Posthæc An. 1295. Capitulum habuisse Elbingæ. Indè se Magistratu abdicasse, itemque eundem resumsisse.

CAP. CCLXIII.

De *Destructione oppidi Strasberg.*

Anno Dn. MCCXCVIII. Albertus Dux Austriæ Adolphum Regem Romanorum occidit in bello & successit ei in regno.

HOc anno scil. Domini M. CCXCVIII. de Lethovia (*a*) CXL. viri tam improvisè irruerunt in die B. Michaelis in oppidum (*b*) Strasberg, quod totum populum & unum Sacerdotem occiderunt, mulieribus & parvulis captis & præter verecundiam, quam aliis Sacramentis fecerunt, unus purgando alvum baptisterium defœdavit; Quos frater Conradus Saccus Provincialis terræ Colmensis cum multis fratribus & armigeris secutus usque ad interiora deserti, comprehendit, & liberatis Christianis captis, omnes interfecit, sic quod unus non evasit qui talem eventum posset posteris nunciare.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) CC habet Chron. Ger. Antiq. in 4.

(*b*)

(b) Strasburgum, Polonicè Brodnica dictum, conditum esse dicitur. Anno 1285. Henneb. *in Comment. p. 438.*

CAP. CCLXIV.

De

Suburbiorum combustione Castri Junigedæ & Pistæ.

EO tempore, quo Exercitus fratrum de Pruschia adhuc esset in partibus Livoniæ, frater Cuno Commendator de Brandenburg cum magno Exercitu aggressus Castra Junigedam & Pistam, eorum suburbia igne funditus destruxit, & cum recederet, supervenit quidam frater de Raganita navigio cum quibusdam armigeris, qui exiens ad pugnam contra Castrenses coëgit totum Exercitum fratrum redire ad prælium initum, quo certamine unus Lethovinus virilis homo occisus est, & plures utriusque partis graviter vulnerati.

An. Dn. MCCXCIX. Bonifacius Papa VIII. & Albertus Rex Romanorum regnant.

Anno Domini MCCC. Tartari exeuntes à seditibus suis invaserunt Saracenos, & primo in Cappadocia, deinde in partibus Seleuciæ sive Antiochiæ. Inde in Armenia majori & minori abinde in totam terram promissionis & in Damasco & in Gaza usque ad confinia Ægypti, in quibus omnibus Regionibus plusquam CC. Millia Saracenorum occiderunt. Eodem anno fuit annus Jubilæus & Dominus Bonifacius Papa dedit omnibus visitantibus limina Beatorum Petri & Pauli Apostolorum plenissimam indulgentiam peccatorũ.

CAP. CCLXV.

De

Fratre Ludowico de scipe Mag. terræ Prussiæ.

Frater

FRater Ludevicus de (a) scipe Magister terræ Pruschiæ X. præfuit uno anno, & mortus est sepultusq; Colmense in Ecclesia Cathedrali.

ANIMADVERSIO.

(a) Schippen legunt recentiores.

CAP. CCLXVI.

De

Vastatione terræ Nattangiæ & morte CCL. Christianorum.

HUjus Magistri tempore sexcenti viri de Lethovia profecti sunt versus Nattangiam, de quo Exercitu frater Cuno Commendator de Brandenburg præmunitus, congregatis subditis suis, dum eos per dies aliquot expectasset, fatigatus tædio dimisit populum suum. Sequenti die dictus Exercitus infidelium intravit Nattangiam, & magnam partem ejus devastans per incendium & rapinam, occidit & cepit CCL. Homines Christianos.

CAP. CCLXVII.

De

Fratre Helvico Magistro terræ Prussiæ.

FRater Helvicus de Goldbach Thuringus Magister terræ Pruschiæ (a) XV. præfuit uno anno & resignato officio reversus fuit Almanniam, ibique mortuus & sepultus.

ANIMADVERSIO.

(a) Jeroschinus & Chron. Germ. antiq. in Biblioth. Regiom. quod ex Dusburgio ferè totum expressum est, addunt electum esse Helvicum de Goldbach. An. 1300.

CAP.

CAP. CCLXVIII.

De

LXX. Lethowinis occisis in Nattangia.

HUjus Magistri tempore, anno scilicet Domini MCCCLXXV. Lethovvinorum in autumno territorium Glottovviæ Warmiensis diœcesis improvisè intrantes, unam villam incendio destruxerunt occidentes & rapientes, quicquid in ea vivum repererunt. Quo intellecto, frater Waltherus Goldoni socius, Commendatoris de Brandenburg cum quibusdam armigeris secutus, occupavit viam quam transire debebant, præter quam via alia, propter aquarum inundantiam, non restabat, & consurgens adversum eos, præter tres omnes trucidavit.

CAP. *CCLXIX.*

De

Vastatione territorii Castri Ottkaim.

EOdem anno frater Henricus de Dobin & quidam fratres cum CC. viris intraverunt territorium Castri Ottkaim & combustis sex villis, captis & occisis hominibus, recesserunt. Lethovini insequentes ipsos sæpius hostiliter invaserunt, ita quod utriusque partis plures fuerunt graviter vulnerati.

CAP. *CCLXX*

De

Deprædatione terræ Dobrinensis & occisii LXX. Lethovinorum.

Gottfridus C. de Hohenloh XI. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Helvicus de Goldbach. XV. Mag. Prov. in Prussia.

HOc anno Wenceslaus Rex Bohemiæ fuit in regnum Poloniæ coronatus. Et sex millia Lethovvinorum Ducatum Dobrinensem depopulaverunt, occidendo, capiendo, & quod igni aptum fuit comburendo, & omnia equivia & alia quæ Poloni propter metum Regis prædicti ad dictum Ducatum duxerant, deferebant. De hoc exercitu centum viri præelecti & præsumptuosi fuerunt ausi transire fluvium Drivvance & in terra Colmensi duas villas deprædare, quos fratres cum exercitu suo sequentes compræhenderunt, & LXX. ex eis occidentes, multos Cristianos captos redemerunt. Alii Lethovvini XXX. qui evaserunt dum fugiendo venirent ad exercitum suum & nuntiarent, quæ facta fuerant eis à fratribus, adeò meticulosi facti sunt, & territi, quod nullus alium expectavit, sed cursitando per diem & noctem multi homines & equi perierunt, plures etiam ex eis influvio Nave propter pressuram nimiam sunt submersi.

CAP. CCLXXI.

De

Mirabili facto.

HOc tempore in Castro Mergenburg fuerunt frater Hermannus & frater Fridericus, qui tantam inter se charitatem habuerunt, quod unus sine alio vivere non voluit, aut mori. Tandem frater Hermannus leprâ percussus fuit, & Fridericus non longè post cadens de equo exspiravit; cujus mors dum in crastino fratri Hermanno nunciaretur, ait: sic non erant pacta nostra, quod ipse prius & ego postea, sed simul deberemus ad æterna gaudia introduci; Et cum esset sine omni infirmitate, præter eam, quam prædixi, advocans Sacerdotem perceptis Ecclesiæ Sacramentis, eodem die in Domino feliciter obdormivit.

CAP.

Gottfridus C. de Hohenlob XI. Mag. Gen. Ord. Teut.
Helvicus de Goldbach XV. Mag. Prov. in Pruſſia.

CAP. CCLXXII.

De

Fratre Conrado Magiſtro Pruſchiæ.

FRater Conradus Saccus Magiſter Pruſchiæ XVI. præfuit 6. annis. Hic multum fuit homo affabilis & in omnium oculis gratioſus, ut verè poſſet de ipſo dici, quod dilectus fuit DEO & hominibus. Qui tandem fatigatus laboribus & debilitatus infirmitatibus officium ſuum reſignavit, habitansque in Caſtro Golubo (*a*) quod ipſe comparavit, mortuus eſt, & ſepultus fuit Colmenſe in Eccleſia Cathedrali.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Supra cap. 261. jam facta eſt mentio caſtri Golubæ. Sine dubio itaque Conradus Saccus illud Caſtrum condidit, antiquam eſſet in Magiſtrum electus. Aut hoc de inſtauratione tantum intelligendum eſt.

CAP. CCLXXIII.

De

Deſtructione Caſtri Ottkaym prima.

HUjus Magiſtri tempore Anno Domini MCCCI. quidam Lethovvinus dictus Drayko Caſtrenſis de Oukaym dolens, ſe tamdiu fraude Diabolica deceptum, volensque Idolorum culturâ poſtpoſitâ Dei veri & vivi ſervitio mancipari, ſecretè filium ſuum Pinnonem miſit fratri Wolrado Commendatori de Raganita ſupplicans humiliter & devotè, ut ipſum à gentilitatis errore & infidelium manibus

Anno Domini MCCCI. Cometa apparuit in ſeptembri in Occidente, in ſigno ſcorpionis, quod eſt Domus Martis, qui aliquando emittebat Comam ad Orientem, aliquando ad meridiem & apparuit in ſero.

Hoc tempore Andreas Rex Hungariæ moritur, & poſt multas altera-

bus liberaret. Qui Commendator de consilio Magistri cum Exercitu processit contra Castrum Oukayn, & ecce mirabilis DEUS in omnibus operibus suis, cujus providentia hoc summè necessarium ordinavit, quod dum fratres ad impugnandum dictum Castrum accederent, ipsâ nocte vigilia & custodia castri dicto Draykoni competebat. Unde appropinquante Exercitu fratrum, Portam Castri secretè aperuit; & fratres intrantes omnes præter unum, scilicet filium Sudargi, graviter tamen vulneratum, occiderunt. Captis mulieribus & parvulis & Castro cum suburbio funditus cremaverunt, dictusque Drayko deductus usque Raganitam cum tota familia est baptizatus.

tiones inter Ducem Bohemiæ & Ducem Austriæ habitas Karolus Martellus Regnum Hungariæ obtinuit

Eodem anno Albertus Rex Romanorum prævaluit in bello contra Ducem Bavariæ & Moguntinum & Colonienſem ArchiEpiſcopos.

CAP. CCLXXIV.

De

Morte fratris Gundrami & plurium Lethovvinorum.

EOdem anno frater Gundramus, homo staturâ pusillus totus tamen animosus & virilis cum IX. armigeris sequebatur latrunculos Lethoviæ, qui decem homines & totidem equos spoliaverunt in districtu Castri Christburg, & dum eos in deserto invaderet, in primo congressu quidam Lethovvinus ipsum cum lanceâ vulneravit, sic quod viscera ipsius effusa fuerunt, nec tamen destitit ab incepto bello, quousque Lethovvini omnes essent interfecti, & tunc cecidit & exspiravit. Quem dum mortuum armigeri sui ad Castrum Christburg deducerent, mulieres, quæ per eum de manibus infidelium redempta fuerant, asserebant

rebant se vidisse duas Columnas albas volantes supra corpus ejus in aere, quæ ipso stante stabant, & procedente volabant.

CAP. CCLXXV.

De

Deprædatione terræ Lubowiæ & LXV. Lethovvinorum.

POsthæc quidam alii latrunculi de Lethovia V. villas in terra Luboviæ hostiliter invaserunt & CC. Christianos aliis captis partim occiderunt. Quos fratres de Christburg sequentes, dum venissent in solitudinem, considerarunt in vestigiis ipsorum, quod dividissent se in duas turmas. Undè & ipsi se & suos in duas partes diviserunt, quarum una comprehendit turmam unam infidelium & occidit ex ea (*a*) LXV. viros & LXX. Christianos homines liberavit. Alia pars fratrum non invenit nisi quinque pueros Christianos, quos secum duxit. Postea fratres intellexerunt relatione veridicâ, quod pauci de istis Lethovvinis sani redierunt: quibusdam enim submersis in viâ, reliquis consumptis inediâ, cæteri se præ tristitia suspenderunt.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Stryikovius in suo Exemplari legit X. Viros & XL. Christianos homines liberavit. Jeroschinus verò eodem modo, ut nos legit.

CAPUT CCLXXVI.

De

Adventu fratris Godefridi Magistri Generalis, & resignatione officii sui, & electione fratris Sigfridi de VVuchtvvangen.

Gottfridus C. de Hohenloh XI. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Gonradus Sak XVI. Mag. Provincialis in Pruſſia.

ANno Domini MCCCII. frater Godefridus Magiſter Generalis cum L. fratribus tranſiens Pruſſiam, venit ad terram Livoniæ, & relictis ibi fratribus in ſubſidium dictæ terræ, dum anno ſequenti rediret Pruſchiam, in Capitulo Elbingenſi ſuum officium reſignavit; licet ſibi dum in Teutoniam reverſus eſſet, denuo (*a*) temerarie uſurparet. Quâ reſignatione factâ, electus fuit ſtatim ibidem frater Syfridus de Wuchtvvangen in Magiſtrum Generalem, qui ivit verſus (*b*) Venetias ad domum principalem.

Anno Domini MCCCII. Quidam latro devotus, tamen Virgini Mariæ Peruſii in Italia decollatus fuit, cujus caput jam præciſum clamavit altâ voce: afferte mihi Sacerdotem quia B. Maria, prout eam in Orationibus meis ſingulis diebus fuſis rogavi, non ſinit me mori antequam confitear omnia peccata mea & ſic factum fuit.

ANIMADVERSIONES

(*a*) Hinc eſt, quod Schuzius Gotofredi C. de Hohenloh imperium extendit usque ad annum MCCCIX. *Lib. I. Chron. Pruſſ. fol. 53. b.*

(*b*) Domum Ordinis Principalem Venetiis fuiſſe usque dum in Pruſſiam illa transferretur, tradit hic Dusburgius; Eodem modo habet hoc Jeroſchinus. Item Auctor Chronici ſub Friderico Mag. Ord. Gen. Latino idiomate ſcripti. Sed Auctor vel potius Continuator Chronici Ordinis dicit, occupatâ à Saladino Acconâ, ſedem Ordinis fuiſſe translatum Marpurgum in Haſſiam, donec illa in Pruſſiam tranſferretur *fol. 93. a.* Verùm quæ de ſede & Accona translata dicuntur, intelligenda ſunt de reliquiis tantum illis, quæ fuerant Acconæ. Nam ſedem Magiſtri Generalis jam Hermannus de Salza ante expugnatam à Saludino Acconam transtulerat Venetias, teſte auctore Chronici Lat. modo citati.

CAP. CCLXXVII.

De

Fratre Henrico de Cunce.

Hoc

Sigfridus de Feuchtvvangen XII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Conradus Sak XVI. Mag. Prov. in Prussia.

HOc tempore in Pruschia frater Henricus de Cunce natus de Thuringia mortuus fuit. Qui cum adhuc esset secularis miram tyrannidem exercuit, raptor magnus & homo maleficus. Vidit quadam die in crepusculo venientem ad se quendam virum equo nigerrimo insidentem qui dixit ei: Henrice veni mecum solus, ego te ducam ad locum, ubi ditaberis per prædam magnam. Henricus acquievit, & ascendens eqvum suum, secutus est eum per multa viarum discrimina. Tandem venit ad locum, ubi eqvus suus ultra ire non voluit, licet calcaribus sæpius perurgeret. Vidit enim eqvus periculum, quod ipse propter noctis tenebras videre non potuit. Ultimo dictus Henricus ad eqvum suum, stimulans eum fortiter calcaribus: procede in nomine Domini Dei. Tunc socius ejus scil. Diabolus, stans ex adverso ait: Bene tibi, quia nominasti nomen DEI tui; quia si hoc non feciſſes jam præcipitatus jaceres mortuus in hac valle. Henricus perterritus mansit in eodem loco non audens procedere aut retrocedere usque in diem sequentem, & cum videret rupem altissimam, de qua debebat tandem in vallem profundissimam, si eqvus modicum processisset, præcipitari, signavit se signo S. Crucis, & laudavit nomen Domini, per quod

Eodem anno incœpit discordia inter Bonifacium Papam ex una parte, & Philippum Regem Franciæ ex altera. Dixit enim Papa Regnum Franciæ in temporalibus & Spiritualibus immediate subesse sedi Apostolicæ, & misit Papa rescriptum subjectionis cum bulla Regi Franciæ, asserens, dicentem contrarium hæredicum esse, quod rescriptum lectum fuit, & combustum Parisiis in Palatino Regis coram innumera multitudine Clericorum & Laicorum, & Rex contra Papam posuit XV. articulos criminosos, & appellavit ad futurum, Concilium sive Papam. Papa tamen de hujusmodi criminibus Romæ in Concilio se purgavit.

Eodem anno in Mense Julio Flandrenses rebellaverunt contra Regem Franciæ, & convenientes in bello tria millia Gallicorum Comitum, Baronum & Nobilium ceciderunt.

quod fuerat à tanto periculo liberatus. Undè accidit, quod quadam die in crepusculo vidit quendam Judicem sedentem pro tribunali,& multitudinem populi circumstantem,qui ipsum omnes de diversis malitiis accusabant, & adductus ad Judicium, dum Judex quæreret,quid ad objecta responderet, perterritus tacuit. Tandem post multas minas Assessores rogabant Judicem, ut ei parceret, ipse enim Vitam suam deberet breviter emendare. Et cum idem frater Henricus promisisset, se Ordinem domus Teutonicæ intraturum, omnis illa congregatio disparuit, & amplius nihil vidit. Reversus itaque pallidus & stupefactus ad castrum suum, Uxori suæ mulieri Nobili, Juveni & delicatæ cuncta,quæ viderat,enarravit,quæ ei pœnitenti divortium denegavit. Et sic dum quasi dubius in voto complendo per tempus aliquod existeret, Diabolus humani generis inimicus,qui mille modos nocendi habet, volens ipsum à sancto suo proposito retardare,apparuit ei in somnis, in habitu regio multa stipatus militia ait: Henrice talem Civitatem & tale Castrum habeas ter & sis miles strenuus & servias mihi & amplius tibi dabo. Cum autem ipse cogitaret intra se; quod merito deberet servire tali Domino largo,apparuit Jesus Christus cum quinque vulneribus & ait: Henrice ego sum largior illo, & tacto vulnere lateris dixit: Hanc civitatem dabo tibi si servieris mihi,quæ multo melior est illâ,quam tibi seductor ille Rex promisit. Et cum hoc iterum uxori suæ revelaret adhuc quasi obstinata ipsi intrandi Religionem licentiam denegavit. Unde factum est, quod singulis noctibus audivit horribilem sonum, tanquam mallei percutientis ad parietem & vocem dicentem; Henrice surge ad orandum, quia jam fratres tui surrexerunt. Tot ergo & tantis Mulier terribilibus vexata sonis & mirabilibus territa vocibus, non habebat ultra sancti viri sui proposito spiritum resistendi, sed

sed rejecta omni pertinaciâ, dedit ei quamcunque vellet assumendi religionem liberam facultatem: Ostentâ sic licentiâ, secessit ad partes Prussiæ & facta professione in Ordine domus Teutonicæ, sicut antea in seculo existens conterraneos suos malitiâ præcedebat: ita nunc in religione fratres cæteros virtutibus excedebat. Hic quodam tempore dum in Infirmitate gravi laboraret, vidit unum Judæum & alium Christianum in habitu (*a*) bacchardorum, unum à dextris suis, alium à sinistris, stantes & disputantes de articulis fidei, & dum Judæus ipsum vicisset ait: Henrice audisti nunc quia fides tua te salvum facere non potest, crede ergo fidem Judæorum. Respondit frater Henricus: Ego credo in Deum Patrem omnipotentem, & cætera, quæ in Symbolo Apostolico continentur, & statim disparuerunt.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Bacchardorum, fortasse Bachelariorum sive Bacculariorum i.e. inter se concertantium militum. Quæ voces occurrunt apud Matthæum Parisiensem aliosque plurimos. *Vid.* Wilhelmus Watsius *in Glossario ad Matth. Parisiensem.* De Academicis etiam Baccalaureis intelligi posset. De quibus hoc tantum notat Watsius: Baculos in dextris portare, olim Philosophorum fuisse insigne: πόδοπα τῇ δεξίᾳ φέροντες οἱ φιλόσοφοι. Chrysost. *hom. 19. ad popul. Antioch.* Conf. & Vossius *lib. 1. de Vitiis serm. Cap. XIX. pag. 77.*

CAP. CCLXXVIII.

De
Vastatione terræ Carsoviæ.

HOc anno in hyeme frater Conradus Magister cum maximo Exercitu intravit terram Carsoviæ, & quia ductores erraverant in via, infideles præmuniti fugerant ad tuta loca. Unde præter incendium

Anno Domini MCCCIII. Bonifacius Papa Albertum Regem Romanorum in Imperatorem confirmat, & eidem Regnum Franciæ subjecit, quod tamen

dium magnum, quod fecit in ædificiis, paucos homines cepit & occidit, & fixis tentoriis ibi pernoctavit. Tandem cum transiret cum Exercitu glaciem per stagnum Curonienſe, miranda res ibi apparuit. Tantæ teneritudinis fuit glacies, quod elevabatur & deprimebatur, sicut aqua in tempestate vento validè agitata vadit in altum & in bassum. Unde populus nunc ascendit glaciem, quasi montem; postea descendit, ut in vallem; ita tamen quod nullus homo ibi submersus fuit Domino protegente.

men Clemens Papa V. postea revocavit.

Eodem anno inter Gallicos & Flandrenses magna strages facta fuit, & ex utraque parte plurimi ceciderunt.

Eodem anno in principio mensis septembris apud Anaginam in loco scil. nativitatis suæ Papa Bonifacius capitur, totusque thesaurus Ecclesiæ dispergitur. Sed tandem per Cives dictæ Civitatis libertatus, Romam ducitur, & in sede S. Petri locatus post modicum spacium temporis expiravit.

CAP. CCLXXIX.

De
Vastatione terræ Lubowiæ & morte XV. Lethowvinorum.

EOdem anno quinquaginta viri de Lethovia latrunculi intraverunt terram Lubovviæ, qui præmiserunt virum unum scientem lingvam polonicam, ut statum terræ diligentius exploraret, & dum reversus diceret, quod nullus de adventu ipsorum aliquid sciret, deprædaverunt multas villas, captis & occisis pluribus Christianis. Dum autem recederent, diviserunt se in duas turmas, ad quarum unam fratres de Christburg venientes, interfecerunt XV. Lethowvinos

Anno Domini MCCCIII. Benedictus Papa XI. de ordine fratrum Prædicatorum & Albertus Rex Romanorum regnant.

vvinos, & L. homines Christianos de ipsorum manibus eruerunt. Reliqua turba infidelium evasit.

CAP. CCLXXX.

De

Terræ motu in terra Pruschiæ.

HOc etiam anno VI. Idus Augusti hora quasi tertia fuit (*a*) terræ motus per totam Pruschiam. Tribus vicibus quatiebatur terra cum ædificiis, quod vix aliquis à casu se poterat continere. Quid autem iste terræ motus innaturalis significaverit in sequentibus apparebit.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Nunquam aliàs terræ motus in Prussia observatus esse legitur.

CAP. CCLXXXI.

De

Adventu peregrinorum.

Anno Domini MCCCIV. peregrini de Alemannia inspirante Domino incœperunt terram Prussiæ iterum visitare. Et venerunt Nobiles viri, Dominus Wernerus Comes de Homberg, Adolphus de Wintmel cum fratre suo, & Theodoricus de Elner milites cum fratre suo Arnoldo, & plures alii Nobiles de Rheno.

Anno Domini MCCCIV. circa nativitatem ejus tanta fuit aquarum inundantia, quod homines putabant se diluvio perituros. Ambo pontes Parisiis corruerunt, sic quod nullum ipsorum vestigium remaneret, & plura in aliis Provinciis damna fecit.

CAP. CCLXXXII.

De

Vastatione territorii Pograude & Garthe.

Anno eodem tempore hyemali frater Eberhardus de Wirnemburg, Commendator de Kunnigsberg, cum duobus millibus equitum versus Lethovviam est profectus. Sed hoc non est sub silentio prætereundum, quod frater Conradus de Lichtenhagen Commendator de Brandenburg, cum exercitu magno præcesserat ipsum, eundo versus castrum Garthe, territorium quod vastavit incendio & rapina licet autem non multum proficeret ibi, cum equites terræ Lethoviæ ad dictum territorium convenerunt: Tertio autem die post hæc idem frater Eberhardus cum suo exercitu sicut præordinatum fuit à Magistro, improvisè intravit territorium Lethoviæ dictum Pograuden & majorem partem ejus destruxit per incendium & rapinam. Sed vexillum fratrum cum sibi adjuncti petit à mane usque ad meridiem in monte ex opposito Castri Jedemine ubi dictus Comes de Homberg & plures alii Nobiles dignitatem militiæ susceperunt. Hoc facto dum fratrum exercitus recederet, positis insidiis, quibus XX. Lethovvini, qui secuti fuerant, sunt occisi. In hoc bello præter incendium interfecti fuerunt mille infideles & capti.

CAP. CCLXXXIII.

De

Secunda destructione Onkaym, & vastatione territorii ejus.

Eodem

EOdem anno in Quadragesima idem frater Eberhardus Commendator de Kunnigsberg cum majori exercitu quam prius ivit versus Castrum Onkaym, quod quidam Castrensis dictus Svvirtil fidei & fidelium amicus tradidit fratribus, qui intrantes omne quod fuit sexus masculini interfecerunt, mulieres & parvulos captos deduxerunt, castrum funditus iterum destruentes. Ipse autem Svvirtil & tota familia sequentes fratres Baptismi gratiam perceperunt. Reliqua pars exercitus intravit territorium dicti Castri, & captis multis hominibus & occisis, rapuit quicquid in eo reperit & incendit. In hoc exercitu XXX. Christiani gladio ceciderunt, & frater Henricus de Wolphesdorff infra indagines cecidit, & totus exercitus transivit eum. Adeò arta fuit via, quod nullus poterat vitare, nisi transiret eam. Clypeus, quem super se posuit, dum se erigere non posset, contritus fuit in minuta frustra. Tandem, DEO juvante, post transitum eorum surrexit, & dum non haberet eqvum, vidit à longe famulum sedentem in equo, & ducentem alium eqvum nigri coloris in manu sua, quem cum precibus aggrederetur, ut ei unum equum accommodaret. Ille indignatus cursitans super eum dejecit ad terram iterum & iterum percalcavit. Inter hæc frater Heinricus frenum dicti Magistri equi rapuit, & obtinuit, & ascendens declinavit ad exercitum fratrum, transiensque X. vicibus, quærens cujus esset eqvus iste niger, neminem invenit, qui eum cognosceret, & demisso equo, sicut primo perdidit famulum, ita & eqvum. Evanuerunt enim ambo, quod nunquam potuit aliquis percipere quo devenissent.

CAP. CCLXXXIV.

De

Victoria fratrum contra Regem Lethovvinorum.

Anno Domini MCCCV. circa assumptionem B. Virginis, Fr. Philippus de (*a*) Bolandia, Advocatus Episcopi Sambiensis, & (*b*) XI. fratres cum CC. viris, tres villas Regis Lethovvinorum incenderunt, captis hominibus & occisis. Medio tempore quo hæc agerentur, Rex quasi omnes potentiores Regni sui habuit circa congregatos in quodam tractatu, seu parlamento, & dum hæc perciperet, cum mille & quingentis viris sequebatur. Fratres autem jam ad talem locum venerant, ubi se sine omni periculo putabant, & depositis armis, dum CC. viri cum uno fratre præcederent, ipsi cum paucis à longè sunt secuti, ex tunc improvisè irruit in eos Rex cum suis, & in primo congressu frater Bolandus Junior, Nepos dicti Advocati, lanceâ cujusdam Rutheni est transfixus, quod videns Advocatus, commota fuerunt viscera sua, & projecto clypeo suo ad dorsum, arreptoque gladio, ambabus manibus occi-

Anno Domini MCCCV. Clemens Papa V. & Albertus Rex Romanorum imperant.

Hic Papa Clemens in Octava S. Martini, dum post coronationem suam descenderet de Ecclesia S. Justi, in monte apud Lugdunum cecidit murus, & multos oppressit, & Dux Britanniæ qui equum Papæ duxit, mortuus est. Karolus frater Regis Franciæ læsus fuit valde. Et ipse Papa passus est. Equus enim ejus cecidit & lapidibus obrutus est, & Corona cecidit de capite ipsius, & in casu perditus fuit lapis pretiosus rubinus, qui stetit in capite Coronæ inæstimabilis pretii, quæ omnia erant indicativa status sui futuri.

Anno Domini MCCCV. Fratres Domus Teutonicæ de Livonia Castrum Danemunde in crastino B. Jacobi Apostoli justo emptionis titulo sunt adepti.

occisori Nepotis sui caput uno ictu amputavit. In hac pugna quatuor fratres scil. duo de Bolandia, frater Bernhardus de Hohenstein, & frater Johannes Monachus, & VI. viri ceciderunt interfecti. Hoc facto, CC. viri, qui processerant, reversi cum magno strepitu & fragore venerunt ad locum certaminis, & tantum hostibus terrorem indiderunt, quod Rex & omnis sui statim visis eis arma rejicerent & in fugam converterentur. Ex tunc fratres percusserunt peccatores in ira sua, & occiderunt XVII. potentiores de Regno Lethoviæ & de populo etiam multitudinem copiosam.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Stryikovius mox legit Hollandus, mox Bolandus.
(*b*) Jeroschinus 9. fratres fuisse dicit.

CAP. CCLXXXV.

De

Destructione suburbii Castri Garthe.

Anno Domini MCCCVI. in Prussia in Castro Kunnigsberg incœpit Dominus facere miracula propter reliquias S. Huperti, & multi homines, & canes, & alia jumenta à diversis langvoribus sunt curati.

Anno Domini MCCCVI. Frater Conradus Magister intelligens relatione veridicâ, quod de Lethovia & Castro Gartha magnus exercitus versus Poloniam processisset, fratrem Albertum de Indagine, & quosdam alios fratres cum CCCC. viris de Nattangia ad expugnandum Castrum prædictum. Qui dum appropinquarent Castro, tanta intemperies aëris orta est, quod unus alium vix audire potuit, vel videre, & durante adhuc tempestate hac, intraverunt præurbium ipsius Castri, quod tunc magnum fuit & populosum ad modum Civitatis, & captis omni-

mnibus & occisis hominibus, & combusto præurbio cum præda tanta, quantam deducere poterant, sunt reversi.

ANIMADVERSIO.

(a) Jeroschinus habet S. Ruperti.

CAP. CCLXXXVI.

Item de eodem.

POst reditum hujus exercitus, frater Eberhardus Commendator de Kunnigsberg, intellecto quid egerit sperans quod destructo suburbio castrum facilius expugnaret, cum centum fratribus & sex millibus equitum dictum Castrum Gartham est aggressus. Sed Rex Lethoviæ auditâ destructione suburbii hujus castri, misit præelectos viros & in armis expeditos plurimos ad defensionem. Unde factum est, quod dum fratres castrum impugnarent, castrenses, ex adverso se viriliter opponentes, exierunt ad prælium, quod diu inter eos duravit. Tandem fratres fugaverunt eos. Reversi igitur ad Castrum, post modicam horam resumptis viribus & audaciâ iterum exierunt ad pugnam, & hoc factum fuit pluribus vicibus ab ortu solis usque ad meridiem. Quanquam isti illos aliquando, illi istos aliquando, represserunt. In isto certamine multi de infidelibus lethaliter sunt vulnerati, & plures mortui ceciderunt. De nostris verò, fratres XII. & XXX. viri fuerunt vulnerati, & frater Hartmannus de Elsterberg telo per collum sagittatus, postea expiravit.

CAP. CCLXXXVII.

De quodam Miraculo.

HOc tempore quidam Lethovinus de Erogel captus à Rege suo,

suo, dum ad suggestionem cujusdam Rutheni, qui cum eo in carcere fuit, voviſſet DEO certum pondus Ceræ pro liberatione sua; statim catenæ, quibus ligatus fuit, sunt confractæ & janua carceris aperta est, & evasit.

CAP. CCLXXXVIII.

De

Fratre Henrico de Plocz Magistro terræ Pruschiæ.

FRater Henricus de Plotzke Saxo, Magister Prussiæ XVII. præfuit XII. annis usque ad adventum Magistri Generalis, qui ipsum instituit (*a*) magnum Commendatorem.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Ad hoc usque tempus Prussiæ, nomine Magistri Generalis, præfuit Magister Provincialis, cui adjunctus fuit Marschalcus Ordinis, ut supremus belli Dux; qui etiam cum quibusdam Commendatoribus consultabant de salute Reipubl. sed sede Magistri Generalis in Prussiam translatâ, mutata est rerum facies. Tum enim Caput Provinciæ fuit ipse Magister Generalis, quem sequebantur Præceptores majores I. Commendator Magnus (Groß Compthur) II. Marschalcus supremus (Landmarschalk) qui Regiomonti residebat. III. Hospitalarius supremus (Oberster Spittler) qui Elbingæ sedem suam habuit. IV. Trapiarius (Trapierer) qui præerat rei vestiariæ. V. Thesaurarius (Treßler) qui residebat semper in Aula Magistri. Munia omnium horum accuratè describuntur in consvetudinibus Ordinis. Præter hos fuerunt multi alii Magistratus, qui recensentur à Waisselio in *Chron. fol. 132.* Nos tantum Commendatores Ordinis recensebinus *ex Chronico II. Bibl. Wallenrod. M. S.* ubi eo ordine recensentur: Commendator Provincialis terræ Culmensis, qui residebat in Althauß. Facta est ejus mentio supra *cap. 187.* Hunc seqvuntur Thorunienſis, Brandeburgenſis, Regiomontanus, Balgenſis, Pappavienſis, Strasburgen-

sis, Rhedensis, Grudentinus, Schvezensis, Mevensis, Slochoviensis, Dantiscanus, Elbingensis, Hollandensis, Creutzburgensis, Osterrodensis, Ortelsburgensis, Reinensis, Ragnitensis, Liccensis, Memelensis, Plures ac huc fuerunt Commendatores Castrorum sive arcium (Hauß Compthurs) ut jam præteream Advocatos (Vögte) Provisores, (Pfleger) Molarum Præfectos. Rei cibariæ præfectos, & alios. Notandum tamen est, aliquando numerum Magistratuum horum crevisse, aliquando decrevisse, idcircò certus eorum numerus determinari non potest.

CAP. CCLXXXIX.

De *Adventu Peregrinorum.*

HUjus Magistri anno primo, anno videlicet Dn. MCCCVII. nobiles Viri, Dominus Johannes de Spanheim, Comes Adolphus de Winthimel, Th. de Elner junior & senior cum fratribus suis Arnoldo & Ruthgero, & Arnoldii & Jacobus de (*a*) Pomario milites de Reno & multi alii Nobiles de Reno venerunt ad terram Prussiæ, & fuit tempore hyemali ordinatus maximus Exercitus ad vindicandam injuriam Crucifixi contra Gentem Lethovvinorum, tamen propter teneritudinem glaciei procedere non valebat.

Anno Dn. MCCCVI. Wenceslaus Rex Bohemiæ moritur & filius (b) *ejus in Buda coronatur & eodem anno est à quodam suo milite interfectus, & sic Regnum Bohemiæ, quia hæredem non habuit translatum est ad alienos, quia Rex Romanorum Albertus filium suum instituit in dictum regnum. Eodem anno Hospitalarii ceperunt Insulam Rodi, in qua habitabant Turchi & V. alias Insulas.*

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Von Baumgart est in Chron. Antiq. Germ. in Bibl. Regiomontana in 4.

(*b*) Addidit Jeroschinus, filium illum itidem Wenceslaum fuisse nominatum.

CAP.

CAP. CCXC.

De

Vastatione terræ Carsoviæ.

FRater Volz vel Volradus Commendator de Raganita audiens quod Carsovvitæ cum exercitu profecti essent contra fratres de Memela, jussit fratrem Hildebrandum de Rebergk procedere ad bellum contra ipsos, qui assumptis sibi quibusdam fratribus & LXXX. Viris intravit dictam terram Carsoviæ & præter incendium & rapinam deduxit secum LXX. homines captivos.

CAP. CCXCI.

De

Subversione Suburbii de Castro Putenica.

NOta quod hæc quæ seqvuntur de fratre Volz Commendatore prædicto in diversis annis facta sunt, licet hic simul ponantur. Ipse enim congregato Exercitu cum his, qui sub ditione sua fuerunt constituti, navigio ascendit fluvium Juram, & procedens ultra ad Castrum (*) Putenicam in ortu diei occulte dormientibus castrensibus intravit suburbium, & captis & occisis præter eos, qui ad Castrum confugerant redegit in favillam.

(*) Puteba, quæ hic Putenica dicitur, oppidum est Juriæ amni imminens. Vid. Kojalovvicz *part. 1. lib. 6. pag. 231.*

CAP. CCXCII.

De eodem.

EOdem anno in autumno reædificato jam præurbio prædicto cum omnia blada & segetes reconditæ essent in eo, idem Commendator cum suis fratribus & equitibus venit & dictum præurbium iterum concremavit, captis & occisis omnibus qui ibidem sunt recepti.

CAP. CCXCIII.

De

Morte LXXXII. Lethowinorum.

COnsvetudo ista apud Lethovvinos in custodia Castrorum, quæ sunt in terminis constituta, quasi communiter observabatur. Rex eorum ordinat aliquos armigeros ad custodiam alicujus Castri, ad terminum unius mensis vel amplius, quo completo recedunt, & alii superveniunt ad custodiam supra dictam. Unde factum est, quod LXXXV. viri Lethovvini completâ hebdomatâ vicis suæ, dum de custodia Castri Bisenc deberent recedere, frater Fridericus de Liebencele Vice-Commendator de Raganita, frater Albertus de (a) Ora, & frater Th. de Aldenburg cum XIX. fratribus & LX. viris ipsos in campo Calsheim viriliter sunt aggressi, & omnes interfecerunt, præter tres, qui tantum graviter vulnerati evaserunt.

ANIMADVERSIO.

(a) Oza legit Stryikovvsky.

CAP. CCXCIV.

De

Destructione Castri Putenike.

POsthæc aliquot annis intermediis, quidam Lethovvinus dictus Spudo, potens in Castro Putenika, Zelator fidei & fidelium, demandavit fratri Voltz Commendatori prædicto, ut cum exer-

exercitu suo adveniret, ipse enim vellet ei tradere Castrum prædictum. Quo percepto, idem Commendator cum omnibus sibi subjectis venit, & illo secretè portas Castri aperiente, fratres cum suis intraverunt, & occisis & captis omnibus ipsum cum suburbio igne appositio funditus destruxerunt, & dictus Spudo cum patre & fratribus suis totaque familia baptismi gratiam est adeptus.

CAP. CCXCV.

De

Combustione Castrorum Schroneyte & Bujervvarte.

EOdem anno in autumno Carsovvitæ videntes, quod amplius fratribus resistere non possent, relictis duobus suis Castris, scilicet (*a*) Schroneyten & Bujervvarte, recesserunt, quæ duo Castra fratres postea combusserunt, & sic hæc tria castra usque in præsentem diem remanent desolata.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Stroveita & Bivernita, Kojalovvicz. Seroveita Bivvervvnita Striykovvski.

CAP. CCXCVI.

De

Vastatione terræ Sambiensis.

ANno Domini MCCCVIII. in die B. Gregorii Manstо & Sudargus & alii Nobiles de Sametia cum V. millibus equitum circa Castrum novum in Neria Curonensi intraverunt terram Sam-

Anno Domini MCCCVIII. in die B. B. Philippi & Jacobi Albertus Rex Romanorum à Joanne Duce dicto Anlant Nepote suo occiditur, quia partem Ducatus Austriæ abstulit ei, licet esset verus hæres.

Eodem anno in die B. Katharinæ

Sambiæ & territoria Povvindiæ & Rudovviæ incendio vastaverunt. Sed cum perciperent quod fratres cum maximo Exercitu eos diu expectassent in noctis medio recesserunt.

Principes Alemanniæ Electores Henricum Comitem de Luzenburg in Regem Romanorum concorditer elegerunt.

CAP. CCXCVII

De *Fratre Siffrido Magistro Generali terræ Prussiæ.*

Anno Domini MCCCIX. frater Siffridus de Wuegvvangen Mag. Generalis XII. & terræ Pruschiæ Magister XVII. venit ad terram Prussiæ & domum principalem, quæ à tempore (*a*) destructionis civitatis Achonensis fuerat apud (*b*) Venetias transtulit ad Castrum (*c*) Mergenburg in Prussiam,

Anno Domini MCCCIX. idem electus in Epiphania Aquis Grani coronatur.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Alii dicunt jam Hermannum à Saltza Venetias sedem suam transtulisse ex urbe Acconensi multo tempore ante destructionem Acconæ. In ea sententia est Autor Chronici Prussici Latino sermone scripti, quod in Curia Palæopolitana Regiomonti asservatur; cui sententiæ nos etiam adstipulamur. Mariæburgum autem sibi Magister elegit, arcem elegantissimam & firmissimam. In eadem Arce sub templo Divæ Virgini à Dieterico C. de Aldenburg dicato in caverna S. Annæ sepulti sunt Dietericus C. de Aldenburg: Henricus Dusnerus ab Arffberg: Winricus à Kniprode: Conradus Zolnerus à Rotenstein: Conradus Tiberius à Wallenrod: Conradus à Jungingen: Henricus Reus à Plaunen I. Michael Kichmeister à Sternberg: Paulus Bellicerus à Rustdorf: Conradus ab Erlinghausen *Vid.* Henneb. *ad tab. Pruss. pag. 286. seqq.* Cum verò Prussi Regi Poloniæ Casimiro anno 1455. sese subjecissent,

sent, Magistri sedem suam transtulerunt Regiomontum, ubi etiam in templo Cathedrali Kniphoviano sepulti sunt; Ludovicus ab Erlichshausen: Henricus Reus à Plauen II. Henricus Reffle à Richtenberg: Martinus Truchsessius in Witzhausen: Johannes à Tieffen, Magistri sese in Magistratu ex ordine subsequentes. *Vid.* Henneb. *ad tab. Pruss. pag. 199. seq.*

(*b*) Eadem de translatione sedis habet Nicol. Jeroschin. Item Chronicon German. antiqvum, circa An. 1430. script. Alb. Cojalov. *Part. I. Hist. Lith. p. 234.* Sed Chronicon Ordinis Magistros venetiis sedem suam transtulisse refert Marpurgum in Hassiam, & inde demum Mariæburgum in Prussiam. Idem ex Auctore Chronici Ordinis habet Waisselius & Franciscus Menennius *in Deliciis Equestribus.* Videantur quæ ea de re diximus ad caput 276.

(*c*) Quæ tum forma Reipubl. fuerit constituta diximus supra ad Cap. CCLXXXVIII.

CAP. *CCXCVIII.*

HOc tempore fratres oppressi fuerunt multis tribulationibus. Unde statuit (*a*) idem frater Siffridus Magister, quod post singulas horas fratres Clerici Antiphoniam: Salve Regina, cum versiculo: In omni tribulatione, & collecta: Protege Domine. Et Laici fratres unum Ave Maria dicerent ob reverentiam B. Virginis, ut per ejus intercessionem dicta turbatio posset aliqualiter mitigari.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Vocandum, Ordinis Magistros Generales in Prussia de Sacris quoque in Conventibus suis egisse. Exemplum primum de primi Mag. Ord. Henrici à Walpoth instituentis, Precationem Dominicam, Ave Maria & Confessionem Catholicam certa ordinatione vide Waissel. *fol. 41. b.* Conf. initium secundæ Chronicæ Dusburgii, Et Constitutionem Werneri de Orselen Ord. Mag. de Evangelio: In principio erat verbum. Hæc Dominus Zamelius. Constat hoc ipsum etiam ex legibus Ordinis, ut & peculiaribus Magistrorum legibus, quæ in multis vetustis Codicibus adhuc habentur.

CAP.

CAP. CCXCIX.

De

Vastatione Sambiensis & Nattangiæ terrarum.

AN. Domini MCCCXI. in Carnis privio Vichenus Rex Lethoviæ cum maximo exercitu Sambiam & Nattangiam incendio & rapina vexavit, multos homines occidit & ferè quingentos cum magno spolio secum duxit, non tamen sine strage suorum, quia multi de populo suo qui ab exercitu se elongaverant sunt occisi.

An. Domini MCCCXI. in Epiphania ejus Henricus Rex Romanorum apud Mediolanum Coronâ ferreâ coronatur.

Hoc etiam anno Tartaricum Armenis & Gorgianis venerunt in Siriam & Palæstinam, & fugato Soldano ultra X. millia equitum occiderunt.

An. Dn. (a) *MCCCXI. XI. Kalend. April. tempore Henrici VII. Imperatoris Ordo Templariorum à Clemente V. Papa* (b) *non per sententiam definitam, sed per provisionem sedis Apostolicæ condemnatur in Concilio Viennensi, qui fundatus fuit Anno Domini MCXII. sub Paschali Papa II. & Henrico V. Imperatore.*

Hoc anno Henricus VII. Rex Romanorum in Ecclesia Lateranensi Romæ in Imperatorem coronatur à depositione Friderici Imperatoris secundi anno LXII.

ANIMADVERSIONES.

(a) Jeroschinus habet anno 1312.

(b) Jeroschinus sic interpretatur: Nicht umb überwundene Schuld/ sondern durch sein Ungedult.

CAPUT CCC.

De

Depopulatione territorii Pogrande.

STatim post recessum Regis & exercitus sui Fr. Fridericus de Wildenberg Commendator de Kunnigsberg cum magno exer-

exercitu incedens per eandem viam, per quam dictus Rex præcesserat, venit illo tempore, quo homines dicti exercitus fuerunt ad propria reversi, & post fatigationem itineris quiescerent, gratias Diis suis referentes de beneficiis sibi exhibitis in hoc bello, & intravit territorium (a) Pograude & magnam stragem fecit in populo, occidendo & rapiendo, adeò destruxit hoc territorium, quod infra multos annos non potuit resumere vires primas.

ANIMADVERSIO.

(a) Pograudienses in Samogitia agri. Cojalow. *p. 436.*

CAP. CCCI.

De

Vastatione territorii Castri Garthe.

EOdem tempore frater Otto de Pergo & V. fratres cum cccc. Equitibus de Nattangia iverunt versus Castrum Gartham & cum venissent ad paludem cujus fluvius dicitur (a) Biber, ductores exercitus sui duobus diebus erraverunt in via, quod factum fuit ex Providentia DEI, quia homines de exercitu Regis supra dicto adhuc non erant ad propria reversi. Unde transactis his diebus & reversis his Lethovvinis fratres intraverunt territorium Garthe, occidentes & capientes multos homines, & dum cum magno spolio redirent occurrerunt eis quidam Lethovvini, qui lassi substiterant de sæpe dicto exercitu Regis quorum duos etiam occiderunt.

ANIMADVERSIO.

(a) Bieber *ſt. R. 13.* entſpringt bey Tolksdorff darnach gräntzet es das Fürſtenthumb von Biſchthums Heilßberg fält bey Braußberg in die Paßeige Henneb. *de flum. pag. 8.*

CAP. CCCII.

De

Morte Syfridi Magistri generalis & terræ Prussiæ.

HOc anno III. Nonas Martii frater Syffridus de Wucgvvangen Magister Generalis Ordinis Domus Teutonicæ mortuus est in domo principali Mergenburg/& sepultus Colmse in Ecclesia Cathedrali.

CAP. CCCIII.

De

Victoria fratrum contra Regem Lethovvinorum.

EOdem anno in vigilia Palmarum Vithenus Rex Lethoviæ putans quod omnia sibi deberent ad nutum succedere sicut prius, cum IV. millibus virorum præelectorum intravit terram Pruschiæ,& Episcopum Warmiensem depopulavit adeo, quod nihil extra castra & munitiones remansit, quod non esset exustum, captum, aut occisum. In hoc & priori bello Ecclesiis & vestibus sacris & vasis ministris & Ecclesiæ Sacramentis verecundiam magnam fecit & præter aliud spolium, quod fuit multum nimis ultra mille & ducentos captos Christianos homines secum duxit: Et ecce Rex iste blasphemus nominis Christi, dum veniret in solitudinem ad terram Barthensem in campum dictum Woyploc mente effrenatus gloriabatur, quasi potens in potentia exercitus sui, nunquam recogitans potestatem Dei, & ait ad Chistianos captos, qui ligati astiterunt ibi: Ubi est DEUS vester, quare non adjuvat vos, sicut Dii nostri auxiliati sunt nobis nunc & alterâ vice? Christiani ingemiscentes tacuerunt.

Se-

Sequenti die ſcilicet VIII. Idus Aprilis Fr. Henricus de Plecke Magnus Commendator & CL. fratres cum multo populo advenerunt & invenerunt Regem & ſuum exercitum undique indaginibus vallatum, & in primo congreſſu Lethovvini LX. viros Chriſtianos interfecerunt; ſed dum viderent fratres cum ſuo Vexillo & multitudinem copioſam armatorum ſequentem, irruit ſuper eos pavor & adeo emarcuit cor eorum, quod non habebant ultra virtutem reſiſtendi; undè quaſi in ictu oculi rejectis armis omnes terga verterunt. Extunc fratres cum ſuis inſequentes, percuſſerunt eos plagâ magnâ, ſic quod Rex cum paucis vix evaſit, alii gladio trucidati ſunt, quidam ſubmerſi, cæteri inſolitudine conſumpti inedia vel dolore ſe ſuſpendentes. Mulieres etiam Chriſtianæ, quæ captæ ibi fuerant, dum vidiſſent ſibi de cœlo victoriam veniſſe, immemores fragilitatis ſexus ſui irruentes repente in Lethovvinos, qui eas cuſtodiebant modo, quo poterant, occiderunt. In memoriam hujus glorioſæ victoriæ & ad laudem & gloriam Jeſu Chriſti fratres claſtrum ſancti monialium in Civitate Thorun fundantes donis magnificis dotaverunt.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Woyplocz legit Strykovsky. Woplauk / Jeroſchinus.
(*b*) Alii habent. 80.

CAP. CCCIV.

De

Vaſtatione territorii Pograude.

HOc anno in æſtate Gevehardus de Mansfelt Commendator de Brandenburg & (*a*) multi fratres cum mille & quingentis viris equitaverunt ad territorium Pograude, & licet ſcirent Lethovvinos præmunitos & paratos in armis ad defenſionem, cum commiſerunt ſe DEO, qui non deſerit ſperantes in ſe, &

audacter intrantes dictum territorium, interfecerunt multos homines & ceperunt, incendio & rapinâ multipliciter devastantes. Et dum exirent terram, videntes infideles paratos ad bellum, omnes captivos homines & quicquid de spolio vitam habuit extraxerunt. Manstο autem (b) Masio & Sudargus & alii Nobiles, videntes eorum consumptuosam audaciam, admirati sunt ultra modum, & dum vellet eos in bello aggredi Manstο prædictus vir sapiens & experientiâ doctus dissvasit, asserens sine dubio fratres insidias posuisse, & sic à persecutione fratrum cessaverunt. Postea Lethovvini quæsiverunt, quis fuerit Capitaneus dicti exercitus quibus responsum fuit, quod Commendator de Brandenburg homo juvenis & virilis: At ille: Dicatis ergo ei quod nunquam veniet ad ætatem debitam, si sic præsumptuosè nobis præsentibus cum tam paucis pugnatoribus nostras terras voluerit deprædare.

ANIMADVERSIONES.

(a) XL. Brüder/ habet Chron. Germ. antiq. informa 4. Sed Jeroschinus itidem ut Dusburgius nullum habet determinatum numerum.

(b) Massio legit Striykovvs: Jeroschinus Masye.

CAP. CCCV.

De

Quadam traditione.

HOc tempore quidam Lethovvinus, qui Camerarius fuerat Regis Lethovvinorum captus detinebatur in Castro Balga, qui sub pœna capitis sui se obligavit, se Castrum Gartham tradere in manus fratrum, si à vinculis solveretur. Cui fratres credentes statuto modo & tempore, quo hæc fieri possent, ipsum abire libere promiserunt. Sed dum veniret ad Regem de his omnibus præmunijt eum. Fr. Henricus de Plotzke Commen-

da-

dator magnus hujus occultæ traditionis nescius cum multis fratribus & V. millibus pugnatorum profectus est, & dum appropinquaret Castro Garthe, de exploratoribus Regis virum unum senem ceperunt, qui ut mortem evaderet, præmunivit fratres in hunc modum asserens, quod Rex cum magna potentia exercitus sui castra metatus esset circa Gartham, & sic ordinasset quod dum fratres cum media parte Exercitus sui transiviſſent fluvium Memelæ, ipse cum suis deberet irruere, & ipsos trucidare, & postea aliam partem sequi. Quo audito fratres DEO, qui eos sic misericorditer à tam gravi periculo liberavit, gratias referenter in columes ad propria sunt reversi.

CAP. CCCVI.

De

Vastatione territorii Salsenike.

EOdem anno idem frater Henricus Commendator Magnus & CL. fratres cum valido Exercitu & duobus millibus peditum direxerunt viam suam versus Lethovviam & territorium dictum Salnesikam ubi nunquam visus fuit Exercitus Christianorum, & dum appropinquarent Castro Garthe, ceperunt IV. viros exploratores Regis, & occisis tribus IV. interrogatus, dixit: quod de adventu fratrum nullus in terrâ Lethovviæ sciret & ad majorem securitatem addidit, quod eod. die quinquaginta viri essent venturi, qui pro venatione debebant facere indagines Regi suo quos cum fratres interfeciſſent transiverunt Memelam & relictis circa naves & sarcinos XII. fratribus & duobus millibus peditum intraverunt dictum territorium in die (*a*) Pooteſſi & Martiniani vastantes undique per incendium & rapinam & exustis etiam tribus Castris ibi pernoctabant, secuti præter occisos quorum numerum novit Deus solus, fratres cum maxima præda & septingentis captis hominibus receſſerunt.

ANIMADVERSIO.

(a) Scriykovvsky tantum legit: in die Martiniani.

CAP. CCCVII.

De *Fratre Karolo Mag. Generali & terræ Prusiæ An. Dn. MCCCXII.*

FRater Karolus (a) de Treveris Magister Generalis XIII. terræ autem (b) Pruschiæ Mag. XIX. præfuit ferè annis XIII. Hic (c) vocatus à sanctissimo Patre ac Domino Joanne XXII. Papa, stetit cum multis fratribus in curia Romana per annum, & multa Ordinis ardua expedivit. Lingvam Italicam novit sicut propriam, sine interprede loquebatur coram Papa & Cardinalibus; adeò affabilis & facundus fuit, quod etiam inimici ejus delectabantur eum audire. Infirmatus fuit in Curia Romana & adeò debilitatus, quod licet adhuc Juvenis esset, reversus ad Almanniam post paucos annos in civitate Treverensi apud fratres suos mortuus & sepultus est.

ANIMADVERSIONES

(a) Simon Grunovius hunc Karolum appellat Bosphorum, ipsumque genus à Romanis ab Antonino Caracalla expulsis duxisse refert. *Tract. XI. cap. V.* qua verò fide hoc asserat, ipse vident.

(b) Hæc ita sunt intelligenda. Numerat Dusburgius à Primo Hermanno de Balkèn usque ad ultimum Henricum de Plozke septendecim (quamvis plures numerari possint, ut ex supra notis constat) Magistros Pruschiæ Provinciales, quos ille Magistros simpliciter sine ullo addito appellat. Cum verò Sigfridus de Feuchtwangen in Prussiam sedem suam transferens Henricum de Plozke ex Magistro, Commendatorem magnum creasset, sine dubio Sigfridum hunc decimum octavum, & ipsius successorem Carolum de Treviris XIX. Magistros Prussiæ nominat. Hæc itaque clara sunt. Sed illud dubium movet, quod Nobiliss. Dn. Gottofredus Zamelius

lius notat Fridericum de Wildenbruk in quodam Privilegio de Anno 1321. se nominare Meister zu Preussen; cum tamen certum sit Magistros Provinciales tum jam fuisse abrogatos neque quisquam asseruit, Fridericum de Wildenburg Magistrum Ordinis Generalem fuisse.

CAP. CCCVIII.

De

Ædificatione Cristmemel.

Anno Domini MCCCXIII. infesto Paschæ frater Karolus Magister ad laudem & gloriam Dei & matris suæ & dilatationem finium Christianornm congregatâ omni Virtute exercitus sui (*a*) ædificavit castrum Christmemelam in littore Memelæ supra (*b*) Raganitam ultra 6. leucas. Tanta fuit ibi multitudo navium, quod factus fuit pons super Memelam de ipsis, quem quilibet sine periculo poterat pertransire usque ad littus infidelium, de quo ponte Lethovvini plus admirabantur, quam de omnibus factis Christianorum, quæ viderant in vita sua. Consummato ædificio Clerici sequente populo cum solemni processione reliquias ad Ecclesiam portaverunt, missam ibi solenniter celebrantes. Nec hoc prætereundum est, quod ex promissione Dei plures naves fratrum, quæ cum Victualibus & aliis quæ ad ædificationem castri sunt necessaria, fuerant oneratæ in mari, Naufragio periclitatæ

Anno Dn. MCCCXIII. die V. mensis May, Papa Clemens V. Canonizavit S. Petrum Confessorem, qui fuit Papa Celestinus V. & præcepit festum suum XIV. die mensis Junii observari.

Eodem anno circa festum B. Gregorii apparuit Cometa in sero X. diebus vertens comam ad Italiam.

Eodem anno in die Bartholomæi Henricus Imperator in Comitatu Senensi mortuus est & sepultus Pisis. X dies, quibus Imperator infirmabatur ante mortem suam. Hoc anno Allecum defecit in terra Pruschia, quæ à tempore cujus memoria non extitit ibidem abundabat.

runt,

runt, & fratres IV. & viri quinquaginta sunt submersi. Hanc tentationem, sicut dicitur de Job, permisit Dominus ideò fieri, ut daretur posteris Exemplum constantiæ, quia licet hoc grave damnum fratribus occurrit, nequaquam tamen inceptum opus Domini retardavit. Hoc tempore quidam de Bavaria sagittarius in Castro Raganita fuit, qui dum facto Crucis signo jaceret in stratu suo noctis tempore, & vellet dormire, venit Diabolus & momordit eum maximè in pedicam suam: iste autem de nimia læsione dolens clamavit alta voce dicens: Quis est qui me momordit? At ille inquit: Ego sum Diabolus. Et quare fecisti? Respondit Diabolus, quia cum reponis te ad dormiendum, facies cruces nimis nimis breves. Sequenti autem die cum hujusmodi factum coram fratribus & aliis publicaret, quæsiverunt ab eo, utrum sic fuisset de brevitate Crucis. Respondit, verè ita erat. Sed de cætero cavebo, faciam enim Cruces quæ procedunt à planta pedis usque ad verticem & ultra.

ANIMADVERSIONES.

(a) Quatuor hebdomadarum spacio. *Vid.* Simon Grunov. *Tract. XI. c. 5.* Henneb. *in Comment. ad tab. Geogr. pag. 49.* Destructum est postea Castrum hoc, adeò ut ne vestigium quidem ejus hodiè supersit.

(b) Perperam itaque Waisselius, qui Castrum hoc conditum esse dicit ex adverso Raganitæ. Dicit enim richt Raguit über. *fol. 110. à pr.* Fluxit autem error ex malè intellecto loco Simonis Grunovii, qui *loc. cit.* ita scribit: Und lieget über Raganita daß fließ auff. Primus arcis illius provisor (Pfleger) fuit Gandolff von Brudelow *loc. Citat.*

CAP. CCCIX.

De

Impugnatione Castri Bisene.

Eodem

EOdem anno in æstate frater Henricus de Plotz (*a*) Marschalcus terræ Prussiæ totum robur Exercitus sui congregavit, & dum appropinquaret Castro Bisene, equites sui in ortu diei ipsum Castrum obsederunt: hi autem, qui navigio venerant, facto ponte cum navibus suis ab Insula vicinâ per Memelam applicantes Instrumentis bellicis per longum tempus fortissimè impugnaverunt, licet nil proficerent. Undè aliquibus de parte fratrum & quibusdam, de Castrensibus vulneratis ab obsidione recesserunt.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Simon Grunovius eandem recensens Historiam, Henricum à Plozke nominat magnum Commendatorem, non vero Marschalcum. Et hoc etiam Grunovium rectius feciſſe, posset alicui videri. Jam enim supra diximus, Henricum hunc à Plozke à Sigfrido constitutum fuisse Commendatorem Magnum. Vix autem verisimile est, hunc Henricum posthæc & Commendatori magno esse postpositum. Verum Dusburgio hic fides denegari non potest, qui de iis scribit, quæ suo tempore contigerunt. Ut autem ad dubium illud respondeatur, notandum est, Magistratus illos supra in Notis ad Cap. CCLXXXIX. enumeratos non fuisse perpetuos; Sed sæpius fuisse immutatos vel à Magistro solo, si fuerant Magistratus inferioris Ordinis, vel à Magistro & Capitulo simul, si fuerunt Magistratus Majores. Solebant enim hi singulis annis in Capitulo generali dignitatibus suis se abdicare, & tum aut ipsis Honores illi prorogabantur (ut fiebat plerumque) aut etiam aliis conferebantur. *Vid. Consvetud. Ord.* Sed & notandum est, semper novo Magistro electo novos quoque fuisse in eodem Capitulo electos Commendatores magnos Marschalcos &c. nisi alicui eorum ex speciali Magistri & Collegii Equitum gratia Magistratus esset prorogatus, ut ex Grunovii plurimis locis probari potest (Vid. ap. ipsum singulorum Mag. electiones.) Exemplum hujus rei habemus Sec. XV. Nam an. 1469. sub Henrico Richtenbergio Erasmus à Reizenstein fuit magnus Commendator; idem tamen sub Joanne à Tieffen fuit Marschalcus Ordinis. Item Philippus von Angelem fuit sub Henrico Richtebergio Marschalcus: Ast sub Joanne à Tieffen minori

officio præfuit, cum Hospitalarius esset factus. Similiter Wilhelmus Comes ab Eisenberg sub Johanne à Tieffen fuit magnus Commendator: ast tempore Friderici Ducis Saxoniæ idem factus est Marschalcus Ordinis. *Vid.* Grun. *Tract. 18. cap. 3. 5. 11. & Tract. 19. cap. 1.*

CAP. CCCX.

De

Quadam nave bellica facta.

POsthæc frater Wernerus (*a*) Commendator de Raganita fecit sibi ædificare navem bellicam cum mœniis & plures naves alias. Cum quibus dum venisset ad impugnandum castrum (*b*) Junigedam, ventus validus irruens in navem, violenter dejecit eam ad littus; quo viso castrenses armatâ manu invaserunt navem: Fratribus & armigeris in ea existentibus ex adverso viriliter se defendentibus. In qua pugna Lethovvini plures interfecti fuerunt & lethaliter vulnerati. Et sic fratres evaserunt.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Wernerum ab Urseln Marschalcum Ordinis fuisse scribit Grunovius *Tract. XI. c. V.* cum eandem historiam recenset.

(*b*) Bischonadam vocat Grunovius *loc. cit.* ubi ea de re sic loquitur: Und er fuhr das Fluß Mümmel auff/und kam ins fließ Wagnigra/auff welchem man zwischen Littawen und Samayten komt/ da ein sehr gut stück Landes war / und von den Wassern unbersehret / und da liegt an einem grossen tieffen See die mächtige Stadt Bischonada / & sic etiam urbem hanc postea aliquoties nominat.

CAP. *CCCXI.*

De

Destructione navis hujus.

Rex

REx Lethovvinorum auditâ famâ navis hujus, turbatus est, & omnis Lethovvia cum eo, & post multa consilia variosque tractatus habitos pro destructione ipsius, tandem misit nobilem virum & bellicosum Surminum, cum centum navibus, in quibus erant sexcenti viri & amplius, & centum equites, qui dum navem impugnarent, IV. Sagittarii de intus qui ad defensionem ejus deputati fuerant, viliter defenderunt. Tandem præciso fune, quo ligata fuit, descendit navis Memelam & descendendo fortiter impugnaverunt, sic quod multis Lethovvinis vulneratis & (*a*) Scoldone, germano dicti Surmini, occiso, navem ceperunt & interfectis IV. Sagittariis in cinerem redegerunt.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Stryikovvski legit Stoldon, & putat fuisse Gastoldum, quæ familia postea apud Lithvanos fuit celeberrima.

CAP. CCCXII.

De

Combustione præurbiorum castri Bisene.

HOc anno in autumno frater Henricus Marschalcus cum fratribus & viris de Sambia & Nattangia impugnavit castrum Bisenam, & post longam impugnationem, diversis utriusque partis vulneratis, ambo ipsius, suburbia ignis incendio devastavit.

CAP. *CCCXIII.*

De

Deprædatione territorii Medenike.

Annò Dn. MCCCXIV. post circumcisionem | *Anno Domini MCCCXIV. Kalendis Martii apud Carpentrasium, ubi tunc curia Romana*

nem ejus Idem frater Henricus Marschalcus cum fratribus & viris de Sambia & Nattangia, dum veniret circa territorium Medenikam, quidam Lithovvini noctis tempore tentoria ejus intrantes, IV. viros occiderunt, duos equos secum ducentes, de quo exercitus Christianorum per totam noctem fuit inquietatus: Sed hoc fratres non terruit in tantum, ut opus Domini incœptum aliqualiter retardaret. Undè quod ad laudem Domini nostri Jesu Christi incœperant, Zelo fidei succensi, viriliter confisi in Domino perfecerunt. Sequenti ergò die dictum territorium potenter intraverunt, & quicquid in eo intra tres leucas constitutum fuit, vastaverunt incendio & rapinâ, & occisis & captis septingentis hominibus cum præda maxima redierunt.

fuit, apparuerunt tres soles circa octavam horam. Unus in oriente innaturalis: duo in meridie, unus naturalis, alter contra cursum naturæ, & diu duraverunt, & quilibet suos radios emittebat. Hoc fuit quoddam indicium & prodigium significans mortem Papæ & post mortem ejus ad modicum scissuram Collegii; duravit tamen ista scissura per duos annos & IV. menses, antequam Cardinales concordarent in Electione futuri Papæ. Hoc idem signum similiter apparuit tempore mortis Julii Cæsaris ut scribit Comestor & post mortem facta est scissura Senatus. Eodem anno XIII. Kalend. Maji moritur Papa Clemens eo die revoluto anno, quo cometa incepit apparere. Hoc etiam anno XII. Kal. Nov. Lodewicus de Bavaria & Fridericus Dux Austriæ in discordia sunt electi in Regem Romanorum, tempore quo sedes Apostolica vacavit XXIIX. mensibus, & duravit inter eos hæc discordia usque ad annum Domini MCCCXXII. ubi in vigilia Michaelis Ludewicus Dux Bavariæ post multa bella inter se habita Fridericum Ducem Austriæ cepit in bello, & captum detinuit II. annis, ex tunc facta fuit concordia inter ipsos.

CAP. CCCIV.

Ad idem.

Eodem

EOdem anno circa purificationem B. Virginis idem Fr. Henricus Marschalcus cum omni potentia exercitus sui venit ad territorium Medenikam iterum, & castrum ibidem dictum Sisditen impugnavit, castrensibus ex adverso viriliter se defendentibus, & in hac pugna, quæ diu duravit, de parte Lethovvinorum germanus Masini & XVIII. alii, ceciderunt interfecti: sed de parte fratrum tres fratres, scilicet, frater Henricus Ruthenus, Fr. Ulricus de Cecinge, & Fr. Rebodo de Ysenburgk; & IV. viri in armis strenui, scilicet Spagerat, Queramde, Waldovv, Michael, & Mindota. Hoc facto cum non proficerent in impugnatione castri, profecti sunt ad territorium ejus, & iterum depopulaverunt per incendium & rapinam.

CAP. CCCXV.

De *Vastatione terræ Crivitiæ & expugnatione Civitatis parvæ Nogardiæ.*

HOc anno in mense Septembri idem frater Henricus Marschalcus cum omni virtute exercitus sui venit ad terram Crivitiæ, & civitatem illam quæ parva Nogardia dicitur cepit, & funditus destruxit. Et terram circumjacentem rapina & incendio multipliciter molestavit, fixisque ibi tentoriis, ante castrum dictæ civitatis pernoctans, sequenti die ipse & totus exercitus accesserunt ad castrum, & ipsum fortiter impugnaverunt, sic quod ex utraque parte aliqui occisi & plures fuerunt lethaliter vulnerati. Sed cum in hac impugnatione non proficerent, recesserunt, & dum venirent ad locum ubi custodes ad sarcinas reliquerunt, invenerunt XXX. viros per David Castellanum de Gartha occisos, & mille & quingentos equos, panes, & quicquid

de cibo & rebus aliis ibi depoſuerant deductos. Turbati ergo fratres dum venirent ad ſecundam manſionem, & ibi & de pane & aliis relictis nihil penitus invenirent, proceſſerunt & pluribus diebus fuerunt ſine pane, quidam fame invaleſcente comederunt equos ſuos, alii herbas, & radices earum, aliqui mortui fuerunt fame, multi inediâ conſumpti poſt reditum defecerunt, reliqui circa finem ſextæ hebdomadæ à die quâ exierant ſunt reverſi.

CAP. CCCXVI.

De

Impugnatione caſtri Raganitæ.

Anno Domini MCCCXV. circa aſſumptionem B. Virginis Lethovini de Samethia cum omni potentia exercitûs ſui venerunt occultè & improviſè ad caſtrum Raganitam & impugnaverunt illud, quibus fratres dum occurrerent in bello, non valentes tantæ multitudini reſiſtere, coacti ſunt retrocedere; non tamen ſine pœnitentia ſuorum, quia Fr. Joannes dictus Poppo ibi occiſus fuit ab infidelibus & plures alii vulnerati. Tandem cum Lethovvini in hac impugnatione non proficerent, calcatis & deſtructis in agro utriusque caſtri, ſcilicet Scalovvitarum & Raganitæ, ſegetibus, receſſerunt.

CAP. CCCXVII.

De

Obſidione caſtri Chriſtmemele.

EOdem anno menſe Septembri Wittenus Rex Lethovvinorum, congregatis omnibus de regno ſuo, qui ad bellum apti fuerunt, obſedit Chriſtmemelam & per XVII. dies duabus machinis & multis Sagittariis ex omni parte fotiſſimè impugnavit. Fratres autem hoc videntes, ut præcaverent futurum periculum,

lum, castri sui præurbium cremaverunt. Medio tempore, quo hæc agerentur, venerunt de Sambia X. fratres, CL. viri navigio in subsidium dicti castri; sed Lethovvini ita prudenter occupaverant vias & aditus ipsius castri, quod licet sæpius attentaretur, nullus tamen habere poterat accessum ad ipsum. Unde coacti sunt fratres manere in navibus, ubi eos Lethovvini singulis diebus impugnaverunt, in qua pugna de infidelibus plures occisi sunt, & lethaliter vulnerati, & de parte fratrum XVIII. viri vulnerati. Dum ergò sic non proficerent, tandem die XVII. cum vellent recedere, intellecto, quod Magister cum magno exercitu appropinquaret, accedentes ad fossam castri, apportaverunt ligna, fœnum, stipulas, & stramina, volentes ipsum utique concremare; in qua comportatione & impugnatione tot de infidelibus occisi sunt, & lethaliter vulnerati, quod eorum numerum (non) audivi, sicque combustis machinis negotio recesserunt.

CAP. CCCXVIII.

De *Combustione suburbii castri Junigeda.*

INterea Fr. Carolus Magister generalis de salute suorum solicitus, turbatusque de obsidione dicti castri, congregavit magnum exercitum, ut ipsum liberaret: sed dum in via perciperet, quod esset solutum ab obsidione, dimisit exercitum, præter sex millia hominum, cum quibus navigio venit noctis tempore ad castrum Junigedam, & intrantes suburbium ejus, occisis multis hominibus & LXXVIII. captis, funditus per incendium destruxerunt. Deinde processerunt Christmemelam, & quicquid Lethovvini ibidem destruxerant, refecerunt.

CAP.

CAP. CCCXIX.

De

Vastatione territorii Passoviæ.

Anno Domini MCCCXVI. Johannes XXII. Papa cum his electis in discordia regnavit.

Anno Domini MCCCXVI. tempore hyemali frater Henricus Marschalcus cum magno potentia equitum intravit territorium Passoviæ improvisè, & ipsum totum vastavit incendio & rapina, captis quingentis hominibus, & LXXVIII. occisis.

CAP. CCCXX.

De

Deprædatione territorii Medenike.

Dum autem idem frater Henricus reversus esset Kunnigsberg, invenit multos peregrinos de partibus Rheni, videlicet nobiles viros de Monte & Nuvenare Comites, Arnoldum de Elner milites, & multos alios Nobiles, cum quibus congregato iterum magno exercitu venit ad territorium Medenikam, & ipsum depopulavit, captis & occisis ducentis hominibus. De parte fratrum etiam quinquaginta viri ceciderunt interfecti. Medio tempore, quo hæc agerentur, Comes de Monte sub vexillo fratrum ante castrum Megenadam milites multos fecit.

CAP. CCCXXI.

De

Occisione LXXX. Lethowinorum.

Hoc tempore Fr. Fridericus de Libencele Vice-Commendator de Cristmemela cum XX. fratribus & LX. viris, versus Letho-

Lethoviam (*) deputati ad custodiam castri Bisene debebant recedere, & alii supervenire, quos ipse & sui complices omnes occiderunt, præter V. qui rejectis armis fugæ præsidio evaserunt.

(*) Desunt quædam. Suppleri forsan lacuna posset, si addantur: *iverunt. Tunc.*

CAP. CCCXXII.

De

Combustione castri Bisene.

EOdem anno in die B. Ambrosii frater Th. de Aldenburg, & frater Fridericus Quitz, & quidam alius frater, cum tribus armigeris de Raganita iverunt versus castrum Bisenam, illo tempore, quo quidam Lethovvini completâ hebdomadâ vicis suæ de custodia dicti castri debebant recedere, & ex eis sex occiderunt: Alii sex dum viderent duos armigeros, quos ad custodiam deputaverant, rejectis armis affugerunt. Post hæc fratres cum armigeris suis, invenientes dictum castrum vacuum, funditus combusserunt, & sic remansit hoc castrum desolatum usque in præsentem diem.

CAP. CCCXXIII.

De

Combustione duarum villarum.

EOdem anno in æstate frater Hugo Advocatus Sambiensis de mandato Marschalci cum octingentis viris equitavit versus territorium Medenikam, & ordinatis insidiis in loco competenti, fratres de Raganita cum suis intraverunt illud, & combustis duabus villis occisisque viris & captis mulieribus & parvulis, celeriter recesserunt, quos CC. Lethovvini hostiliter sequebantur.

Sed dum viderent exercitum Christianorum, ruptis nimis maturè insidiis fugientes evaserunt.

CAP. CCCXXIV.

Quomodo Deus fratres cum magno exercitu mirabiliter à periculis mortis liberavit.

Anno Domini MCCCXVII. Joannes Papa Beatum Lodewicum Germanum Roberti Regis Siciliæ Ordinis fratrum minorum canonizavit, & præcepit diem natalis sui, V. die post Assumptionem Beatæ Virginis celebrari.

Anno Domini MCCCXVII. tempore hyemali frater Henricus Marschalcus & fratres & pugnatores de Sambia & Nattangia dum venissent ante territorium Waykinam, in primo somno noctis tempore, audita fuit horrenda intemperies aëris & insolita, quia venti in modum tonitrui tam horribiliter mugiebant, quod præter timorem, qui per hoc hominibus fuit incussus, equi plures quam quingenti fractis frenis & canistris fugiendo discurrerunt per sylvam. Unde factum est, quod equis omnibus præter paucos cum magno labore & tædio recollectis fratrum exercitus est reversus. Postea compertum fuit in veritate, quod magna multitudo infidelium parata in armis fratres & eorum exercitum per tres dies expectavit, & si Christiani intrassent ad deprædandam terram ipsorum, nunquam aliquis ipsorum sano capite rediisset.

CAP. CCCXXV.

De

Combustione suburbii castri Gedemini & cæteris.

Eodem

EOdem anno in æſtate circa feſtum Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ idem Marſchalcus cũ fratribus & viris de Sambia dum veniſſet circa territorium Pograndam, diviſit exercitum ſuum in IV. turmas. Sic quod Fr. Hartmannus & Fr. Fridericus Quitz cum LX. viris quasdam villas hujus territorii debebant invadere, ſed erraverunt in via nihilque egerunt. Secunda pars exercitus, ſc. fr. Fridericus de Libencele Commendator de Raganita cum CL. viris debebat latenter ſubintrare caſtrum Gedemini & expugnare, ſed neſcio quo caſu caſtrenſes præmuniti caſtrum defenderunt, ſuburbiô penitus à fratribus concrematô. Tertia pars, ſcilicet Fr. Albertus de Indagine & LX. viri intraverunt habitationem cujusdam Nobilis & potentis viri dicti Sudargi, & eam cum villis circumjacentibus in cinerem redegerunt, uxorem ipſius & liberos & familiam cum multis aliis mulieribus & parvulis ceperunt, viris pluribus interfectis. Quarta pars exercitus fuit ſub vexillo fratrum, cujus ductores dum errarent in via, etiam nihil egit. Tandem exercitus totus recollectus ad propria eſt reverſus.

CAP. CCCXXVI.

De

Quodam facto.

IN hoc exercitu accidit quoddam factum dignum memoriâ, dum frater Albertus de Indagine inſultum faceret curſitando ad locum ſibi deputatum, quidam armiger de equo ſuo ceſpitante cecidit. Et dum ſic graviter læſus poſt longam moram reſumptis viribus ſurgens, eqvum ſuum & fratrum exercitum undique circumſpiciens, non videret turbatus ultra modum ſuſpirans, elevatis oculis in cœlum, B. Virginem devotiſſimè pro auxilio invocabat, & facto ſigno crucis Deo & B. Virgini commen-

dabat & eâdem viâ, quâ venerat, rediit Raganitam. Contigit autem ipsum transire per quandam villam infidelium, qui ei viam rectam versus Raganitam, dum pro ipsa quæreret, ostenderunt. Sed dum non longè processisset à dicta villa, infideles videntes ipsum armatum, dixerunt ad invicem: utique iste est de exercitu fratrum, sequamur & occidamus eum. Accurrunt ergò omnes cum tota familia & canibus ipsum quærentes. Ille audito clamore canum & hominum abscondit se in sylva vicina, sed infideles advenientes sæpius ipsum circuibant & quasi à DEO percussi acrisiâ, ipsum non viderunt. Tandem fatigati ab inquisitione destiterunt, quo facto ille Christianus adhuc indutus armis suis venit Raganitam, & intrans Ecclesiam, procidit ad genua sua, & DEO & B. Virgini de tanto beneficio sibi exhibito gratias referebat.

CAP. CCCXXVII.

De

Combustione suburbii Junigede.

HOc etiam anno in die B. Matthæi Apostoli idem Marschalcus cum magno exercitu venit ad campum Talsen, & mille & quingenti equites relictis equis sub vexillo fratrum pedestres transiverunt sylvam, dictam Wint, & in ortu diei dum vellent occultè accedere ad castrum Junigedam, & expugnare, castrenses præmuniti, accenso igne per indicium fumi vicinis gentibus fratrum exercitum prodiderunt. Præcedentes itaque fratres dictum castrum fortiter impugnaverunt, tandem post longam altercationem habitam inter eos, dum amplius agere non possent, suburbium dicti castri in cinerem redegerunt. Hoc facto dum fratres recederent & vicinæ gentes viso fumo ignis prædicti convenerant, & ipsos sæpius hostiliter invaserunt, sic quod

multi

multi utriusque partis graviter vulnerati fuerunt, & Fr. Th. de Piremont occisus & plures de infidelibus interfecti.

CAP. CCCXXVIII.

De

Suburbiorum destructione Castrorum Junigedæ & Pistæ.

Anno Domini MCCCXVIII. in autumno frater Henricus Marschalcus cum magno exercitu venit ad castra Junigedam & Pistam, & utriusque suburbia, quæ tunc frumento de novo introducto superabundabant funditus cremaverunt.

CAP. CCCXXIX.

De

Exustione suburbii castri Junigede.

Anno Domini MCCCXIX. post festum Pasce idem Marschalcus cum multis fratribus & pugnatoribus navigio veniens, voluit castra Junigedam & Pistam expugnare; sed cum ordinatio ab ipso statuta, quæ ad hujusmodi impugnationem fuit necessaria, debito modo non servaretur, indignatus omisso castro Pista, quingenti viri occultè accesserunt ad castrum Junigedam & invenientes ipsum præmunitum, solum ejus suburbium subverterunt.

CAPUT CCCXXX.

De

Occisione LV. Lethowinorum.

Hoc anno cum esset aquarum abundantia in solitudine David Castellanus de Gartha cum octingentis viris exiens ad bel-

bellum ordinato exercitu suo insidiis, cum LXXX. viris intravit territorium Pruschiæ, dictum Wohensdorph,& combustis paucis domibus magnam prædam in hominibus & rebus aliis secum duxit. Quos Fr. Ulricus de Drielebe Commendator de Tapiovv, & Fr. Fridericus Quitz socius ejus cum paucis hominibus secutus,fracto prius ponte, quem Lethovvini transire debebant,LV. viros de ipsis occiderunt,& totam prædam, quam tulerant de ipsorum manibus eruerent. Reliqui fugiendo venerunt ad Insidias suas, & omnes perterriti simul recesserunt, totque pericula sustinuerunt in via,quod pauci ex ipsis incolumes sunt reversi.

CAP. CCCXXXI.

De *Morte Marschalci & XXIX. fratrum & multorum de populo Sambiensi.*

Anno Domini 1320. leprosi in Francia combusti fuerunt. Referebatur enim quod ipsi veneno aquas infecissent, de quo plures homines & pecora perierunt.

Anno Domini MCCCXX. VI. Kal. Augusti i.e. tertia die post Festum B. Jacobi Apostoli,frater (*a*) Henricus Marschalcus cum XL. fratribus & equitibus de Sambia & de Memela venit ad territorium Medenicam & dum primi præcursores secundum consvetos mores belli,ipsum transirent per rapinam & incendium devastando gentes hujus territorii, jam paratæ in armis, eos, qui sub vexillo erant constituti hostiliter invaserunt in bello & cadentibus ex utraque parte pluribus interfectis, tandem ipsum fratrem Henricum Marschalcum cum XXIX. fratribus & multis de populo occiderunt. Alii in solitudine errantes per plures dies & noctes consumpti inedia sunt reversi. Fratrem etiam Gerhardum dictum Rude Advocatum Sambiensem indutum

dutum armis & depositum super dextrarium cremantes diis suis pro victima obtulerunt.

ANIMADVERSIONES.

(a) Henricus à Plozke Marschalk, ut habet Chron. Germ. Antiqv. in 4.
(b) Eodem modo in Dusburgio suo legit Matth. Strykovius. Sed Jeroschinus, ut & Author Chronici Germ. Antiq. in 4. dilucidius hæc proponunt. Sic enim Jeroschinus:

Drier Manne Wapen an
Sy vm zu mahle thaten
Und uff ein Roß vn saten
Gebunden an vier Pfäle
Nach ihres Sitten Wele
Unde trugen Holtzes dran
So viel daß sie noch Roß noch Mann
Gesehen darin kunden
Und darnach in zunden
In dem Holtz ein Feuer.

CAP. CCCXXXII.

De

Fratre Thammone de Balgâ & vita ejus.

Anno Domini MCCCXXI. Fr. Thammo, natus de Misnia, qui stetit in Balga & in Ordine Domûs Teutonicæ per LVI. annos infra XXX. annos ante mortem suam nunquam exivit terminos dicti Castri. Unum mellicratum seu medonem, & omne quod inebriare potest, non bibit: usus fuit cilicio: in pane & aqua singulis sancto-

Anno Domini MCCCXXI. in partibus Sclaviæ tres viri accusati de propinatione veneni missi fuerunt in (a) *ferventem aquam, quorum duo statim suffocati sunt, tertius propter innocentiam illæsus exivit.*

sanctorum reliquiis jejunavit. Tandem dum infirmaretur post receptionem Sacramentorum fuit sine cibo XXXIX. diebus & noctibus, & tunc in Domino feliciter obdormivit.

ANIMADVERSIO.

(a) De probationibus percandens ferrum, ferventem aquam, duellum, Vid. Antonius Thysius *in Memorabilibus Polydori Vergilii Historiæ Anglicæ adjectis pag. 815.* Boxhorn. *in Hist. Univers. pag. 582. seqq.* Joh. Christophorus Beemannus *in Dissertatione Historico Politica de Judiciis Dei* aliique juris Canonici Doctores.

CAP. CCCXXXIII.

De *Adventu peregrinorum & vastatione territoriorum VVaykine, Rusigine & Strogele.*

Anno Domini MCCCXXII. illustres viri & Domini Bernhardus Dux (a) Wratislaviensis de Polonia, Comes de Gerodisseke, primogeniti filii Comitum de Juliaco & de Wildenberg de Reno, Dominus de Lichtenberg & Bligt, cum fratre suo de Bohemia cum multis militibus & armigeris venerunt ad terram Pruschiæ. Cum his omnibus & tota potentia exercitus fratrum à terra Colmensi & infra, frater Fridericus de Wildenberg gerens vicem Magistri generalis & fratres CL. tempore hyemali intraverunt territorium Waykenam, rapinâ & incendio, tam Castrum quam alia

Anno Domini MCCCXXII. in terra Pruschiæ in Castro Brandenburg Thomas filius Hertwigi de Pokarvis vixit, qui, cum esset IV. annorum, mortuus fuit, & revixit virtute ligni Dominici, quod antea frater de Ulckenstein de Reno illuc tulerat, & frater Genehardus de Mansfelt semel projecit in ignem & de igne resiliit, pluribus videntibus, ad probandum quod esset verum lignum Crucis in Castris pependit.

alia ædificia destruentes, tantam stragem fecerunt in populo illo, quod nec ibi mingens ad parietem superesset. Sequenti die intravit territorium Ruschigenam, & tertia die territorium Erogelam, & utrumque incendio molestabant. In vespere hujus tertii diei obsederunt castrum Pistam ipsum fortissimè impugnantes : sed peregrini adeò benè fuerunt armati, quod dum scanderent ad mœnia castrenses, nec lanceis, nec gladiis, nec aliquo genere armorum poterant ipsos ab ascensu prohibere. Tandem duo vel tres aut plures acceptâ hastâ posuerunt eam ad pectus & dorsum ascendentium, & sic premendo eos à mœniis dejecerunt. Supervenientibus ergo tenebris noctis, cessaverunt fratres ab impugnatione. Sequenti die cum iterum vellent ad pugnam accedere, Castrenses dederunt obsides, promittentes se fratrum imperio subjacere. Sed artante ipsos Rege Lethovvinorum, fidem præstitam postea non servabant.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Jeroschinus eum Ducem Svvidnicensem : Strykovvius vero cum Dusburgio Wratislavviensem fuisse dicit.

(*b*) Alii Rossianum vocant.

CAP. CCCXXXIV.

De *Vastatione Episcopatus Tharbatensis terræ Livoniæ.*

MEdio tempore quo exercitus iste fratrum ejus esset in dictis territoriis, Lethovvini cum magnâ populi multitudine intraverunt terram Lethoviæ, & præter alia damna, quæ in Episcopatu (*a*) Tharbatensi fecerunt incendio & rapinâ, quinque millia hominum Christianorum & amplius interfecerunt, & in captivitatem perpetuam deduxerunt.

CAP. CCCXXXVI.

De

Adventu peregrinorum, & intenso frigore,

Anno Domini MCCCXXIII. Dominus de (*a*) Cimeberg & Dominus de Egerberg cum multis Nobilibus de Bohemia & Reno fuerunt in terra Pruschiæ. In hac hyeme intensissimum fuit gelu, sic quod quasi omnes arbores fructiferæ in partibus Livoniæ & Pruschiæ, aut omnino aruerunt, vel infra multos annos vires pristinas resumere non valebant. Unde licet exercitus magnus, à fratribus congregatus veniisset ferè ad medium viæ inter Lethovviam & Pruschiam; tamen ultra procedere non valebant, quia præ nimio frigore communis populus periisset.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Elbingensis Codex habet Cuncenberg. Kojalovvicz verò & Strykovvsky Kumererg.

CAP. CCCXXXVI.

De

Depopulatione Revaliæ terræ Regis Daciæ.

EOdem tempore David Castellanus de Gartha cum exercitu Lethovvinorum intravit (*a*) Revaliam terram Regis (*b*) Daciæ, & præter alia infinita damna, quibus oppressit dictam terram, incendio & rapinâ, ultra quinque millia hominum Christianorum Nobilium, Matronarum, virginum & aliorum promiscui sexus cepit & interfecit. Sacerdotes etiam plures seculares, & religiosos occidit. Sacramenta, Ecclesias, vestes sacras & vasa

vasa altaris, & quicquid ad Divinum cultum spectabat, inhumaniter polluit & concremavit.

ANIMADVERSIONES

(*a*) Æsthoniam Livoniæ Provinciam jam ante Christianorum ingressum regno Daniæ fuisse subjectam à Canuto Rege, tradit Joannes Isacius Pontanus *l. VI. Rerum Danicar. ad An. 1196. pag. 290.* Alii hoc tribuunt Canuti fratri Waldemaro II. qui etiam Revaliâ conditâ Episcopatum ibidem constituit, Londensique Archiepiscopo ut Metropolitano subjecit. Pont. *Lib. VI. ad an. 1218. fol. 307. & ad annum 1234. f. 318.* Posthæc Fratres Ensiferi omnibus viribus eò nitebantur, ut sibi Æsthoniam subjicerent. Jamque Revaliam expugnaverant; eam tamen dein auctoritate Legati Pontificii compulsi Danis reddiderunt. Th. Waisselius *in Chron. Pruss. & Livon. fol. 61.* (*b*). Non cessarunt verò & postea Cruciferi Revalienses insidias struere. Unde Æsthoniæ Nobilitas extorsit à Christophoro II. Rege literas, quibus Rex promittit, se nunquam Æsthoniam à Regno Daniæ vel venditione, vel alio modo, separaturum, quas literas exhibet Pontanus *lib. VII. pag. 450.* Contra hæc tamen pacta & Contra Æsthonum jusjurandum, quo illi nuuquam se à Regno Daniæ recessuros promittebant, vendidit Waldemarus III. Christophori filius Æsthoniam Henrico Dusnero Mag. Ord. Generali An. 1346. acceptis 18000. (19000.) argenti Marcis. Pontanus *l. VII. f. 475.* Conf. Balthasar Rustovv *in Chron. Livon. part. II. fol. 39. b.* Quamvis autem Æsthonia fuerit Cruciferis subjecta, Episcopus tamen Revalienses Archiepiscopum Londensum agnovit Metropolitanum, quod de suo adhuc tempore testatur Alb. Cranz. *lib. VI. Wandal. cap. XI.*

(*b*) Per Daciam eorum temporum Scriptores intelligunt Daniam.

CAP. CCCXXXVII.

De Destructione Civitatis Memelæ & plurium Castrorum.

HOc anno tertio die post festum B. Gregorii Papæ, Lethovvini de Samechia cum exercitu suo expugnaverunt Civitatem Memelam & unum sacerdotem fratrem Ordinis domus Teutonicæ occiderunt. LXX. quoque homines in ea ceperunt, quorum quidam interfecti sunt, alii in captivitatem perpetuam deducti, ipsam Civitatem & tria circumjacentia Castra neophytorum, cogas & naves alias, & quicquid igne consumi potuit præter solum Castrum in quo fratres habitabant in cinerem redegerunt.

CAP. CCCXXXIIX.

De

Morte fratris Friderici Quitz & vastatione territorii VVilovv.

IN vigilia B. Petri ad vincula anno prædicto Lethovvini intraverunt terram Sambiæ & in territorio Wilovv sex villas combusserunt, & fratrem Fridericum dictum Quiz virum audacem & in armis strenuum & XXXVI. viros interficientes, mulieres & parvulos cum præda alia deduxerunt.

CAP. CCCXXXIX.

De

Destructione Ducatus & Civitatis Dobrinensis, & occisione & captione IX. millium Christianorum.

IN die exaltationis Sanctæ Crucis ejusdem anni Lethovvini videntes, quod omnia succederent eis ad votum, congregato iterum exercitu valido venerunt ad Ducatum nobilis matronæ Ducissæ de Dobrin, & sex millia hominum utriusque sexus, alios tru-

trucidando, quosdam vero ad perpetuam suæ gentilitatis servitutem miserabiliter ducendo interemerunt; Præterea septem Sacerdotes plebanos & duos fratres Ordinis S. Benedicti, & cum his omnibus sexaginta Clericos, tam ordinatos, quam inordinatos, extra & intra (*a*) scholæ loca repertos occiderunt. Item X. Parochiales Ecclesias ad capitalem dicti Ducatus Civitatem, dictam Dobrin, captis & occisis in illa duobus millibus Christianorum, & cunctas Ducatus villas per incendium vastarunt. Insuper & cum damnis præfatis tot & tanta diversarum rerum spolia abduxerunt, quod Christi fidelibus in perpetua gentilitatis servitute permansuris dicti Ducatus terra damna memorata (lugubri memoriâ benè digna) vix, aut nunquam, potuit recuperare; & indubitanter formidandum est & dolendum, quod per dicti Ducatus anni hilationem patebit aditus infidelibus ad Christianorum terminos contiguos & vicinos. Ecce quanta mala fidei Christianæ & fidelibus infra spacium unius anni & dimidii sunt exorta, quia ferè XX. millia hominum Christianorum ab infidelibus occisa & in servitutem perpetuam sunt deducta, & multæ Civitates & Castra penitus sunt destructa.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Antiquitus in Ecclesia Christiana ipsi Episcopi in Scholis juventutem instituebant. Illustris olim fuit Schola Alexandrina, in qua docuerunt Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & alii plurimi. Similiter Cesareæ in Palæstina fuit Schola cujus Præses Origenes, Pamphilus aliique fuere. Sic etiam Anatolius Laodicenus Episcopus Aristotelicam Scholam instituisse dicitur. Niceph. *lib. 5. Hist. Eccl. cap. 36.* Gregorii Nazianzeni auditores fuere S. Hieronymus, Evagrius &c. Diodoro Tarsensi Episcopo in Ecclesia divinas literas profitente, accurrebant discipuli Joannes Chrysostonus, Theodorus qui deinde Mopsvestæ Episcopus fuit, Maximus Episcopus Seleuciæ, alii. De Eusebio Emisseno *Vid.* Chrysost. *in Psalm. 49.* De Ablavio Niceæ Episcopo, qui Rhetoricam docuit in urbe *Vid.* Socrates *lib. 7. Hist. Eccl. cap. 12.* Ex re-

centioribus pertractant hanc materiam fusè, Centuriatores Magdeburgenses per singula Secula, & Ludovicus Cresollius in Mystagogo *lib. 2. cap. 13. sect. 13. pag. 277. seqq.* Postea Episcopis hoc onus subterfugientibus in Monasteriis solebant Scholæ institui, ut præcipit Carolus M. *in Capitular. cap. 72.* Multa hic cumulare exempla operæ non est, cum alii hoc jam præstiterint. Dusburgius etiam hoc testari potest, qui Clericos in Scholis trucidatos esse refert.

CAP. CCCXL.

De

Morte quorundam Lethowinorum.

HOc etiam anno tempore messium frater Henricus Commendator de Tapiovv cum octo fratribus & CCC. viris equitavit ad Campum (*a*) Semegalliæ, qui ex oppositò Castri Pastoviæ situs est, & messores (*b*) Lethovvinorum quos quæsivit non invenit laborantes, propter tempus pluviale receptis ergò XXXIV. equis, rediit. Sed Lethovvini sequentes cum venirent ad locum, ubi fratres posuerant Insidias, unus missâ sorte secundum ritum gentilitatis clamavit altâ voce: Cito revertamur insidiæ Teutonicorum fratrum sunt hîc. Quo audito dum Lethovvini recederent fratres de insidiis exilientes sequebantur, & ex eis XII. occiderunt.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Provincia hæc ultima est, quæ restitit Ordini Teutonici in Livonia. Singuli enim ferè Magistri Livonici in Semgalliam expeditiones suscepisse leguntur, usque ad Conradum ab Herzogenstein, quem circa An. 1288. Semgallos sub jugum misisse refert Balth. Russovv. *Part. II. Chron. Livon. pag. 30.* Sed ex hoc loco Dusburgii colligimus, etiam post tempora Conradi illius Semigallos rebellasse.

(*b*) Lithvanis sese Curoni & Semgalli subjecerunt, ne ab Ordine Teutonico Religionem Christianam suscipere cogerentur. *Vid. Notas ad cap. LXXXI.*

CAP.

CAP. CCCXLI.

De

Adventu peregrinorum.

Anno Domini MCCCIV. Dominus Johannes & Philippus Comites de Spanheim, & de Bohemia Dominus Petrus Rosenberg, & Hermannus avunculus ejus cum multis militibus & armigeris, & multi alii Nobiles de Reno & Alsatio (a) venerunt Pruschiam, nihil tamen poterat agi contra inimicos fidei, propter teneritudinem glaciei.

An. Domini MCCCXXIV. Andreas (b) *Carpentarius in Castro Christburg terræ Pruschiæ, dum in cœnâ esset, de pane quem tinxerat in Cerevisiam guttæ Sanguinis stillabant, quod commensales sui dum de aliquo vulnere crederent emanare, circumspicientes diligenter & os, & faciem, & manus ejus, non invenerunt alicujus vestigium læsionis. Unde de hoc facto plures fuerunt admirati.*

ANIMADVERSIONES.

(a) Et de Bohemia, ut addit Jeroschinus.
(b) Zimmermann vocatur à Jeroschino.

CAP. CCCXLII.

De

Destructione allodii, seu prædii David de Gartha.

EOdem anno in quadragesima tres fratres & sexcenti viri de Nattangia allodium seu prædium David Castellani de Gartha hostiliter sunt ingressi, & funditus comburentes præter occisos homines & C. equos cum multo pecore alio deduxerunt.

CAP. CCCXLIII.

De

Conversione cujusdam viri mirabili.

Hoc

HOc anno in Castro Konigsberg Fr. (a) Johel de Gilborstete Saxo mortuus fuit, qui dum esset adhuc secularis, vitam duxit indecentem. Unde Dominus plagavit eum gravi infirmitate, in qua dum sacram Communionem & alia Ecclesiæ Sacramenta percepisset, quandam Juvenculam, quæ ministrabat ei, vi opprimens carnaliter cognovit. Unde ex permissione DEI volentis ulcisci hanc malitiam Dæmones ipsum cum lecto rapuerunt & per aëra ducentis in quandam paludem distantem per dimidiam leucam projecerunt, & dixerunt: O miser quomodo in hoc statu tuo ausus fuisti facere tantam irreverentiam DEO tuo & Ecclesiæ Sacramentis. Sed cum sic in aëre duceretur, invocavit B. Virginem Mariam matrem misericordiæ pro auxilio, vovens, quod vellet assumere Ordinis Domus Teutonicæ habitum regularem: quo facto dimissus à Diabolis cecidit in paludem. De qua exiit & reversus ad Civitatem Hallensem, quæ gesta fuerant enarravit, & per lectum: & vestes ipsius quæ postea in palude inventæ fuerant comprobavit.

ANIMADVERSIO.

(a) Jeroschinus & alii antiqui vocant Johann von Gilverstete.

CAP. CCCXLIV.

De
Combustione sub urbii de Castro Gedemini.

POsthæc XI. Kalendas Junii Fr. Thomas de Aldenburg Commendator de Raganita & XLIV. fratres cum CCCC. viris de Sambiâ & Nattangia improvisè intraverunt in ortu diei suburbium Castri Gedemini, & incendio destruxerunt, & occiderunt quicquid in eo repertum fuit, præter qui ad Castrum confugere poterant, de parte fratrum tres viri de Nattangia interfecti sunt & duo

& duo capti. Fr. Other etiam captus fuit, sed breviter postea mirabiliter evasit. Decem enim diebus fuit in via sine cibo.

ANIMADVERSIONES.

(a) Eodem modo legunt Striykovvsky, Kojalovvicz & Schuzius: non indicant tamen, ubi Castrum illud situm fuerit. Ego puto hîc intelligi urbem Vilnam à Gedimino recens tum conditam, nimirum Anno 1322. Occasionem urbis hujus condendæ sic explicat Kojalovvicz. Haut procul à Svintoroha (ubi Principum funeribus aream, lucosque Diis dicaverat olim Germundus) exactum è profundioribus sylvis & abruptis montium sylvestrem bovem (urum vocamus) proprio telo ipse princeps in edito monte confecerat. Fessum diurnæ venationis labore, & confectæ bestiæ eventu recreatum, cum proximâ nocte in Svintoroha campo pernoctantem arctior somnus oppressisset, videre sibi visus est in ipso montis vertice, in quo feram illam occiderat grandem stare lupum, aut ferro solido ductum, aut ferratâ laminâ undique munitum, in quo centum alii inclusi lupi ingenti ululatu circumjacentes latè campos sylvasque implerent. Experrectus non vulgare aliquid in eo viso suspicari: Sive quod genius aliquis altior eam cogitationem objectaret; sive quod ubi facta destinatam à supremo Numine telam ordiri incipiunt, suus cuique animus sibi genius est: sive etiam ex more gentis, cui, (ut cæteris Ethnicis) omnia religionum plena habebantur. Consulti mox, qui in proximo agebant, Pontifices, ut arcana proderent. Lizdeyco tum inter illos summus Pontifex, seu voce patriâ Krive Kriveyto sacris præerat. Hic olim infans inter Sylvas in aquilæ nido, vel, ut alii tradunt, de arbore cum cunis pendens à Vitene ipso inter venandum repertus, ejusque mandato ad Deorum altaria educatus & à puero patriorum sacrorum scientiâ imbutus optimus arcanorum interpres tunc censebatur. Ille Principem bono animo esse jubet. Quod ipsi Principi quod Reipubl. Lithvanæ auspicato eveniret, sequeretur feliciter Deos monentes: Lupum ferreum portendere arcem & urbem, quam in eo loco esset conditurus. Eam urbem gentis atque universarum Lithvaniæ subjectarum Provinciarum caput futurum; sedem Principum qui rerum à se gestarum famâ varias orbis regiones impleturi

essent: Paruit Princeps Pontifici è superum, ut putabat, mente, legitimè consilium expedienti. Cæremoniis omnibus ritè persolutis, arci locum designat, montis editi caput, in quo urum nuper occiderat; Aream Svintoroha nuncupatam, quam ad radicem ejus montis Vilna fluvius flexuoso sinu ambit, aggeribus, palis ac loricâ permuniri jubet, reliqvum spacii urbanis ædificiis relinquitur; & hæc de Origine Urbanis Vilnæ Kojalovvicz *part. I. Lib. VII. p. 202. seq.*

(*b*) Oher legit Stryikovvski.

CAP. CCCXLV.

De
Morte XLV. Lethowinorum.

EOdem anno & tempore quidam de Episcopatu Warmiensi dictus Muko cum XIX. latrunculis vadens versus Lethovviam, invenit XLV. equites Lethovvinos in solitudine, & subtiliter circumveniens eos omnes interfecit.

CAP. CCCXLVI.

De eodem.

IDem Muko tempore alio cum paucis latrunculis exiit contra infideles, & dum venisset in solitudinem, vidit plures equites de Lethovvia, & expavescens illorum multitudinem & potentiam, rejecit de humeris suis cibum & potum, & quicquid eum poterat gravare, & cum sociis suis fugit & evasit. Quo facto idem Muko turbatus post multa consilia dixit ad socios suos; Oportet nos mori fame, quia cibum non habemus. Consulo ergo ut moriamur honestè. Sequamur hostes nostros & videamus si possumus aliquid proficere contra ipsos, quod cum placuisset omnibus, accesserunt secretè noctis tempore, & omnes occi-

occiderunt, eorum arma, equos & quæcunque alia ſecum deducentes.

CAP. CCCXLVII.

De

Fratre Wernero Magiſtro Generali & terra Pruſchiæ.

FRater Wernerus de Orſele Magiſter Generalis XIV. terræ Pruſchiæ XX. hoc anno ſcil. MCCCXXIV. ſexta die Menſis Julii in domo principali Mergenburg eſt electus & præfuit annis (*).

(*) Reliqua Dusburgius omiſit data operâ, cum adhuc Magiſter ille eſſet in vivis ſuppleri itaque poſſunt hæc ex aliis. Dicitur autem Wernerus hic præfuiſſe ſex annis. Occiſus eſt à fratre Joanne à Bindorff, Marcæburgi ante templum in vigilia S. Eliſabethæ cum à veſpera domum rediret, ſepultus eſt in Marienvverder in Eccleſia Cathedrali. *Vid. Continuator Dusburgenſis cap. XX.*

CAP. CCCXLVIII.

De

Impugnatione Caſtri Chriſtmemelæ.

HUjus tempore eodem menſe Julii CCCC. Lethovvini occultè venientes, volebant Caſtrum Chriſtmemelam expugnare: ſed fratres præmuniti per quendam piſcatorem, parati in armis dum ad pugnam accederent, in ortu diei plures vulneraverunt ictibus & ſagittis, & quendam virum nobilem occiderunt, quem dum Lethovini deportare vellent, Fratres per crebra jacula defenderunt. Tandem provocati in iram omnes convenerunt, quidam ipſum mortuum cum brachiis, alii cum pedibus, reliqui cum capite rapientes, violenter deportaverunt;

sed antequam hoc proficerent, tot ex eis vulnerati fuerunt, quod eorum numerum non audivi.

CAP. CCCXLIX.

De
Legatis sedis Apostolicæ, & pace facta inter infideles & Christianos.

HOc anno etiam Joannes Papa XXII. ad suggestionem fratris Friderici Ordinis fratrum Minorum Archiepiscopi de Riga & Civium ibidem misit ad partes Livoniæ duos (*a*) Legatos (*b*) Bartholomæum scil. Episcopum Electum & Abbatem Monasterii S. Theofredi, Anniensem Diaconum Ordinis S. Benedicti, ut Regem Lethovvinorum & Ruthenorum baptizarent, qui cum in crastino B. Matthæi Apostoli & Evangelistæ venirent ad Civitatem Rigensem, fecerunt pacem inter dictos Reges & eorum subditos ex una parte, & Christi fideles ex alterâ, & præceperunt eam autoritate apostolica firmiter observari, addentes, quod quicunque, pacis fieret temerarius violator, aut aliquid ageret verbo, vel facto, consilio, aut opere, per quod eorum salubre negotium impediri posset, aut aliqualiter retardari, in sententiam excommunicationis incideret ipso facto, à qua non posset nec per sedem Apostolicam absolvi. Cui sedi ipse etiam infra tres menses deberet se præsentare, subiturus ibi correctionem debitam pro excessu. Hoc facto Legati solemnes nuncios miserunt ad Gedeminum Regem Lethovvinorum ut negotium sibi commissum à sede Apostolica proponerent & diligenter investigarent, si ipse cum populo Regni sui vellet baptismi gratiam suscipere, & relictâ Idololatriâ nomen Domini nostri Jesu Christi humiliter adorare.

ANI-

ANIMADVERSIONES.

(*a*) In Chron. antiq. Germ. M. S. hæc cauſa miſſæ Legationis aſſignatur. Videlicet cum Epiſcopus & Cives Rigenſes perpetuas inimicitias contra Ordinem Teut. in Livonia foverent, in tota Europa hoc divulgarunt, duos illos Reges Ruſſiæ & Lithvaniæ Chriſtianorum ſacra ſuſcipere velle. Fratres autem Ordinis Teut. hoc ipſorum propoſitum impedire. Hos rumores non deſierunt ſpargere, donec Pontifex duos illos Legatos in Livoniam mitteret.

(*b*) Jeroſchinus omiſit hæc nomina Legatorum: Strykovvius verò ſic legit: Bartholomæum Epiſcopum Electenſem & Bernhardum Abbatem Monaſterii S. Theofridi, Amicienſem Diaconum,

CAP. CCCL.

De

Deſtructione terræ Maſoviæ.

FIrmatâ ergo pace dum fratres & alii Chriſti fideles terræ Livoniæ & Pruſchiæ & aliarum partium vicinarum indubitanter crederent, quod non deberent à modo prælia exerceri, & jam diſponerent gladios ſuos conflare in vomeres, & lanceas in falces; Idem prophanus fidei hoſtis & fidelium, tanquam aſpis ſurda, obturavit aures ſuas ad ſalutaria monita Domini Papæ, per dictos nuncios eidem cum omni diligentia propoſita; quia dum de ſalute ſua & ſuorum cogitare debuerat, quomodo ſcil. poſſet dignè & cum reverentiâ debitâ ſuſcipere baptiſmatis Sacramentum, ipſe ſequens veſtigia prædeceſſorum ſuorum, totum conatum ſuum in deſtructionem fidei & fidelium convertit. Ordinavit ergo, quod David Caſtellanus ſuus de Gartha cum valido exercitu intravit terram Maſoviæ XI. Kal. Decembris, & civitatem Epiſcopi Plotzenſis, quæ dicitur Poltus, CXXX. villas dicti Epiſcopi, & Ducis Maſoviæ, Religioſorumque & Nobilium, plura prædia, Eccleſias Parochiales XXX. & capellas cum multis oratoriis ad laudem Dei dedicatas rapinâ

& incendio devastavit: Sacramenta Ecclesiæ, vestes sacras, & vasa irreverenter tractando, sacerdotes, & Religiosos, & seculares, & alios promiscui sexus ultra IV. millia peremit, aliquos trucidando, alios in captivitatem perpetuam deducendo.

CAP. CCCLI.

De

Vastatione territorii Rositen in terra Livoniæ.

EOdem tempore idem Rex misit alium Exercitum prægrandem versus Livoniam, qui X. Kalendas Decembr. intravit territorium dictum Rositen, & illud depopulavit per incendium & rapinam. Hos duos Exercitus misit ipse Rex ad destructionem fidelium, dum adhuc nuncii Legatorum sedis Apostolicæ in persecutione dicti negotii fuerant circa ipsum. Ecce qualem devotionem seductor iste habuit ad suscipiendum baptismatis sacramentum.

CAP. CCCLII.

De

Reditu Nunciorum Legatorum.

HOc anno VII. Kal. Decembr. Nuncii Legatorum Rigam sunt reversi, & cum eis quidam Lethovvinus nobilis & quasi secundus post Regem: qui ex ore ipsius Regis in præsentia Legatorum & multitudine Prælatorum & aliorum fidelium circumstante altâ voce dixit: quod nunquam aliquæ literæ de conscientia Regis super negotio baptismatis sui vel suorum emanaverunt, aut Domino Papæ præsentatæ fuerunt, nec mandaverit talia in Civitatibus Maritimis & Provinciis aliis in sermonibus publicari; addens, quod ipse Rex per Deorum potentiam juraverit,

rit, quod nunquam aliam legem vellet assumere, præter eam, in qua progenitores sui decesserunt. Hoc idem etiam nuncii prædicti ita esse coram omni multitudine veraciter affirmabant. Quo audito Legati cum dictâ responsione ad sedem Apostolicam sunt reversi.

CAP. CCCLIII.

De Ædificatione (a) civitatum plurium & Castrorum.

Anno Domini MCCCXXV. in Italia de parte Gelphorum multa millia per Gebellinos sunt occisa.

Anno Domini MCCCXXV. (b) Henricus de Ysenberg Commendator de Konigsberg de licentiâ & mandato Reverendi Viri Fratris Werneri Magistri Generalis, Viri utique soliciti & intenti circa injunctum sibi officium, ad dilatandum terminos Christianorum, ædificavit & perfecit in die B. B. Petri & Pauli Apostolorum in terra Barthensi castrum Gindavviam. Eodem anno & tempore Eberhardus Episcopus Warmiensis per fratrem (c) Fridericum de Libencele Advocatum suum in terra Galindiæ in littore fluminis Pisse ædificavit Castrum Wartenberg, quod castrum dum esset perfectum, & de spiritu S. missa solemniter cantaretur, apparuit infra Evangelium una columba albissima domestica. Sed in priori Castro scilicet Gerdavia, dum etiam missa celebraretur, & post missam apparuerunt duæ Columbæ volantes infra Castrum & supra mœnia. Prutheni autem qui huic ædificationi interfuerunt asserebant veraciter, quod in hac Vasta solitudine nunquam columbas domesticas vidissent. Præterea idem frater Fridericus in territorio Glottovviæ in medio fluminis Alle civitatem dictam Guthstatt. Et Jordanus Præpositus Warmiensis castrum

dictum

dictum Plut, circa civitatem Meelsak. Et Rudolphus Episcopus Pomesanienſis civitatem, dictam Bischopswerder/ supra littus Osse. Et frater (*d*) Lutherus Provincialis Colmenſis terræ, ſuper littus Drivance Civitatem, quæ Novum forum dicitur, (*e*) conſtruxit.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Quod Ordo tot urbes condere potuerit, hanc cauſam fuiſſe perhibet Simon Grunovius: Geſſerat Gediminus Magnus Dux Lithvaniæ cum Cruciferis in Pruſſia & Livonia quamplurima bella. Cum vero bellorum jam eſſet pertæſus, aliterque Lithvaniæ ſuæ conſuli non poſſe cerneret, ſcripſit ſvaſu quorundam Maſoviorum ad Pontificem Romanum, ſe non abhorrere à Chriſtianorum ſacris, quominus verò ea reciperet, obſtare perpetua cum Cruciferis bella. Pontifex acceptis illis literis imperavit Ordini, ut in tres annos cum Sedimino inducias pacifceretur, quo temporis ſpacio Gediminus in Chriſtiana Religione informari ſacroque baptiſmatis fonte ablui poſſet: Durantibus ergò induciis, dum per turbas externas licuit, adhibitis ad labores publicos Lithvanis bello captis, tot civitates de quibus hoc & ſequentibus capitibus agitur, ſunt exſtructæ. *Vid.* Grunov. *Tr. XI. cap. 12. fol. 193. ſeq.*

(*b*) Heidrich habet Grunov. *l. c.* refertque hunc Heidricum ab Eiſenburg, ut ipſum vocat, non tantum Caſtrum Girdavienſe, ſed etiam Civitatem Girdavienſem condidiſſe.

(*c*) Grunovius de Wartenburgo nihil. *loc. cit.* habet; ſed dicit, Henricum de Liebenthal condidiſſe Lipſtadiam civitatem. Fortaſſe ipſum nominis ſimilitudo fefellit.

(*d*) Hoc Grunovius tribuit Rutgero de Wolkenſtein; ſed Dusburgio, cujus tempore hac contigerunt, fides eſt habenda.

(*e*) Addit plures Civitates Grunovius, de quibus neque in hoc neque in proximè ſequentibus capitibus fit mentio. Dicit enim Wernerum Magiſtrum eo tempore condidiſſe civitatem Neuteich. Fr. Heinrich de Schrotenthall civitatem Deutſch en Eylau: Arnolphum de Eilenſtein civitatem Preuſch Eilau: Fr. Leopoldum Wulffacharcem Prauſchmarcum. Fr. Gebhardum de Grechya Hohenſteinium. Fr. Leopoldum Sehfelt Salfeldiam. Alias vero civitates,

vitates, quarum Dusburgius meminit, Grunovius omittit, ut Wartenbergam, pro qua substituit Liebstadiam. Item Gutstadium, Melsacum, Bischovsvverderam. Neque de Ylienburgo *de quo cap. 305.* quicquam habet.

CAP. CCCLIV.

De *Vastatione terræ Marchionis de Brandenburg & morte & captione sex millium Christianorum.*

Anno Domini MCCCXXVI. Rex Ungariæ de Exercitu Tartarorum, qui Regnum suum depopulaverant, XXX. millia interfecit.

Anno Domini MCCCLXXVI. (*a*) Loteko Rex Poloniæ rogavit Gediminum Regem Lethovvinorum, cum filiam ejus noviter duxerat in uxorem, ut ei aliquos armigeros de gente sua mitteret, qui precibus ejus acquiescens, MCC. equites destinavit ei. Hi de mandato dicti Lotekonis adjuncti populo suo armata manu hostiliter intraverunt terram Marchionis de Brandenburg circa Civitatem Frankenfordam, & totam illam contractam, quæ continebat ultra centum & XL. villas Ecclesias Parochiales totidem, cœnobia monachorum Cistercienſis tum & clausſtra sancti monialium duo, & plura religiosorum & secularium monasteria, spoliis & incendio destruxerunt; inhumaniter religiosos & sacras Deo dicatas virgines de clausſtris extrahentes, ministros Ecclesiæ & Sacerdotes, vasa sacra, vestes & Sacramenta alia pertractantes. Occiderunt viros, sed mulieres & nobiles matronas multas cum virginibus & parvulis captivas deduxerunt. (*c*) Inter has virgines una fuit nobilis, quæ propter eminentiam pulchritudinis suæ parem non habuit, pro qua habenda fuit dissensio magna inter Lethovvinos; sed ne altercatio invalesceret

inter eos accessit quidam & gladio per medium secuit eam, dicens: divisa est in duas partes, quilibet de ipsa sibi contingentem accipiat portionem. Sicque vastatâ terrâ illa, & occisis & captis pluribus quam sex millibus hominum, recesserunt. Hunc Exercitum quidam Polonus, dolens de tanta strage Christianorum secutus fuit simulans se amicum infidelium, & dum locus & tempus advenerat opportunum, David Castellanum de Gartha & Capitaneum hujus belli, qui infinita mala, ut præmissum est, intulit fidei & fidelibus in conspectu omnium interfecit.

(*a*) Lotheco est Wladislaus Locticus Rex Poloniæ, qui Locticus i. e. cubitalis, dictus est, ob staturæ brevitatem, à Polonico vocabulo Lokiec, quod ulnam notat.

(*b*) Chron. Germ. antiq. in 4. habet CC. pagos. Stryikovvski legit centum & sexaginta.

(*c*) Aliam hic alii substituunt Historiam, qui hunc in modum se habet: Virgo Deo sacrata ad flagitium cogebatur à milite, ubi preces & lacrymæ consumptæ sunt frustra, illa promittit militi, modo se inviolatam relinqueret, non vulgare secretum se edituram, cum se habere diceret Ungventi genus, quo qui perunctus esset, vulnerari non posset; ut vero fidem faceret, dubitanti collum suum ungvento oblinit, & simul ad ictum militem invitat. Hic miles constantiâ Virginis motus stringit ensem, & cum uno ictu caput amputasset, intellexit demum, quam probè Virgo calleret artem, non vitæ, sed Castitatis conservandæ. Habet hanc historiam Chron. Antiq. Germ. in forma ut vocant quarta, quod in Bibl Elector. asservatur. Item Simon Grunov. *Tract.* XI *13.* Chronicon Ordinis *sub Wernero de Urseln.* Schuz. & alii plurimi. Sed quoniam hic Dusburgius & ejus interpres Jeroschinus nihil hac de re habent, possumus suspicari per errorem huic tribui, quod alias Euphrasian Virginem fecisse memoriæ proditum est.

CAP. CCCLV.

De ædificatione castri Luneburg, & duarum civitatum.

HOc tempore Fr. Theodoricus de Aldenburg Commendator de Balga, petitâ & obtentâ Generalis Magistri licentiâ in terra Barthensi circa confluentiam duorum fluviorum, scil. Gobrionis & Says ædificavit castrum (*b*) Luneburg, trahens nomen suum à nomine campi, in quo est situm. Item idem Commendator civitatem circa Castrum Bartenstein. Et frater Lutherus filius illustris Ducis de Brunsvig Commendator Christburg civitatem circa Castrum (*c*) Ylienburg locaverunt.

(*a*) Hic postea factus est Mag. Ord. Teut. Gener. Fuit autem filius Joannis III. Comitis Oldenburg. nato minimus.

(*b*) Idem habet Henricus Hamelmannus *part. II. Chron. Oldenb. fol. 126.* hodie Luneburg. Henneb.

(*c*) Excepta Dusburgiana Nobiliss. Dn. Gothofredi Zamelii habent Georgenburg. Idem verò putat legendum esse Ilienburg. i. e. Gilgenburg. Ex quorundam sententia est Lilienburg.

SUP-

SUPPLEMENTUM CHRONICI PRUSSIÆ.

AUCTORIS INCERTI.

CAP. I.

De

Evangelio: In principio erat verbum.

EOdem anno Fr. Wernerus Magister Generalis in Capitulo generali (a) instituit, ut in reverentiam & honorem Incarnationis Domini nostri Jesu Christi singulis diebus finitâ summâ missâ, Clerici Evangelium: In principio erat verbum; Cum versiculo: ostende nobis Domine misericordiam tuam. Et collectâ: Omnipotens sempiterne Deus dirige actus nostros in beneplacito tuo legerent, & dum dicerent: Et verbum caro factum est; Fratres flecterent genua sua usque ad finem collectæ.

ANIMADVERSIO.

(a) Plurima alia ipsius Statuta habet Simon Grunovius *Tract. XI. cap. XI. fol. 190. seq. & cap. XII. fol. 194.* Habentur etiam in aliquot codicibus antiquis hujus Magistri Statuta, quæ tamen à Nicolao V. Pontifice Romano abrogata sunt, qua de re alibi erit agendi locus.

CAP. II.

De

Ædificatione castri Morungen.

Anno Domini MCCCXXVII. Frater (*a*) Hermannus Commendator de Elbingo & Hospitalarius Domus principalis Civitatem dictam (*c*) Morungen circa Civitatem (*b*) Salfelt, nomen suum trahens à stagno in cujus sita est littore, (*c*) instauravit.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Hermannus ab Ottingen. Grunov. *Tract. XI. cap. 12. fol. 194.*

(*b*) Salfeldiam conditam esse An. 1329. ab Leopoldo de Seefelt, refert Hennebergerus *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 406.* Ex hoc loco verò patet, Salfeldiam An. 1327. jam fuisse conditam, aut saltem jam condi cœptam.

(*c*) Si Hennebergerum audimus, condita est arx Morungensis An. 1280. Oppidum verò An. 1302, excitatum, deindè An. 1328. muris cinctum. Ast quicquid sit de arce, Civitas certè An. 1327. condita & muris cincta esse videtur, ut ex hoc loco Continuatoris apparet. Consentit & Grunov. *loc. cit.*

CAP. III.

De

Destructione Castri Christmemelæ.

Anno MCCCXXXVIII. Castrum Memelburg, quod Fratres de Livonia ædificarunt An. Dn. MCCLII. & sub ditione fuit eorum usque ad præsens tempus, translatum fuit ad Fratres de Prussia. Unde Castrum Christmemela, quod Frater (*a*) Carolus Magister ædificavit, est in die B. Petri ad vincula desolatum.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Vid. supra Dusburg. *part. 3. cap. 308.*

CAP. IV.

De

Prænostication hujus destructionis.

Hujus

Hujus castri destructionem prænosticatio aliqua præcessit Anno Domini MCCCXXVII. eodem tempore anni, quo sequenti anno destructio facta fuit, tres fratres in cœnaculo dicti castri circa crepusculum steterant, cum adhuc paucæ stellæ apparerent, & viderunt unam stellam in plaga aquilonis, quæ prætermisso naturali cursu, retrogrado celeriter cucurrit ultra C. passus, & stetit ibi, nec fuit reversa, licet dicti Fratres reversionem ejus diutius exspectarent.

CAP. V.

Item de eodem.

Anno Domini MCCCXXVIII. fuit terræ motus in dicto castro, & non alibi, & quatiebatur terra horribiliter, quod ædificia alta minabantur ruinam, ita quod hi, qui in ædificiis fuerant, volebant jam saltare ad terram suam, ut evaderent mortem.

CAP. VI.

De

Vastatione territorii Castri Garthe.

Eodem tempore LX. Fratres & familia virorum de Prussia exierunt versus castrum Gartham, & dum intelligerent, eos præmonitos esse, miserunt CCCC. viros, qui intraverunt territorium dicti castri, & deprædaverunt id, & reversi sunt ad exercitum Fratrum altera die. Dum Lethovini crederent Fratres suos rediisse ad terram suam, & irent ad agros suos, extunc Fratres cum toto exercitu suo intraverunt potenter dictam terram, & usque ad sex leucas eam depopulati sunt incendio & rapinâ. Plures etiam Nobiles de dicto castro cum omni domo & familia

sua usque IX. animas adjuncti sunt Fratribus, & venientes in Prussiam baptismi gratiam perceperunt.

CAP. VII.

De

Destructione suburbii.

PEr idem tempus Fratres de Raganita cum XXX. viris intraverunt præurbium, & moverunt bellum contra Castrenses de Puthenica, ad quod venerant pridie CC. viri, quod hospites & Fratres nesciebant. Et intrantes mane in ortu diei cum adhuc quiescerent in strato suo, irruerunt improvise in eos, & viros & mulieres, & parvulos, qui effugere non poterant, occiderunt, & præurbium cremaverunt.

CAP. VIII.

De

Combustione præurbii castri Oukaym.

NOn longè autem post iidem Fratres de Raganita cum suis subditis præurbium castri Oukaym dormientibus castrensibus intraverunt & totaliter cremaverunt, & præterquam paucos, qui effugerant, omnes alii cum uxoribus, liberis, pecoribus & pecudibus aut igne aut gladio sunt consumpti.

CAP. IX.

De

Castrensibus Mederage.

ANno Domini MCCCXXIX. Joannes de Luccelburg Rex Bohemiæ cum Nobilibus Regni sui & Duce Silesiæ, de Valkenberg,

berg, & Comitibus de Lunge, de Ætinge, de Nivenar, de Wallrode, Hanavo, de Wirtenberg, de Stovvenborg, & de Valkenstein, & Domini de Kerpin, de Gera, de Berga, de Rotenstein, de Damis, de Kotebus, de Misna & Burgravio de Dhona, & cum multis Nobilibus Regni Almanniæ & Angliæ, intravit in terram Prussiæ. Cum his omnibus Frater Wernerus & Fratres CC. & 18. M. pugnatorum præter pedites ivit versus Lethoviam, & in vigilia Purificationis B. Mariæ obsedit Castrum Mederage, & post multas impugnationes subdiderunt se fidei Christianæ & 6. M. hominum dicti castri sunt in nomine Domini baptizati, sed non longe post apostataverunt.

CAP. X.

De

Destructione terræ Culmensis.

MEdio tempore, quo hæc agerentur, & eodem die (*a*) Lotheco Rex Poloniæ malitiam, quamdiu concepit, adimplevit, & cum 6. Millibus pugnatorum dolosè non obstantibus treugis, quas cum Rege Bohemiæ & Magistro fecerat, intravit terram Colmensem & V. diebus & V. noctibus vastavit incendio & rapinâ. Ecce stupendum & exsecrabile nefas. Iste Rex antea fuit Dux, & noviter à Sede Apostolica in Regem constitutus, ut esset S. Ecclesiæ, fidei & fidelium eò diligentior & fidelior & magis strenuus propugnator. Nunc autem non solùm non defendit cœtum fidelium, sed eos, qui defendunt, crudeliter impugnat. Et quod deterius est, cum Rex Bohemiæ, & Magister & exercitus eorum essent in actu impugnandi infideles & vindicandi injuriam Domini Christi crucifixi, ipse malitiam, quam supra diximus, perpetravit.

ANI-

ANIMADVERSIO.

(a) Causam hujus belli subticet. Illa verò non fuit alia, quam quod Cruciferi Pomeraniam sibi vindicabant, & eam ob causam Joannem Regem Bohemiæ contra Polonos precibus excitaverant. Joannes jus in Poloniam (post decessum Venceslai Regis Bohemiæ, qui etiam in Regem Poloniæ Gnesnæ erat coronatus) prætendens, avidè occasione hac arreptâ, conjunctisque cum Ordine Teutonico copiis Dobrinensem arcem cepit, Vladislaviam exussit, Cechocinense territorium, quod in ditione erat Episcopi, occupavit: Pomeraniam denique, in quam tamen ipsi nihil juris erat, Cruciferis dono dedit. Hanc injuriam Vladislaus Locticus ulturus, Culmensem Provinciam ferro & igni vastavit. Treugæ illæ, quas vocat, sive induciæ, jam post devastatam Culmensem Provinciam sunt constitutæ, ut interea de Pomerania, Carolo Hungarorum & Joanne Bohemorum Regibus arbitris, inter Polonos & Cruciferos transigeretur. *Vid.* Martinus Cromerus, & Salomon Neugeb. *in Vladislao Loctico ad dict. annum. Conf. & ea quæ supra diximus ad Dusburgii part. 3. cap.*

CAP. XI.

De

Prænosticatione Belli.

Anno Dn. MCCCXXIX. ultima die mensis Januarii in ipsa nocte quæ præcessit vigiliam Purificationis B. Mariæ, quidam Pruthenus vigil in castro Girdaviæ vigilans, audivit tonitrua & coruscationes, & posthæc vidit in aëre innumeros viros enses evaginatos vibrare; deindè vidit lucem maximam in quatuor plagis terræ, & in medio lucis crucem fulgidam, cujus summum brachium ad Occidentem; post hoc brachium dextrum ad Meridiem; & sinistrum ad Aquilonem. Tandem venit turbo magnus, qui involvens hæc omnia, secum duxit versus Orientem in Lethoviam. Et tum disparuerunt omnia.

CAP.

CAP. XII.

De

Destructione castri Wisserat.

LIcet Dominus in Deuteronomio dicat: Mea est ultio, & ego retribuam, iterum tamen Mattathias cum appropinquaret tempus moriendi, dixit filiis suis: Mementote operum Patrum vestrorum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum. Et interpositis quibusdam, addit: Vindicate vindictam populi vestri, & retribuite retributionem hostibus vestris. Et alibi interfectis his qui non resistent hostibus: in simplicitate sua mortui sunt, dixit vir proximo suo: Si fecerimus omnes sicut fratres nostri, & non pugnaverimus adversus hostes pro animabus nostris, & in justificationibus nostris, citius disperdent nos à terra. His & aliis S. Scripturæ monitis salubriter eruditi Magister & fratres, terram Prussiæ sub innumeris expensis & angustiis de manibus infidelium ereptam & fidem inibi multorum Nobilium sangvine complantatam contra dicti Regis impugnationem defendere decreverunt, propter hoc res & corpora exponentes. Magister igitur magno congregato exercitu misit eum in Poloniam anno supradicto in æstate, & obsedit castrum Wischerat Regis Poloniæ, in quo habitabant viri scelerati, famosi in malitia sua, qui prætereuntes homines facto navigio in Wisela spoliabant rebus suis, eosque captivaverunt aut occiderunt, & nullus poterat evadere sine damno, & hoc continuaverunt annis in grave præjudicium Fratrum & suorum, & post multas impugnationes tandem intraverunt potenter, & percusserunt peccatores in via sua & viros iniquos cum indignatione sua, & captis omnibus & occisis castrum cum indignatione penitus cremaverunt.

CAP. XIII.

De

Destructione Castrorum Nakel & plurium.

EOdem anno & ætate venit alius Exercitus Fratrum & terram circumjacentem, Civitatem Brist. vastaverunt incendio & rapinâ. Et hoc facto processit exercitus & obsedit quoddam castrum, ubi obsessi tradiderunt id sub his pactis, ut salvis rebus recederent. Deindè processit exercitus prædictus ad duo castra alia, & ad castrum Nakel, quæ tria castra oppugnaverunt violenter successivè & captis omnibus & occisis, castra in cinerem converterunt. In hoc castro fuit Capitaneus quidam, Henricus nomine, miles, qui indifferenter Clericos & Laicos, Religiosos & seculares, & quoscunque prætereuntes spoliavit, & crudeliter molestavit. Hic captus fuit à Fratribus, & cum quærerent ab eô, cur tot & tanta mala perpetrasset, respondit: Quia mihi nullus prohibuit, aut defendit. Ecce quomodo impunitas scelerum intentionem tribuit delinquendi.

CAP. XIV.

De

Vastatione territorii Wayken.

ANno Domini MCCCXXX. Comes de Marcha & de Mandu, & germanus Comitis de Juliaco cum multis militibus & Nobilibus de Almannia venerunt ad terram Prussiæ & tempore hyemali Magister venit ad terram & misit cum eis C. Fratres & 3000. Equitum, qui intrantes terram Lethoviæ, territorium, quod dicitur Wayken, incendio vastaverunt, & quia homines longè antè præmoniti fuerunt, prædam modicam receperunt.

CAP.

CAP. XV.

De

Exustione Castri Jedemini & Suburbii.

EOdem tempore Fratres de Raganita cum suis subditis occultè in ortu diei dormientibus Lethovvinis intraverunt suburbium castri Jedemini & totum illud cum hominibus, mulieribus & parvulis & omni supellectili penitus combusserunt, præter XII. viros, qui ad castrum fugientes mortis judicium evaserunt.

CAP. XVI.

De

Destructione Civitatis Rigensis.

ANno prædicto, scilicet MCCCXXX. tempore Paschali cum jam Civitas Rigensis ferè per annum obsessa fuisset, immortalis (ut quidam æstimabant) discordia inter Cives Rigenses ex una parte & Fratres Domus Teutonicæ de Livonia ex altera, mortem subiit temporalem, quod invalescente fame & seditione, quæ timebant jam rectores Civitatis & communis populus, coacti sunt cives se & sua & Civitatem & libertates & omnia jura & Privilegia sua tradere in manus Fratris Eberhard de Monheim terræ Livoniæ & Fratrum, ut de his omnibus ordinarent & disponerent secundum suum beneplacitum voluntatis. Et non intravit Civitatem Magister, priusquam fossata essent impleta cum muro in longitudinem XXX. cubitorum. Et dixit quædam mulier: Utique iste Magister grossus est in corpore, qui requirit tantum spacium, & non intrat per alias portas sicut cæteri homines Christiani.

CAP. XVII.

De

Vastatione terræ Colmensis.

EOdem anno in autumno Lotheco Rex Poloniæ cum omnibus equitibus Regni sui, & multis stipendiariis, & VIII. M. quos ei misit Rex Ungariæ de populo suo in subsidium, intravit potenter terram Colmensem & obsedit Civitatem & castrum (*a*) Schönesee, & post hoc venit ante castrum Lypam, nec tamen horum aliquod impugnavit, sed X. diebus terram prædictam rapinâ & incendio molestavit. Tandem deficientibus victualibus & paucis quibusdam intervenientibus recessit.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Defendebat tum Schonseam Hermannus de Oppen Saxo, Commendator Schonseæ, ita ut suis viribus confisus Polonis advenientibus portas aperiret, qui tamen urbem intrare noluerunt. Schuz. *lib. II. Chron. Pruss. fol. 63. b.*

(*b*) Lippe nominat Schuzius. Defendebat tunc castrum illud Guntherus Comes de Schvvarzburg Commendator Christburgensis. Schuz. *loc. cit.*

CAP. XVIII.

De

Quodam miraculo.

IN hoc exercitu fuit quidam Comes M. Wilhelmus Capitaneus Ungarorum cui B. Virgo apparuit in visione, noctis tempore, cum jaceret in strato suo & duris verbis eum increpans, ait: Quare destruis terram meam multorum Christianorum sangvine plantatam. Si non recesseris, scito, quod malâ morte brevi morieris.

CAP.

CAP. XIX.

De

Vindicta Domini.

MEdio tempore, quo Ungari terram Colmensem destruerent, Rex Ungariæ cum maximo exercitu processit contra Regem quendam subditum suum, dum regnum illius invaderet, rustici illius regionis arbores sylvæ per quam oportebat Ungaros redeundo transire, servis præciderunt per medium, ut dum una caderet, tangendo aliam deprimeret, & sic deinceps. Unde factum est, ut dum in reditu intrassent Ungari dictam sylvam, & rustici prædicti moverent arbores, cecidit una super aliam, & sic cadentes omnes ex utraque parte oppresserunt magnam multitudinem Ungarorum. Ecce licet Deus sit bonus, placidus & misericors, patiens & multæ misericordiæ; tamen secundum Prophetam Naum, est & ulciscens Dominus, & habens furorem, usciscens Dominus in hostes suos & misecordia tolerare, quod iste Rex Ungariæ gentem suam miserat, ad destruendam terram Christi & matris suæ & fratrum inibi habitantium, qui quotidie parati sunt exponere res & corpus, ut vindicent injuriam Domini crucifixi. Utique sine ultione non poterat Dominus pertransire.

CAP. XX.

De

Morte Magistri generalis

Anno prædicto, scilicet MCCCXXX. in Octava S. Martini hyemalis frater (*a*) Joh. de Endor, (*b*) Saxo natione, Ordinis domûs Teutonicæ, instigante Diabolo & propriâ iniquitate Fratrem Wernerum Magistrum generalem, dum cantatis ve-

speris exiret de Ecclesiâ, interfecit, (c) quod ipsum pro suis excessibus increpabat. O Johannes fratricida quid feciſti? En sangvis fratris tui clamat ad Deum de terrâ. Quis unquam audivit talia horribilia? perpetrasti enim malum, quod à principio fundationis Ordinis non est factum. Interpretationem nominis tui, Joannes dicitur in quo est gratia. Sed, heu! in te nulla fuit gratia, cum Magister te corriperet pro delictis tuis, tum eum, si sapiens fuisses, debueras diligere ceu Patrem tuum. Nunc autem ut stultus eum odio habuisti. Cur tanta benignitate usus non fuisti? Cur Judæ dementiâ eodem die cibum & potum ejus osculatus fuisti, & tu ipsius corpus cultro perforando sangvinem effudisti? Ipse te corripiendo vitam auferens mortem crudeliter intulisti. Quis igitur dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum! & plorabo de die & nocte Principem populi mei sic miserabiliter interfectum.

ANIMADVERSIONES.

(a) Variè hic parricida à variis appellatur. Simon Grunovius ipsum vocat Johann von Brondorp. *Vid.* Grunov. *Tract. XI. cap. 14.* Caspar Schuzius eum vocat Hans von Bienendorff. *lib. 2. Chron. fol. 64. a.* Hennebergerus Johann von Bindorp. Waisselius Biendorff.

(b) Marchiacum ipsum fuisse dicunt omnes jamjam citati Auctores.

(c) Videlicet, Magister ipsi concedere noluit, ut expeditioni, quam contra Samogitas parabat interesset. Detestabatur enim Magister impiam Johannis hujus vitam. Quapropter ne ipsi commoda libidinis in bello exercendæ præberetur ansa, domi eum manere voluit. Hanc ille injuriam interpretatus, cultrarium accessit, empto cultro, cum moneretur, ut & vaginam emeret, respondit, se cultrum illum in præstantissimam, cujus in Prussia daretur copia, vaginam reconditurum. Præstolabatur itaque Magistrum sacra in sacello S. Catharinæ peragentem, quem etiam exeuntem sine comite cultro transverberavit. *Vid.* dicti Auctores *ll, cc.*

CAP.

CAP. XXI.

De

(a) *Guerra Fratrum Ordinis S. Mariæ cum Polonis.*

Anno Domini (b) MCCCXXVII. ipso die Paschæ & fer. II. Cruciferi Ordinis S. Mariæ cum Comitibus de Schvvartzburg & aliis Nobilibus de partibus exteris, eis tunc in subsidium venientibus expugnaverunt oppidum Briske in Coyavia, ita, quod se Fratribus subdiderunt, & eâdem orâ Dominica Quasimodogeniti Vladislaviam novam obtinuerunt, utrobique sine hominum læsione.

ANIMADVERSIONES.

(a) Gverra est bellum à Germanico Werre i. e. dissidium, inimicitia, bellum. Alii verbum hoc volunt esse originis Gallicæ. *Vid.* Voss. *lib. 2. cap. 7. pag. 225.*

(b) Factum hoc est Ludero Duce Brunsvicensi Prussiam gubernante. Observamus hic Continuatorem Dusburgii non accuratè res gestas Ordinis pertractasse, sed tantùm hinc inde notabiliora quædam annotasse. Omittuntur igitur hic sequentes Ordinis Teutonici Magistri:

Anno 1321. Luderus Dux Brunsvicensis XV. Ord. Teut. Magister Generalis obiit. 1335.

1335. Dietericus Comes Oldenburgensis XVI. Ord. Teut. Mag. Generalis obiit. 1341.

1342. Ludolphus König Dominus de Weizau XVII. Ord. Teut. Mag. Generalis obiit. 1346.

1345. Henricus Dusnerus ab Harsberg XVIII. Ord. Teut. Mag. Generalis abiit Magistratu. 1351.

Licet verò capite proximè sequente mentionem Luderi faciat, ei tamen perperam adscribit, quæ Ludolpho König adscribenda fuerunt, ut ad caput sequens monebitur.

CAP.

CAP. XXII.

De

Pace facta inter ipsos.

Anno Domini MCCCXLIII. Dominus (*a*) Luderus Magister generalis pacem fecit & concordiam cum Rege Polonorum, reddendo sibi terram (*b*) Cojavienſem & Dobrinovienſem & caſtrum Bronburg (*c*) in die S. Jacobi.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Factum hoc eſt Ludolpho Kœnig Pruſſiam gubernante, qui etiam Magiſter Civitatem Dantiſcanam principalem (die rechte Stadt/ ut vocant.) muro cingere cœpit An. 1343. *Vid.* Schuz. *lib. 2. Chron. Pruſſ. fol. 71. a.*

(*b*) Rex verò Caſimirus omni jure, quod in Pomeraniam, Culmenſem atque Michelavienſem Provincias, ut & in Nieſchoviam, Orlovvum atque Murinoviam prætendebat, ſe abdicavit. Schuz. *loc. cit.*

(*c*) Die Sabbathi Kiliani martyris & ejus Sociorum An. 1343. Caliſſiæ, conſcriptum eſt inſtrumentum Pacis, ut vocant. Hoc vero deinde die 22. Julii, id eſt, in die S. Magdalenæ, jurejurando ab utraque parte præſtito confirmatum eſt. Schuz. *loco citato Vid.* & Neugeb. *lib. 3. Hiſt. Polon. pag. 201.*

CAP. XXIII.

De

Captivitate Kynſtod.

Anno Domini MCCCLXI. tempore Magiſtri Winrici anno regiminis ſui X. in vigilia Palmarum Kynſtod Rex Lethovvinorum captus eſt in venatione per quendam Fratrem Ordinis dictum (*a*) Gerh. Kranichsfeld & tenebatur in Maricnburg (*b*) ſub diligenti cuſtodiâ. Nihilominus (*c*) in profeſto S. Eliſabethæ inde clandeſtinè receſſit.

ANI-

ANIMADVERSIONES.

(a) Wilhelm von Cronesfeld Proviſor (Pfleger) Lyccenſis ipſum cepiſſe dicitur, proditione cujusdam Lithvani, ut refert Simon Grunovius *Tract. 13. cap. 3.* Schuzius Henricum, Proviſorem Ekkersbergenſem fuiſſe dicit *lib. 2. Chron. Pruſſ. fol. 75.* Referuntque illi Kieyſtutum non in venatione eo anno, ſed in prælio in fugam conjectis Lithvanis fuiſſe captum. Conciliationem horum ſuppeditat nobis Albertus Wijuk Kojalovvicz qui bis Kieyſtutum in poteſtatem Cruciferorum veniſſe refert, in ultima verò hac expeditione, de qua Dusburgii Continuator agit, ab Henrico Hekerbego Equite, Ductore exercitus Germanici Henrico Crumfelt, captum eſſe Kinſtutum dicit. *Part. I. Hiſt. Lithvan. lib. 8. pag. 324. ſeq.*

(b) Miniſtrabat tum ipſi Lithvanus quidam, qui ſacris Chriſtianis initiatus ibidem liberè agebat, Equitibusque Ordinis Teutonici fidelisſimus erat. Nomen ejus Alff vel Aloff fuiſſe ſcribit Schuzius *loco citato.* Simon Grunovius verò nomen ejus fuiſſe dicit Michael von Lauff.

(c) Sex hebdomadas in captivitate exegerat, ut auctor eſt Grunovius.

CAP. XXIV.

De

Adventu Caſimiri.

Anno Dn. MCCCLXV. Rex Poloniæ (a) Caſimirus venit in Mariæburg, & habuit conſilia cum Magiſtro generali Winrico, quem Magiſter honorificè pertractavit.

An. Dn. MCCCLXVII. Civitates maritimæ exercitu potentiſſimo Regnum Daciæ intraverunt propter multa intolerabilia damna eis per Regem illata, villas & oppida devaſtantes & Regem à Regno expulerunt.

ANIMADVERSIO.

(a) Caſimirus cum pacato Comitatu Pruſſiam ingreſſus eſt, videndi Mariæburgi aliarumque arcium & oppidorum gratia, quæ Cruciferi frequentia, permunita & benè conſtituta habuere, ut ad eorum exemplum Poloniam etiam cultiorem redderet. Ubi perhumanè

atque honorificè à Cruciferis, quocunque adiit, acceptus est. *Vid.* Salomon Neugebauer. *lib. 3. Hist. Polon. pag. 209.*

CAP. XXV.

De

Bello circa Rudaw.

Anno Domini MCCCLXX. Dominica Exurge (*a*) Algard & Kynstod Principes Lithvaniæ cum exercitu potenti terram hanc obruebant. Et commissum est inter illos prælium magnum valde circa (*b*) fluvium Rudavv, & datus est à Domino Deo triumphus Dominis hujus terræ & Christicolis. Sed Marschalcus Ordinis vir intrepidus ibidem est interfectus. Prædicto bello interfuerunt, Jageli, qui præterea dictus est (*c*) Wladislaus Rex Poloniæ tunc 22. annorum: Wytovvdus tunc (*d*) 20. annorum, qui cum Principibus suis supra dictis fugam dederunt, unde versus:

Exurgunt Reges Algard, Kynstod, duo Fratres,
Cumque subintrarent Sambenses & spoliarent
Mox juncti pariter Winricus nempe Magister
(*e*) Schindkop Marschalcus, Præceptores simul ejus
Nos debellarunt captis multisque necarunt,
Ex his (*f*) undena perversus millia plena
Sed, proh! Marschalcus, tunc corruit ut Leo vivus.

Alia metra.

Annus M. tria C. conjuncti septuaginta
Exurge quare, prope Rudam bella notare
Schindkop Marschalcus tunc corruit intimoratus
Cum famulis (*g*) multis duo C. perieréque fratres
Certus Lithvanis, sed abest numerusque Ruthenis
Sed qui fugerunt gelu fame perierunt.
Gloria sit Patri & Proli cum Pneumate soli.

ANI-

ANIMADVERSIONES.

(a) Olgerdus vocatur à Lithvanicis Scriptoribus.

(b) Pagus est in Samlandia, non fluvius.

(c) Wladislai nomen accepit in Baptismo. Polonici Scriptores de ætate ejus nihil certi sciri posse scribunt. Si vero hac vera sunt, quæ habet Continuator Dusburgii, facile numerus annorum iniri potest. Videlicet mortuus est Jagello An. 1434. Anno vero 1370. fuerat 22. annorum. Ergo annum ætatis 86. jam expleverat.

(d) In Exemplari, ex quo hæc ducta sunt, dicitur 2. annorum fuisse. Sed error est liberarii. Quærenda proindè fuerat ætas bellis gerendis apta. Cum autem ex Scriptoribus Polonicis constet Witoldum fuisse Jagellone juniorem, inque nostro Auctore fiat mentio numeri 2. verisimillimum est, ipsum tunc annorum 20. fuisse. Hic Vitoldus in Baptismo nomen Alexandri accepit.

(e) Henricus Schindekopff dicebatur Marschalcus illi, de quo agitur in citatis versibus. Alios adhuc versiculos ejusdem notæ ex perantiquo codice allegat Hennebergerus *in Comment. pag. 404.*

(f) Hennebergerus 6000. Lithvanorum tunc cecidisse memorat loco citato. Ex parte verò Teutonici Ordinis, ipse Marschalcus nomine Henricus Schindekopf. Deinde Albertus de Sangerhausen; Diphold ab Hasenstein Commendator Bradeburgensis: Commendator arcis Brandeburgensis, nomine Albertus à Steravv: Item Bezoldus à Karbis Commendator Latiaviensis, quem alii Commendatorem Rhedensem faciunt: Salentinus ab Eisenberg. Ulricus à Stokheim, Waltherus à Ringau, & alii equites exteri. *Vid.* Henneb. *loc. cit.*

(g) Ducentos & quinquaginta: ut & 24. Fratres, numerat Hennebergerus. In memoriam ejus pugnæ erectam fuisse Columnam memorat modo citatus auctor. Conf. & Schuz. *lib. 2. Chron. Pruss. fol. 81. a. b.*

CAP. XXVI.

De

Messe tempestiva.

Anno Domini MCCCLXXIX. fuit messis hic in Prussia multum tempestiva, itaque circa Festum S. Johannis Baptistæ messis fuit completa. Cerasa ante festa Pentecostes erant matura, & (*a*) vinum in festo S. Jacobi.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Hodie in Prussia parum reperias vini. Fuisse autem in Prussia olim vineas quam plurimas, multa docent. In Tabulario Thorunienſi reperiuntur literæ Præceptorum Ordinis Teutonici, quibus Paulum Bellizerum de Rusdorff Magistrum Ordinis Magistratu dimittunt. In illis vero præter alia Magistrum ad vitæ tempus concedunt Rastenburgenſem, Luneburgenſem, Rheinenſem & Lyccenſem Districtus, cum omnibus vineis &c. Datæ sunt hæ literæ Mariæburgi An. 1441. Deindè prope Thorunium urbem sunt montes ad Vistulam, qui in hunc usque diem vocantur die Weinberge/ vivuntque adhuc Thorunii non pauci, qui vivens bellicis temporibus destructas, ibi locorum olim fuisse meminerunt. Præterea templo D. Johannis, quod Thorunii est, legatus est pagus, nomine Simmenau, cum omnibus vineis. Postremò in mari Baltico quondam fuisse Insulas vini feraces, testantur sarmenta vitiginea, quæ cum succino ad littora tempestatibus exortis propelluntur.

CAP. XXVII.

De

Captivitate Domini Wigbaldi Episcopi Culmenſis.

Anno Domini MCCCLXXV. In crastino S. Ambrosii D. mensis (*a*) captus fuit in Colmsee per Joannem de Kindschen militem & suos complices. Idem Dominus Episcopus post evasionem terram hanc exiit, & non

DE OBITU DN. CAROLI IMPERATORIS.

Anno Dn. MCCCLXXVIII. in Vigilia S. Andreæ Apostoli Dn. Carolus VI. Rom. Imp. ab hac luce migravit. Eodem anno post obitum Gregorii Papæ

non est reversus, sed obiit (*b*) in monasterio veteris montis Ordinis Cisstercienſis. Hujus autem sceleris perpetratores morte mala similiter interierunt.

Papæ IX. exortum est Schisma detestabile.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Causam captivitatis non legimus quenquam nostratium Scriptorum expressisse.

(*b*) Schuzius in catalogo Episcoporum Culmensium dicit eum Coloniæ esse mortuum.

CAP. XXVIII.

De

(*a*) *Obitu Magistri Winrici.*

Anno Domini MCCCLXXXII. in die S. Joannis Baptistæ obiit Magister Winricus, qui præfuit (*b*) 32. annis. versus:

VInCLa sUbIt MortIs WInrICUs noCte JoannIs.

Eodem anno post festum natalis Domini die 12. homines foderunt hortos suos, seminantes petroselinum, papaver & alia semina æstivalia, sicut nunc fit post Festum Paschæ & fiebant tunc tonitrua & fulmina, sicut in æstate.

DEDUCE AUSTRIÆ EXPULSO PER POLONOS.

An. Dn. MCCCLXXXV.

Poloni Dominum Wilhelmum Ducem Austriæ Dominæ Hedvigæ Regina Poloniæ matrimonialiter, imò carnaliter copulatum de regno & uxore repulerunt, & dictam Dominam contra omnem suam voluntatem Jagel Regi Lithvanorum pagano, in uxorem tradiderunt, eam ad hoc vi impellentes, quod ipsa sit coacta fecit dolorosa:

Eodem anno Frater Regis Franciæ occisus est per quendam militem, cujus uxorem vi oppresserat, & propter libidinis suæ ardorem impetuosum, quem honestis dominabus & virginibus inferebat, & propter alia mala tradimamenta Fratri suo Regi Franciæ (qui probus erat) illata. Cujus brachium dextrum miles iste primo invadendo amputavit juxta vaticinium David Prophetæ sancti, in his tribus verbis: Conteret brachium

peccatorum. Piè credendum est; à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis hominum.

DE JUDÆIS PRAGÆ INTERFECTIS.

Anno Domini MCCCLXXXIX. feria 2. post Festum Paschæ, Pragæ occisi sunt, Judæi & cremati propter contumeliam Sacramento Corporis Christi illatam in vigilia Paschæ.

DE FESTO VISITATIONIS MARIÆ.

Eodem anno Urbanus Papa Festum Visitationis Mariæ gloriosæ instituit, post Octavas S. Joannis solenniter celebrandum.

Eodem anno idem Urbanus Papa annum Jubilæum in 33. annos secundum ætatem Christi statuit perpetuis temporibus observari cum pauci homines jam usque ad 50. annos vivendo pertingerent.

DE ANNO JUBILÆO.

Anno Domini MCCCXC. fuit annus Jubilæus, quem Bonifacius IX. successor Domini Urbani prædicti secundum formam & modum prædictum confirmavit.

ANIMADVERSIONES
Ad Cap. XXVIII.

(*a*) Totum hoc caput ut & sequens in Exemplari, ex quo hæc descripta sunt, præponitur capitibus duobus proximè præcedentibus. Sed, ut ex annis adjectis apparet, perperam. Huc itaque illud reduximus omissis illis, quæ post duo memorata capita de morte Winrici Magistri repetuntur. Ea verò sic habent: *An. Dn. MCCCLXXXII. obiit Fr. Winricus de Kniprode Magister 18. qui præfuit annis.* In quibus verbis etiam Winricus dicitur fuisse duodevigesimus Magister, cum ipsum undevigesimum fuisse vulgaris habeat sententia. Ex quibus illud colligas, & Continuatorem hunc Dusburgii Henricum de Hohenloe inter Magistros numerasse, de quo egimus *in Animadversionibus ad Vitam Conradi Landgr.*

(*b*) Anni regiminis exprimuntur sequenti versiculo:

QVI VIVens fortIs In tantIs reX erat annIs

CAP. XXIX.

De

Electione Dn. Conradi Czolner in Magistrum.

Post

POst obitum Domini Winrici 2. die mensis Octobris electus est in Magistrum generalem Dominus (a) Conradus Czolner de Rotenstein, qui tunc erat Commendator in Christburg.

ANIMADVERSIO.

(a) In codice quodam Thorunienſi, ut habent excerpta Magnifici Dn. Wachſchageri hæc habentur: An. 1382. iſt dieſer Eyd dem Conrado Zölner zu Thorn geleiſtet: Wir holden uch Hr. Herre Hohmeiſtir as unſern rechten Herrn / und Schwerin uch rechte Mannſchafft und Gelöbin uch rechte Trewe und Warheit an alle arge Liſt / das uns Gott ſo hilffe / und die Heiligin. In eodem codice de morte Winrici Magiſtri habentur ſequentes verſiculi:

M. tres C. annis ſimul octuagintaque binis
Mortem Winrici generalis certe Magiſtri
Principis inſignis Baptiſtæ nocte Joannis
Quem peto ſuſcipiat Dominus Deus, omnia qui dat.

CAP. XXX.

De

Conrado Wallenrode Magiſtro Generali.

ANno Domini MCCXCI. Dominica Judica electus est in Magistrum generalem Dominus Conrado de Wallenrode.

CAP. XXXI.

De

Magiſtro Conrado Jungingen.

ANno Domini MCCCXCIII. in die S. Jacobi obiit dictus Conradus Wallenroder, (a) in cujus transitu tempestas magna fulminis & tonitrui facta est. Et eodem anno, die S. Andreæ Apostoli electus est venerabilis & de-

DE OBITU DOMINÆ (b) DOROTHEÆ IN MARIÆWERDER.

Anno Domini 1394. in craſtino S. Joannis Baptiſtæ obiit venerabilis Domina Dorothea in Mariæwerdera inclusa.

& devotus vir Dominus Conradus de Jungingen pro tunc Thesaurarius in Mariæburg, vir pius, castus & pluribus virtutibus insignitus.

ANIMADVERSIO.

(a) Hæc verba citat Schuzius *in lib. 2. Chron. Pruss. sub. calcem fol. 90. b.*

(a) De S. Dorotheæ Vita, miraculis, obitu, Consecratione spissum habetur Volumen MS. in Bibliotheca Electorali Regiomontana, quod consuli potest.

CAP. XXXII.

De

Obitu Magistri Conradi de Jungigen, & de Electione fratris sui.

Anno Domini MCCCCVIII. feria IV. post Festum Paschæ obiit Dominus Conradus de Jungingen, per cujus obitum Prælati terræ & Præceptores cum omni populo turbati erant, timentes de futuro periculo, quod, proh dolor! accidit. Anno eodem Dominica proxima post Joannis Baptistæ electus est frater ejus, & sperabant, quod fratri in moribus assimulari deberet, qui erat pacis cupidus; tamen contrarium rerum exitu indicabat.

CAP. XXXIII.

De

Grandi pestilentia in Prussia.

Anno Domini MCCCXCVIII. fuit generalis pestilentia per Prussiam magna valde. *Eodem anno Dominus de Braguſtino Archiepiscopus Gnesnensis Reverendum Patrem Dn. Henricum Ducem Sleſiæ & Lignicensem pro tunc Episcopum Vratislaviensem invitave-*

taverat, & in eodem convivio intoxicatus est, & sic infirmum se Duci fecit in Vratislaviam ad Dominum Wenceslaum Episcopum Vratislaviensem fratrem suum, & ibidem moriebatur.

CAP. XXXIV.

De

Gverra inter Pruthenos & Polonos.

Anno Domini MCCCCIX. quæ Poloni, Lithvani & Samogitæ (*a*) Dominis terræ Prussiæ intulerunt, Magister generalis Ulricus de Jungingen de consensu suorum Præceptorum Regi Vladislao & Witoldo M. D. Lithv. (*b*) bellum indixit, & exercitu potentissimo terram Dobrinensem intravit, eam penè funditus destruendo fer. 6. post assumptionem Virginis gloriosæ. Eadem vice Commendatores de Tuchel & Schlochavv terram Krayn dictam manu validâ subintrarunt, eam incinerando, similiter oppido Sampelburg, Camczen & Bramburg destruxerunt. Pari formiter eodem tempore de Osterode & Brandenburg Commendatores Mazoviam invaserunt, illam terræ partem, quæ Ducem Joannem concernebat, qui semper adversarius erat Dominorum, evertendo. Terram autem Ducis Semoviti, quia amicus & fautor erat Ordinis indepræda-tam permiserunt penitus illæsam. Et sic

DE BELLO LEODIENSIUM.

An. Dn. MXLVIII. magnum commissum est prælium contra Leodienses in Ludich tribus milliaribus de Mastrich, contra quos pugnabat Episcopus eorum & Dux Burgundiæ cum multis Baronibus & militibus de Reno, Svevia, Brabantia & Hollandia, qui manu potentissima dictos Leodienses triumphando viceruut, homines, ut dicitur, multum arrogantes & superbos. Prostrati autem sunt ex his & interfecti 24. M. virorum. Quo facto Communitas Civitatum contra Sacerdotes Civitatis insurgens, occidit ex illis CCC. quod Gverra hæc ab Episcopo Civitatum exorta est, qui schismaticus erat, qui & tunc in Civitate fuit contra verum Episcopum Ducem Bavariæ. Et quod superbissimi erant,

sic illo tempore Domini terræ Prussiæ contra Polonos triplici exercitu processerunt.

Deus humiliavit eos Cives cum Sacerdotibus. Et sic patet evidenter, quod Deus ubique superbis resistit.

ANIMADVERSIONES

(*a*) A prima Ordinis Teutonici fundatione semper Equites Ordinis Teutonici appellabantur Fratres. Sic non solum Commendatores & Præceptores Majores, sed & ipsos Magistros generales à Dusburgensi semper appellatos audivimus. Sub Conrado Zölnero de Rotenstein illi titulum Fratrum, ut suæ dignitati non convenientem, fastidire, atque titulum Dominorum sibi vendicare cœperunt. Restitit quidem huic rei Magister, Statuta Ordinis subindè ipsis in mentem revocans; sed frustra superbiæ effervescenti obicem posueris. Successor Zolneri Conradus Wallenrodius, non tantùm hoc ipsum approbavit, sed etiam sibi titulos aliis magnis Principibus tribui solitos assumpsit. Hinc jam ab Auctore nostro vocantur Domini Prussiæ. *Vid.* Simon Grunov. *Tract. 13. cap. 8.* Henneb. *in Comment. ad Tab. Geogr. Pruss. pag. 293.*

(*b*) Causam belli fusè enarrant Scriptores nostri & Lithvanici. Nos ea de re breviter. Ambiebat Svvidrigelo Frater Jagellonis Magnum Ducatum Lithvaniæ, qui tunc in potestate Vitoldi erat. Cum verò res illa non procederet, in Prussiam transit. Accepto ibidem à Cruciferis exercitu Lithvaniam miserè vastavit. Vitoldus tandem aliis bellis implicitus, pacem cum Cruciferis iis conditionibus iniit: Cruciferis Vitoldus Samogitiam perpetuo jure addiceret: Cruciferi autem Dobryniam Polonis restituerent. Sed nimis exigua hæc videbantur Cruciferis qui ipsi Lithvaniæ postea inhiare cœperunt. Hoc cum animadverteret Vitoldus hostem prævenire cupiens, Rombovvdo Marschalco negotium dat, ut Crucigeros tota Samogitiâ ejiciat. Exequitur impigrè Rombovvdus mandata Universâque Samogitiâ potitur. Hinc cum negotium istud per Legatos componi non posset, ad bellum res devenit. Hunc in modum causam Belli recenset Albertus Wijuk Kojalovviczpart. II. *Hist. Lithv. lib. 2. pag. 70. seqq.* Schuzius, Samogitas proprio motu ab Ordine Teutonico defeciisse scribit. *lib. 3. fol. 88. b. seqq.* Sed verior est sententia Kojalovicii.

CAP.

CAP. XXXV.

De

Bello Dominorum Prussiæ contra Polonos, Lithvanos, Ruthenos &c.

Anno Domini MCCCCX. in die divisionis Apostolorum Domini terræ Prussiæ cum suis subditis & adhærentibus contra Polonos, Lithvanos, Ruthenos, Samogitas, Tartaros & alios barbaros & infideles pugnabant in territorio (*a*) Osterodensi, & succubuerunt Domini Ordinis, Magistro generali Ulrico de Jungingen cum Præceptoribus quamplurimis & subditis & stipendiariis occisis, Rege cum suis obtinente triumphum. Bellum hoc grande erat nimis, in quo ex utraque parte permulta millia hominum corruerunt. Et sicut retulerunt Heroldi & alii famosi & fide digni, qui prædicto bello interfuerunt, (*b*) plusquam 60. millia virorum ceciderunt de utrisque partibns. Imo referebantur ab eisdem, quod Tartarorum Imperator, vel Marschalcus Regi Poloniæ & Witoldo cum 30. millibus virorum pro tunc venerat in subsidium, & ab inde recessit duntaxat cum 8. millibus. Qui tunc de Ruthenis & Lithvanis, quorum Principes cum populo quasi innumerabili advenerunt.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Hæc est illa pugna TANNENBERGENSIS, (à pago Tannenberg inter Hohenstein & Gilgenburg sito, ad quem commissa est) quâ majorem Prussia nunquam vidit. Annum, quo pugna hæc commissa est complexus est nescio quis sequenti versu:

BeLLa feCIt ULrICh MagIster Ipse PoLonIs.

(*b*) Hæc est probabilissima sententia, quam habet Continuator Dusburgii. Alii numerum cæsorum nimium quantum augent. Quidam ex Cruciferorum exercitu 40. millia cæsa esse autumant, quidam 50. millia. Negat hoc fieri potuisse Schuzius, cum Cruciferi nunquam aliàs tantum exercitum aluerint, non longè etiam post hanc pugnam iterum 8. millia amississe tradantur, quod fieri non

potuisset, si tantam cladem tunc fuissent passi. Absurdus plane est Commendator Vincentii Kadlubkonis Polonici Scriptoris, qui centum & triginta millia & quadringentos de Cruciferorum exercitu cecidisse scribit *in Comment. ad lib. II. Epist. 14. p. 145.* Quantus Polonorum hic loci occisorum fuerit numerus itidem parum compertum est. Sunt qui sexaginta millia numerant, alii numerum augent. Chronicon quoddam, quod citat Hennebergerus, dicit centum triginta quinque millia Polonorum, Tartarorum & Russorum periisse. Sed fides habenda est Auctori nostro, qui hæc ex iis habet, qui ipsi pugnæ interfuerunt. Vid. Caspar. Henneberg. *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 446.* Casp. Schuz. *lib. 3. Chron. Pruss. fol. 102.* Matthias de Michovia *lib. 4. c. 43.* Jodocus Ludovicus Decius *lib. 2. de Familia Jagellonis.* Cromerus *lib. 16.* Herburtus *lib. 13. c. 5.* Joach. Cureus *in Chron. Silef. fol. 119.* Salomon Neugebauerus *lib. 5. Hist. Polon. pag. 270.*

CAP. XXXVI.

De

Henrico de Plauen Magistro Generali.

POst mortem Ulrici de Jungingen in bello interfecti, (*a*) electus est Henricus de Plavven, Dominica ante Festum S. Mariæ, cujus electioni interfuerunt (*b*) Magister de Almannia & Livonia. Tunc Civitates hujus terræ ad Dominos nostros redierunt, quæ post bellum compulsæ Regi Polonorum homagium præstiterunt.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Vel potius se ipsum elegit. Post pugnam enim Tannebergensem non nisi tres Ordinis fratres ex potentiori Nobilitate superstites fuere, nimirum Henricus Reus à Plauen Vicesgerens Magistri generalis & Commendator Schvvetzæ, Michael Sternbergius Provisor Neofori, & Henricus Reus à Plauen prioris Henrici patruelis Commendator Gedanensis. His cæteri Fratres liberam, quem ex numero suo vellent, eligendi potestatem detulerunt. Alter Plavenio-

veniorum & Sternbergius, ut numerum Canditatorum imminuerent, ſpecie honoris Vicesgerentem hinc excludere conati ſunt. Conceſſerunt enim ipſi ſoli jus Magiſtri eligendi, certâ ſpe freti, Plavenium non ſe ipſum, ſed modeſtiæ gratia unum ex illis Magiſtrum Ordinis generalem proclamaturum. Sed Plavenius Vicesgerens, præter ſpem, ſemetipſum, ut ſibi proximus, Magiſtrum Ordinis Teutonici proclamavit. *Vid.* Schuzius *lib. 3. Chron. Pruſſ. fol. 105.*

(*b*) Electioni Magiſtri generalis ex lege ſolebant intereſſe Magiſtri Provinciales, ut habetur in Conſvetudinibus Ordinis.

CAP. *XXXVII.*

De

Obſidione caſtri Mariæburg.

POſt obtentam victoriam & ſpoliorum diviſionem præfati Principes Rex Poloniæ & Witoldus cum exercitu ſuo magno & forti antè Mariæburg venerunt, caſtrum circumvallantes triplici exercitu. Primus fuit Regis Poloniæ, qui jacebat circa S. Georgium, & in Wildenberg. Secundus fuit Witoldi Lithvanorum & Ruthenorum, qui jacebat in pomœrio & horto caſtri in via, qua itur in Elbingum. Tertius exercitus fuit Tartarorum, qui ſiſtebat in pratis caſtri, & circa fluvium Nogot. Omnes iſti ipſum caſtrum machinis, bombardis & aliis inſtrumentis impetu potentiſſimo die noctuque impugnabant, per menſes duos & ultra. Videntes autem Poloni, quod nihil ad libitum perficerent, quia Caſtrenſes fortiſſimè reſiſtebant, diverſas excogitabant fraudes & verſutias, quomodo more vulpino Civitates & caſtra obtinere poſſent, & non ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Quinimò Civitates aliquas per fraudes & dolos obtinuerunt, ut Thorun Civitatem cum caſtro; Straßburg caſtrum cum Civitate; Svvetze oppidum ſine caſtro, & conſequenter Chriſtburg, Oſterode, Grudentz, Redden, Stum, & ſic de aliis. Sed

quia juxta vulgare proverbium: Quod cito fit, cito perit, disponente altissimo, Civitates prædictæ & castra sine expensis & laboribus, exclusis inimicis, ad Dominos Ordinis salubriter redierunt.

CAP. XXXVIII.

De

Secunda invasione hujus terræ per dictos Principes.

Anno Domini 1416. post Festum Margarethæ Virginis, præfati Principes Rex Poloniæ & Witoldus cum magno exercitu terram hanc modicam iterum hostiliter invaserunr. Et quamvis in districtu Osterodensi Civitates & oppida & villas plurimas in cinerem redegissent, incolas inhumaniter trucidantes & mactantes, nec parcentes ætati nec sexui, quod per Tartaros & alios paganorum manus dicitur factum. Tandem terram Culmensem ascendentes & multa mala fidelibus inferentes Civitatem Strasburg obsederunt. Et quamvis in hac obsidione multo tempore fortius laborassent, nec tamen castrum nec Civitatem obtinere poterant; sed exigentibus eorum demeritis mirabiliter à Deo afflicti per fluxum sangvinis & equorum hominumque pestilentiam cum omni damno sine exaltatione recesserunt.

CAP. XXXIX.

De

Tertio hostili incursu per prædictos hostes huic terræ facto.

Anno Domini 1422. in die B. Mariæ Magdalenæ sub Magistro Paulo de Rusdorf prænominati Rex Poloniæ &

An. Dn. MCCCCXXII. lis oritur inter Regem Daciæ & Dominos Duces Holsatiæ Civitatibus (a) *de Gensa eisdem*

& Magnus Dux Lithvaniæ exercitu validissimo ex omni natione paganorum collecto, tertio terram hanc pauperculam hostiliter obruerunt, pontes in fluvio Drevvantz facientes terram Colmensem per ignis voraginem penitus destruendo, nulli omnino parcentes, nec dominabus, nec puellis, eas stuprando, jugulando & inhumaniter pertractando.

dem adhærentibus, quæ per inclytum Principem Dominum Henricum juniorem Ducem Glogoviæ aliàs Rumpolt nominatum in ambasiata Domini Regis Romani illuc transmissum ac laudabilem compositionem reducitur eodem Duce in dicta ambasiata ibidem carnis debitum exsolvendi. Quo defuncto prædicta litis materia ex Danorum perfidia post paucorum annorum curricula, videlicet an. Dn. 27. renovatur & fuit error posterior pejor priore. In eadem enim gverra plures commendabiles mercatores Civitates & Nautici tam de Prussia quam de Civitatibus Gensæ prædictis in rebus & in corporibus damnabiliter periclitantur. Deindè prædicto anno post divisionem Apostolorum paucis diebus Rex Danorum cum suis complicibus armatam classem Civitatum prædictarum in portu Sundensi hostiliter obruit & invasit, eos abindè pudenter expellendo & nonnullos cum navibus capiendo. Et insuper post pauca classem 26. navium cum inæstimabili mercium copia onustarum de Baye Prussiam petentium in eodem portu invasit, hostiliter obtinuit homines cum bonis & navibus capiendo & miserabiliter trucidando. Ex tunc dissensiones, controversiæ & discordiæ in Civitatibus oriuntur, ita quod nonnulli superioris captivantur, aliqui etiam capitali supplicio puniuntur, in Lubek Tiedemannus Steyn *& in Wismaria Joannes* Banzekow.

ANIMADVERSIO.

(a) Civitates illæ dicuntur Hanseaticæ, de quibus Vid. Angel. Werdenhagen *in lib. de Rebuspubl. Hanseaticis.* Johannes Hagemeyer. *de Fœdere Hanseatica.* Hermannus Conringius *in Disput. de Urbibus Germanicis.* Matthias Wernerus & Johannes Jacobus Speidelius *tit.* Hans/ *Hansio.* Hanseestät. Chr. Beckman. *part. I. Hist. Geogr. cap. 9. sect. 2. n. 6. p. 19.*

CAP.

CAP. XL.

De Cessione Domini Michaelis & electione Domini Pauli.

Anno Domini MCCCCXXII. in medio Quadragesimæ dictus Magister generalis de sui Principatûs officio (*a*) liberè cessit, & ibidem Dominus Paulus Rusdorff tunc Commendator in Christburg in Magistrum generalem est electus. Quem mox in sui Principatûs exordio infestare incipiunt Poloni cum ingentissimo Lithvanorum & Tartarorum exercitu terram Colmensem circa festum S. Jacobi hostiliter obruentes, eam per ignis voraginem & prædas horrendissimas funditus devastando. Ibidem etiam summæ & individuæ Trinitatis Ecclesiam Cathedralem Colmensem amœnissimè decoratam & constructam in cinerem redegerunt, utriusque sexus homines crudeliter occidendo, mulieres etiam & virgines ultra humanum modum stuprando & miserabiliter deplorando, aliaque permulta execrabilia & ignominiosa opera perpetrando. Quibus omnibus ad libitum consummatis, tandem Dominus Magister generalis cum suis necessitate compulsi eandem litis materiam ad omne beneplacitum Polonorum (*b*) concordarunt. Videlicet per

DISSENSIO CIVITATUM.

Insuper dictæ Civitates horrendis inter se disceptationibus & Gwerris discordare incipiunt, una alteram infestando ac per piratas & raptores in mare transmissos & dispositos deprædando, quinimò indifferenter amicos velut inimicos hostiliter invadendo. Sic itaque in hujus militiæ persecutione damna permulta & mala quamplurima committuntur. Senior enim Dux Holsatiæ in eadem lite in obsidione castri Flensburg nocte quadam à Danis occiditur. Pendente etiam lite inclyta Domina Philippa Daciæ, Sveciæ & Norwegiæ Regina ab hac luce à Domino necata migravit.

per demolitionem castri Nassavv & assignationem medietatum Wisselæ & Navigii in Thorun.

ANIMADVERSIONES.

(a) Alii scribunt Michaelem non libere Magistratu cessisse, sed à fratribus Ordinis Magistratu pulsum esse. *Vid.* Schuz. *lib. 3. fol. 113.*

(b) In Pactis de An. 1436. Nieszovva cum toto illo territorio Polonis cessit. *Vid. Pacta dicti Anni in Privilegiis Ducalis Prussiæ fol. 7. b.*

CAP. XLI.

De

Adventu Principum Imperialium.

EOdem etiam anno (a) litc jam sedatâ Dominus (b) Archiepiscopus Colonienſis, Ludovicus Comes Palatinus Rheni, (c) Henricus Dux Bavariæ cum nonnullis aliis Principibus liberis militibus & ingenti armigerorum comitiva huic Patriæ in subsidium advenerunt in vigilia Simonis & Judæ Apostolorum Mariæburgi subintrantes & usque ad Festum Prurificationis Mariæ his in partibus moram trahentes.

ANIMADVERSIONES.

(a) Pacem factam per Principes in hoc capite commemoratos, tradit Casp. Schuz. *lib. 3. fol. 113. b.*

(b) Dietericus nomine, ut habet Schuz. *l. c.*

(b) Cui nomen Henricus. Schuz, *ibid.*

CAP. XLII.

De

Rigida hyeme.

EOdem (a) anno intensa erat hyems, ita ut Wissela in certis locis congelata stetit à Festo S. Barbaræ usque ad Festum S. Gregorii.

ANIMADVERSIO.

(a) Anno 1423. adeò rigidam fuisse hyemem tradit Schuzius, ut ex Prussia Lubecam usque per glaciem iter institui potuerit. *lib. 3. Chron. Pruss. fol. 113.*

CAP. XLIII.

De

Obitu Ducis Witoldi.

Anno Domini MCCCC. fer. 6. ante Simonis & Judæ Apostolorum præpotens atque Magnificus Princeps (a) Alexander Magnus Dux Lithvaniæ morbo depressus de vita transivit ad mortem, post cujus occubitum Poloni Principatum Lithvaniæ ambientes ipsos Lithvanos sibi subjugare conantur. Lithvani verò Polonorum scientes versutiam eis subesse contemnunt. Inclytus verò Princeps Dominus Boleslaus aliàs (b) Svvitterga, ad quem dictus Principatus tam jure hæreditariæ possessionis quam electionis devolvitur, salubri suorum fretus consilio se cum Dominis Prussiæ apud quos fidem semper illæsam cognovit, confœderare laborat, sese vicissim contra suos & terrarum suarum inquietatores juvando. Exindè inter eos gverra prægrandis exoritur, sicque Poloni suæ satisfacere volentes ambitioni cum ingenti exercitu terram obruunt Lithvanorum, castrum Lutzke potioribus Lithvanorum Nobilibus & mili-

DE EXPUGNATIONE CASTRI FLENSBURG.

An. Dn. MCCCCXXX. volente altissimo, à quo omnis dependet victoria, oppidum Elensburg oppugnatur & castrum per dictos Dominos Duces Holsatiæ & Civitates Gensi potenter acquiritur Anno Dn. XXXI. De cujus Castri deditione aliquantisper de pace speratur.

DE INVASIONE LUSATIÆ PER BOHEMOS.

An. Dn. 30. supradicto anno 29. hunc immediate permeante Huffita de Bohemia per montana perrumpens sex Civitates superioris Lusatiæ, & Lusatiam inferiorem infestare cœperant. Ibidem Gubbin oppidum Commendabile & viniferum igne, cæde & prædâ funditus desolantes.

Insu-

militibus eâ vice munitum atrociter obsidendo, Anno videlicet MCCCCXXXI. circa Festum S. Jacobi. Quo viso Magister generalis exercitum suum in Poloniam transmisit, Commendatorem videlicet Thorunienſem cum aliis Præceptoribus & Subditis terræ Colmenſis adjunctis ſibi Osterodenſibus in terra Dobrinenſi, quam protinus redigunt in favillam, oppidum inibi præcipuum Rippin nomine expugnando & in cinerem redigendo, ubi quatuor vaſalli terræ Culmenſis, videlicet Dominus Joannes de Zegenberg vexillifer ejusdem terræ Culmenſis cum aliis tribus militari baltheo decoratis cum præda ingenti revertuntur illæſi. Ex alterâ verò parte ſupremus Marſchalcus Ordinis de Konigsberg cum Marſchalco Livoniæ cæteris ſibi adjunctis Præceptoribus cum valido armigerorum exercitu Cujaviam pariformiter ingrediuntur, eandem igne & gladio degraſſando, caſtro Naſſavv obtento & oppido incinerato, ubi XXXVI. ordinatis militibus cum per (c) ambaſſiadores M. D. Lithv. literæ Treugarum biennii eſſent allatæ, terram ipſam indemnes exire unanimiter decreverunt. Sed non ſine damno revertuntur. Nam quidam ex his Marſchalcus Livoniæ & Commendator Tuchilonienſis prædarum aviditate allecti cum prædam viliſſimorum pecorum in quadam palude prope

Inſuper exercitum ſuum in Miſniam dirigentes, totam fermè terram transalpinam devaſtarunt. Et quanquam ibidem adverſus eos plurimorum finitimorum Principum & Nobilium innumeroſus congregatus erat exercitus, videlicet Ducis Saxoniæ, Machionum Miſniæ, Marchionis Brandenburgici, Ducis Brunſvicenſis, Archiepiſcopi Magdeburgenſis cum maximâ populi multitudine, nihilominus ſpiritu vertiginis ducti in errore caliginoſo cæcati ibidem (quemadmodum & aliàs in Bohemia plurimi quoque congregati) nihil boni penitus effecerunt, ſed liberum his tranſitum ad omnem ipſorum libitum per totam Miſniam & Thuringiam permiſerunt. Sic itaque ab omni impedimento usque Bambergam libere pervenerunt, aburdè cum præda maximâ in Bohemiam redeuntes.

prope Nakel improvidè sequerentur, ipsis Polonis (proh dolor) præda fuerunt; ubi, ut dicitur, cum 800. equis miserabiliter sunt prostrati. In eodem quoque conflictu Dominus Commendator de Tuchel vitæ suæ terminum clausit extremum. Marschalcus terræ Livoniæ cum nonnullis aliis captivis abducitur. Veruntamen post cæterorum dierum curricula plures de Livoniensibus & indigeris subterfugientibus & in prædicto loco terrestri latentibus sunt reversi. Eodem etiam anno XXXI. sicut & anno XXX. immediate præcedente grandis & mirabilis in Prussiæ partibus accidit morbus hominum & equorum, ita ut equi validissimi, subito quodam modo morerentur.

Anno etiam XXXI. supra dicto fortis & intensa fuit hyems & maximæ nives, ita quod terra undique nivibus densissimis operta videretur, quod per totam hyemem à Festo Martini usque ad Festum B. Petri ad cathedram non possent pecora petere campum, undè consecutivè mors omnium comitatur Wisselam etiam & tunc glacies fortissima clausa stetit à Festo S. Catharinæ usque ad Festum S. Georgii.

Anno etiam XXX. & XXXI. supradictis gravis & detestabilis versatur error & (d) briga in egregia & insigni urbe Thorunienſi inter Fratres Ordinis Prædicatorum & Plebanorum, ibidem se vicissim excommunicantes, suisque prædicationibus & damnosis dogmatizationibus turpiter infamantes, quibus quidem infamationibus populum penitus infecerunt, imò tot scandala & errores fecerunt in Clero & populo, quod vix ad plenum poterunt enarrari.

ANIMADVERSIONES.

(a) Witoldus, in Baptismo dictus est Alexander. Princeps maximi animi, cui Polonia multum debet. *Vid.* Kojalovvicz. *part. 2. Hist. Lithv. lib. 2.*

(b) Svvidrigal Wladislai Jagellonis Frater, in Baptismo nomen Boleslai adeptus, de quo *Vid.* Kojalovvicz *part. 2. Hist. Lithv. lib. 3.*

(c) De

(c) De hac voce sic differit Jacobus Hovellus in lib. de Præced. & Legatis Sect. 4. §. 1. p. 280. *Ambassi & Ambascii, fluit ex voce Ambachten quæ significat operari. Et in antiqua lingva Gallorum sive Celtarum Ambacht servum olim indigitavit, à qua voce non abludit illa bachken, quæ hodie in Cambria servum denotat. Hinc & ambactus vox apud Tacitum* (Cæsarem potius lib. 6. de Bell. Gall. cap. 4.) *occurrens deducitur, qui in hæc verba loquitur: Galli plurimos circum se ambactos clientesque habent. Adeo ut Ambasciator hinc deductus eo devenit, ut regni servus sit seu minister honorabilis. In aliquibus enim S. Scripturæ versionibus Paulus Dei gratia Diaconus & Ambasciator nuncupatur. Itali vero contendunt Ambasciatore posse non malè deduci ab antiquo illo Hetrusco vocabulo Bascer, quod idem est cum Hebræo, idemque sonat quod nuncio, memoro, declaro. Nonnulli vero somniant hanc vocem originem suam trahere ab illa vocula ambo, ideò quod inter ambas partes Legatus medius intercedat.* Hæc Hovellus. Conf. Turneb. *lib. 14. Adverf. cap. 14.*

(d) *Briga* est lis sive contentio, à Gallico *Brigve* i. e. lis, jurgium. Unde *imbrigare* Barbaris Scriptoribus est liti involvere.

CAP. XLIV.

De

Expulsione Switergal de Ducatu Lithvaniæ & sublimatione Sigismundi.

PEndentibus itaque treugis biennalibus supra dictis Dominus Boleslaus alias Svvitergal de Magno Ducatu Lithvaniæ supplantatus expellitur, & alius videlicet (a) Sigismundus in Magnum Ducem præficitur, sicque in eodem Ducatu Lithvaniæ maxima oritur scissura, gentis in gentem surrectio, sangvinis ingens effusio & terrarum vastatio perhorrenda.

ANIMADVERSIO.

(a) Sigismundus I. ex Kieystuti Magni Ducis familiâ, in quam Witoldus Principatum intulerat, oriundus erat. De quo Vid. Kojalovvicz. *part. 2. Hist. Lithv. lib. 4.*

CAP. XLV.

Qualiter Poloni & Hussitæ novam Marchiam & Districtum Pomeraniæ destruxerunt.

Anno Domini MCCCCXXXIII. completo hyemali treugarum spacio, cum partes prædictæ, videlicet Regnum & Ordo nec interesse nec per personas intermedias, quinimo nec per Legatos & Ambasciatores Basileensis concilii & Papæ in Thorun super festum Georgii constitutos concordari possent, & signanter occasione dicti Ducis Svvittergal, quem cum Poloni in magnum Ducatum nullatenus vellent admittere, nec pro magno Duce habere, & Ordo eum pro magno Duce habere vellet, cumque juxta formam Confœderationum & Ligarum inter eos factarum revetare possent & juvare, iterum lis oritur inter ipsos. Undè pro parte Domini Magistri & Ordinis stipendiarii de partibus Almaniæ, Misniæ, Lusatiæ & Slesiæ ac cæteris partibus pro adjutorio venerunt, quorum tamen adventus supervacaneus fuit penitus & inanis. Nam ad stipendia duntaxat non ad prælia veniebant, nullum omnino actum fortitudinis aut militiæ pro susceptis stipendiis exercendo, nisi quod castellum in districtu Pomeraniæ Poltzin nomine eis in via obsistens per latrones & raptores scilicet Mandufel aliquandiu occupatum per vim obtinuerunt, latronibus abundè evulsis fortiter & expulsis. Poloni verò sceleradissimam Hussitarum congeriem ex omni terrarum abjectissima fæce collectam sibi in auxilium adduxerunt. Qui quidem Hussitæ & hæretici numero (ut æstimari poterant) circiter 5000. qui quidem omnes pedites occurrerunt cum curribus cæterisque rebus bellicis per dictorum stipendiariorum vestigia novam Marchiam intraverunt ipsam terram vastando, tredecim signanter oppidis cum villis & molendinis plurimis in favil-

favillam redactis. Arensvvaldenſes verò & Nobiles Wedelen, ut cum municipiis & oppidis eorum illæſi manerent, dictis hæreticis nomine Regis Poloniæ præſtiterunt homagium ab Ordine recedendo. Qui quidem crucis Chriſti æmuli & hæretici cum Polonis terram ingreſſi Pruſſiæ oppidum Konazia præſigne hoſtili obſederunt exercitu, & plusquam (*a*) quatuor hebdomadis impetus plurimos in ipſum facientes atrociter impugnaverunt. Sed nihil obſunt arma hoſtilia, ubi propugnatrix eſt divina clementia; & in vanum ſparguntur exterius totâ ferociâ, ubi intus ſunt ſana conſilia & ſincera concordia. Sicque Dei protegente dexterâ fruſtra laboret gens perfida plurimum confuſa abſcedens. Porrò Marſchalcus Ordinis Dominus Jodocus Sternberger cum cæteris Præceptoribus, nec non cum Dominis Henrico de Plauen, Ottone de Donyn, Friderico de Beberſtein Baronibus, cæterisque militibus feodalibus & Civitatenſibus adverſus Chriſtianæ religionis perſecutores deterrimos caſtra metati ſunt propè villam Schvvarzvvalde. Quod ſi ibidem duntaxat cum exercitu moram faciendo ſtetiſſent, abs omni pugna terram ſervaſſent illæſam. Sed (heu dolor!) inſano freti conſilio aut vertiginis turbati ſpiritu arundineo metu ſparguntur, abindè recedentes, hoſtibusque locum dantes terram ipſam invadendi & funditus deſolandi. Cum itaque gens hoſtilis taliusmodi inordinatam retroceſſionem vidiſſet, ſubito inſequitur dictam terram Pomeranicam more tyrannico incinerando, præſertim oppidum Dirſzau præclarum & caſtrum (*b*) Geſniz in cinerem redigendo. Nec ceſſat gens perfida ab incœptis quousque prope Danzig pertingeret locum maris, ibique latro inſignis (*c*) Zcepko Dux exercitus Huſſitarum, (*d*) aquas maris, ut refertur, ingrediens, elatâ cervice gloriabatur jactitando: Ecce, inquit, Fratres proteſtor vobiſcum, quod hic in fines terræ pertingens, obſtantibus aquis marinis ulteriorem non poſſum habere progreſſum. Ibique ejusdem aquis maris certas implevit

vit lagenulas, quas in Bohemiam dicebat se ducturum, ut videlicet ampliori ibidem pompâ apud suos posset complices gloriari de malefactis, juxta illud Scripturæ: Lætantur cum malè fecerunt, & exultant in rebus pessimis-

ANIMADVERSIONES.

(a) Se hebdomadis oppidum illud fuisse obsidione cinctum tradidit Casp. Schuzius *lib. 3. Chron. Pruss. fol. 112. a.* Alii duos habent menses. *Vid.* Salomon. Neugebaur. *lib. 5. pag. 293.*

(b) Jaseniz arcem in regressu Bohemos combusisse tradunt alii. Cum enim Bohemis Polonisque illam arcem oppugnantibus, Cruciferi resistere non possent, de pace jam tractare cœceperant. Dum colloqvuntur inter se Primores, pauci de Polonis juniores temere in arcem impetum fecere, eos totus exercitus, quasi dato signo sequtus est. Capta momento arx direpta atque incensa captivi ad unum omnes trucidati sunt. *Vid.* Salomon Neugebauer *lib. 5. pag. 294.*

(c) Czapco vocatur apud Cromerum & Neugebauerum *loc. cit.*

(d) Plurimos id fecisse Bohemos tradit Schuzius *loc. cit.*

CAP. XLVI.

Exclamatio dolorosa contra malitiam Hussitarum.

O Præclara terra Prussiæ quamvis in extremo ferè orbis angulo sis posita à sceleratis tamen filiis Belial illæsa non vales subsistere, quinimò per permultas terras & regiones acerrimè devastatas ab his perturbatione miserabili laniaris. O Deus, quot probra, quot scandala, quot pernicioſa incommoda hoc nequam genus hominum tuæ intulit Majestati. Tot regiones, tot urbes, tot Christianæ religionis castra & oppida cum Ecclesiis & cœnobiis degrassando, tot etiam homines Christicolas proceres, videlicet innumeres igne, ferro & carcere aliisque modis ferocissimis inhumaniter trucidando. Nec in his omnibus

bus aversus est furor eorum. Hujusmodi depopulatione terrarum & rapinâ rerum non contenti, manus suas sacrilegas & sangvine plenas ad ea ignominiosè extendunt, quæ audire abhorrent aures hominis Christiani, non parcentes Sacerdotibus, non monachis, non monialibus, non reclusis. O gens impia, gens crudelis, tigride tigridior, leone leonior, & lania severior, quæ nec Dominum timet, nec hominem reveretur, quæ nec formidat manus sacrilegas mittere in Christos Domini, quam nec clericalis dignitas, nec sacerdotalis unitio, nec districti terror judicii ab ausibus cohibet tam nefandis. O dolor! o nefas! o dedecus pernicioſum! ab hujusmodi deterrimis hominibus ex omni nationum spurcissima fece congregatis Christiana religio talem ac tantam debet sentire ruinam, & non est in orbe qui impediat & resistat. Refriguit enim caritas, fervet iniquitas pace peremptâ, justitiâ perditâ, concordiâ fugiente. Hinc velut per solis Ecclipsin mundi status tranquillus tenebrescit, tenebratus affligitur, afflictus distrahitur, distractus destruitur incessanter.

CAP. XLVII.

De *Treugis Pacis XII. annorum in oppido Lancicienſi firmatis.*

CUm igitur filii maledictionis cuncta An. Dn. 1433. in districtu Pomeraniæ taliter devastassent, visum est parti utrique fœdus pacis inire. Ponuntur itaque treugæ ante castrum (*a*) Gesnitz, quod per ipsos Polonos & Hussitas eâdem die sive Dominica ante Festum exaltationis S. Crucis expugnatum & exustum erat, ad usque Festum S. Andreæ Apostoli proximè tunc futurum sub ea conditione, quod eodem die S. Andreæ partis utriusque Consiliarii cum pleno mandato constitui deberent in

oppido Breſtenſi pro ulterioribus treugis, aut ſi commodè fieri poſſet pro pace perpetuâ tractandâ. Rurſum cum prædictæ partes in præfato oppido conſtitutæ, ibidem nec pro pace perpetuâ, neque ulterioribus treugis concludere potuiſſent, & absque fine debito receſſiſſent, decretum eſt per noſtrates, ut adhuc iteratâ vice cum eis in oppido Lancicienſi convenirent, ad quod ex parte Ordinis VII. duntaxat perſonæ, ſcilicet duo Commendatores, duo milites, & duo Burgimagiſtri de Civitatibus deputati, cum pleno mandato mittebantur, qui in dicto oppido Lanciciæ poſt plures & diverſos hinc indè tractatus cum parte adverſa ad hoc finaliter pervenerunt. Qui inter Regnum ac Ordinem & terras partibus utrisque ſubjectas, nec non adhærentes ipſorum (*b*) treugæ pacis 12. annorum firmiter ſtare deberent, ita quod textus habet, pars quælibet tempore treugarum hujusmodi apud limites ſuos ab antiquo ſignatos ac tentos armorum permanere deberent, quoties eis viſum fuerit pro pace perpetua practicanda. Hoc tamen adjecto, quod neutra partium ad cujuscunque hominis, etiamſi populi, Imperiali vel Regali dignitate præfulgeat ſuggeſtionem conſilium vel mandatum pacem illam publicè vel occultè violare debebit, quoque partium quælibet ſuis ſubditis præſtabit literas. Quod ſi una pars alteri guerarum fremitus movere voluerit, ſubditi ejusdem partis bella movere volentis ei in hoc conſentire non debeant vel parere.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Jaſenicia arx non procul à Bromberga *Vid.* Salom. Neugeb. *lib. 5. Hiſt. Polon. pag. 293.*

(*b*) Induciæ hæ ſunt. Pax verò perpetua inita eſt poſt obitum Vladislai Jagellonis ſub Vladislao Jagellonide An. 1436. cujus capita vide apud Schuzium *l. 3. Chron. Pruſſ. fol. 127. b. ſeq.* Salomon Neugebauer *lib. 5. Hiſt. Polon. in Vladislao Jagellonide pag. 302. ſeq.* Integra illa Pacta habentur in Privilegiis Pruſſiæ Ducalis *fol. 6. ſeqq.* Joh. Januſzovium *lib. 7. Conſtitutionum Regni Poloniæ.*

CAP.

CAP. XLVIII.

Qualiter Dominus Sigismundus (Imperator) dictas treugas impugnavit &c.

VErum cum hujusmodi compositio & pacis electio Serenissimo Domino nostro Sigismundo Romanorum Imperatori plerumque foret contraria, eo quod præter Imperialis Majestatis voluntatem & consensum fuisset assumpta, & signanter in ultimo ejus articulo, sacro Imperio & sibi derogare videretur, ipsam per Ambasiatores suos & scripta imperiosa tanquam dedecorosam, scandalosam & obnoxiam cassandam, rumpendam & annullandam mandavit, assistentiamque præbere Domino Duci Svvittergal, cui & ipse cum omnibus ferè Principibus & terris finitimis operosa vellet auxilia potentissimè adhibere &c. Cum autem hujusmodi fœderis cassatio Dominis & subditis eorum gravis videretur, & illicita præsertim, cum sub bono fidei & honoris se ad has treugas inviolabiliter & sine dolo observandas strictissimè obligarunt, Ambasiatam ad Imperialem Majestatem suam ordinarunt per Dominum Commendatorem in Reden Johannem Pommersheim/iterato per duos Dnn. Henricum de Plauen in Elbingo & dictum Joh. Pommersheim in Reddem Commendatores ad allegandos necessitatis articulos & anietates intolerabiles eos ad hujusmodi pacis fœderum assumptionem & observationem compellentes. Sed cum tales modicum vel nihil proficerent, adhuc tertia & plenior Ambasiata disponitur, videlicet per Dominos Canitzen Commendatorem Christburgensem, Sigismundum de Wapels militem & Joannem Sterz Burgimagistrum Colmensem, qui & scribam ibidem sibi adjiciunt & assumunt. Cum igitur dicti Ambasiatores per viam directam hæreticis & hostibus undique obsessam Ungariam pertingere non possent, totam pene Almanniam, Marchiam scilicet &

Saxoniam, Misniam, Thuringiam, Franconiam, Bavariam & Austriam perlustrare coguntur, quousque ad Dominum Imperatorem Posonii pervenerunt. Lubet autem ob nonnullorum spectaculorum in via visorum relationem modica digressione pati. Nam in Norimberga, licet per instantissimas precum oblationes dicti Domini Ambasiatores vix obtinuerunt ostensionem preciosissimi thesauri SS. reliquiarum per sæpè dictum Dominum Sigismundum Imperatorem modernum de castro Pragensi, illuc translatarum. Quem quidem thesaurum licet indigni ibidem vidimus oculis (proh dolor) pollutis & immundis in hospitali novo S. Spiritus. Primo namque ostendebatur crux aurea de auro purissimo, in qua portio notabilis & magna S. crucis continebatur, in qua etiam apparentissimè videbatur foramen, quod dextram manum Salvatoris nostri in penetratione clavorum contingebat. Secundo ostendebatur sanctissima lancea, quæ cor Salvatoris penetravit, mysticam nobis cœli portam diutissimè clausam aperiendo. Eidem lanceæ infixus fuit clavus ferreus, qui pedem aut manum Christi penetravit. Item portio magna de præsepio Salvatoris nostri nati. Item ostendebantur tres catenæ Apostolorum Petri & Pauli & Andreæ. Item dens S. Joannis Baptistæ. Item portio de tunica S. Joannis Evangelistæ, quam abjecit Christum captivatum sequendo &c. & plures aliæ reliquiæ Sanctorum. Item ostendebatur gladius Caroli cœlitus sibi transmissus. Item corona Imperialis Caroli cum permultis reliquiis eidem intextis. Item Dalmatica & totus habitus ejusdem, in quo Evangelium legere consvevit in nocte Christi. Item gladius Mauritii cum multis aliis reliquiis.

PRI-

PRIVILEGIA
QUÆDAM
PRUSSICA
NOTIS
&
ANIMADVERSIONIBUS
NECESSARIIS
illustrata
OPERA ET STUDIO
CHRISTOPHORI Hartknoch.

---

cIↃ IↃC LXXIX.

PRUSSICA

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRIVILEGIVM (a) CVLMENSE.

FRater Eberhardus dictus de Seyne, Præceptor Domus S. Mariæ Teutonicorum per Alemanniam & Vices gerens Magistri Generalis per Livoniam & Prussiam, Universis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, orationes in Domino Jesu Christo. Noverit universitas vestra, quod Nos, cum ad partes Prussiæ pro negotiis plurimis veniſſemus promovendis, inter alia, quæ nobis diffinienda occurrerunt ibidem negotia, Cives Culmenses ac Thorunienses turbatos invenimus pro eorum Privilegio, quondam eis à Magistro bonæ memoriæ Fratre HERMANNO dicto de Salcza, & Fratre Hermanno Balkone, primo ejusdem Terræ Commendatore, donato, & postmodùm per incendium Civitatis Culmensis amisso, cujus rei veritatem à Fratribus nostris ac aliis viris honestis Nos plenius cognoscentes, de communi consilio Fratrum nostrorum ibidem existentium, pariter & consensu dictos Cives lætificantes, Privilegium prædictum ipsis restaurandum duximus, in hunc modum.

Frater Hermannus Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Iherosol. Magister & Frater Hermannus Balko ejusdem Ordinis in Prussia Provisor, nec non totus ejusdem Domus Conventus, universis Christi fidelibus, hanc paginam inspecturis, salutem in vero Salutari. Quanto plura quantoque majora Culmensis Terræ ac præcipuè Civitatum nostrarum incolæ,

Cul-

Culmensis scilicet & Thorunensis tum pro Christianitatis defensione, tum pro Domus nostræ promotione discrimina sustinebant, tantò ardentius atque efficacius in omnibus, quibus cum
I. Justitia possumus eis adesse volumus & debemus. (b) Hinc est quod eisdem Civitatibus hanc indulsimus perpetualiter libertatem, ut earum Cives eligant sibi in iisdem Civitatibus singulos Judices annuatim, qui domui nostræ & Communitati Civi-
II. tatum competant earundem. Eisdemque Judicibus cessimus perpetualiter de parte tertia mulctarum Judicialium, pro culpis majoribus pensatarum ; pœnam minorum excessuum , quæ Quotidiana dicitur, videlicet XII. nummos & infra eis totaliter concedendo. Ita ut quicquid de talibus Judex infra Tribunal indulserit, de quatuor solidis videlicet, & infra, id etiam ex parte Domûs nostræ sit indultum. Veruntamen de majoribus culpis, ut sunt homicidia, sangvinis effusio & his similia, Judex absque Fratrum nostrorum assensu nihil remittat. Nos etiam partes illas, quæ nos contigerint, in eisdem Judiciis vendere &
III. infœdare cuiquam non debemus. Igitur Civitati Culmen dedimus ad prata, pascua & alios usus communes, à terminis cujusdam villæ, quæ Vst appellatur, per descensum Vissæ, usque ad terminos cujusdam lacûs, qui dicitur Rensehe, & de ipso lacu ascendendo, usque ad villam quæ Rude vocatur, & juxta terminos ejusdem villæ usque ad aliam Villam Lunave dictam, & sic directè ad viam, quæ ducit ad insulam S. Mariæ, per viam verò directè usque ad terminos cujusdam villæ, quæ Grobene dici-
IV. tur, & sic ulterius ad vallem quæ Brovvina nuncupatur. Ne hoc tacendum est, quod liberum erit piscari sæpe dictis Civibus in prædicto lacu, qui dicitur Rensehe, sicut & nobis. Præterea supra dicta Bona tam in sylvis, quam in pratis & agris, cum omni utilitate, quam domus nostra percipere posset exinde, dicti Cives in perpetuum liberè possidebunt. Flumen verò Wissam à Villa quadam, quæ dicitur Topulna per descensum usque ad lacum,

cum, qui Renſehe vocatur, cum omni utilitate, exceptis (c) inſulis & caſtoribus, ad communes uſus piſcandi prædictis Civibus & peregrinis duximus aſſignandum. Civitati verò Thorun. V.
idem flumen in longitudine ac terminis Domini Cujavienſis Epiſcopi ad unum milliare deſcendendo, & in terra in latitudine circa Wiſſam circumquaque per dimidium milliare, cum omni utilitate, exceptis (c) inſulis & caſtoribus ad communes uſus Civium & peregrinorum duximus aſſignandum. VI.
Statuimus autem in eisdem Civitatibus Jura Megdeburgenſia in omnibus ſententiis in perpetuum obſervari, hoc indulto, ut cum reus aliquis Megdeburch in ſexaginta ſolidis puniri debeat, hic in triginta ſolidis Culmen. monetæ mulctetur. Eodem modo in culpis aliis proportionaliter obſervando. VII.
Si verò aliquis dubietatis ſcrupulus de jure judiciario, vel de juris judiciarii ſententiis Civitatibus emerſerit, in eisdem idem articulus à Culmenſis Civitatis Conſulibus requiratur. VIII.
Quia eandem Civitatem Capitalem eſſe volumus, ac digniorem inter alias jam conſtructas, & ſi quæ adhuc infra Wiſſam, Ozzam, & Drivvanzam conſtruentur. IX.
Dicti vero Cives ac fœdales earundem Civitatum de communi conſenſu ceſſerunt, de jure, quod in Wiſſa ſuper Navigio hactenus habuerunt, ipſum cum omni utilitate Domui noſtræ liberè reſignando. X.
Hac tamen conditione præmiſsâ, quod Nos dictum Navigium pro Summa, quanta volumus & poſſumus locare ſeu vendere debeamus hominibus, quibus voluerimus, qui in Civitatibus, Culmenſi videlicet & Thorunienſi, reſidentes juſtitiam exhibeant unicuique & accipiant coram Civitatum judicibus earundem & naulum usque ad præſens conſvetum debeamus absque augmento aliquo deinceps obſervare.
Hyemali verò tempore, cum fuerit glacies, Fratres de conſilio XI.
Judicum & Conſulum earundem Civitatum naulum ſtatuant, ut eorum diſcretioni videbitur expedire. XII.
Statuimus etiam, ut omnes Clerici & viri religioſi, de quacunque religione exſtite-

rint, absque omni naulo perpetualiter cum rebus eorum, quas
XIII. secum habuerint, traducantur. Quod si quis ex ductoribus navium ex prædictis aliquem traducere ausu temerario contradixerit, leviori culpæ subjaceat, quali scilicet quatuor solidorum
XIV. pœna consvevit asscribi. Promisimus etiam, ut in eisdem Civi-
XV. tatibus nullas domos emere debeamus: Si verò aliquis domum aut aream suam domui nostræ contulerit intuitu pietatis, eam ad alios usus construere non debeamus, nisi ad quos aliquis ex civibus construet domum suam, & eadem exinde jura & consvetudines observare, quæ & quas alii de suis domibus observa-
XVI. bunt. In his tamen conditionibus Munitiones nostras, quas
XVII. in eisdem Civitatibus jam habemus, volumus non includi. Parochiam in Culmine dotavimus quatuor mansis juxta Civita-
XVIII. tem & aliis quadraginta, ubi eisdem fuerint demonstrati. Parochiam verò Thorunensem dotavimus quatuor mansis juxta Civitatem, & aliis quadraginta, ubi ei fuerint assignati. Et in eisdem Ecclesiis jus Patronatus nostræ Domui retinemus, eis in
XIX. Plebanis idoneis provisuri. Cæterum si aliquæ Parochiæ in villis supra dictorum Civium fabricatæ fuerint, si tum villarum singulæ earundem octuaginta mansos vel amplius habuerint, promisimus parochiarum quamlibet prædictarum quatuor mansis de nostra speciali parte dotare, & jus Patronatus habebimus perpetuò indotatis, eis etiam in idoneis Sacerdotibus pro-
XX. visuri. Adhæc statuimus, ut si qua fortè quæstio contra aliquem de Bonis suis orta fuerit, si possessor vicinos ac alios conterraneos suos, quibus notum fuerit rem taliter se habere, & testimonium justæ possessionis habuerit, potius debeat obtinere Bona il-
XXI. la, quam is, qui eum impetit, ab ipso eadem Bona alienet. Absolvimus autem prædictos Cives ab omnibus Collectis injustis & hospitationibus coactivis aliisque exactionibus indebitis, ad
XXII. omnia Bona eis attinentia hanc gratiam extendentes. Porrò eisdem Civibus nostris vendidimus Bona sua, quæ à Domo nostra

stra habere noscuntur ad hæreditatem Flammingicalem, ipsis & eorum hæredibus utriusque sexûs ea cum omnibus proventibus in perpetuum liberè possidenda, salvis tamen his, quæ Domui nostræ per totam terram duximus retinenda. Retinemus XXIII.
enim Domui nostræ in Bonis eorum omnes lacus, castores, venas salis, auri argentique fodinas, & omne genus metalli præter ferrum, ita ut tamen inventor (*d*) auri, sive is, in cujus Bonis inventum fuerit, idem Jus habeat, quod in terra Ducis Sleſiæ in XXIV.
hujusmodi, talibus est concessum. Inventor autem argenti, XXV.
sive is, in cujus agris inventum fuerit, Jus Friburgense in hujusmodi inventione perpetualiter obtinebit. Quod si lacus aliquis ad tres tractus sufficiens agris alicujus prædictorum Civium adjunctus fuerit, si is, cujus agri sunt, eundem lacum loco agrorum acceptare voluerit, in sua ponimus optione. Si verò major fuerit, quocunque instrumento in eo piscari voluerit, ad commodum duntaxat mensæ suæ præter rete, quod (*e*) Nevvod dicitur, habeat liberam facultatem. Item si rivus aliquis XXVI.
agros alicujus Civis attigerit, ei, cujus agri fuerint, solummodò molendinum ædificare liceat in eodem: Si verò idem fluvius aptus fuerit pluribus molendinis, Domus nostra in construendis eisdem aliis tertiam partem priorem sumptuum faciat, & percipiat perpetualiter tertiam partem usuum de constructis. XXVII.
Volumus etiam, ut de qualibet fera, quam ipsi vel eorum homines ceperint, exceptis ursis, porcis, & capreolis, armum dextrum Domui nostræ reddere teneatur. Sane quod de lacubus, molendinis seu feris posuimus, ad illos duntaxat Cives extendimus qui à domo nostra, sicut supradictum est, hæreditati esse noscuntur. Ipsis etiam hanc contulimus libertatem, ut Bona sua, quæ XXVIII.
à Domo nostra possident, vendendi talibus sanè, qui Terræ ac Domui nostræ benè competant, habeant facultatem, ita ut hi, qui ea emerint, de manu Fratrum suscipiant, & Domui nostræ ad idem jus idemque servitium teneantur, quod illi nobis exinde

facere debuerunt, & nos ea ipsis porrigere sine ulla difficultate
XXIX. debemus. Licentiamus etiam, si fortè aliquis antedictorum Civium necessitatis causa allodium suum, vel X. mansos ad majus, ab aliis Bonis suis separare voluerit & vendere separatim, is idem jus idemque servitium Domui nostræ debebit facere de reliquo, quod prius de toto noscitur debuisse. Is verò qui idem allodium vel X. mansos emerit, debet ratione ejusdem allodii cum armatura, quæ Plata vulgariter dicitur, & aliis levibus armis & uno equo, ad arma talia competente Domui nostræ ad tale obsequium esse adstrictus, quale inferiùs pleniùs describetur.
XXX. Addentes, ut nullus eorum, qui nunc à Domo nostra hæreditati esse noscuntur, hæreditatem aliquam possit emere, præter u-
XXXI. nam. Statuimus siquidem, ut, quicunque XL. mansos vel amplius à Domo nostra emerit, is cum plenis armis & dextrario operto & armis talibus competente, & aliis (*f*) duabus ad minus
XXXII. equitet. Qui verò pauciores mansos habuerit, cum Plata & aliis levioribus armis & uno equo, ad arma talia competente, debet cum Fratribus nostris in expeditionem, quoties ab eis requisitus fuerit, pergere contra Pruthenos, qui Pomezani largo vocabulo nuncupantur, & contra omnes Terræ Culmensis tur-
XXXIII. batores. Cum verò præfati Pomezani in Terra Culmensi, præstante Domino, fuerint ulteriùs meritò non timendi, omnes Cives prædicti ab omnibus expeditionibus sunt exempti; ad defensionem tamen Terræ, videlicet usque ad Wissam, Ozzam & Drivvanzam cum Fratribus procedere tenebuntur, ut prædi-
XXXIV. ctum est contra Terræ quoslibet invasores. Item statuimus, ut quilibet homo, hæreditatem à Domo nostra habens, Fratribus nostris solvat exindè unum nummum Colonienſem, vel pro eo quinque Culmenses & pondus duarum marcarum ceræ in recognitionem dominii, & in signum, quod eadem Bona sua habet à Domo nostra & nostræ debeat Jurisdictioni subesse, & nos eum favorabiliter confovendo contra eos, qui sibi injuriam intule-

rint,

rint, debemus, in quantum possumus, nostrum præsidium impartiri. Prædictum autem censum singulis annis in die Beati Martini, vel ab ipso ad XV. dies dare debent. XXXV. Quicunque autem in prædicto termino non dederit censum suum, taliter puniatur: Post primos XV. dies in X. solidis; Elapsis verò aliis XV. nisi persolverit, X. solidorum debito sit adstrictus; Item evolutis aliis XV. diebus tertiò in aliis X. solidis, si non solverit censum suum, puniatur, & nunc pro his XXX. solidis, & pro censu suo tempore non soluto, ejus pignora, sine omni contradictione, accipi faciet, & habebit accepta, donec ei satis faciat Domus nostra. XXXVI. Item si fortè aliquis debitum obsequium suum, quod Domui nostræ debere dignoscitur, in expeditionibus peragendis, non impenderit, & absens fuerit, Provisor Terræ de Bonis absentis alium statuat loco sui, sic ut Domus nostra sui juris in hac parte sentiat nullatenus detrimentum. XXXVII. Item statuimus, ut si fortè aliquis ex supradictis Civibus recedens à Terra pactiones suas Domui nostræ non fuerit prosecutus, eidem infra XVIII. septimanas tres termini cum sententia præfigantur; Quod si infra easdem XVIII. septimanas non satisfecerit, pœnæ XXX. solidorum nostræ Domui reddendorum subjacebit; Et si nec tunc emendaverit, singulis sex septimanis ad satisfactionem in totidem Culmensis monetæ solidis compellatur. XXXVIII. Si verò infra annum neglexerit emendare, Domus nostra se de omnibus bonis suis, donec satisfaciat ei de omnibus, intromittat. XXXIX. Volumus autem, ut de Bonis prædictorum Civium, de quolibet aratro Teutonicali unus modius tritici, & unus siliginis in mensura Vladislaviensi, quæ vulgari nomine Schessel dicitur, cui mensura Culmensis est adæquata, & de Polonicali aratro, quod Hake dicitur, unus modius tritici, in eadem mensura annuatim Diœcesis Episcopo pro Decimis persolvatur. Si verò idem Episcopus prædictos homines pro aliis Decimis angariaverit, pro his Domus nostra tenebitur respondere. XL. Item statuimus, ut

una moneta, Culmensis videlicet, sit per totam Terram,& ut de puro & mundo argento denarii fabricentur, ipsi quoque denarii in tanto valore perpetualiter perseverent, ut eorum LX. solidi ponderent unam marcam : Et dicta moneta non nisi semel in singulis decenniis renovetur, & quoties renovata fuerit, XII. novi nummi pro XIV. veteribus cambiantur, ut unusquisque liberè emat, quamcunque rem,quæ venalis in foro portari consvevit. XLI. Item quantitatem mansorum juxta morem Flammingicalem statuimus observari. XLII. Absolvimus etiam totam Terram prædictam ab omni penitus telonei exactione.

Et ne præmissæ constitutiones, promissiones ac pactiones ab aliquo Successorum nostrorum infringi valeant aut mutari, præsentem paginam conscribi fecimus, eam bullarum nostrarum appensionibus roborando. Hujus rei testes sunt Fratres nostri, Poppo de Osterna, Albertus de Langenberch, Theodoricus Marschalcus, Berlevvinus in Culmine, Ludovvicus in Quidzin Provisores; Seculares verò Burchardus Burggrafius Megdebergensis, Joannes de Pach, Fridericus de Schervvest, Bernhardus de Kamentz,& alii quamplures, tam religiosi quam seculares. Acta sunt hæc in Thorun Anno incarnationis Dominicæ,Millesimo,Ducentesimo, trigesimo tertio,Quinto Calendas Januarii. Quoniam igitur hoc Privilegium per Nos Fratrem Eberhardum de Seyne est renovatum, de consilio Fratrum nostrorum Civiumque sæpe dictorum consensu, quædam in eo sunt mutata, articulis scilicet quibusdam exceptis & quibusdam interpositis, qui in Privilegio non continebantur antiquo. Ut autem hæc nostra felix donatio firma & inconcussa permaneat, ne inposterum ab aliquo possit infringi ; Cives quoque dicti super hac sui mutatione Privilegii nullum penitus gravamen sustineant, præsentem paginam Sigilli nostri munimine roboramus. Hujus rei testes sunt Fratres nostri Ludovicus Provisor Prussiæ, Henricus Commendator Terræ Culmensis,

sis, Henricus Marschalcus, Henricus Stango in Christeburg, Harthmundus in Elbingo, Mengotus in Balga, Zuhalo in Zantir, Joannes in Culmine, Ravino in Thorun, Hertvvicus in Redino Commendatores, Fratresque Domûs seniores, Theodoricus de Sulinge, Conradus de Norenberch, Volpertus de Marpurg, Henricus de Moguntia : Seculares verò Joannes Scultetus, Reinico, Razo, Radolphus, Ludeko, Eckehardus, Wasmundus , Cives Culmenses: Fœdales verò Hildebrandus Senior, Gotfridus, Fridericus de Neu, Wilhelmus, Hermannus Schultetus in Thorun, Dithardus, Conradus, Lampertus, Lutdechus & alii quamplures tam Religiosi quam Seculares. Datum in Culmine Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Ducentesimo, Quinquagesimo Primo, Calendis Octobris, &c.

ANIMADVERSIONES.

(*a*) Avtographum hujus Privilegii exemplar est in tabulario Thorunienſi. Vid. quæ ea de re diximus in Animadversionibus nostris ad *part. III. Dusburg. cap. 58.* Quamvis autem hoc Privilegium justo posset illustrari Commentario, nos tamen eo labore jam supersedemus, cum plurima, quæ ad intelligentiam ejus faciunt, partim in Animadversionibus ad Dusburgensem, partim in Dissertationibus nostris jam sint allata. Inprimis consuli possunt Dissertationes: De jure Prussico, de Republ. Prussorum & De re monetaria Prussorum.

(*b*) Distributio Privilegii hujus in certa capita licet in avtographo non habeatur, addere tamen hos numeros placuit ex Germanico exemplari, quod est Regiomonti in Bibliotheca Wallenrodiana, quo facilius verba Privilegii passim à nobis citata inveniri queant. Habent, scio, alia exemplaria Germanica alias divisiones, hæc tamen nobis præ cæteris placuit.

(*c*) Monuit hîc amicorum nonnemo, incomtnode duo illa conjungi, Insulas & Castores; sibique videri, errorem hunc fluxisse ex Germanico Privilegii Culmensis exemplari. Cum enim in eo legeretur: Marder und Bieber / interpres legit Werder und Bieber / reddiditque in Latino, Insulas & Castores. Hæc licet speciem veri præ se ferant non exiguam, convelli

velli tamen possunt ex avtographo Thorunienſi. Niſi forte dicere velis, primum illud Privilegium ab ipſo Hermanno de Salza & Hermanno Balke An. 1233. conceſſum fuiſſe Germanico idiomate ſcriptum, aut etiam ante everſionem Civitatis Culmenſis ex Latino avtographo in varia Germanica exemplaria traductum; poſtea verò combuſto in incendio urbis Culmenſis avtographo, ex Germanica verſione Eberhardum de Seyne ſuum adornaſſe renovatum exemplar. Sed hic quilibet ſuo abundet ſenſu.

(e) Nievvod etiam hodie vocatur à Pruſſis Polonorum vicinis.

(f) Duobus fortaſſe legendum. In Germanicis enim Exemplaribus hæc ita leguntur; das er mit vollen Wapen/ und mit einem verdeckten Roſſe/ und folgeten Wapen/ zum mindeſten mit zwey andern Reutern komme.

(d) Fodinæ auri in Sileſia tempore Hermanni à Saltza fuerunt celebres Goldbergæ, quæ urbs etiam nomen ſuum inde ſortita eſt. Addit etiam Henſelius in Sileſiographia cap. 2. alias urbes fodinis olim non minus celebres, ut ſunt Lemberga & Strigavia. Hodiè celebrantur: Zuckmantel Reichenſtein & Thal des Rieſengebürges/ item Laugenau/ Gronaw/ Schmochſeiffen. Fodinæ argenti poſt tempora hujus Magiſtri in Sileſia ſunt repertæ, quam ob cauſam Silberberga, Tarnovitz, Reichenſtein ab Hennelio celebrantur. FREIBERGENSES Fodinæ An. 1180. repertæ ſunt. Vid. Dn. Frid. Butnerus Mathem. Gedanenſis *in Faſtis An. 1668. Quæſtione 2.*

PRI-

PRIVILEGIUM (a)

Pruthenis à Legato Pontificio (b) *Anno 1249. d. 7. Id. Febr. concessum.*

UNiversis præsentes literas inspecturis, (c) Jacobus Leodiensis Archidiaconus, Domini Papæ Capellanus, ac ejusdem in Polonia, Prussia & Pomerania vicemgerens in Domino salutem. Noverit universitas Vestra, quod cum inter Neophytos Prussiæ ex parte unâ & Religiosos Viros (d) Magistros & Fratres Domûs Teutonicæ in Prussia ex altera graves discordiæ ortæ essent super hoc, quod dicti Neophyti dicebant, quod licet à felicis recordationis (e) Innocentio Papa III. Honorio & Gregorio Romanis Pontificibus, Prædecessoribus Patris nostri (f) Innocentii IV. qui nunc divina clementiâ providente præest Ecclesiæ S. Dei ipsis Neophytis esset concessum, ut cum vocati essent in libertatem filiorum Dei ex aqua & Spiritu S. renati in libertate sua manentes nulli alii essent, quam soli Christo & obedientiæ Romanæ Ecclesiæ subjecti, dicti tamen Magistri & Fratres contra hujusmodi concessionem venientes (g) *** tollere supra se svave jugum Domini formidabant. Et cum super hoc fuisset coràm prædicto SS. Patre per Procuratores partium prædictarum diutius altercatum, & per ea quæ pro utralibet partium fuere proposita, coram ipso plenè non potuerit scire veritatem, ipse hujusmodi dissensionis exstingvere fomitem & discordes ipsos optans ad concordiæ reducere unitatem, nos ad partes illas transmisit, dans nobis

literis Apostolicis in mandatis, ut partibus ad nostram præsentiam convocatis solicitè tractaremus de facienda concordia inter ipsos. Nos igitur ad partes Prussiæ de mandato Apostolico pro solo Bono obedientiæ Papæ huc specialiter accedentes, partibus ad nostram præsentiam convocatis, de dicta concordia tractavimus diligenter, & easdem partes Domino favente ad concordiæ unitatem reduximus sub hac formâ.

Inprimis siquidem dicti Magistri & Fratres ardenti desiderio affectantes, ut negotium fidei Christianæ liberè in partibus illis currat, & nomen Domini nostri Jesu Christi in gentibus dilatetur, & hoc præcipuè quærant in illis partibus, (*h*) sicut dicunt neophytis supradictis jam ad fidem conversis & baptizatis, nec non & paganis omnibus in eisdem circumjacentibus partibus convertendis & baptizandis in nostra & venerabilis Patris (*i*) Herdueri (*k*) Culmensis Episcopi ad hoc à nobis specialiter vocati præsentia, præsentibus & pluribus aliis bonis viris talem libertatem liberaliter CONCESSERUNT, ut videlicet licitum sit iisdem Neophytis emere res quascunque à quibuscunque voluerint aliisque modis justis acquirere prout voluerint & valuerint, sibique viderint expedire, & quod quid emerint vel acquisiverint sibi ipsis acquirant & hæredibus suis legitimis. Ita videlicet, quod quando aliquis ab eis recesserit ab hac vita habens filium vel filiam, quæ nunquam fuerit maritata, (*l*) vel utraque, isti succedant iisdem. Et si filium vel filiam non habuerit & adhuc Parentem & matrem habeat, succedent isti suo filio morienti. Si verò nec filium, nec filiam, nec Patrem, nec Matrem, & adhuc filius sui filii sit superstes, succedat avo suo. Porrò si nullum habuerit superstitem de prædictis & habuerit Fratrem, succedat & idem Frater, & si ipse frater morte præventus reliquerit filium, idem filius fratris succedat Patruo moriente. Quæ prædicti neophyti gratanter acceptarunt, cum in paganis (*m*) hæc non habuissent, ut dicebant, nisi solos filios successores, & concesse-

cesserunt iidem neophyti coram nobis & aliis ante dictis libera voluntate, ut si quis ex eis vel successoribus suis obierit, & nullum superstitem reliquerit, de omnibus hæredibus antedictis; omnia Bona ipsorum immobilia ad Magistrum & Fratres prædictos, & domum eorum & alios Dominos, sub quibus iidem Neophyti manserint liberè devolvantur. Et idem de mobilibus, nisi ipsi Neophyti in vita, vel in morte de illis aliud duxerint ordinandum. CONCESSERUNT etiam prædicti Magistri & Fratres Neophytis antedictis, ut libere possint expendere, dare, erogare, vendere & alia quæcunque facere tam in vitâ, quam in morte de mobilibus Bonis suis; Et insuper quod licitum sit eisdem pro necessitate sua, vel pro sua etiam utilitate immobilia Bona sua vendere paribus suis, vel Teutonicis seu Prutenis, Christianis vel (*n*) Pomeranis, dum tamen personis præfatis Magistro & Fratribus sufficientem faciat cautionem ad valorem immobilis rei vendendæ, quod postquam vendiderint ad paganos non fugient, vel ad hostes, quos manifestè ipsorum Fratrum constiterit esse hostes. CONCESSERUNT præterea præfati Fratres Neophytis ut licitum sit eis condere Testamentum de Bonis suis mobilibus & etiam immobilibus, ita tamen, quod si aliqui aliqua immobilium testamento legaverit alienæ Ecclesiæ vel personæ Ecclesiasticæ, eadem Ecclesia vel persona illa immobilia infra annum vendere teneatur hæredibus defuncti vel aliis supra dictis, & habeant sibi illa Ecclesia vel personæ pecuniam, quam ex venditione receperant pro iisdem. Alioqui anno elapso illa immobilia sic legata & per negligentiam non vendita per annum ad dictos Magistros & Fratres liberè devolvantur, cum (*o*) idem Magister & Fratres unam faciant Ecclesiam & terram, quam habent in Prussia à Romana Ecclesia teneant, credunt & dicunt, quod licitum non sit eis ut terram eandem in dominium alterius Ecclesiæ vel personæ Ecclesiasticæ transferant absque summi Pontificis consensu & licentiâ spirituali.

Quæ omnia Neophyti gratanter receperunt, & consenserunt coràm nobis & aliis supra dictis. Si in prædictis omnibus venditionibus faciendis præfati Magistri & Fratres de quacunque re vendenda tantum voluerint dare, quantum alius, ipsi Fratres omnibus aliis præferantur. Et iidem Fratres fideliter promiserunt, quod ipsi non impedient vel procurabunt publicè vel occultè, ut ab alio de re illa minus quam valeat offeratur. ITEM CONCESSERUNT Fratres prædicti Neophytis supradictis ut liceat eis liberè contrahere matrimonium cum quibuscunque legitimis ad legitimum matrimonium contrahendum, & ut possint esse (p) Procuratores in omnibus causis, & adversus quoscunque agere & jura repetere, ut tanquam personæ legitimæ ad omnes actus legitimos admittantur, coram judicibus quibuscunque tam in foro Ecclesiastico, quam in Seculari. Et ut ipsi & filii eorum legitimi possent esse Clerici & religionem intrare, & quod filii ex ipsis Neophytis, qui sunt vel erunt ex Nobili prosapiâ prognati, accingi possint cingulo militari; & ut omnia breviter comprehendantur, iidem Fratres sæpè dictis neophytis concesserunt libertatem omnimodam probabilem, quamdiu fidem catholicam observabunt & in subjectione & obedientiâ Romanæ Ecclesiæ permanebunt, & erga ipsum Magistrum & Fratres, & domum ipsorum fideliter se habebunt. ET CONCESSERUNT iidem Neophyti requisiti à nobis quam Legem intendant vel vellent eligere, vel quæ vellent secularia judicia observare, habito inter se consilio petierunt & elegerunt legem mundanam & secularia judicia Polonorum, vicinorum suorum, & prædicti Fratres concesserunt eis benignè. Et ad petitionem ipsorum, & ad mandatum nostrum ferri candentis judicium & omnia alia, si qua sunt in eadem lege contra Deum vel Romanam Ecclesiam sive contra libertatem Ecclesiasticam & ab eadem lege penitus removerunt & concesserunt penitus non servari. Et promiserunt idem Fratres coram Nobis & aliis

aliis antedictis, quod bona dictorum Neophytorum indebitè non accipient, nec eis auferent, nisi secundùm rationabilia judicia dictæ Legis. PORRO Neophyti sæpè dicti specialiter autem illi de (q) Pomezania, Warmia & Nattania à nobis instructi, quod pares sunt omnes homines, dum non peccant, & quod solum peccatum miseros facit homines & subjectos, & etiam quod quilibet quantumcunque sit liber, si facit peccatum, servum se facit peccati; nolentes perdere supra dictam libertatem, nolle se de cætero subjicere homini pro peccato; coram nobis & aliis supra dictis Deo ac Romanæ Ecclesiæ ac Fratribus supra dictis voluntate spontaneâ firmiter & fideliter promiserunt, quod ipsi & hæredes eorum in mortuis comburendis & subterrandis cum equis, sive hominibus, vel cum armis, seu vestibus vel quibuscunque aliis rebus pretiosis vel etiam in aliis quibuscunque ritus gentilium de cætero non servarunt; sed mortuos suos juxta morem Christianorum in cœmeteriis sepeliant, & non extra (r) Idolo quod semel in anno collectis frugibus consveverunt (s) confringere & pro Deo colere cui nomen Curche imposuerunt, vel aliis Diis, qui non fecerunt cœlum & terram, quibuscunque nominibus appellarentur de cætero non libabunt, sed in fide Domini nostri Jesu Christi & Ecclesiæ Catholicæ & obedientiâ & subjectione Romanæ Ecclesiæ firmi & stabiles permanebunt. PROMISERUNT etiam quod inter senon habebunt de cætero (t) Tilussones & Linguschones, homines videlicet mendaciissimos, histriones, qui quasi gentilium Sacerdotes in exequiis defunctorum in tormentorum infernalium pœna promerentur, dicentes malum bonum, & laudantes mortuos de suis furtis & spoliis, immundiciis & rapinis ac aliis vitiis & peccatis, quæ dum viverent perpetrarunt ac erectis in cœlum luminibus clamantes mendaciter afferunt, se videre præsentem defunctum per medium cœli volantem in equo armis fulgentibus decoratum, (u) usum in manu ferentem, &

cum comitatu magno in aliud seculum procedentem, talibus & assimilibus mendaciis populum seducentes & ad ritus gentilium revocantes. Hos, inquam, promiserunt se nunquam de cætero habituros. ITEM PROMISERUNT quod duas vel plures uxores simul de cætero non habebunt, sed unâ solâ contenti cum ipsâ contrahent unusquisque sub testimonio competenti & matrimonium illud in Ecclesia statutis temporibus solemnitate debitâ publicabitur. PROMISERUNT etiam quod nullus eorum de cætero filiam suam vendet alteri matrimonio copulandam & quod nullus uxorem filio suo emet vel sibi. Nam ex hoc inter illos talis consvetudo sicut intelleximus inolevit, qualis nec inter gentes, ut videlicet uxorem Patris sui aliquis habeat. Cum enim Pater aliquam uxorem de pecunia communi sibi & filio emerat, hactenus servaverunt, ut mortuo Patre uxor ejus ad filium devolveretur, sicut alia hæreditas de Bonis communibus comparata. Et ne quis hac de causa novercam suam possit sibi vendicare ulterius in uxorem, uxores nec vendere nec emere promiserunt. Si tamen à sponso patri vel sponsæ matri, vel è converso, vestes & alia clenodia data fuerint, vel promissa, vel si dos viro, vel donatio propter nuptias uxori data fuerit vel promissa secundùm quod jura permittunt, hoc nullatenus prohibemus. Inde promiserunt dicti Neophyti quod nullus ex eis quacunque de causa novercam suam de cætero ducet in uxorem vel uxorem fratris sui, vel etiam aliam sibi in primo, secundo, tertio, quarto consangvinitatis vel affinitatis gradu attinentem absque summi Pontificis dispensatione ac licentiâ speciali, & quod nullum utriusque sexûs hæredem legitimum reputabunt, vel ad supradictam hæreditatis successionem admittent, nisi illos solos, qui de legitimo matrimonio secundùm Statuta Romanæ Ecclesiæ fuerint procreati. Et quod nullus filium suum vel filiam quacunque de causa per se vel per alium abjiciet vel occidet, de cæterò publicè vel occulte vel ab alio

talia

talia quocunque modo fieri consentiet vel permittet. Promiserunt etiam, quod quam cito puer alicujus natus fuerit vel ad minus infra octo dies si tamdiu potest absque mortis periculo reservari ipsum baptizandum facient ad Ecclesiam deportari & à Presbytero baptizari facient immergendo puerum ter in aquam & dicendo: Puer ego te baptizo in nomine Patris Filii & Spiritus Sancti. Et quia longo tempore Presbyteris & Ecclesiis caruerunt & idcircò multi non baptizati ad inferos descenderunt & multi adhuc inter eos remanent baptizandi, facient intra mensem in forma Ecclesiæ baptizari, alioqui ut consenserunt, ut bona parentum, qui natos suos infra dictum tempus ex contemptu non fecerint baptizari & etiam bona illorum, qui adulti baptismum pertinaciter recipere noluerint requisiti publicentur, ipsique extra Christianorum fines nudi in tunica expellantur, ne boni aliorum mores ex eorum pravis colloquiis corrumpantur. PROMISERUNT & illi de Pomezania, quod infra proximum Pentecosten Ecclesias ædificabunt in locis inferius nominatis. Primam in villa quæ vocatur (w) Pogolovve alio nomine (x) Puleus, secundam in villa quæ vocatur (y) Pastellivva, Tertiam in loco, qui vocatur (z) Lingves, Quartam in loco, qui dicitur (1) Liopiez. Quintam in Chomor S. Alberti. Sextam in (2) Bobis. Septimam & octavam in (3) Gezia. Nonam in Prosile. Decimam in (4) Resia: Undecimam circa antiqvum Christburg: Duodecimam in (5) Rerdiz (6) Tertiam decimam in novo Christburg. Illi autem de Warmia promiserunt, quod infra terminum ante dictum ædificabunt Ecclesias in locis inferius notatis. Primam in villa, in qua sedet (7) Jedu vel prope locum illum. Secundam in (8) Sutimes. Tertiam in (9) Bandadis. Quartam in (10) Stivia. Quintam in (11) Vuntenone. Sextam in Bronsberg. Illi verò in Natania promiserunt, quod infra ejusdem terminum ædificabunt Ecclesias in (12) Labegano, aliam in vicinia Thumonis. Tertiam in (13) Sveviert & quamlibet

bet istam Ecclesiarum tenebuntur ædificare & ornare ornamentis, calicibus & libris & aliis necessariis prout decet. Illi de villis qui sunt vel erunt ad quamlibet Ecclesiam assignatæ, ut ad illam conveniant, & in ea, vel ex ea Ecclesiastica suscipiant sacramenta. Et promiserunt omnes prædicti, quod dictas Ecclesias ædificabunt adeò honorabiles, & decoras, quod plus videbuntur delectari in orationibus factis in Ecclesiis, quam in sylvis. Si autem prædictas Ecclesias non ædificaverint infra terminum supra dictum, consenserunt, ut præfati Magistri & Fratres accipiant vel accipi faciant ab unoquoque ipsorum secundum proprias facultates aliquam rationabilem portionem & ex his ædificare facient Ecclesias ante dictas. Et promiserunt prædicti Fratres, quod dictis Ecclesiis ædificatis ipsi bonâ fide easdem Presbyteris conferent infra annum eisque infra dicta beneficia assignabunt. Et ipsi Neophyti promiserunt, quod ædificatis dictis Ecclesiis ipsi singulis diebus Dominicis & Festivis ad minus suas Parochiales Ecclesias frequentabunt. Præterea præfati Fratres capientes, ut dicunt, ut in dictis Ecclesiis perpetuis temporibus digne Deo & laudabiliter serviatur, singulas Ecclesias supradictas sic in rerum ptæsentiâ dotaverunt ad præsens, quod verò ad sustentationem Presbyteri uniuscujusque Ecclesiæ de prædictis promiserunt & concesserunt octo mansos terræ quatuor videlicet in campis & quatuor in sylvis,& decimam viginti uncorum, duos boves, unum eqvum, vaccam & si decima Presbyteri, quando advenerit parata non fuerit, dabit ei etiam annonam, (14) bladum ad faciendum pro se tertio & pro equo prædicto & etiam pro seminandis agris sibi assignatis, quousque tempus advenerit percipiendi decimam sibi assignatam, & insuper oblationes & legata & alia quæ ei collocata fuerint intuitu pietatis. PROMISERUNT insuper dicti Fratres, quod quando ad majorem pacem & meliorem fortunam venerint, in duabus partibus terræ postquam eis fuerint assignatæ, & numero & bene-

beneficiis ampliabunt. Præterea promiserunt neophyti sæpe dicti, quod omnes utriusque sexus tam juveneres quam adulti in quadragesima à carnibus & lacticiniis abstinebunt, & in sexta feria similiter abstinebunt, & prout poterunt jejunabunt, & dies dominicos & festivos ab omni servili opere servabunt. Et confessiones suas ad minus semel in anno facerent, proprio Sacerdoti & in Pascha recipient sacrosanctum corpus Christi & alia facient & cavebunt, qui debent boni cavere & facere Christiani, prout à Prælatis suis & aliis viris bonis Catholicis fuerint eruditi. Cæterùm ne neophyti videantur ingrati libertatis & gratiæ supradictæ optaverunt, ut dicebant, concesserunt coram nobis & aliis supradictis & firmiter promiserunt, quod quia difficilè esset nimis Magistro & Fratribus antedictis omnes villulas Prussiæ circumire pro suis decimis triturandis & adducendis ipsi neophyti & successores eorum decimam in horrea dictorum Fratrum annuatim conferrent trituratam. Et insuper promiserunt, quod prædictorum Magistrorum & Fratrum omnium & singulorum vitam, membra, honorem & jura pro posse & bona fide observabunt, nec consentient vel promittent tacitè vel expressè, publicè vel occultè, quod aliqua fiat proditio contra ipsos, & quodsi ipsam noverint factam vel faciendam eam pro posse impedient, vel ita prudenter revelabunt, quod ipsi Magistri & Fratres sibi poterunt præcavere, & quod cum Christiano vel Pagano fœdera indebita sive colligationes & conspirationes contra eosdem Magistrum & Fratres de cætero non facient vel habebunt, & quod ad omnes expeditiones ipsorum ibunt decenter, parati & armati, juxta per proprias facultates & dicti Fratres coram nobis & aliis antedictis firmiter promiserunt, quodsi quis ex supra dictis neophytis in expeditiones ipsorum Fratrum à paganis vel hostibus captivati ipsi Fratres sine suo damno ad liberationem illorum fideliter laborabunt, & ut prædicta omnia firmiter & inviolabiliter in perpetuum observentur.

Frater (15) Hermannus ViceMagiſter dictæ domus in Pruſſia pro ſe & univerſis Fratribus dictæ domûs fidem dedit. Et prædicti neophyti coram Nobis corporaliter juraverunt, quod omnia & ſingula ſupradicta ſicut promiſſa ſunt & conceſſa in perpetuum inviolabiliter obſervabunt. Et hæc omnia facta ſunt de conſenſu partium & conceſſa ſalvis in omnibus Apoſtolicæ ſedis auctoritate, obedientiâ, dominio & jure. Et ſalvo jure Prælatorum Patriæ præſentium & futurorum & ſalva omni Eccleſiaſtica libertate. Et ſalvis omnibus Privilegiis & libertatibus dictorum Magiſtrorum & Fratrum. Denique in ſignum quod præfati diſcordes reducti ſunt ad veræ pacis & concordiæ unitatem omnes offenſas præteritas perpetratas hinc inde Magiſter & Fratres dictis Neophytis de Pomezania penitus remiſerunt, & illis eis ſimiliter vice verſa & ſe invicem coram nobis ad pacis oſculum receperunt (16). In quorum omnium memoriam & teſtimonium præſentes literas ſigillo noſtro & Epiſcopi ſupra dicti, qui nobiſcum in omnibus præſens fuit. Et quia religioſus Frater (17) Hermannus Magiſter dictæ domus in Pruſſia præſens non erat ſigillis præfati Hermanni Vicemagiſtri & Conventus in Balga & Henrici Marſchalci dictæ domus in Pruſſia fecimus roborari. Actum Anno ut ſupra MCCXLIX. VII. Idus Februarii.

ANIMADVERSIONES.

(a) Latinum Privilegii hujus exemplar communicavit mecum Nobiliſſ. Dn. Got. de Peſchvvitz inclytæ urbis Gedanenſis Secretarius. Aliud exemplar Latinum, ex quo hoc emendarem nusquam inveni. Germanica tamen exemplaria duo ſe obtulerunt. Alterum Elbingæ eſt penes Magn. Dn. Got. Zamelium Coſ. urbis Elbingenſis, quod ex antiquo aliquo Codice deſcriptum eſt, ut ex Dialecto Lingvæ Germanicæ antiqua, palam eſt: Altertum eſt in Codice MS. Magn. Dn. Dan. Wachſchlageri Coſ. urbis Thorunienſis. Et hoc deſcriptum eſt ex Chronico neſcio cujus Georgii Kremmeri. Ex his Germanicis exemplaribus plurima nobis inſequentibus erunt notanda.

(b) Idem

(*b*) Idem annus habetur infra, in ipsa subscriptione. In codice tamen Thorunienſi Kremmerus Privilegio huic in fine subjecit, sibi circumstantias singulas consideranti videri, hoc Privilegium esse datum Anno 1252. Seqvuntur hunc alii, qui itidem hoc ipsum ad An. 1252. referunt, sed perperam, ut in Animadversionibus ad ipsum Dusburgium probavimus, & ex sequentibus etiam patebit.

(*c*) Postea Pontifex Romanus, Urbanus IV. dictus. Hic etiam Sventopelcum Ducem Pomeraniæ Ordini Teutonico infestissimum ad pacem colendam adegit. Vid. Dusburg. *part. 3. Chron. cap. 66.* Quin his ipsis Pactis cum veteribus Prussis initis interfuisse Sventopelcum tradunt Chronica recentiora. Contrarium verò ex subscriptione horum Pactorum probari potest.

(*d*) Magistrum non Magistros & hic & in sequentibus esse legendum, docent Exemplaria Germanica.

(*e*) Innocentium III. agnoscit etiam Codex Thorunienſis: omittit verò eum Elbingenſis, & quidem rectè. Innocentius enim III. obiit Anno 1216. quo tempore Cruciferi nondum Prussiam habuerunt, ut qui Anno 1226. demum Pacta cum Conrado Duce Masoviæ, de Prussia occupanda iniverunt quam deinde Anno 1231. ingressus est Hermannus Balke Magister Provincialis. Vid. Dusburg. *part. 3. cap. 1.*

(*f*) Latinum Privilegii exemplar, ex quo hæc traducta sunt, habet Innocentium V. Sed Chronologia repugnat. Germanica exemplaria habent Innocentium IV.

(*g*) Desunt hic quædam in Latino, quæ ex Germanico suppleri possunt, & sunt ferè hæc: *tantis eos oneribus opprimebant, quod alii pagani Prussorum vicini hæc audientes, tollere &c.*

(*h*) Corrupta sunt hæc verba. Legendum fortasse, *sicut decet*; aut *promiserunt*, ut ex Germanico legendum esse probari potest.

(*i*) Henrici legunt Codices citati Germanici. Dusburgensis eum Heydenricum vocat. *part. III. cap. 145.*

(*k*) Germanici Codices addunt: Von Gottes Gnaden Culmischen Bischoffs i. e. *Dei gratia* Culmensis Episcopi.

(*l*) Thorunienſis Codex habet: Die nie einem Manne gegeben wär/ oder sie beyde nicht.

(*m*) Latinum exemplar habuit *nec non*, sed suffragantibus Germanicis exemplaribus aut substituendam vocem, *hæc*, aut plane inducendam esse duximus.

(n) Ita legendum esse putamus, non ut antè habebatur, *Romanis*. Germanici Codices non conveniunt, cum Elbingensis legat Pommern; Thorunienſis verò Romern.

(o) Particulam *non*, quæ in Prototypo reperiebatur hic expunximus.

(p) Germanica exemplaria habent, Vormunde/ quod & Tutores significare potest.

(q) Non Pomerania, ut habet Latinum exemplar, sed Pomezania, ut est in Exemplaribus Germanicis.

(r) Exemplar Latinum habuit, *Iddo*. Sed Germanica habent, Abgott/ quod Idolum notat.

(s) Germanica exemplaria legunt, non brechen quod est confringere, sed machen i. e. conficere.

(t) Codex Elbingensis ita: *Taliſſones* und *Lugaſthones*; Thorunienſis: *Taliſſones* und *Ligaſthones*.

(u) Quid hic per usum intelligatur divinare non possum. Vitiosam esse lectionem palàm est. In Germanicis exemplaribus legitur quidem ut hic, in der Hand tragend: Sed quid in manu gesserint, non additur. Ex quo apparet, neque eos, qui hoc Privilegium in Germanicam lingvam converterunt hanc vocem intellexisse.

(w) Cod. Elb. Posleve. Thorunienſ. Pozlewe.

(x) Thorun. Buriz. Elbing. Bucis

(y) Thorun. Postellina. Elbing. Pastellinia.

(z) Thorun. & Elbing. Lingnes.

(1) Thorun. Lupis. Elbing. Luxies.

(2) Thor. Polaus.

(3) Thorun. Beria. Elbing. Becia.

(4) Thorun. & Elbing. Besia.

(5) In Thorunienſi legitur zu Rade. In Elbingensi verò hæc planè omittuntur.

(6) Omittuntur hæc in Cod. Elbingensi; sed agnoscit ea & Codex Thorunienſis.

(7) Elbing. Zedin. Thorun. Jedin.

(8) Elbing. & Thorun. habent Buganz.

(9) Codices Germanici legunt Baudachs.

(10) Nina habet Elbing. At vero Thorunienſis Ninya.

(11) Von Denaw Elbing. Von Denewe Thorun.

(12) Labiaw Elb. & Thor.

(13) Bur-

(13) Burvvere Thorun. & Elbing.

(14) In Germanico sic redduntur: Getreyde zu Brod und Bier / vor ihm selbst dritte.

(15) Germanica exemplaria vocant eum Henricum. Estque ille Magister Provincialis Henricus de Wida, qui secundùm Dusburgensem Anno 1247. ad hanc dignitatem est evectus. Vid. Dusburg. *part. 3. Chron. cap. 66.*

(16) Hæc clausula in Germanicis Exemplaribus brevius concipitur hunc in modum: Umb welcher Dinge alle Gedächtnüs und Gezeuge haben wir diesen gegenwärtigen Brief uf Bitte beyder Theile mit unserm Siegel lassen befestigen. Geschehen zu Christburg im Jahre unsers Herrn 1249. im 7. Tage des Hornungs.

(17) Eo tempore non Hermannus Magister neque Hermannus Vice-Magister Ordini præfuerunt, sed aut Conradus Landgr. Hassiæ, ut vult Dusburgensis aut Henricus de Hohenloe, ut ex aliis monumentis colligitur. ViceMagister autem fuit Henricus de Wida. Suspicari autem ex hac Privilegii clausula licet, Privilegium hoc Prussis jam antea fuisse datum Hermanno de Salza & Hermanno de Balke Prussiam administrantibus. Tunc autem videlicet Anno 1249. tantum fuisse renovatum. Aut etiam errore Librarii alicujus clausula hæc ex alio Privilegio antiquiore huc est translata.

Diplomata quædam (a)

De

Episcopatibus Prussicis, quæ omnia continentur in Aurea Bulla Caroli IV. Imperatoris.

CAROLUS IV. Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiæ Rex ad perpetuam rei memoriam. Pro parte Venerabilis (b) Joannis Varmiensis Episcopi (c) Principis & devoti nostri dilecti, nuper Majestati Nostræ oblata Supplicatio continebat, quatenus nonnullas gratias, quas à sede Apostolicâ obtinuisse dignoscitur gratas de solitæ benignitatis clementiâ habere dignaremur, quarum tenor sequitur in hæc verba.

INNOCENTIUS (d) Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri (e) Joanni Episcopo Varmiensi Salutem & Apostolicam benedictionem Provisionis nostræ debet providere subsidio ut jus suum cuilibet conservetur. Hinc est, quod nos tenorem quarundam literarum felicis recordationis Innocentii IV. Prædecessoris Nostri in regestro ipsius Prædecessoris repertum pro eo, quod sicut tertia petitio nobis nuper exhibita continebant præfatæ originales literæ, quibus pro Juribus Tuæ Ecclesiæ conservandis Te asseris indigere casualiter sunt amissæ, de regestro isto de verbo ad verbum conscribi & ad Tuæ supplicationis instantiam fecimus, præsentibus annotari, qui talis est.

INNOCENTIUS (f) Episcopus Servus Servorum Dei

Dei dilectis filiis Magistro & Fratribus S. Mariæ Teuthonicorum Salutem & Apostolicam benedictionem. Limitum Diœcesium Prussiæ conjunctæ sibi terræ Culmensis ac divisionem Terrarum ipsius Prussiæ, quas de mandato Nostro apud sedem Apostolicam providâ deliberatione præhabitâ fecit Venerabilis Frater Noster Episcopus Mutinensis Pœnitentiarius Noster in partibus illis Apostolicæ sedis Legatus, prout in ipsis literis super hæc confectis plenius continetur, ratas habentes & firmas eas Auctoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti Patrocinio communivimus. Tenorem autem literarum ipsarum præsentibus de verbo ad verbum fecimus annotari, qui talis est.

GVILHELMUS miseratione divinâ Episcopus Mutinensis Apostolicæ sedis Legatus omnibus præsentes literas inspecturis salutem. In nomine Jesu Christi. Noverit Universitas vestra, quod Sanctissimus Pater Dominus Innocentius Papa IV. inter alia, quæ ad Legationis officium pertinent commisit nobis in ejus præsentia constituto, ut limitare possemus Diœceses intra terminos nostros Legationis, & Episcopos instituere in iisdem cujus auctoritate de Regionibus jam conversis limitavimus sic Diœceses in Prussia. PRIMAM enim Diœcesin limitavimus de terra CULMENSI, sicut circuunt tres fluvii, Vistula, Drvvenca & Ossa, ita quod in eadem Diœcesi Lubavia includatur. Veruntamen in terra Culmensi ad Episcopum, qui pro tempore fuerit, pertineat illud duntaxat, quod de communi Consensu & voluntate Episcopi Prussiæ ac Fratrum Hospitalis B. Mariæ Teuthonicorum & hominum in eadem terra Culmensi manentium ordinatum fuit, quando primò ad habitationem illius deserti homines intraverunt. Videlicet una mensura tritici de unco & insuper sexcenti mansi de terra competenti vel competentibus locis ipsius terræ Culmensis: SECUNDAM verò Diœcesin limitavimus, sicut claudit Ossa,

Vistula

Vistula & Stagnum Drausen, ascendendo per flumen de Passalve, ita quod insulæ de Quidino & Santeri in eadem Diœcesi habeantur. TERTIAM quoque limitavimus, sicut claudit recens mare ab occidente ad flumen, quod dicitur Prægora sive (g) Lipsa ab Aquilone ad stagnum prædictum Drausen à meridie ascendendo per prædictum Pessalvienſe flumen contra Orientem usque ad terminos Litvinorum. De non conversâ terra autem Prussiæ jam dictæ limitavimus jam QUARTAM Diœcesem, sicut claudit mare salsum ab Occidente & flumen Memele ab Aquilone, & meridie flumen Prægora, versus Orientem usquè ad terminos Litvinorum, ita quod prædicta flumina omnia communia sint Diœcesibus, quæ ipsis fluminibus terminantur. Præterea quia fratres prædicti totum pondus expensarum & præliorum sustinent, & quia multis oportet illos infeudare terras, sic divisimus terras Prussiæ, ut sive unus fuerit, sive plures Fratres, duas partes integrè cum omni proventu habeant, & Episcopus sive Episcopi tertiam integram cum omni jurisdictione & jure, salvis tamen Episcopo in duabus partibus Fratrum illis omnibus, quæ non possunt nisi per Episcopum exerceri. Verum ut hæc Terrarum divisio effectum debitum consequatur, ipsa in nomine Jesu Christi fiat primò juxta voluntatem & consensum Episcopi ac Fratrum Hospitalis ejusdem, & si concordia intervenire non poterit, tunc Episcopi eligant communes amicos per quos hujusmodi divisio fiat. Et si taliter concordare non poterunt, tunc ipsi Fratres, quia terra ipsis notior est, dividant Prussiam in tres partes, & de una ipsarum partium habeat Episcopus optionem, vel si fortè ipse noluerit eligere, quæ pars ex illis tribus partibus cedat Episcopo, sicut sortes dederint, terminentur, in cujus rei testimonium præsens scriptum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Datum Anagniæ An. Dn. MCCXLIII. die IV. Julii. Indictione primâ Pontificatus ejusdem Domini Papæ anno I.

Nulli

Nulli ergò hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ VIII. Idus Octobr. Pontificatûs nostri anno primo.

Cæterùm ut idem tenor sic insertus omnimodam certitudinem faciat, Auctoritate Apostolicâ decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eumque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales literæ supradictæ, & eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque & ubicunque sive in judicio sive alibi ubi fuerit exhibitus vel ostensus & eidem firmiter stetur in omnibus, sicut eisdem Originalibus literis staretur, si fuerint exhibitæ vel ostensæ. Per hoc autem nullum jus de novo alicui acquiri volumus, sed antiqvum tantummodò conservari. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenione secundo Idus Decembr. Pontificatus Nostri anno tertio. Item alterius Literæ sive Bullæ tenor talis est:

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Joanni Episcopo Varmiensi salutem & Apostolicam Benedictionem. Ex provisione nostra debet provenire, ut Jus suum cuilibet conservetur, hinc est, quod nos tenorem quarundam Literarum felicis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædecessoris Nostri in Regestro ipsius Prædecessoris repertum pro eo, quod sicut Tua petitio Nobis exhibita, præfatæ Originalis literæ, quibus Te asseris

indigere pro juribus Tuæ Ecclesiæ conservandis, casualiter sunt amissæ, de regestro ipso à verbo ad verbum conscribi, & ad Tuæ supplicationis instantiam præsentibus, qui est talis:

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri (b) Episcopo Prussiæ salutem & Apostolicam Benedictionem. His quæ per dilectos filios fratres Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum & alios Christi fideles factæ sunt in Prussiæ partibus Divina propitiante providentiâ, cum exultatione Spiritus intellectis, & considerata terræ latitudine ibi per gratiam Dei acquisitæ, Venerabili fratri Nostro Wilhelmo Episcopo quondam Mutinensi, Pœnitentiario Nostro apud sedem Apostolicam constitutus in ipsius Prussiæ & Livoniæ partibus plenæ, Legationis officium duximus committendum, eidem in ipsa Prussia & in terra Culmensi limitandas Diœceses ac ipsius Prussiæ terram dividendi per partes de Fratrum nostrorum consilio potestatem plenariam concedentes. Ita Episcopus ipse tres in Prussia & unam in terra Culmensi Diœceses limitavit, ac tres partes fecit de terra Prussiæ, quarum dilectis Fratribus duas ferentibus præliorum angustias ac expensarum onera, quos oportet Terram infeudare pluribus, deputavit, ita ut sive unus Frater fuerit sive plures duas partes Terræ integræ cum omni proventum habeant; Et Episcopus sive Episcopi tertiam similiter integrè habeant, cum omni jurisdictione & jure, salvis tamen Episcopo in duabus Fratrum partibus illis omnibus, quæ non possunt, nisi per Episcopum exerceri. Verum cum nos limitationem & divisionem hujusmodi duxerimus autoritate Apostolica confirmandas, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus una ipsarum Diœcesum Prussiæ, quam malueris & parte tertiâ terræ ipsius Diœcesis contentus existens,

stens, terras vel jura ad partem Diœcesis, quam eligendam duxeris pertinentia infeudare, alienare vel dare absque speciali mandato Sedis Apostolicæ non præsumas, sciens quod quicquid de terra Prussiæ vel terra Culmensi, aut ipsius alienasti proventibus, in irritum revocamus, & ex nunc inane decernimus, si quid contra inhibitionem nostram super prædictorum alienatione, de cætero attentabis; Si verò Diœcesim Culmensem elegeris Tibi, de ipsa Terra Culmensi sufficiat, quod in forma Compositionis factæ super terra Culmensi per Te ac Legatum eundem & dictos Fratres, nec non ipsius terræ incolas pleniùs continetur. Cæterùm temporalia, quæ Tibi Episcopatus jure competunt nomine nostro ac Romanæ Ecclesiæ de ipsius Legati manu accipias, te talem sicut Pontificalis dignitas & religiosa requirit honestas in omnibus redditurum, quæ Deo & Ecclesiæ sit ad gloriam, tibi redundet ad meritum, & Christi fidelibus de Prussia veniat ad profectum. Datum Anagniæ III. Cal. Aug. Pontificatûs Nostri anno primo.

Cæterùm ut literarum ipsarum tenor hujusmodi insertus omnimodam rei certitudinem faciat, Apostolica Autoritate decernimus, ut illud idem robur & eam vim eumque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales literæ supradictæ, & eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque & ubicunque sive in judicio vel alibi ubi fuerit exhibitus & ostensus, ut eidem firmiter stetur in omnibus, sicut eisdem Originalibus literis staretur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Per hoc autem nullum jus de novo alicui acquiri volumus, sed antiqvum si quod habet tantummodò conservari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ Constitutionis & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem

omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus noverit se incursurum. Datum Avenione II. Id. Decembr. Pontificatus Nostri Anno tertio.

Nos itaque habitâ Considerationè Status Imperialis in quem nos Deus omnipotens, quamvis insufficientibus meritis sua benignitate præfecit, & ex cujus ordinato Regimine commodis Ecclesiarum præesse tenemur, consideratis etiam propriæ Salutis compendiis animo deliberato, non per errorem aut improvidè sed maturo Principum & Procerum Nostrorum accedente Consilio dictas literas, gratias & declarationes contentas, in eis gratas & ratas accipimus. Præcipientes universis Nostris & Imperii Sacri fidelibus, quatenus easdem in suo vigore & robore manuteneant & conservent, sub pœna centum Marcarum auri puri, quam ab eo, qui contra fecerit, toties quoties contra factum fuerit, irremissibili exigi volumus, & earum medietatem Nostri Imperialis Ærarii sive Fisci, residuam verò partem in Curiam passorum usibus decernimus applicari.

Signum Serenissimi Principis & Domini, Domini Caroli IV. Romani Imperatoris invictissimi & glorioſissimi Bohemiæ Regis.

Testes hujus rei Venerabilis Præclarus Episcopus Vratislaviensis Imperialis Aulæ Nostræ Cancellarius. Illustres Bolio Svidnicensis. Ludovicus Ligniccnsis. Conradus Olecisnensis, Przimko Tecinensis Duces. Spectabilis Burchardus Burggrabius Majdeburgensis Imperialis Curiæ Nostræ Magister. Albertus de Anhalt, & Joannes de Kez Comi-

Comites & Nobilis Zbinko de Hazenberg supremus Magister Cameræ Nostræ & aliorum Principum, Comitum, Baronum & Nobilium multitudo præsentium sub Bulla aurea Supario nostro Imperialis Majestatis impressa testimonio literarum. Datum in Burglins An. Domini MCCCLVII. Indictione decima, VIII. Calend. Septembr. Regnorum Nostrorum Anno Romanorum XII. Boemiæ XI. Imperii verò XIII. Ego Joannes Dei gratia Lutomislen. Episcopus Sacræ Imperialis Aulæ Cancellarius, ViceReverendi in Christo Patris Domini Gerlaci Moguntinensis Archiepiscopi S. Imperii per Germaniam ArchiCancellarii recognovi.

ANIMADVERSIONES.

(a) Deprompta sunt hæc Diplomata ex Anonymi cujusdam, libro MS. cui titulum fecit: *Fundatio, Jura, Privilegia & Libertates Ecclesiæ Varmiensis, ejusdemque successu temporis gravamina.*

(b) Joannes II. Streiffrok dictus, cui multæ controversiæ cum Ordine Teutonico de Episcopatu Varmiensi interceserunt.

(c) Eundem, titulum Principis tribuit Carolus IV. Episcopo Varmiensi etiam in alia Bulla, ejusdem Anni, quæ in citato libro habetur. Auctor etiam citati libri in epigraphe sua Episcopum Varmiensem Principem Imperii nominat.

(d) Innocentius est quartus qui Anno 1352. ad Pontificatum est evectus.

(e) Joanni I. Episcopo Varmiensi, qui Anno 1355. fatis concessit.

(f) Innocentius IV. Papa Rom. De Episcopatibus his Prussicis & Gvilhelmo Episcopo Mutinensi Vid. Petrus de Dusburg. *Part. III. cap. 33.* ubi etiam in Animadversionibus nostris de Quinto Episcopatu Prussico egimus.

(g) Amnem Pregelam, ut hodiè dicitur, olim appellatum esse Prægoram vel Prigoram notavimus in Animadversionibus ad Dusburgii *part. III. cap. 98.* Lipsam autem eum olim

olim etiam esse dictum, nusquam aliàs legimus. Nescio tamen, an huc possim trahere, quæ Hennebergerus *in Commentariis ad Tab. Geogr. Prussiæ* de Urbe Löbnicensi Regiomontana refert. Dicit enim quosdam existimare, ei nomen esse impositum à flumine Lebe dicto. Cum autem alius ibi fluvius præter Pregelam & Katzbach non reperitur, suspicari licet, Pregelam Olim & Lipsæ vel Lebæ nomen habuisse.

(*b*) Innocentius IV. Pontifex bullam hanc misit ad Christianum Primum Episcopum Prussiæ An. 1243. ut ex subscriptione patet. Conf. Durburg. *part. 3. cap. 33.* Quo minus autem eam ad Henricum successorem Christiani missam esse credam, illud me movet, quod Henricus nusquam Prussiæ, sed semper Culmensis tantum Episcopus fuisse dicitur. Prima, quantum mihi quidem constat, Henrici Culmensis Episcopi mentio fit in Privilegio Elbingensi, An. 1246. dato.



INDEX I.

exhibens

SYLLABUM AUCTORUM

in hocce

PRVSSIÆ CHRONICO

allegatorum, laudatorum, illustratorum.

Juxta seriem Alphabeticam.

A.

ADamus Bremensis.
Adamus Melchior.
Adelarius Erichius.
Ado Viennensis.
Æneas Sylvius.
Gabr. Albaspin.
Albertus Abbas Stadensis.
Albertus Wijuk Kojalowicz.
Aloysius Novarinus.
Althamerus.
Ammianus Marcellinus.
Andr. Angelus.
Annius Viterbiensis.
Aristoteles.
Arnoldus Lubecensis.
Augustinus.

B.

Henr. Bangertus.
Barnabas Brissonius.
Baronius.
S. Barbaræ vitæ Auctor.
Casp. Barthius.
Jo. Christoph. Becmannus.
Beka.
Bernhardus.
Berosus.
Christoph. Besoldus.
Mich. Beuther.
Boëthius.
Boxhornius.
Casp. Bruschius.
Gabriel Bucelinus.
Henr. Buntingius.
Frid. Butnerus.
Abrah. Bzovius.

C.

Canisius.
Julius Cæsar.
Chronicon antiq. Germ. Regiomont.
Latin. MS. Regiomont.

Chronicon MS. Bibl. Wallenrod.
Elbingenſium Monarcharum.
Elbingenſe.
Colmarienſe.
Gedanenſe.
Thorunienſe.
Pruſſiæ MS.
Pruſſic. Lat. Regiom.
Miſnicum.
Petri Albini.
Sclavon.
Buntingii.
Chronicorum Gvalterii.
Kremmeri.
Ordinis.
Zamelii germ. MS.
Chryſoſtomus.
David Chytræus.
Cicero.
Phil. Cluverus.
Herm. Conringius.
Conradus de Marpurg.
Cœleſtinus Miſlenta.
Conſvetud. Ord.
Alb. Cranzius.
Lud. Creſollius.
Mart. Cromerus.
Joh. Crezmerus.
Joach. Cureus.
Reinhold. Curike.

D.

Jodocus Ludovicus Decius.
Dietericus Sacerdos Fr. Ord. Præd.
Dio Caſſius.
Ditmarus Mersburgenſis.
Joh. Dlugoſius.
S. Dorotheæ vita volum. in Bibl. Regiom.
Petrus Dusburgius.
Dusburgii continuator.

E.

Elbingenſe Privilegium.
Elbingenſe Chronicon.
Eraſmus Stella.
Euſebius.

F.

Fidlerus.
Florus.
Joh. Freyberg.

G.

Manlius Gerlicius.
Melchior Goldaſtus.
Gregorius.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Thuronenſis.
Jac. Gretſerus.
Grotius.
Simon Grunovius.
Gvalterius.

H.

Hagecus.
Joh. Hagemeyer.
Henr. Hamelmannus.
Melchior Goldaſtus von Haiminsfeld.
Hartknochii Orig. Pomer.
Helmoldus.
Caſp. Hennebergerus.
Hennelius.
Herberſtein.
Herburtus.
Herodianus.
Heſiodus.
Hieronymus.
Jac. Hovellus.
Hugo Grotius.

Jaco-

I.

Jacobus de Vitriaco.
Joh. Januszovius.
Jaroslaus.
Nic. Jeroschinus.
Jodocus Ludovicus Decius.
Johannes Magnus.
Jornandes.
Julius Solinus.
Justinus.

K.

Vincent. Kadlubko.
Alb. Wijuk. Kojalowicz.
Kremmerus.

L.

Petrus Lambecius.
Paulus Langius.
Leo Allatius.
J. Lipsius.
Livius.
Joh. Loccenius.

M.

Macrobius.
Maderus.
Magdeburgenses Centuriatores.
Manlius Gerlicius.
Marinus Sanutus Torsellus.
Marcus Paulus Venetus.
Marcus Sylvius Elbingensis.
Matthæus Parisiensis.
Matth. à Michovv.
Melchior Adamus.
Melchior Goldastus.
Franc. Menennius.
Jo. Micrælius.
D. Cœlestinus Mislenta.
Jac. Montanus.

N.

Nazianzenus Gregorius.
Salom. Neugebauerus.
Nicephorus.

O.

Ord. Consvetud.
Ovidius.

P.

Paganinus Gaudentius.
Henr. Pantaleon.
Pausanias
Got. de Peschvvitz.
Petrus Diaconus.
Pistorius.
Platina.
Plinius.
Plutarchus.
Polon. Hist. Corpus.
Polydorus Vergilius.
Pomponius Mela.
Joh. Isaac Pontanus.
Porphyrius.
M. Matthæus Prætorius.
Prateolus.
Jac. Prilusius.
Procopius.
Prussia Ducalis Privilegia.
Prussorum Fasti.
Ptolomæus.

R.

Balth. Russovv.
Justus Reuberus.

S.

Saxo Grammaticus.
Casp. Schüzius.
Siffridus Presbyter.
Socrates,
Solinus.

Sozomenus.
Laur. Surius.
Joh. Jac. Speidelius.
Jac. Spiegelius.
Henr. Spontanus.
Stanislaus Sarnitius.
Erasmus Stella.
Strabo.
Matth. Strykovvoski Ossoslevicius.
Æneas Sylvius.

T.

Tacitus.
Taubmannus.
Tertullianus.
Theodorus.
Petr. Greg. Tholosanus.
Anthonius Thysius.
Torsellus.
Th. Treterus.
Turnebus.

V.

Joach. Vadianus.
Varmiensis Ecclesiæ fundatio, jura &c.
Vellejus Paterculus.
Vergilius Polydorus.
Virgilius P. Maro.
Vitruvius.
Jac. de Vitriaco.
Gerh. Joh. Vossius.
Urstitius.
Usuardus.

W.

Dan. Wachschlagerus.
Th. Waisselius.
Gvilhelmus Watzius.
Ang. Werdenhagen.
Matth. Wernerus.

Z.

Zamelius.
Zeilerus.

INDEX II.

Complectens

RES PRÆCIPVAS ET MAXIME MEMORABILES.

Secundum Ordinem Literarum.

A*cconensis* Civitas obsidetur à Christianis 13
Acconam s. Ptolemaida expugnant Christiani 23
Acconensis Civitas destruitur à Soldano 312
hujus excisionis causa 314
Adolphus Rex Rom. in bello succumbit 343
Adrianus Papa V. & Rudolphus Rex Romanorum imperium tenent 262
Adulteri præmium exitiale 429
Ægidius Ordinis Augustini Doctor 300 (395
Æsthonia Daniæ Regno subjecta.
Æsthoniam Ensiferi sibimet subjicere allaborant ibid.

Æstho-

Æsthonia venditur à Waldemaro ibid.
Cruciferis paret ibid.
Alani qui 2
Alani & Lithuani moribus dissimiles 2
Albertus M. 183
Coloniæ fatis concessit 280
Albertus Dux de Brunswick 219
Albertus Episcopus Pomesanienſis erigit Risenburg 262
Albertus de Misna Fr. religiosus & tentationibus multis expositus 306. 307
Alberto Christi corpus apparet 308
Albertus Dux Austriæ Adolphum Regem Rom. in bello tollit 342
Alberto Austriæ Ducatum largitur Pater Rudolphus 263
Albertus Rex Romanorum Victor præclarus 348
Albertus Rex Rom. à Nepote suo trucidatur 365
Alexandri Papæ IV. pietas & munificentia 170
Alexander Papa S. Claram canonizat 183
Alexandro M. ſ. Witoldo, Duci Lithuaniæ plurimum debet Polonia 444
Almanniæ Principes duos in Regem Rom. eligunt 179
Almanniæ Civitates homagium præstant Polonorū Regi 436
Almivolus Saracenorum Imperator crucifixum adorantibus in Hiſpania bellum infert, ſed ab iisdem ſuperatur 15
Alphonſus Rex Castellæ ſalutatur Rex Romanorum 179
Ambaſſi, Ambaſciator, Ambactus unde? 445
Amici intimi 346
Angerap, flumen 210
Angetete 180
Anno vel Hanno 171. 172. 211. 212
Annonis religiosa mater Juta 212
Annus Jubilæus ab Urbano Papa inſtituitur in 33. annos inſtituitur 430
confirmatur à Gregorio IX. ib.
S. *Anſcharius* 185
Anshelmus Frater Ord. Teut. 230 231
Anſtechia 331. 332
Aqua fervida innocentem haut lædit 391
Aquam luſtralem quis primus inſtituit? 154
Aquarum eluvies incredibilis 355
Aquinas 183
Arbores ingentem Ungarorum opprimunt multitudinem 421
Arcadum antiquiſſimorum populorum cibus 172
Arma carnalia & ſpiritualia 47. ſqq.
Armorum carnalium ac ſpiritualium uſus 54. ſeqq.
Attemptare i. e. attentare 4
Auguſtinenſis ordo 300
Auri fodinæ in Sileſia 462
Auſtrania qualis inſula 43. 44
Auſtriæ Ducatus donator Alberto à Patre Rudolpho Rege Rom. 263

B.

Baculos in dextris gestare Philosophorum quondam insigne 353
Baldecoinus Comes Flandrensis Imperator Constantinopolitanus 14
Balga Castrum ædificatur 98. 99
Balga arx à quonam exstructa 104
Balga olim ad Varmiam pertinuit 103
Balga obsidetur à Pruthenis 105
Balgæ impugnatio 219
Baliſtas Prutheni pervaldè timuerunt 203
Herm. *Balke* vel Falcke primus Magister Ordinis Teutonici 9. 453
quando Prussica bella gerere cœpit 9. 64
Hospitalis S. Mariæ Domus Teut. Hierosol. & terræ Livoniæ Magister I. 61. 62
mortuus & sepultus est in Almanniâ ibid.
Balticum mare 68
B. *Barbaræ* Pater Dioscorus homo crudelissimus 129
S. *Barbam* Prussiæ Patrona 177
S. *Barbaræ* Virginis ac Martyris caput reperitur & adservatur 129. 131
S. *Barbam* ubinam Martyrium sustinuit 129. 130
S. *Barbaræ* caput ubinam translatum 131
Herm. *Bart* Frater III. Magister 24
Bartho 74
Barthos debellant Fratres 102. 103
Barthi Fratribus sese subjiciunt 110 111
Barthi in Christianos crudeles 229
Barthi viribus exhausti Fratribus sese submittunt 168
Bartenſium reditus 302
Bartenſtein Castrum à quo erectũ 112
obsidetur à Pruthenis 195
desolatur 215
diruitur à Sudowitis 258
Bartenſteinenſis urbs à quo condita? 216
Baſcer quid 445
Bellum gravissimum inter Pruthenos & Fratres de Kunigsberg 201
Bellum Dominorum Prussiæ contra Polonos Lithuanos. &c. 433
Bellum memorabile hominis cujusdam nudi 247
Belli Ducis stratagema 200. 252
Belli manubias in quot partes Prutheni dispescuêre 80. 82
In *Bello* an malitia exercenda 194
S. *Benedicti* Ordo quando proficere incœpit 16
Benedicti Papæ XI. & Alberti Regis Roman. regimen 354
Beneventum Cardinalis finem vivendi facit 261
Berga ab Engelborti I. posteris obtinetur 198
Beſelede castri obsessio 260
Birgelow arx devastatur 249
Birglauenſe castrum destruitur 61

Biſenæ arcis expugnatio 299
Biſene Caſtrum comburitur 385
Caſtri præurbiorum combuſtio 379
Caſtri impugnatio 376.377
Bladum quid 10
Conr. de *Blindenburg* Fr. in conflictu mirabiliter ſauciatur 243
Bohemi infeſtant Luſatiam 442
Bohemiæ Rex Ungariæ Regem in acie vincit 185.186
Bohemiæ Regnum quo pacto ad alios translatum 362
Bolislaus Maſoviæ Dux 334
Bonifacius Ludovicum Regem Franciæ canonizat 337
Bonifacius Papa VIII. & Albertus Rex Rom. regnant 343
Bonifacius Papa & Philippus Rex Franciæ inter ſe diſcordiam movent 351
Bonifacius Papa Albertum Regem Rom. in Imperatorem confirmat 353
Bonifacius Papa capitur 354
Bonſe ſeditioſum caput 271
Pruthenos cur ad Apoſtaſiam irritat ibid.
ejus merces æquiſſima ibid.
Boruſſi antiqui populi 3
Boruſſiæ nomen unde 2.3
vid. etiam *Pruſſia*, *Pruſſi*.
Brabantiæ Dux Johannes ſuperat Syfridum de Runkel Colonienſem ArchiEpiſcopũ 309
Brandenburg caſtrũ exſtruitur 220
deſtruitur 223
denuò erigitur 224
Bremenſes & Lubecenſes Cives primi Fundatores Ordinis Teut. 22
Briga quid 445
Bruhane Fr. continentiæ dono præditus 311
Brunsberga quando ædificata 113 114
Brunsberga Varmienſium Epiſcoporum quondam ſedes 113
Brunsbergi caſtrum & civitatem quis erigi curavit 230
Brunsberg caſtrum incendiô extingvitur 231
Brunſvicenſis & Luneburgenſis Dux Otto Fratribus ad terram Pruſchiæ venit in ſubſidium 108
Bujerwartæ caſtrum concrematur 365
In *Burgundia* terræ motus exoritur & 5000. homines miſerrimè ſuffocantur 18

C.

J. *Cæſar* num à Leſzkone III. Polonorum Rege ſuperatus & ſororem Juliam ei collocârit in matrimonium 42.43
Caldarius quid? 215
Candelæ ardentes noctu videntur 304
Capite amputatus ambulat 201
Capoſtete arcis expugnatio 179
Captivorum quorundam liberatio admiranda 236
Captivi cujusdam mirabilis liberatio 361

Captivorum sortio 193
Carmelitarum Ordo confirmatur ab Honorio Papa IV. 300
Carminiswikam Castrum expugnant Fratres 263
Caroli gladius cœlitus missus 452
Caroli corona Imperialis ibid.
Carolus IV. cur Episcopum Varmiensem appellitet Princi- (pem 483
Carsovia 184
Carsoviæ desolatio. 184. 363
Casimirus Dux Cujavienſis 137
Casimiri Reg. Poloni adventus 425
David *Castellanus* 410
Catechumeni in primitiva Ecclesia ante S. Cœnæ usum exire jubebantur 282
Cebbes ardor in propaganda verâ Fide 115
Christi incarnati memoria 411
Christianus Episcopus de Pruschia serpentem in sinu fovit 30
Christburgum arx expugnatur à Fratribus 159
Christburgum reædificatur 163
Christburgi destructio 235
Christburgi Fratres pii ac animosi viri 164
Christiani penè omnes tempore Innocentii Papæ III. in publicâ fuerunt pœnitentiâ 14
Christiani à Pruthenis dolosè capiuntur & necantur 254
Christianorum sangvis largissimè fusus tingit fluvium 257
Christianorum cæsorum animæ ab Angelis in Cœlum visibiliter portantur 257
Christiani vix panem in otio comedere potuerunt 258
Christiani antiqui Ethnicos à Sacris arcent 282
Christiani antiqui Catechumenos ante S. Cœnæ usum dimiserunt ibid.
Christianorum maxma & miserrima strages 325. 396. 397
Christianorum pax inconstans cum Infidelibus 404
Christiani 6000. partim trucidati, partim capti 409
Christmemelæ arcis ædificatio 375
obsessio 382
impugnatio 403
destructio 412
Cistercienſis Ord. Monasterium in Revalia quis erigi curavit 168
S. *Clara* ab Alexandrô Papa canonizatur 183
Clemens Alexandrinus 397
Clementis Castri destructio 271. seq.
Clementis Castri trajectio ubinam 274
Clementis Papæ V. omen sinistrum 358
Clemens V. Papa templariorũ Ordinem damnat 368
Clemens V. canonizat S. Petrum Confessorem 375
Clemens Papa moritur 380
Clivia ab Engelborti I. posteris obtinetur 198
Cœlestinus Papa III. & Henricus VI. Imperator regnant 13
Cœlestinus Papa monasterium repetit 329

Colayne castrum impugnatur à Menckone 312
Colaynum arx 317
Colayne castrum comburitur 320
Colmensis terra vastatur à Prutlrenis 28
Colmensis terra donatur Fratribus Ord. Teut. à Gregorio IX. 33 35. 39
Colmensis Civitatis ædificatio ejusque Insignia 89
Colmensis civitatis tranlatio 159.160
Colmensis terræ vastatio per Nattangos 218
Colmensis civitas obsidetur à Pruthenis 245
Colmenses cives à Pruthenis tempore messis spem præter jugulantur 245
Colmensis terra desolatur à Trinota 249
Colmensem terram Scumandus cum Sudovvitis populatur 251
Colmenses cives masculè Pruthenis resistunt 251
Colmensis terra devastatur à Sudovvitis 271. seqq.
Colmensem terram depopulatur Lotheko Rex Poloniæ 420
Colmensis terræ miserrima excisio 438. seqq.
Colonienſis conflictus magnus 309
Columba cygnô candidior evolat ex ore combusti 193
Columbæ albissimæ apparitio 407
Columpna i.e. Columna 11
Cometa fulgens apparet multa præ-
significans 215
Cometa tristis conspicitur 375
Cometes vates inauspicatissimus 347
Comes de Barbye à Sambitis vincitur 194
Concilium Lugdunense Innocentius IV. Papa instituit 121
Concilium Lugd. à Gregorio Papa institutum 261
Conradus Dux Principatum tenet in Masovia, Cujavia & Polonia 28. 29
Conradus Landgravius Thuringiæ 26. 126. seqq.
Fr. *Conradus* Landgravius Thuringiæ expugnat Uratislaviam 126
Conrado fornicatores exosi 128
Conradus Filius Friderici Imp. destruit Neapolin 168
Conradus venenô tollitur ibid.
Conradus Sacerdos à Lethovvinis extingvitur 303
Conradinus à Karolo capitur unaque cum aliis obtruncatur 222
Consilium in arena 246
Constantinopolis à Francis & Venetis capitur 14
Constantinopolin Gallicorum & Venetorum manibus eripit Palæologus 183
Constantinus M. clarâ luce in cœlo videt signum crucis 63
Conversionis cujusdam exemplum memorabile 400
Cor proditoris devoratur à cane 301.

Corona ſpinea CHRISTI transfertur Pariſios 104
Corporis cura cujusdam Fratris ſat acerba 224
Craſimæ deſtructio 284
Cracovienſis Nobilis in ordinem Domus Teut. recipitur 151
Crethi & Plethi Davidis 18
Crinota vid. Trinota
Crivitia terra devaſtatur 381
Criwe Pruſſorum Pontifex 79
Cruceburg caſtrum à Pruthenis obſidetur 195
deſtruitur 211
deſolatur à Sudovvitis 271. ſeqq.
Crucem in cœlô videt Conſtantinus M. 63
S. *Crucis* magna pars offertur Friederico Imperatori II. loco doni ſpiritualis 26
S. *Crucis* pars in caſtrô Elbingenſi hodienum religiosè habetur 26
Crucifixus Ligneus Fr. Stangoni benedicit ſigno crucis 170
Crucifixi imago Fratrem devotum brachiis vult amplecti 164
Cruciferorum vel Cruceſignatorum potentia 8
Cruceſignatorum crux & indulgentia 62. 63
Cruces illorum ex quanam materia fabrefactæ? 63
Cruciferi in Dantiſcum & Pomeraniam ſibi jus arrogant 69
Crucigeros quisnam in Pruſſiam vocavit 91
Crucigeros cur Svvantopelcus fuerit perſeqvutus. 120, 121
Cruciferi non ſemel Pruſſis antiquis dedêre Privilegia 168
Cruciferi Pomeraniam ſibi vendicant 416
Cruciferi Lithuaniæ inhiantes 434
Cruciferorum cædes cruenta 435
Cruciferi num Pruſſiam tempore Innocentii III. habuerint? 473
Crudelitas in infantulos atque lactantes 77
Crudelitas dictu & auditu horrenda 165
Culmenſium fœminarum ἀνοσφία 149
Culmenſis terræ deſtructio 415
Culmenſis civitas incendium perpeſſa 453
Culmenſe Privilegium 453. 462
Culmo unde? 74
Cultus divinus in Pruſchia capit incrementa 111
Henr. de *Cuncen* Fr. mirabilis converſio 351. 352
Curland 185
Curoni quinam? 185. 187
Curoniam infeſtant Lethovvini 185
Curonenſis cædes miſeranda 185 ſeqq.
Czepko Dux exercitus Huſſitarum 447

D.

Daciæ regnum infeſtant civitates maritimæ Regemque regno expellunt 425
Daciæ Regis & Ducum Holſatiæ diſſenſio. 438. 439
Dani Holſatiæ Duci vitam eripiunt 440
Dæmones permulti Cellam cujuspiam

piam sanctæ Fœminæ præter-eunt 194
Danemunde castrum emunt Fratres Domus Teut. 358
Dantiscum urbs antiqua 70
Dantiscum unde dicatur? 71
Dantiscanum Monasterium Olivense quis exædificavit? 70
In *Dantiscum* cruciferi sibi jus quondam arrogârunt 69.70
Dantisci veteris pariter atque novi fundatio 70. 71
Dantiscum cedit Wartislao 289
Dantiscum quisnam murô cinxerit? 424
Decollatio memorabilis 350
Dextrarii 156. 206
Diaboli efficacia in incredulis 85 86
Diaboli invidia adversus propagationem Fidei 118
Diabolus ludit quendam Fratrem 95
Diaboli præstigiæ ac illusio 376
Dierum ac noctium distinctio apud Pruthenos 81
Diodorus Episcopus Tarsensis profitetur litteras divinas 397
Dioscorus Pater S. Barbaræ ἄγριος, immò tygride ferocior 129
Dirsovia urbs quando condita? 39
Dirszan oppidum flammis extinguitur 447
Dobrin 32
Dobrinenses Fratres 32
Dobrinensis Ducatus 69
Dobrinensis terra vastatur 346
Dobrinensis terra fermè radicitus exscinditur 433
Dobrinensis terræ una cum civitate destructio 395
Dorge, Pruthenus detestatur equos albos 85
S. *Dorothea* 431. ejusdem vita 432
Dramenow villa devastatur 204
Dnykonis conversio 347
Drusne vel *Drausen* lacus prope urbem Elbingam 98
Dusburgius quis? 1
Dusburgius Historicus fidelis 11
Dusburgii continuator, Historiographus minus accuratus 423
Dywanus quis? 211. fauciatur à Fratribus *ibid.* Unde dicatur? 236. Christianorum hostis acerrimus 237. profligatur à Fidelibus *ibid.* Obsidione cingit castrum Schonense 252. ejusdem interitus exoptatus. *ib.* E.
Edoardi Regis Angliæ institutum laudabile de Terra sancta recuperanda 223
Elbinga unde? 99.100
Elbingensis arx desolatur 68
Elbingi castri erectio 98
Elbingensis arx quando condita 99
Elbingensis Urbis conditores 101
Elbingensi Civitati quis primum dederit Privilegium 132
Elbingensium mulierum non mediocris magnanimitas 148
Elbingensis castri impugnatio 255
B. *Elisabetha* quando nata 11
Elisabetha nubit Landgravio Thuringiæ 18

Elisabethæ Maritus in Sicilia naturæ debita solvit 18
S. *Elisabetha* Andreæ Regis Hungariæ Filia 61. ejus vita *ibid.*
S. *Elisabetha* ex hâc vita migrat 64
B. *Elisabetha* à Gregorio Papa IX. canonizatur 97
Engelberti I. posteri Cliviam, Juliacum & Bergam ind. piscuntur 198
Engelko Frater religiosissimus 240
Engelsberg 106
Ensiferi germ. Schwerdbrüder 115
Ensiferi in Ordinem Teuton. recepti 116
Episcoporum Investitura per annulum & baculum 28
Episcopus Varmiensis à Carolo IV. Princeps nominatur 483
Episcopi in Ecclesia Christianâ juventutem in Scholis erudiêre 397.398
Episcopatus Prussici 476
Equites Ordinis Teut. primùm Fratres, postmodum verò Domini appellati 434
Equos albos detestatur Dorge 85
Erneko Fr. commendator de Raganita mortem oppetit 316
Esbeth Fr. cadit in prælio 337
Evagrius Gregorii Nazianzeni auditor 397
Euphrasia virgo lectissima stupratorem piâ fraude decipit 410
Exercitûs divisio tempore belli 329

F.

Fames maximum malum 195.196
Fenni 172. eorum natura, victus & amictus 171
Feodotarii 245
Fernandus Rex Castellæ Regem Granatæ Saracenorum vincit 64
Ferventis aquæ & ferri candentis probatio in maleficos & insontes 392
Conradus de *Feuchtwangen* Fr. 312 seqq.
Sigfridus de *Feuchtwangen* Fr. 349 seqq.
Flagellandi ritus 106.107
Flandrensium factio 351
maxima cædes 354
Flensburg castrum expugnatur 442
Florentinorum & Lucanorum contra Senenses prælium 183
Fluvius sangvineus 257
Frater dimidius quis 252
Fratricidium quomodo Deus ultus sit 167
Fratricidium cujusdam Magistri 421.422
Fratrum Pruschiæ ratio vitæ, victus atque vestitus. 5. seqq.
Fratres quomodo primùm appellati 12.13
Fratres nigrâ cruce pallioque albo usi. 16.22.23
Fratrum religionis ortus ac origo 16
Fratres ordinis militum quis instituerit? 32
Fratrum ord. militum insignia 32
Fratres de Dobrin *ibid.*
Fratres ob Pruthenorum impetum utuntur navibus 64
Fratrum de Elbingo bella contra Pogesanos &c. 102.103

Fratres multi à Pruthenis trucidati 103
Fratres de Balga viri integræ vitæ 106
Fratres in Castro Balga Heroes fortissimi 230
Fratres & Fideles Christi in Prussia maximam perpessi miseriam 117. 144
Fratres penuriâ laborantes miseditantur 151
Fratrum victoria adversus Svvandopelcum 152. 155
Fratrum arma 156
& plurium Christianorum miserrima cædes 185.seqq.it.218
stratagema 215
misericordia erga conversos infideles 296
liberatio admirabilis 324.386
Freibergenses aurifodinæ quando repertæ 462
Friedericus II. Imperator & Honorius Papa III. regnant 16
& Gregorius Papa IX. regnant 18
Friedericus Dux Austriæ in bello capitur 380
Frigus intolerabile 394. vid. etiam Hyems.
Fulmina mediâ oriuntur, hyemes 429

G.

G*Alindo* 74
Galindiæ terræ devastatio 77
Gallicorum miseranda strages 351 354
Gampti quinam? 41
Garthæ castri excisio 300.337.356 359.360.369.413
Gastholdi familia 379
Theod. de *Gattersleben* 225
Gebelini & *Gelphi* in Italia 19
Gebellini infinitos mactant Gelphos 407
Gedanum vid. etiam Dantiscum.
olim spectabat ad Pomerelliam 123
Gedanensis arx destructa 68
Gedeminum castrum flammis extingvitur 386. 400
Gediminus Rex Lethocoinorum 409.debellat Cruciferos 408
Gerhardus de Hirsberg Fr. 181.seqq.
Gerhardus de Klewen 181
Gerhardus Fr. ad emendationem vitæ noctu seriò admonetur 321
Germundus 401
Gesniz castrum à Polonis & Hussitis crematur 449
Gesoviæ deprædatio 321
Gesoviæ territoria vastantur 328 329
Gilbersteten mirabilis conversio 400
Gindawia arx conditur 407
Girdaw Christianorum æmulus 208
Girdawie castri destructio 208
Girdilow traditor 303
Glaciei supernaturalis soliditas & miranda durities 354.329
Glappo Warmiensium Capitaneus fit litera longa 228
Glossaria Insula in Ocean.germ.43

Gniew vid. Gymeva.
Gobatini 107
Goducke infidelium Capitaneus perit 180
Goldberga in Silesia 462
Golin vid. Martinus de Golin.
Gothi Prussiam olim ingressi 46
Gothi & Sembi ex lacte jumentorum inebriantur 83
Græci ad unionem S. Ecclesiæ redeunt 261
Gravida truculentiam militis scelerati experitur 140
Gregorius Papa IX, & Fridericus II regnant 18
Gregorio IX. Papa defuncto Schisma detestabile oritur 429
Gregorius Papa X. instituit Lugduni Concilium 261
Gregorii Nazianzeni auditores 397
Grudens castrum desolatur à Sudovvitis 271. seqq.
Gverra quid? 423
Gundramus Fr. cordatus 348
Gundow 180
Gymevæ castri ædificatio 287

H.

Hanno 171. 172. vide etiam Anno
Hanno castrum Starkenberg erigit 242
Hanno de Sangerhausen 211. seqq.
Hanseaticæ civitates 439
Hanseaticarum civitatum discordia 440
Hartmannus de Grunbach Fr. 183 seqq.
duos Fratres in ignem mittere jubet 183
Hartmannus de Heldrungen Fr. 264. seqq.
Hauscompthurs quinam? 243
Helmericus Fr. 196. seqq.
Helisberg castrum solo adæquatur 195
Helsberga vel *Heilsberga* quando & a quonam condita 113
Helveconæ 100
Henricus de Wida Fr. 158. seqq. 181
Henricus Marchio Misnensis infidelium adversarius 96. 97. Marchionis Recessus 98
Henricus Daciæ Rex à Fratre obtruncatur 167
Henricus Monasterium ordinis Cisterc. in Revalia exstruit 168
Henricus Comes de Luzenburg Rex Romanorum salutatur 366
Henricus Rex Rom. coronâ ferrea coronatur 368
Henr. VII. Rex Rom. coronatur Romæ in Imperatorem 368
Henrici Imp. obitus 375
Heraclius Imperator Ecclesias Dei & Terram sanctam instaurat 313
Hermannus de Bart. Fr. 24
Herm. de Salza Fr. 25. seqq. it. 453
Herm. de Balke 64. seqq.
Herm. Saracenus vir religiosus 182
Ipsius cum Maria colloquium ibid.
Herm. de Lichtenburg vir devotus 224
Herm. de Schonenberg Fr. bellicosus 272.

Heydenricus Episcopus Colmensis 244
S. *Hieronymus* auditor Greg. Nazianzeni 397
Hirzhalsii combustio memorabilis 193
Hispaniæ occupatur à Saracenis 220
Hoggo 74. Waidevvuti filius 75
Henr. de *Hohenloh* Fr. 340. seqq.
Fried. *Hollen* Fratris mors gloriosa 295
Holsatiæ Dux in obsidione castri Flensburg perit 440
Homar 313
Hombusen Fr. 184
Homicidium vindicatum 81. 84
Homo procerus 245
Honorius Papa III. & Fridericus II. Imp. regnant. 16. invicem dissentientes 26
Honorius Papa IV. confirmat ordinem Carmelitarum. 300. regnat cum Rudolpho Rege Rom. ibid.
Hungaria vastatur à Tartaris 64
Hungariæ Rex Andreas in vivis esse definit 347
Hussitæ populantur Marchiam novam & districtum Pomeraniæ 446
Hussitæ malitiosi homines 448. 449
Hyems æstiva 429
Hyems intensissima & maximæ nives 394. 441. 442. 444.

I.

Jagello 427
Jedeminum exuritur 419
Imbladare quid? 10
Imbrigare quid? 445
Impunitatis vis 418
Indulgentia peccatorum 343
Infans in nido aquilæ reperitur 401
Infidelium conversio 178
Ingratus cuculus 228
Innocentiæ memorabile τεκμήριον 391
Innocentius IV. Papa servus servorum Dei 476
instituit Lugduni Concilium 121 122
Innocentius V. Pontifex Romanus & Rudolphus Rex Rom. regnant. 262. quomodo anteà dictus ibid.
S. *Jodocus* prodigia edit 280
Jodocus Sternberger 447
Johannes Bohemiæ Rex in Poloniam jus suum prætendit 290
Johannes Dux Brabantiæ Victor Runkelis Archiepiscopi Colonienses 309
Johannes Marchio Brandenb. Heros magnanimus 180
Johannes Papa XII. pacem vult conciliare inter Christianos ac infideles 404. seqq.
Johannes XXI. Papa edit Physicam sat spissam 262
Johannis XXII. Papæ regnum minus tranquillum 384
Jubilæus annus à quonam & in quot annos institutus confirmatusque 430
Judæi blasphemi quomodo puniti 430

Juliacum obtinetur ab Engelberti I. posteris 198
Conr. *Jungingen* 431. 432
Ulricus de *Jungingende* Uladislao Regi & Vitoldo, bellum infert 433. 434. in prælio succumbit 435
Junigedæ territorii excisio 320
Junigeda castrum erigitur à Lethowinis *ibid.*
Junigedæ castri suburbia incendio delentur 327.328
Junigeda castrum flammis consumitur 343.383
Junigedæ combustio 387.388
Jurandi ritus apud antiquos 139
Jutæ Matrona religiosa 212

K.

K*Alneiniorum* Familia 297
Karolus Beffart Trevirensis Fr. 374. seqq. Italicæ linguæ callentissimus ibid.
Karolus Martellus successor Andreæ Regis Bohemiæ 347
Karolus VI. Rom. Imp. fatis concedit 428
Kimenow territorii vastatio 275
Kniphovium 176
Königsberg unde ? 112. vid. etiam *Regiomontum.*
Kunnigsberg castrum ædificatur 177. cur ita dictum *ibid.* obsidetur à Pruthenis 195. Arx prorsus inexpugnabilis 200 ejus impugnatio 202.203
Kunnigsberg oppidum destruunt Sambitæ 203
Kymel castrum destruitur 337
Kymenoviæ arcis expugnatio 293
Kynstod Lethovvinorum Rex capitur, sed evasit 424

L.

Labegow Castri demolitio 266
Landgravius Thuringiæ Rex Romanorum creatur 122
Lapides ingentes cœlitus decidunt 15
Latini imperant Constantinopoli 14
Latronis impudens responsum 418
Latrunculi Christiani 277
Latrunculi 70. Regulos terræ Lethoviæ è medio tollunt 304
Lawetin 279
Lencenberg castrum cum Pruthenis pluribus crematum 190
Leodienſis conflictus acerrimus 433
Leprosi in Francia cur ad rogum damnati 390
Leszko III. Polonorum Rex num Julium Cæsarem devicerit & Juliam Sororem dein duxerit 42.43
Parthorum Regi Crasso liquidum aurum infundit 43
Lesgevangiorum Familia 297
Lestekinus quis ? 276. velut alter Gideon 275
Lethowini Curoniam & Poloniam miserrimè populantur 185.275
manu Christianorum cadunt 276
Sambiæ territoria vastant 292 311
Conrado Sacerdoti vitam eripiunt 303
occidun-

occiduntur à fratribus de Raganita 317
vincuntur à Ludov. de Libencele 331
perjuri 393
Lethowinorum bellum 298
ſtrages 302.312.318.345.364.383 384.389.402
Rex à Fratribus ſuperatur 357
Lud. de *Libencele* quis? 285
ejus captivitas prima 284
ſecunda 286
res præclarè geſtæ 331
Lethovinos interimit 385
Liber continens myſteria repertus in mediô ſaxô 88
Libentio admiranda 387
Libidinoſi præmium 429
Licca qualis fluvius 319
Lipſii Genealogia 234
Lipſtadia civitas à quo condita 408
Litera c & litera *t* olim eodem ſcribebantur modo 97
Lithuani num ab Alanis deducantur 2
& Alani moribus diſſimiles 2
balneis crebrô utuntur 85
ſerpentum cultores 86
à quibus oriundi 172
obſequium denegant Polonis 442
Lithuanorum maxima clades 427
Lithuanos debellant Pruſſiæ Domini 433.ſeqq.
Lithuanis Semgalli ſeſe ſubjiciunt 398
Lithuaniæ pars magna linguâ utitur Ruſſicâ. 69. In magno Lithuaniæ Ducatu decreta judiciaria Ruſſicô concipiuntur idiomate 69
Lithuaniæ miſerrima everſio 434 445
Lithuaniæ Ducatum ambiunt Poloni 442
Litwo quid? 74
Livonia ad Fidem CHRISTI ab Innocentio Papa convertitur 15
Livoniæ terra qua ratione ad Fratres Domus Teut. pervenerit 113.ſeq.
Livoniæ civitates Regi Polonorum præſtant homagium 436
Livonici Epiſcopi primi à quonam conſecrati 114
Livonici Fratres ab imperio Ord. Teut. liberantur 116
Löbenicum quo tempore ſtructum? 176
unde dicatur? 177.184
Lochſtete caſtrum 169. à quo erectum 208
Loteko Poloniæ Rex 409. 410. homo malitioſus 415. obſidet Schönſeam 420
Lubecenſes & Bremenſes cives primi Fundatores Ordinis Teutonicorum 22
Lubecenſes conditores Elbingenſis civitatis 101
Lubavia 74
Lubovia terra Fratribus Ord. Teut. à Gregorio IX. donatum & confirmatum 33.35.39
Lubovia terræ everſio 349.354

Joh. de *Luccelburg* Rex Bohemiæ 414
Luderus Dux Brunſvicenſis Fr. 423
pacem cum Rege Polonorum conſtituit 424
Ludewicus Dux Bavariæ capit Friedericum Ducem Auſtriæ 380
Ludovicus de Baldersheim Fr. 219 ſeqq.
Ludovicus IX. Galliarum Rex Ordinis Teut. inſignia tribus liliis exornat 131
Ludovici Franciæ Regis Chriſtianiſt. laudabile inſtitutum 223
Ludovicus Rex Franciæ à Bonifacio canonizatur 337
Ludowicus Roberti Regis Siciliæ germanus canonizatur à Johanne Pontifice Rom. 386
Lugdunenſe concilium ab Innocentio IV. Papa inſtitutum 121
à Greg. X. Papa inſtituitur 261
Luneburgi caſtri ædificatio 410
Luſatiam infeſtant Bohemi 442
Luſtralis aquæ inſtitutio 154
Lutuwerus Rex Lethoviæ vaſtator Poloniæ 323

M.

Machinæ 214
Machometes quando mortuus 313
Macto Pipini Filius 186
Magiſtratus antiqvus Pruſſorum 361
Magiſtri ubi ſedem ſuam transtulerint 367
Magiſtrorum monumentum Regiomonti 367
Majorice & Minorice Inſulas à Sarracenis obſeſſas capit Rex Arragoniæ 19
Maleſici cujusdam mors admirabilis 350
Malgedeiniorum Familia 297
Maltenſes quomodo olim nominati 22
Mangoldus Fr. Pruſſiæ 279. ſeqq. ejusdem virtus 284
Marchia antiqua 37
Marchio Brandenb. JOHANNES Heros fortiſſimus ad Pruſchiæ terram venit 180
Marchionis de Brandenburg terra deſolatur 409
S. *Maria* thurificat occiſos 141
Fratrem devotum tactu ſanat 215
apparet cuidam converſo Sudovitæ 282
noctu videtur à Comite 421
S. Mariæ colloquium cum Fr. Hermanno 182
Epiſtola ad Heydenricum Epiſcopum Colmenſem 244
Viſitationis Feſtum quis inſtituerit 430
Mariæburgum 283. Mariæburgi caſtri obſeſſio 437. 438
S. Mariæ urbis ædificatio 91. 93
Inſula à Pruthenis incendio vaſtatur 241
à Sudowitis deſolatur 271. ſeqq.
Martinus de Golin Heros intrepidus 277
ejus ſtratagema 246. 277
in prælio perit 246

Martinus

Martinus Papa IV. & Rudolphus Rex Rom. regnant 284
Martyrium dictu & auditu horrendum 165.192.193
Maſoviæ Dux primus quis? 69
Maſoviæ terræ per Trinotam excisio 249
Maſoviæ deſtructio 405
miſera depopulatio 30
Matris cujusdam vox animoſa 260
Mauritii gladius 452
Medenikæ territorii excidium 379 381.384.385
Medenaba caſtrum evertitur 320
Medenage caſtri per Fratres expugnatio 415
Meerkiorum Familia 297
Meinhardi Zelus in propagatione verbi divini 115
Memela aqua fluens 68
Memelæ devaſtatio 395. ſeq.
Meneko Fr. Magiſter terræ Pruſchiæ generoſus 309.ſeqq.328
ejus mira Nativitas 309
exædificat Raganitæ & Scalowitarum caſtra 310
impugnat caſtrum Colayne 312
Mergenburgi caſtri ſtructura 283
Meruniskæ excidium 276
Meſſis admodum tempeſtiva in Pruſſia 428
Meſtrowinus Swantepolci Filius, ſeditioſum caput 222
Miernisken 294
Miles morti addictus abſolvitur ob S. Mariam 182
Miles nocturno tempore cœleſtia videt φαντάσματα 416
Miles libidinoſus à virgine caſtiſſima decipitur 410
Militis in prægnantem truculentia 140
Miligedoni Fratri ſtruunt Prutheni inſidias 213
Militum inhumana ſævitia 31
Miracula per Sancti cujusdam reliquias 359
Mokera fluvius Thorunienſis 97
Molendini caſtri exſtructio & deſtructio 105
Molendinum impugnatur à Pogeſanis 257
Henr. *Monte* Nattangorum Capitaneus populatur terram Colmenſem 218
Chriſtianos doloſè interimit 254
à Fratribus ſuſpenditur 227
Morbus contagioſus graſſatur in Pruſſiæ partibus 444
Mortuus miles revixit multaque multis prædixit 15
Mortui cujusdam corpus è ſepulchro exiliens 153
Mortuus reviviſcens 392
Morungenſis arx erigitur 412
Muko Epiſcopus Warmienſis 402
Mulier Chriſtiana Sudovitam robuſtum cœnô ſuffocat 20
Mulieres duæ de unô juvene invicem rixantur 142

N.

Nadrovia terra penitus vaſtata 264
Nadrowitæ Sambiam populantur 178

Nadrowitæ obsident castrum Beseledam 260
plures baptismum suscipiunt 261
fermè omnes Fratribus sese subjiciunt 264
Nakel castrum traditur Fratribus 136
Nakel arcis demolitio 418
Nalubo convertitur 200
Namile vid. Samile.
Narva qualis fluvius 319
Nassaw castrum destruitur 441
Natango quid? 74
Nattangos debellant Fratres 102. sq.
Nattangi Fratribus sese submittunt 110. 111. 168. 228
vastant terram Colmensem 218
crudeles in Christianos 229
viribus exhausti Fratribus se subjiciunt 256
Nattangiæ eversio 344. 368
Nattangiam populatur Theodoricus Marchio Misonensis 225
Nattangiæ Fratrum strages miserrima 165
Naves terebrô perforantur 200
Navis bellica 378
Neapolis excidium per Conradum Friederici Imp. Filium 168
Negothin vel *Newotin* 279
Neophyti 159
Neria Curonensis 292
Nessovia, castrum non procul à Thorunio 59. 60
Neuhaus Castrum erigitur à Christianis 292
non procul à Regiomonte 293
Nevvod quid? 457
Niceæ Episcopus Ablavius docet Rhetoricam 397
Nicolaus Papa III. & Rudolphus regnant 265
Nicolaus Papa IV. & Rudolphus Rex Rom. sceptra tenent 309
Nives maximæ delapsæ 444
Nodro seu *Nodrovvo* 74
Nogardiæ parva à Fr. Henrico Marschalcô radicitus exstirpatur 381
Nomedæ vox heroica 260
Bertholdus de *Northusen* Fr. belli haut peritus 272
Nudus masculè pugnat 247

O.

Obsides nonnulli privantur oculis 195
Onkaym territorium devastatur 312
Onkaym vastatio secunda 357
Onkaym Castri suburbium exustum 414
Ordo Domus Teutonicorum vestigia Maccabæorum pressit 19
S. Benedicti quando proficere incœperit 16
Cluniacensis 16
Cisterciensis ib.
Hospitalis S. Johannis 16
Templariorum quando cœpit & quando destructus 16
Fratrum Prædicatorum 17
Fratrum Minorum 17
Eremitarum montis Carmeli 17
Fratrum vallis Scholarium ibid.

Teuto-

Teutonicus 17. quando & à quô Hierosolymis institutus 20 21
Ordinis Teutonicorum Fundatores primi quinam? 22
Ordo Teut. quotannis memoriam Magistrorum benè meritorum celebrat 23
Ordinis Teut. Equites primùm dicebantur Fratres, postmodùm verò Domini 434
Ord. Teut. Collegium Equitum convocatur Venetiis 131
Ordini quinam annumerabantur 10
Ordini Domûs Teutonicæ dignitatem Principis quinam contulerint? 27
Ordo privilegiis Papalibus ac Imperialibus summis decoratur 26
Ordinis militum Fratres quis instituerit 32
Ord. militum Fratrum insignia *ib.*
Ordinis commendatores 361
Origenes Præses Scholæ Cæsariensis 397
Orsele Fr. 1. 403. seqq.
Otholichiæ castri expugnatio 262
Otkaym desolatur 345.347
Otto de Karpen Fr. 24
Otto Dux Brunsvicensis & Luneb. in subsidium venit Fratribus 109. seqq.
Ottocarus Rex Bohemiæ 173
ejus in Prussiam expeditio 219
à Rudolpho Rege Rom. in bello occisus 263

P.

Palæologus Græcorum Imp. adipiscitur Constantinopolin 183
Panis irroratus stillat sangvinem 399
Panormitanorum abominanda crudelitas 284
Pantænus 397
Papavienſis arx destruitur 68
Patientia omnium malorum victrix 42
Patris in Filiam immanitas inaudita 129
Parentibus barbaris etiam amor Liberorum insitus 214
Partegal castrum ædificatur 107
excinditur 109
Parteiniorum Familia 297
Partus admirabilis 309
Passaria quomodo antiquitus nuncupata? 233
Passovia territorium vastatur 384
Pastoviæ deprædatio 321.328.329
Pelles bovinæ, equinæ &c. præ intolerabili inedia comeduntur 196
Peluſa 305
Perbandiorum familia 297
Pestis furida in Prussiæ partibus grassatur 432.444
Petrus Eremita invisit terram sanctam 313
eidem CHRISTUS apparet in somnis 314
ejus peregrinatio ibid.
Philippa Daciæ, Sveciæ & Norvvegiæ Regina valedicit mundo 440

Pipini Nobilis de Pomesania latronisque mors justissima 87
Filius Macce vel Matte defensor strenuus Fidei ac Fidelium 87
Piscina antea ditissima, hodie nil nisi ranas coaxantes fovens 265
Piscis monstrosus 284
Pista castrum occupatur 330
incenditur 343
Pistæ suburbium igne deletur 328 387. 388
Henr. de *Plotzke* Fr. 361. seq.
Pogesania 75
Pogesani & *Pomesani* Fratribus sese submittunt 103
nonnulli Fratribus addicti 255
Elbingense castrum impugnant 255
contumaces, fraudulenti ac perjuri populi 256. 257
capiunt quosdam Fratres 270
Pogesanorum bellum 99
perfidia & sævitia adversus Christianos 257
strages 258. 270
Pogesanos parvâ manu fundunt Fratres de Elbingo 202
Pograude castri destructio 356
Pogmuda territorium evertitur 368. 371
Pokimæ deletio per Fratres 279
Polde berg castrum 148
Polonia Witoldo multum debet 444
Poloniæ desolatio miserrima 30. 276
323. 325.
Poloni terram Colmensem miserũ in modum irruunt 440
portas apertas intrare recusant 420
Wilhelmum Austriæ Ducem & regno & conjuge privant 429
Lithuaniæ Ducatum ambiunt 442
novam Marchiam & Pomeraniæ districtum populantur 446. seq.
Polonorum bellum 433
Pomeraniam vendicant sibi Crucigeri 416
Pomerania à quonam & quanti vendita 290
devastatur à Polonis & Hussitis 446
Pomeranorum multorum cædes 135. 164
arma 156
Pomerellia quomodo Ordini Teut. subjecta 288. 289
Polonis denuò adjudicatur 291
Pomesani subjiciuntur Fratrum imperio 103. 168
Pomesanorum subjugatio 96. 97
Pommada Pruthenos interficit 109 110
Pomorzanie quid? 69
Poppo de Osterna Fr. Magister terræ Pruschiæ 116. seqq.
ætate confectus officium modestè resignat 171
Posdraupeti mater mulier cordata 260

Poterberg

Poterberg castrum vastatur 287
Plica Bartha 75
Pomeso 74
Pomesaniæ terræ populatio per Trinotam 24
Præda insignis 262.263.266
Præmislus Rex Polonorum 124
Praxeiniorum Familia 297
Pregela quomodo olim dicta 202 210
Principum Imperialium adventus 441
Privilegium Culmense 453
Pruthenis concessum & confirmatum à Legato Pontificio 463.475
Probatio per aquam ferventem & ferrum candens 391.392
Proditoris cor deglutit canis 301
Prophanatio sacrorum abominabilis 394.395.409
Propugnacula 214
Prussia quomodo antiquitus appellata 2
Prussia vel *Pruschia* unde nomen trahat? 2. 3
Prussiæ Fratrum ratio vitæ, victus atque vestitus 5. seqq.
Prussia terra à Gregorio IX. donatur Fratribus Ord. Teut. 33.35 39
quot annos Ordini Teut. restiterit? 9
in clientelam Regis Poloniæ se submittit 66
incrementa capit cultus divini 111
in quot Episcopatus divisa 122
otium nanciscitur 168
an imperio Bohemico subjecta 175
quando ad Regem Poloniæ transierit 232
olim vinifera terra 428
Prussiæ terræ descriptio 68
divisio 72
Episcopi 123
inferiores & superiores partes dissipantur 124.125
Prussiæ terræ Alexander Papa IV. bona exhibuit plurima 170
bellum finale 274.seqq
terræ motus hyperphysicus 355
Prussiæ patrona quænam fuerit? 177
Domini quam ob caussam hoc titulô insigniti 434
contra Polonos, Lithuanos &c. cruentum atque infaustum bellum suscipiunt 433. 435
Viri fide probati 442
Prussiam olim Gothi ingressi 46
Prussiam iterum invisunt Alemanni 355
Prussi populi antiqui 3. vid. etiam *Prutheni.*
accolæ fuerunt Russorum 3.68
Massoviam infestant 9
quo anno conversi 38
hospitibus suis ad ebrietatem usque propinant 80
nullos mendicos tolerant 81
an dierum & noctium distinctionem habuerint 81

quomodo

quomodo conventum instituerint ibid.
quomodo belli manubias dispescuerint 80.82
balneis frequenter usi 85
cultores serpentum 86
à quibus prognati 172
Regi Poloniæ sese subjiciunt 366
Prussorum & *Prutbenorum* nomen unde? 3
castra & civitates 76
Pontifex Quei vocatus 79
ritus in defunctis Nobilibus 79 80
vestes atque alimenta 80.82.83 85
Magistratus antiqvus 361
Prussicarum gentium potentia 72
Prussica bella quo tempore Ordo Teut. gerere cœperit 299
Prussica bella quando finita 9.298
Prussici Episcopatus 476
Prussis veteribus cruciferi aliquoties dedêre privilegia 168
Prussos sub potestatem redigere moliuntur Duces Polonorum 8.9
Prutheni immanes ne donis quidem placantur 31.32
circa castrum Dobrin exercent latrocinia 33
uxores pro certa pecuniæ summa emunt 80
colmensem terram populantur 28.29
potentissimi & innumerabiles à Fratribus Domus Teut. prorsus eradicantur 72.73
Fratres & Christianos multos trucidant & prosternunt 103 191.218
plures flammis consumuntur 190
eccur Balistas timuêre 203
50. una cum navibus submersi 220
exigua Fratrum manu profligantur 233
colmenses cives spem præter jugulant 245
à civibus colmensibus devicti 251
civitatem de Redino expugnant 246
Christianos miserè circumveniunt 254
& poloni ad arma veniunt 433
Prutbenorum Apostasia prima 118
secunda 190. duravit ultra 15. annos 258
tertia 269. seqq. quando cœpit 270
quarta 303. ejus vindicta ibid.
quinta 324. ejusdem ultio ibid.
fides de carnis Resurrectione 79
diversitas & potentia 72
idololatria, ritus & mores 78 seqq.
cædes maxima 94
veterum victus 171.172
clades 164.198.201.215
immunitas 241
conspiratio abominabilis 304
bellum 433

Pru-

Prutbenicæ maxima vis fuit in peditibus 75
Prutheni Terror panicus incutitur in prælio 234
Pruthenos Bonse irritat ad apostasiam, & quare 271
Puella absque cibo ac potu plurimos annos degens 309
Putenika dejicitur 363.364

Q.

Quidinense castrum 90
Quidinum insula 90
Quidzia Polonis quid? 133

R.

Raganita castrum impugnatur 265 382
erigitur à Menekone 310
Raganita suburbium dejicitur 333
Ramige arx occupatur à Fratribus 266
Redinum castrum exstruitur 95
Prutheni bis expugnant 246
Regiomonti nomen unde? 112
Regiomontana arx in Ottocari III. memoriam fuit erecta 175
quo annô exstructa 176
ubi condita. 178. ejus destructio ibid.
Reliquiæ sanctorum 452
Reselia 103.112
Revalia 168
Revalia terra Daciæ Regis miserè desolatur 394
Reysen, territorium Pomesaniæ 97
Riga quando & à quonam ædificata 341
Rigenses cives contra Fratres Domus Teuton. movent discordiam 339.340
Rigensis civitas destruitur 419
Rinow territorium excinditur 208
Rippin oppidi expugnatio & combustio 443
Risenburgum quo tempore & à quo conditum 262
Wilhelmus de *Rode* Heros generosissimus 233.234
ex ipso J. Lipsius genus suum deducit ibid.
Rogow castrum in littore Wisl æ 87
Rombowdus Samogitia universa potitur 434
Romow locus in Nadrovia 79
Ros mellitus cœlitus in Gallia delapsus 15
Rosite vastatur 406
Rudavienses conflictus 426
Rudolphus Rex Rom. & Innocentius Papa V. regnant 262
& Adrianus Papa V. fasces imperii tenent ibid.
Ottocarum Bohemiæ Regem in prælio occidit 263
& Nicolaus Papa III. sceptra tenent 265
& Martinus Papa IV. regnant 284
& Honorius Papa IV. regnant 300
& Nicolaus Papa IV. regnant 300

Rudolphi Regis primogenitus ill. Rheno perit 262
Rugia quondam proprios principes ex Slavico genere ortos habuit 304
Ruſſi quomodo Græcum ⊙ pronunciant 37
Ruſſicâ lingvâ magna Lithuaniæ pars hodienum utitur 69
Ruſſigeni Nobilis Sudowitæ conversio 281
Ruſſigine depopulatio 392
Rutheni 264

S.

Sacerdos ſuſpenſus 270
Conr. *Saccus* Fr. gratioſus 347
Sacrorum abominanda prophanatio 394.395.409
Sagitta unde dicatur? 51
Salfeldia quando & à quo exædificata 412
Salſenike territorii vaſtatio 373
Herm. de *Saltza* Fr. laudatiſſimus 25
Sambia 75
Inſula Pruſſiæ ubi colligitur ſuccinum 43
Romanis non fuit cognita ut insula ibid.
Pruſchiæ pars 72
devaſtatur 178.292.365.368
Sambienſes quinam? 74
Sambienſis terræ excidium 311
Sambitarum bellum 169
ſubjugatio 173
clades 198.201.204.ſeq.
Sambitæ Fratribus ſeſe ſubjiciunt, aſt non multò poſt fiunt apoſtatæ 207
viribus exhauſti Fratribus ſe ſubmittunt 256
Samborius vid. *Schwantiborius.*
Samile Nobilis de Pomeſania Fidei & Fratrum ſingularis fautor 238. ipſius exitus tragicus ib.
Samo unde? 74
Samogitæ ſerpentum amatores 86
cur defecerint ab Ordine Teut. 434
Samogitia à quo occupata? 434
Sanctorum reliquiæ 452
Joh. *Sandonirski* Cracovienſis Nobilis recipitur in Ordinem Domus Teut. 151.152
Santirium caſtrum erigitur 145
deſolatur à Sudowitis 271.ſeq.
ubi ſitum 283
Saraceni occupant Hiſpaniam 220
Saracenorum maxima cædes 285. 343
Sareckæ παναρχία deteſtabilis 268
Sardewickz caſtri expugnatio 126
obſeſſio à Swantopelco 135
Saſſoviam arcem expugnant Fratres 269
Scalovitæ 178
obſident caſtrum Beſeledam 260
Scalowitarum bellum 264
terra ubi ſita 265
Scalowitarum caſtrum impugnatur 327
ſuburbium evertitur 333
Scaloviæ terræ devaſtatio 267.269
Schalowo quid? 74
Schinkenberg vel Schneckenberg

berg castrum erigitur 108
Henr. *Schindekopf* 426.427
Lud. de *Schippen* Fr. 344. seqq.
Schola Alexandrina 397
Cæsarienſis 397. ejus Antiſtes fuit Origenes ibid.
Scholam Ariſtotelicam inſtituit Anatolius Epiſcopus 397
Scholæ antiquitus in monaſteriis inſtitutæ 398
Schonenſe Caſtrum obſeſſum tenet Dyvvanus 252
Schroncytæ caſtrum exuritur 365
Burckardus de *Schwenden* Fr. Ordin. Teut. 297. ſeqq. adſumit Ordinem Hoſpitaliorum ibid.
Scumandus terram Colmenſem rapina atque incendio evertit 251. 253
Fratribus plurima damna infert 272. 273
Scumandi domicilium redigit Mangoldus in Cineres 284
converſio 285. ſeq.
mors 301
Schwerdbrüder vid. Enſiferi.
Sembi & *Gothi* ex jumentorum lacte inebriantur 83
Semborum laus 84
Semegallia provincia reſiſtit Ordini Teut. 398
Semgalli cur Lithuanis ſe ſubjiciunt ibid.
Semenſes pugnant contra Florentinos & Lucanos 183
Sesbuto Lethovvinus occultus Fratrum amicus 318
Eberh. de *Seyne* 453
Siciliæ regnum donat Urbanus Papa Karolo 210
Sigismundus Imp. Rom. 451
Sileſiæ aurifodinæ 462
Slinegotæ 267
Soldanus Antiochiam ſolo adæquat 221
Soles prodigioſi tres conſpiciuntur 380
Solis maxima ecclipſis in meridie 105
Sortio capitalis 193
Spendæ quid? 184
Spiritus S. inſtar flammæ ignitæ ſuper orantes viſibiliter cadit 128
Spittenberg caſtrum à Pruthenis radicitùs exſcinditur 244
Henr. *Stangoni* Fr. benedicit Crucifixus ligneus ſignô crucis 170
Starkenbergi caſtri ædificatio. 242 ejusdem expugnatio. 243. ubi translatum ibid.
Stavani quinam? 73
Steiffrock 483
Steinow ingratus hoſpes 228
Stenzel de Bentheim Weſtphalus miles 193
Strasberg deſtruitur 342
Strasburgum quando ædificatum 343. ejus obſeſſio 438
cum caſtro doloſè occupatur à Polonis 437
Strobandi liberalitas nunquam ſatis deprædicanda 66. 67

Stratagema belli Ducis 200
Strogelæ populatio 392
Sudavvicæ mulieres bibaces 84
Sudo unde? 74
Sodovia terra infestatur 280
Sudoviæ devastatio 296
Sudovia vel *Sudinia* ubi quondam sita 294.296
Sudovvita Nobilis convertitur 281
Sudovvitæ vel *Sudini* 76.178
Sudovvitæ à Fratribus profligantur 275.278
castrum Wartenberg funditus demoliuntur 248
arcem Bartenstein ferro & flammis dejiciunt 258
castrum Wecrize destruunt 256
obsidione cingunt arcem Beseledam 260
Sudovvitarum captivitas & cædes 280.260
plurium conversio 293.295
bellum 274
Sudovvitas Fr. Ulricis multis afficit damnis 281
Svvantepolcus quis? 91.92
unde descendat 93
persequtor Fidei & Fidelium in Pruschia 119
Crucigeros quare persequutus 120.121
ab Innocentio IV. Papa ad pacem admonetur 121.122
inferiores & superiores Pruschiæ partes populando evertit 124.125
pacem cum Fratribus init 138 157.160
homo malitiosus ac perfidus 139
multos Christianos enecat 140
Fratres affligit 143
à Fratribus devictus 144.165
fœdifragus terram Cujariam miserè excindit 162
ab Urbanô IV. Papâ ad pacem redactus 473
Swantepolci immanitas 145
Filius mittitur obses Duci Austriæ 145
Filius Mestrovvinus, homo factiosus 222
Filii ac Fratres 287.288
copias prosternunt Fratres 152 155
miles quidam nomina Fratrum Domus Teut. admodum formidat 119
bellum quando confectum 168
mors 221
Swantibori s. *Samborii* genealogia 92
Sveci quomodo olim dicti 147
Svecorum nomen est recentissimum ibid.
Sweze castrum 146
Swidrigelo Lithuaniam miserrimè vastat 434
Switergal seu Boleslaus è Lithuaniæ Ducatu expellitur 445 446
Switergæ vel Svvidrigal debellat Lithuanos 442
Syfridus de Runkel Archiepiscopus Colonienſis à Johanne Duce Brabant. superatur 309

T.

Talio 202
Tannenbergenſis pugna nimium cruenta 435
Tapiaw arx à quo condita 208
Tarquinius Superbus omnium generum tormenta invenit 166
Tartari Hungariam & Poloniam irruunt 64. 104
Tartari Orientales ingentem Saracenorum numerum internecant 285
Tartari invadunt Saracenos 343
Tartarorum dominii primordia 14
Nuncii tinguntur ſacro lavacrô 261
incredibilis ſtrages 409. 285
Templariorum Ordo 16
condemnatur 368
Terræ motus horribilis 413. per univerſam Pruſchiam 355. in Burgundia & 5000. homines ſuffocantur 18
Terræ ſanctæ ſtatus 313. ſeqq.
Terram ſanctam Ludovicus Franciæ & Edoardus Rex Angliæ in poteſtatem ſuam redigere volunt 223
Terram ſanctam viſitat Petrus Eremita 313
Teutonicæ Domus origo 13. ſeqq. vid. etiam Ordo Teut.
Thammo Fr. religioſiſſimus & temperantiſſimus 391. vixit abſq; cibo dies multos 392
Tharbatenſis Epiſcopatus vaſtatur 393
Theodoricus Marchio Miſn. terræ Nattangiæ infert populationem 225
Thomas de Aquino 183
Thorunii veteris Conditores quinam? 65
Thorunium hodiernum ſat antiqvum eſt 66
ejusdem initia ibid.
Thorunii encomia digniſſima 66 67
nomen unde? 67
Thorunienſe gymnaſium florentiſſimum quis exſtrui curavit? ibid.
Thorunienſe templum S. Nicolai & Sanctimonialium templum quando & à quô ædificata 66
Thorunienſis urbis inſignia 67
Hoſpitalis omnimoda deſtructio 250
clauſtri Monialium fundatio 371
civitas una cum caſtro per fraudes obtinetur a Polonis 437
Thorunium impugnant Sudovvitæ 250
Thuringiæ Landgravius Romanorum Rex ſalutatur 122
Tiberis exundatio memorabilis 265
Conr. de *Tierburg* Fr. 226. ſeqq.
Tirsko 261
ejus converſio 178. ejusdem laus 179. ſeqq.
Tonitrua media oriuntur hyeme 429
Trengæ quid? 326. 416. 449. 450
Trinota Lithovvinorum Regis Filius

lius Massoviam &c. rapina atque incendio populatur 249
Tripolis destruitur 309
Tropponi Fr. fortissimo insidiantur Prutheni 213
Henr. *Tupadel* vir prudens & militiæ haut ignarus 217
Tuwangste castrum erigitur 177
curita vocatum ibid.

V.

Vates 198. 218
Venti terribiles exorti 186
Vinum mutatur in altaris sacrificio in sangvinem & panis in carnem 15
Virgo castissima flagitiosum circumvenit militem 410
Visio nocturna 188
Vitenes quid? 323. 325
Vithenus 340
Lethoviæ Rex à Fratribus devincitur 370
obsidet Christmemelam 382
Vitoldus vid. Witoldus.
Ulmerugi quinam populi? 46
Ulricus de Magdeburg Fr. quasi alter Samson 220
Ulricus Fr. vir animosus cadit in prælio 281
Ungariæ Rex 30000. Tartaros enecat 409
Regem Bohemiæ infeliciss imè debellat 185. 186
Ungarorum non exiguus numerus opprimitur ab arboribus 421
Unsatnpis 180
Vogelsank castrum primum Fratrũ Domus Teut. 57. 58.
pagus non procul à Thorunio 59
Volquinus 113. seqq.
Urbanus IV. Papa Svvantopelcum ad pacem adegit 473
Urbani Papæ mortem prænunciat Cometes fulgentissimus 216
Urbanus Papa Festum Visitationis Mariæ annumque jubilæum in 33. annos instituit 430
Uxul castrum 114

W.

Waidewutus Prussorum Rex num 12. Filios habuerit? 73
Waikinæ vastatio 392
Waiken territorii desolatio 418
Conr. *Wallenrodius* 431
vir ambitiosus 434
Henr. *Walpote* Fr. 22
Warmo 74
Warmia 75. (102
Warmienses debellantur à Fratrib. Fratrum fidei sese committunt 110. 111. 168. 228
crudeles in Christianos 229
viribus exhausti Fratribus sese subjiciunt. 256
Wartenberga olim pertinuit ad Galindiam 103
Wartenberg castrum Sudowitæ expugnant. 248
ejus reædificatio 407
Watspenta, *Watmal*, *Wattmann* quid? 183. 184
Wecrize castrum dejicitur à Pogesanis & Sudowitis 255

Weisto-

Weiſtotepila caſtrum incendio deletur 209
Welſais Fr. in ἐκστάσι conſtitutus cernit mirabilia 335
Wenceslaus Rex Bohemiæ 347
Wengrapia flumen 210
Wernerus de Orſele Fr. pag. 1. 403 ſeqq.
Henr. de *Wida* 158 ſeqq.
Wigbaldus Epiſcopus culmenſis capitur 428
Wilhelmus Dux Auſtriæ regnô atq; uxore privatur 429
Wilhelmus comes Hollandiæ eligitur Rex Romanorum 164
è mediô tollitur ibid.
Wilow caſtrum 178
impugnatur 217
deſolatur 396
Winricus Magiſter ex hac vita emigrat. 429
Wiſenburg arx quomodo aliàs dicta 209
ejusdem dejectio 210
Wiſnæ caſtri deletio 330
Wiſſela aqua fluens 68
Wiſſelat caſtrum funditus diruitur 417
Witoldus quomodo aliàs vocatus 427
vincit Pruſſiæ Dominos 434. 435
obſidet caſtrum Mariæburgum aliaque loca 437. 438
diem obit ſupremum 442
Witoldo ſeu Alexandro M. plurimum debet Polonia 444
Wobenſdorph Fratribus ſubjicitur 179
Wolferanus Saxo Fr. illuditur à Diabolo 308
Conr. de *Wuchwangen* 278

Z

Zamelius Conſul Elbingenſis meritiſſimus 239
Genus ſuum à Samile Nobili de Pomeſania deducit ibid
Zamile vid. Samile
Zcepko Dux Huſſitarum 447
Conr. *Zölnerus* de Rotenſtein 431.

SOLI DEO
ſit
Laus, Honor & Gloria.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SELECTÆ DISSERTATIONES HISTORICÆ *DE* VARIIS REBUS PRUSSICIS.

Operâ & studio

CHRISTOPHORI Hartknoch.

ANNO M DC LXXIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SELECTÆ

DISSERTATIONES

HISTORICÆ

DE

VARIIS REBUS

PRUSSICIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dissertatio Prima

De

Scriptoribus Historiæ Prussicæ.

Antiquitates Prussicas breviter pertractaturi, de Scriptoribus Historiæ Prussicæ in antecessum agemus, ut appareat, per quos profecerimus, aliique habeant, quos in simili studio sequantur Duces.

Primus igitur Historiæ Prussicæ Scriptor, ex sententia Simonis Grunovii, est JAROSLAUS Plocensis in Masovia Præpositus, qui de Prussis Librum composuisse, inscriptionemque ei sequentem præfixisse dicitur: *Liber Originis & furiarum gentis indomitæ Brutorum in sangvinem Christianum:* Quousque Historiam suam Jaroslaus pertexuerit, indicat idem Grunovius, licet obscurè, his verbis: **Und als Er Ihr Nachbar war / beschreibet Er Ihren Zustand biß auf Ihre Unsinnigkeit.** Vid. Grunov. *in Dedicatione Chronici Prussiæ.*

Secundus, ex ejusdem Grunovii sententia, fuit Christianus primus Episcopus Culmensis qui Conrado Masoviæ Duci auctor fuit, ut contra Prussos Fratres Ordinis Teutonici evocaret. Hic Christianus Historiam suam sic orditur: *Liber filiorum Belial cum suis superstitionibus Bruticæ factionis incipit cum mœstitia cordis.* Multa autem hunc debere Jaroslao, testatur Simon Grunovius *l. c.* Verùm ut ut Grunovius se hujus, ut & prioris, libros legisse testetur, posset

tamen quispiam de his scriptis, an unquam extiterint, dubitare. Si enim primò tunc ejusmodi libri extitissent, certè Scriptores Polonici, vel etiam Prussici Vetustiores eorum feciſſent mentionem. Jam verò neque Commentator Vincentii Kadlubkonis, qui initio seculi XV. vixit, neque Johannes Dlugossus, neque alius quispiam ex antiquioribus Historiæ Prussicæ Scriptoribus eorum faciunt mentionem. Deindè Scriptores Polonici & Prussici Vetustiores, qui antè Simon. Grunovium Historiam Prussicam literis consignarunt, eadem de Origine & Idololatria Prussorum Veterum aut ipsi tradidissent. Nos verò prorsus alia de Origine & Idololatria gentis hujus apud antiquos Prussicæ Historiæ Conditores reperimus, quam quæ ex Jaroslao & Christiano, Grunovius producit, ut ex Notis nostris ad Dusburgium posteà apparebit. Tandem Dusburgius noster in præfatione, de modo agendi libri hujus, dicit: se ad hoc opus esse minus idoneum, quia Res ab Ordine Teutonico primis temporibus gestæ jam tum à memoriâ hominum recesserant; quod dicere fortasse non potuisset, si Jaroslai & Christiani Historias ad manus habuisset.

His ætate suppar, vel etiam paulò antiquior, esse putatur, qui initium Chronici ordinis (vulgò appellatur **Ordens-Chronick**, seu **Hohemeister-Chronick**) conscripsit. In quodam enim Exemplari Chronici hujus (quod Johannes à Weissenfels ex antiquiori Codice Ann. 1550. descripsit) Prologum Chronici hujus, ut & Chronicon ipsum, Reverendus *EPISCOPUS PADERBORNENSIS* composuisse dicitur. Addit etiam idem Joannes à Weissenfels, Episcopum hunc cum Cæsare Friderico in Palestinam iviſſe; submersô verò Imperatore eundem cum Friderico Duce Sueviæ, filio Cæsaris aliisque Episcopis & Magnatibus in Palestina mansisse, interfuisse etiam institutioni Ordinis Teutonici; post captam deinde Acconam cum Episcopo Bremensi ad Papam & Cæsarem fuisse missum. Sed & hæc, licet à plurimis vulgò credantur, dubio non carent; Si enim eorum temporum Historiam consulamus, nullum tunc Episcopum Paderbornensem expeditioni sacræ interfuisse cognoscimus, nisi forte dicere velimus, Chronicon hoc adscribendum esse non Episcopo, sed Advocato Ecclesiæ Paderbornensis, qui in Palæstina fuisse memoratur. Sic enim hâc de re Gobelinus Persona ad Annum M C LXXXVII: *Eodem Anno Sigfridus Episcopus Paderbornensis obiit,*

obiit, & successit ei Bernhardus II. qui præfuit Ecclesiæ Annis 16. An. Dn. M C LXXXIX. Imperator cum multis Principibus Romani Imperii versus terram sanctam se contulit & tunc Witikindus Advocatus Ecclesiæ Paderbornensis Comes de Svvalenberg & de Waldegge Advocationem suam in manus Domini Bernhardi Episcopi resignavit in præsentia Priorum & Conventus totius Paderbornensis Ecclesiæ, adstantibus fratribus ipsius Hermanno & Henrico, & si quid juris in ea haberent etiam abdicantibus Etsic Testamento suo condito iter Hierosolymitanum cum Imperatore (Henrico) *arripuit.* Hæc Gobelinus Persona *in Cosmodromio ætat. VI. cap. LX. pag. 228.* De alio, qui ex Episcopatu Paderbornensi in Palæstinam sit profectus, vix quicquam reperias. Sed sive ille sit Episcopus, sive Advocatus, vix ipsi quicquam, præter Prologum, tribuere possumus. Nam non longè à principio ipsius Chronici citatur Sabellicus, ut & Joannes Annius Viterbiensis; Et in alio Codice ejusdem Chronici, Aventini quoque fit mentio. Certum tamen est, continuationem hanc scriptam esse adhuc temporibus Ordinis Teutonici post medium Sec. XV. Est adhuc Chronicon illud in multorum manibus.

PETRUS de DUSBURG igitur primus est, de cujus ætate dubitare non possumus? Scripsit enim hic Chronicon Prussiæ sub initium Sec. XIV. ut ex Dedicatione manifestum est: Fuit autem frater & Sacerdos non Livonensium Equitum, ut vult Albertus Wijuk Kojalovicz *Part. 1. Hist. Lith. lib. 1. pag. 35.* sed Ordinis Teutonici in Prussia, teste Nicol. Jeroschino *in Præfat.* Conf. & Dedicatio Dusburgi. Utrum fuerit patriâ Dusburgensis, an verò hoc ipsius fuerit cognomen, dubitari posset, licet prius sit verisimilius, utpote quod multis aliorum Exemplis probari potest. Ex ea quoque ratione Auctorem hunc in Animadversionibus nostris sæpius appellamus Dusburgensem.

NICOLAUS JEROSCHINUS Chronicon Patri de Dusburg in Germanicos Versus transfudit, Dieterico ab Aldenburg Prussis imperante, circa Annum 1340. quamvis & antea tempore Luderi Ducis Brunsvicensis Magistri Generalis simile quid tentaverit. Testatur hoc ipse Jeroschinus *in Præfatione sui Chronici*, ubi etiam se appellat Ordinis Teutonici Cappellanum; Convertit Dusburgii Chronicon satis fideliter in lingvam Germanicam, tamen hinc indè quæ-

dam addit, ut in Notis ipsis ad Dusburgium annotabimus. Habetur Chronicon Jeroschini in Bibliothecâ Electorali Regiomontanâ in Codice membranaceo eleganter descriptum.

Habetur etiam in Bibliothecâ Regiomontanâ Electorali antiqvum Chronicon ANONYMI CUJUSDAM lingvâ Germanicâ scriptum, in Codice Chartaceo in formâ, ut vocant, quartâ. Hoc ex Dusburgii Chronico ferè ad Verbum conversum est, quibusdam tamen hinc indè omissis; Synchronismis etiam Dusburgii in contextum, non semper tamen suo loco, insertis. Addita est Continuatio usque in annum 1422. quo Paulus à Rusdorff in Magistrum Generalem electus est; sed Continuatio illa brevior est. Ex quo colligere licet, Auctorem hujus Chronici tempore Pauli de Rusdorff vixisse. Laudamus illud Chronicon non rarò in Animadversionibus nostris ad Dusburgium.

WIGANDUS de MARPURG Frater Ordinis Teutonici Jeroschinum imitatus, continuavit Dusburgium Germanicis Versibus usque in Annum 1394. teste Casp. Schuzio in Indice Scriptorum Prussicorum.

MAGISTER ALEXIUS à NISIWIZ Sacerdos Thorunienſis Chronicon suum sic inscripsit: *Liber Antiquitatum Vitæ & Mortis Gentis Brutenorum aut Brudenorum jam Prussorum cum insertione novarum Provinciarum.* Incipit Historiam suam ab Anno 1326. in quo Dusburgius Chronicon suum terminaverat, pertexitque eandem usque in tempora Vinrici à Kniprode. Occisus est Alexius ille à quodam Aulico, eò quod Magistros magis curare crumenas Prussorum quam fidem & conversionem scripserat, ut autor est Simon Grunovius *in Præfat. Chron. Prussiæ.*

JOHANNES **Lindenblat** Officialis Risenburgensis, contexuit Historiam à Magistro Vinrico usque ad Magistrum Conradum ab **Erlichshausen.** Initium ejus Historiæ est. **Allhie fähet sich an die Beschreibung des langen Jammers/der von Preussen.** *vid.* Simon. Grunov. *loc. cit.*

JOANNES **Lindow** Secretarius Dantiscanus, descripsit Bellum Polonicum 13. annos suo tempore gestum, teste Schuzio *loc. cit.* & Reinoldo Curicken *libr. 2. Descriptionis Urb. Dantisc. cap. 18.*

HEN-

HENRICUS CAPER scripsit Historiam sui temporis, obiit Anno Dn. 1457. ætatis v. An. 91. Schuz. *loc. cit.*

CHRONICON MONACHORUM ELBINGENSIUM fabulis repletum commemorat etiam Schuz. *loc. cit.*

CHRONICON SUCCINCTUM Latino Idiomate scriptum, Anonymi cujusdam habetur Regiomonti in Volumine quodam Bibliothecæ Palæopolitanæ, subjunctumque est actis Belli Polonici tempore Alberti Marchionis Brandenburgici Magistri Prussiæ gesti. Auctor hujus Chronici vixit Joanne à Tieffen, aut Friderico Sax. Duce, Prussiam administrante; produxit quippè Historiam suam tantùm, usque ad Martinum Truchsessium, de quo sequentia tantùm habet. *Martinus Truchsessius hujus S. Religionis Magister 31. Vir ad omnia in humanis agenda paratissimus de quo fertur: In domibus Monachus in campis Leo fuit. Hic Polonis infestus fuit.* Hæc ibi. Deindè subjunguntur (an ab eodem Auctore non liquet) tria Epitaphia in obitum Truchsessii, nempè à Joanne Pedemontano, Christophoro Fingen, & Hieronymo Tridentino scripta. Fuit autem hic Auctor Ordini Teutonico addictissimus. Hinc in Civitates Ordinesque Prussiæ ut & in Reges Poloniæ non rarò immane quantum, debachatur: fœdus, quod Ordines Prussiæ inter se contra Ordinem Teutonicum pepigerunt, audit ipsi: *Maledicta congeries omnium traditionum, quam quidem Civitates Prussiæ inceperunt in Nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, terminaverunt autem in Nomine singulorum Dæmoniorum.* Casimirum quoque Regem Poloniæ ore sacrilego appellat: *maledictum ac impiissimum Regem.* item, *Infidelissimum Regem.* In Henrico à Richtenberg habet quædam de duobus Episcopis Varmiensibus, Nicolao à Tungen & Luca Wattelrad. Cum verò in horum posteriorem omne Virus suum evomuisset, addit: *Hic in Curia lites habuit, Causa adhuc in dubio pendet. Vellet DEUS ut hic Carneus Diabolus, quod indies à DEO postulamus, è medio sublatus esset, ne, si diutius viveret, plura mala adinveniret.* Ex quibus etiam cognoscimus Chronicon hoc scriptum esse ante obitum dicti Episcopi, qui Ann. 1512. veneno è medio sublatus est.

ERASMUS STELLA Libanothanus, Vir eruditus, conscripsit libros duos Antiquitatum Borussiæ, eosq; nuncupavit Friderico Saxoni Magistro Ordin. Teutonici Generali. Habentur illi in corpo-

SIMON GRUNOVIUS Tolkemitanus Monachus Ord. Prædicatorum, (ut se ipsum appellat in Dedicatione Operis sui) scripsit Germanico Idiomate Chronicon Prussiæ viginti duobus, ut vocat, Tractatibus comprehensum. Priores novem Tractatus perlegi in Exemplari Amplissimi Domini Michaëlis Kirstenii, Consulis Brunsbergensis, qui Grunovium totum ab avo suo Thoma Kirstenio descriptum & ad se jure hæreditario devolutum, diligenter asservat. Reliquos Tractatus inveni in Cod. M. S. Per-Illustris & Generosissimi Domini Joannis Ernesti à Wallenrod, Supremi Prussiæ Ducalis Aulæ Magistri. In primo Tractatu tradit Grunovius descriptionem Prussiæ Geographicam. In secundo agit de migratione Gothorum in Prussiam ex Scandia. In tertio de Religione Prussorum Veterum. In quarto de Bellis Veterum Prussorum. In quinto de Origine Ordinis Teutonici in Palæstinâ. In sexto de ingressu Ordinis in Prussiam, per quem Prussiam Pontifici acquisitam esse scribit. In octavo de causis, cur Prussi sexies à Fide Christiana & simul ab Ordine Teutonico defecerint. In nono libro agit de Episcopatibus, templis & Monasteriis in Prussia. In decimo de Schlavoniorum defectione. In undecimo de statu Prussiæ sub Magistris Ordinis Teutonici. In duodecimo de Causis bellorum cum Polonis gestorum. In tertio decimo de Prussia, cum esset in flore suo. In decimo quarto de Tyrannide Fratrum Ordinis contra Polonos. In decimo quinto de pugnâ Tannebergensi. In decimo sexto de discordia Fratrum & terrarum Prussiæ. In decimo septimo de Prussorum ad Polonos transitu. In duodevigesimo de bello duodecennali & pace Polonica. In undevigesimo de Friderico Marchione Misniæ & Magistro Ordinis. In vigesimo de bello Alberti Marchionis Brandenburgici contra Polonos. In vigesimo primo de bello quod ducebatur à Magistris **der Franckẽ Krieg** sive **Reuter Krieg.** In vigesimo secundo de Reformatione per Lutherum facta, quam Causam esse dicit, cur Prussia indies magis magisque decrescat. Dedicavit Grunovius Historiam hanc suam Sigismundo I. Regi Poloniæ, Episcopis Palatinis & incolis Prussiæ. Laudat hoc opus maximoperè Thomas Clagius Jesuita *lib. 2. de Virgine Lindensi cap. 2. p. 170.* ubi Grunovius ab ipso dicitur; *Pruthenâ primus in Historiâ*, & *lib. 1. cap. 7. pag. 36. Inter rerum Prussicarum scriptores facilè Princeps.* Et certè

certè Grunovius suâ non potest privari laude, ut vel ex Notis nostris in Dusburgium apparebit, accuratè siquidem Veterum Prussorum Idololatriam (licet in eâ materiâ plurima mihi sint suspecta) describit, Episcopatus etiam Prussicos uberius ac fusius persequitur. Successiones deniq; Magistrorum diligentius observat, quamvis in annis ipsis assignandis non rarò erret, quos tamen errores ipse deprecatur, rogatque Lectorem, ne tam sibi quam corruptis Codicibus, quibus usus est, eos adscribat.

PAULUS POL Diaconus Regiomontanus in Veteri urbe collegit Chronicon suum ex variis auctoribus An. 1532. ut ipse testatur *in Præfat. Chron. M. S.* quod habetur in Curia Veteris Urbis Regiomontanæ,

THOMAS TRETERUS Vitas Episcoporum Varmiensium, quas Joannes Crezmerus Ecclesiæ Varmiensis Decanus Linguâ Germanicâ ex Annalibus Tabularii Heilsbergensis collegerat, convertit in Latinam Lingvam, ut ipse de se testatur *in Prologo hujus libri.* Obiit Thomas Treterus An. 1610.

JOANNES PLASTING scripsit itidem vitas Episcoporum Varmiensium, ex quibus Excerpta tantum quædam apud Amicum vidi. Est & penes me libellus M. S. nescio cujus auctoris de Episcopatu Varmiensi, in quo plurima reperiuntur Pontificum Romanorum Diplomata, aliaque notatu digna.

M. CASPAR SCHUZ, (qui An. 1561. electus est Secretarius Gedanensis, teste Reinholdo Curiken *in Descript. Urb. Gedanens. lib. II. cap. 18.*) scripsit Chronicon Prussiæ undecim libris comprehensum, quorum tantum decem lucem viderunt, undecimus adhuc latet M. S. De hujus operis præstantiâ multa dici possent; sed Vino vendibili non opus est hederâ.

CASPARUS HENNEBERGERUS edidit An. 1584. libellum de Prussia Veteri, item de Divisione Prussiæ, & brevem Magistrorum enumerationem in formâ, ut vocant, quartâ. Deindè utilissimam impendit operam Tabulæ Prussiæ Geographicæ concinnandæ. Tandem etiam An. 1595. conscripsit copiosa ad tab. Pruss. Geographicam Commentaria; Opus certè quantivis pretii, quod tamen multò pluris æstimari potuisset, nisi tot anilibus Historiolis esset desœdatum.

THOMAS WAISSELIUS Bartensteinensis, Pastor Langheimensis, scripsit An. 1599. Chronicon Prussiæ, Livoniæ & Curlandiæ, deduxitq; illud usque in annum 1525. quo Albertus Marchio Brandeburg. positis Ordin. Teuton. insignibus habitu & nomine factus est Dux Prussiæ. Exscripsit autem Waisselius suum Chronicon ex Chronico Ordinis totidem ferè Verbis, insertis tantum hinc indè quibusdam aliis, subjunctâque Continuatione. Satius verò facturus dubio procul fuisset, si Chronicon illud Ordinis Notis illustratum & ad sua usque tempora continuatum publici Juris fecisset.

M. GEORGIUS RANIS scripsit Chronicon Prussiæ succinctum, quod tamen sine nomine Auctoris editum est Elbingæ, teste Hennebergero *in lib. de Vet. Pruß. fol. 1. b.* Forsan autem hoc ipsum est Chronicon, quod edidit Wolffgangus Dietmarus Typographus Elbingensis An. 1564.

JOANNES DAUBMANNUS Typographus Regiomontanus edidit quoque Chronicon Prussiæ succinctum Germanico sermone concinnatum. Impressum hoc est An. 1566. Regiomonti in formâ, ut vocant, quartâ.

M. DIONYSIUS RUNOW Dirsavienſis Prussus, descrisit bellum Prussicum ab An. 1454. usque ad An. 1466. gestum. Adjecit & Descriptionem belli biennalis inter Sigismundum I. Regem Poloniæ & Albertum Magistrum. Impressus est liber Wittebergæ An. 1282.

MARTINUS MURINIUS Chronicon quoddam Germanicum superiori seculo in Lingvam Polonicam transfudit, publiciquè juris fecit. Cumquè hujus libri Exemplaria essent distracta, adornavit alteram editionem Simon Kempinius Typographus Cracovienſis, quam Thorunienſibus, quibus & prior editio fuerat dedicata, An. 1606. nuncupavit.

JOANNES MELETIUS Archipresbyter Lyccensis, licet Historiam Prussicam non scripserit, ejus tamen Epistola ad Georgium Sabinum, primum Academiæ Regiomontanæ Rectorem, Prussorum Veterum Idololatriam nobis eleganter exponit. Extant ejus satis multæ Editiones. Primam ipse Auctor edidit anno 1551. Regiomonti. Deindè vero anno 1563. eandem revisam recudi curavit.

præter

Præter hactenus enumeratos dantur adhuc ex superiore seculo alia plurima Chronica MSS. Ut enim *GEORGIUM MELMANNUM*, *M. PETRUM* Himmelreich / *BARTHOLOMÆUM WARZMANNUM*, *STANISLAUM BURBACHIUM*, *AMBROSIUM LOBWASSERUM*, aliosque, quos Caspar Schuz & Caspar Henneberger in principio Chronicorum suorum enumerant, præteream, quosdam tantum, quorum illi nullam faciunt mentionem, commemorabo:

Asservatur Regiomonti in Curia Palæopolitana Chronicon satis accuratum *JOANNIS FREIBERGII*, quod multa continet superiori seculo cumprimis Regiomonti gesta. Habet etiam Magnificus atque Generosus Dominus Gabriel Krumhausen / Præconsul Gedanensis duo Chronica MSS. quorum alterum *ABRAHAMUS FROTH*, Ludimagister Lesevicensis anno 1558. alterum *GEORGIUS PIDEMAN* anno 1586. congessêre. Est etiam Thorunii penes Magnificum Dominum Danielem Wachschlagerum, Cos. Thorun. meritissimum, Chronicon Germ. MS. quod etiam evolvisse me non pœnitet.

Seculo XVII. qui rebus prussicis conscribendis manum admoverunt sunt ferè sequentes.

JOANNES LEO, Canonicus Gutstadiensis conscripsit Chronicon Prusiæ Latino Idiomate initio hujus seculi; perduxit autem illud usquè ad sua tempora. Asservatur adhuc MS. Gutstadii, mihi tamen illud videre non contigit.

ANONYMUS QUIDAM scripsit anno 1657. Historiam Prussicam Belgicè imprimendamq; eam curavit Harlemi dicto anno. Tametsi verò auctor ejus profitetur, se Historiam suam ex multis Scriptoribus collegisse, nihil tamen hîc præstitit aliud, nisi quod ad Verbum ferè tres libellos Hennebergeri de Veteri Prusia in Lingvam Belgicam convertit, adjectâ brevissimâ Rerum Prusicarum Continuatione.

COELESTINUS MISLENTA, S.S. Theol. Doctor, ejusdemque in Academiâ Regiomontanâ P. P. egit de Religione Prussorum in Prolegomenis ad Manuale Pruthenicum.

THOMAS CLAGIUS Jesuita in libro de Virgine Lindensi, sive in Linda Mariana, multa habet ad Religionem Prussorum facientia.

REINOLDUS CURIKE, Secretarius Urbis Gedanensis. Descriptionem urbis Dantiscanæ Lingvâ Germanicâ quatuor libris complexus est. An. 1645. quæ tamen typis nondum est impressa: In primo libro tradit Topographicam urbis Gedanensis delineationem agitque de ipsius urbis Origine. In secundo libro habet formam Regiminis. In tertio enarrat bella Prussica, maximè verò Gedanensia. In quarto libro agit de Religione ejusque in urbe Gedanensi mutatione. Obiit auctor ille anno 1667.

* * *

EX *Polonicis Scriptoribus, qui res Prussicas attigerunt, præcipui sunt:*

VINCENTIUS KADLUBKO de KARWOW, Episcopus Cracovienſis, Sec. XII. jussu Casimi Justi Chronicon Poloniæ stylo rudiori Latino conscripsit. Editum est hoc Chronicum in lucem, Anno 1612. Dobromili.

JOHANNES DLUGOSSUS, Canonicus Cracovienſis, Seculo XV. condidit Annales Polonicos, quorum Tomus I. editus est Dobromili Anno 1615. Reliqui Libri MSS. reperiuntur adhuc Gedani in Monasterio Dominicanorum.

MATHIAS â MICHOVIA sive *MIECHOVIUS*, Astrologiæ & Medicinæ Doctor, Canonicus Cracovienſis, scripsit Chronica Poloniæ Latino, sed rudiori, sermone. Prodiit opus illud post obitum Auctoris, teste Strykovio *lib. 2. Hist. Lithv. cap. V. fol. 41. & seqq.* Vixit Miechovius tempore Sigismundi I. Regis Poloniæ circa an. 1520. ut patet ex ipsius Matthiæ Miechovii *lib. III. Chron. cap. 35.*

MARTINUS CROMERUS, Episcopus Varmienſis, Vir magnæ eruditionis, cujus rei historia Polonica testis esse potest.

MATTHIAS STRYKOWSKI OSSOSTEVICIUS, Canonicus Samogitiæ, qui magnam partem Europæ, Africæ, & Asiæ peragravit, fuit etiam rerum Prussicarum peritissimus, ut Chron. ipsius Lithvaniæ Polonico idiomate scriptum satis superque testatur. Prodiit hoc Chronicon Strykovii anno 1582. Regiomonti, typis

Georgii

Georgii Osterbergii impressum. Idem Strykovius etiam sibi vendicat libros de Sarmatia Europæa, qui sub nomine Alexandri Gvagvini prodierunt. Habet hoc in margine ad vitam suam carmine Polonico descriptam, Historiæque Lithvanicæ præmissam, ubi dicit: *Italum illum ne legere quidem sciviſſe.* Deinde *in Præfat.* post quam Polonico sermone dixisset, se Vitepsciæ sub Italo quodam (hic est ipse Gvagvinus) tempore Henrici Regis stipendia merentem horis succisivis Descriptionem Sarmatiæ Europeæ descripsisse Italumque illum sibi eam supposuisse, addit Latinè: *Etiamsi (DEUM optimum Max. appello) ne primis quidem Heliconis fontibus labra admoverit.* Jubet etiam quemvis, hoc experiri volentem, ejus rei periculum facere, Italumque illum interrogare, de Origine hujus vel illius gentis in Sarmatia Europæa descriptæ, vel etiam de gestis alicujus Principis, de situ Provinciarum locisque ibidem descriptis. Et *lib. VI. Hist. Lith. cap. 13.* de Sarmatia illa Europæa verba faciens: Hæc Latina (dubio procul ut ab exteris etiam intelligi possent) intermiscet: *Abortivum in immatura edenda prole passa est; Illius enim nostri laboris cujus testem DEUM Opt. Max. contra conscientiam meam appello fructu per quendam Italum & eundem peditum in Vitepsia præfectum frustratus sum, qui quamvis ipse ne primis quidem Musarum fontibus labra admoverit, & prorsus literarum expers fuerit, præfati libri Exemplar, ut populari satiaretur aurâ sub nomine suo quibusdam Verbis & sententiis (ut ipsius inventio inde appareat) facilè immutatis, imprimendum dedit, Etsic nos non nobis &c.* Appellat ibidem Testem sui laboris Illustrissimum Dominum Stannislaum, Patium Palatinum Vitepscensem, aliamque Nobilitatem. Et certè Strykovii hoc esse opus multa persvadent. Fuit enim Strykovius lingvæ Germanicæ peritissimus. Usus etiam est quatuor Chronicis Livonicis & tribus Prussicis, ut & Dusburgio, aliis etiam duodecim Lithvanicis, ut initio operis sui testatur; quibus certè adjumentis destitutus fuit Gvagvinus, adeò ut [me fugiat, unde ille tantam rerum Prussicarum sibi comparare potuerit cognitionem. Alios Scriptores, qui res Prussicas illustrarunt passim L. B. in Opusculo hoc nostro reperies.

DISSERTATIO II.

De Antiquis Prussiæ Populis.

(1.) *Nomen Prussiæ Sec. X. natum. Variis modis corruptum.* (2.) *Prussia habitata est jam sub initium Monarchiæ Persicæ. Succinum sive Electrum. Fabula de Phaëtonte. Heliades. Electrides Insulæ. Eridanus sive Padus. Fundamentum fabulæ de Phaëtonte. Herodotus de Eridano. Diodorus Siculus de Electro. Basilia sive Baltia Insula. Galli sive Galatæ sunt Celtæ. Antiqui etiam terram continentem vocarunt Insulam. An Basilia possit esse Prussia.* (3.) *Eridanus & Electrides an in Septentrione. Eridanus an idem qui Raduna. Cluverus defenditur. Goropius Becanus de Eridano. Quæ maris Baltici antiquitùs fuerint litora. Neria recens quando detecta. Insulæ in Mari Baltico ad Prussiam. Meniko de Querfurt Vistulam & Nogadum aggeribus munit. Motlavia fortasse idem olim qui Raduna. Prussia Veteribus cognita.* (4.) *Mathematici tempore Augusti Prussiam perlustrasse dicuntur. Refutatur hoc ipsum. Prussiæ nomina Gelida, Sargaga, Vatinia, ficta sunt. Masos an Princeps fuerit Prussorum. Masovii secundum quosdam à Masone sive Maslao, secundum alios à Massagetis.* (5.) *Svevi non fuerunt primi Prussiæ incolæ. Neq; Æstii. Besselius notatur. Æstii non fuerunt Svevi.* (6.) *Venedæ sive Venedi primi Prussiæ incolæ. Habitarunt ad mare Balticum, Sinus Venedicus. Wenden, Windau, Vschewende à Vinnone Magistro Ensifercrum. Veneti & Venedi vicinæ voces fabulis occasionem præbent. Gothi quando Prussiam ingressi.* (7.) *Galindi, Sudini, Stavani Prussiæ incolæ. Sarmatarum nomen generale, quorum populi multi. Sudinorum antiquæ sedes.* (8.) *Gothi seu Gythones Prussiam habitarunt. Jornandes notatur. Ulmerugia non est Culmensis Provincia. Prussi Getæ appellantur.* (9.) *Æstii Prussiæ incolæ dicuntur iidem Itemesti, Æstri, Hæsti, Aisti.* (10.) *Æstii iidem qui Gothi. Ostiones, Istavones, Osterlingi, Austri. Quæ sit Glessaria sive Austrania.* (11.) *Quas partes Prussiæ Gothi tenuerint. Progressi etiam in Livoniam. Æstuarium Mentonomon.* (12.) *Ælveones, Hel-*

Helvecones non fuerunt Prussiæ incolæ. Ælvæopolis, Augusta Ælveonum. Ælveones an sint Silesii, an sint Bornholmenses. An Hela nomen Helveconum servet. (13.) *Heruli in Prussia. Non fuerunt diversi à Sudinis & Galindis.* (14.) *Scyri & Hirri in Prussia. Vidioarii sive Viridarii Soladimistæ & Pollexiani.* (15.) *Undecim Provinciæ Prussicæ num à Widewuti filiis habeant nomina, Territoria in singulis terris non pauca fuerunt antiquitus.*

I. Nomen Prussiæ Veteribus incognitum circa Seculum à reparata Salute decimum natum esse videtur. Primus enim qui ejus mentionem facit, est Anonymus Vitæ S. Adalberti, Prussorum Apostoli, Scriptor, ut ex Vitâ illâ manifestum fit, ipsus Adalberti æqualis. Ibi namque inter alia & hæc habentur: *Erat autem istis diebus Romæ Imperatrix Theosphania, mater ejus, qui nunc regnat, tertius & DEO juvante maximus Otto.* Ex quibus liquet, & S. Adalbertum & hunc Scriptorem vergente ad finem Seculo decimo vixisse. Tribuitur quidem hæc Vita â nonnullis Cosmæ Pragensi Episcopo; sed perperam. Ex allegatis enim verbis intelleximus, Auctorem ejus Ottone III. imperante vixisse, cum Cosmas Pragensis Sec. XI. sub Henrico IV. Imperatore floruerit, ut ipse de se Cosmas testatur *lib. 2. Hist. Bohem. ad an. 1086. pag. 42.* Reperitur eadem apud Canisium *Tom. V. Antiq. Lect.* Adjecta quoque est Historiæ Bohemicæ Cosmæ Pragensis separatim editæ Francofurti. Habet Deindè Prussiæ nomen & alius Vitæ S. Adalberti Scriptor Anonymus, quem vide apud Laurentium Surium *Tom. 2. ad d. 23. April.* Vixit & ille Seculo X. à Chr. Nat. ut Vitam illam inspicienti palam fit. Hos seqvuntur alii magno numero Historici, in quibus Dithmarus Mersburgensis, qui initio Sec. XI. sub Henrico II. Imp. floruit. Hic Dithmarus: *In duodecimo*, inquit, *conversionis ac inclytæ conversationis suæ anno ad PRUSSIAM pergens, steriles hoc agros semine divino studuit fœcundare.* Hæc ille *lib. 6. Chron. circa finem.* Reperitur insuper Prussiæ nomen apud Adamum Bremensem, qui exeunte Sec. XI. vixit, *in lib. de Situ Daniæ & reliquorum Septentrionalium Regnorum pag. 147.* Post hos habet nomen Prussiæ & Helmoldus Sec. XII. Scriptor. *lib. 1. Chron. Slavor. cap. 1.* Ex his jam evidens est, quid statuendum sit de Philippi Cluveri

veri Dantiscani Viri cæteroqui doctissimi sententia, qui *primum, quorum Scripta extant*, hujus nominis meminisse autumat *Helmoldum, apud quem, ut & apud M. Adamum Bremensem sunt Pruzzi, ex patriâ Lubecensium, Hamburgensium & Bremensium dialecto, quâ dicuntur vulgò Prüzzen.* ut ait *lib. 3. Antiq. Germ. cap. 4.* Posteriorum seculorum Scriptores hoc nomen fœdè corruperunt. Adamum quidem, Bremensem & Helmoldum excusare potest Dialectus Lubecensium, de quâ Cluverum audivimus loquentem. Sic enim in vetustis Ordinis Teutonici monumentis occurrunt frequentissimè Wazzer/ezzen/heizen/etc. pro Wasser/essen/heissen. Adde quod etiam in nummis Ord. Teuton. hæc terra non vocatur Prussia, sed Prucia, ut suo loco videbimus. At verò Sigebertum Gemblacensem nihil, præter locorum ignorantiam, excusat, quando Prussos appellat *BRUTIOS. ad An. 977. num. 6. pag. 587.* & alibi *BRUCHIOS. ad An. 1015. num. 13. pag. 592.* Longius aberrat Marianus Scotus, qui, nescio quid, de urbe quadam, *APRUTIS* dicta somniat, ubi S. Adalbertum pro CHRISTO sangvinem fudisse, refert *ad An. 995. num. 12. pag. 449.* Condonandum tamen hoc erit dictis Auctoribus, cum facilis hic fuerit, circa terram longè remotam & necdum armis Germanorum tentatam, error. Quod enim nonnemo non ita pridem asseruit, Prussiam ab Ottone III. Imperatore domitam atq; Romano Imperio subjectam esse, id facilè potest explodi, cum antiquorum Historicorum testimoniis probari nullo modo queat. Helmoldus, quem in partes suas trahit, nihil horum habet, ut Helmoldum inspicienti manifestum est. Etsi verò Seculo demum X. à Christo nato nomen hoc Prussiæ Germanis innotuit, vel fortasse etiam circa illa demum tempora natum est; nos tamen per περίληψιν sub eo comprehendemus etiam illas gentes, quæ antiquissimis temporibus hic locorum habitasse dicuntur.

II. Apud antiquos Historicos obscura quidem sunt Prussicarum gentium vestigia, non tamen prorsus nulla. Causam antiquis Scriptoribus has oras investigandi præbuit Succinum, quod in his oris antiquissimis etiam temporibus collectum, per orbem distrahi solebat. Jam antè tempora Herodoti Halicarnassæi antiquissimi Historicorum (utpote qui durante Monarchia Persica tempore Artaxerxis Longimani Olympiade 84. vixit) finxerant Poëtæ, Phaëtontis fulmine

fulmine ictæ sorores, Heliades dictas, fletu in arbores populos mutatas, quotannis lacrymas fundere juxta Padum, qui tunc Eridanus vocabatur: E concretione verò lacrymarum illarum gigni Electrum, ipsasque insulas, in quibus Electrum gignitur, vocari Electridas. Auctor hujus fabulæ putatur esse Æschylus, quem seqvuntur Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus, alii. *Vid.* Plinius *lib. 37. Nat. Hist. cap. 2. in calce.* Videbant quidem procedente tempore viri prudentes, esse hæc Poëtarum somnia; animadvertebant tamen simul, aliquid veri sub his fabularum involucris contineri, cum & in aliis fabulis comminiscendis Poëtæ plerumque habuerint aliquod in Historia fundamentum. Prius illud cognoscimus ex illis Historicis, qui apertè negant generationem Electri in oris Italicis circa Padum amnem; negant item, ibidem reperiri Insulas, quæ vocentur Electrides. Plinius ubi fabulam illam recensuit, addit: *Quod esse falsum, Italiæ testimonio patet. Diligentiores eorum Electridas Insulas in mari Adriatico esse dixerunt, ad quas dilaberetur Padus. Qua appellatione nullas unquam ibi fuisse certum est. Nec verò ullas ibi appositas esse, in quas quicquam cursu Padi devehi possit.* Hæc ille. Refutat quoq; eam ipsam fabulam Diod. Siculus *l. 5. Biblioth. ante med. p. 302. Edit. Hanov. Græco-Lat.* Heraclitus etiam hoc ipsum inter Incredibilia retulit. *n 22. & 36.* Suspicatos autem antiquos his fabulis aliquid subesse veri, itidem probatu haut difficile est. *Affertur à Germanis,* inq. Plinius, *in Pannoniam maximè provinciam. Indè Veneti primùm, quos Græci Henetos vocant, rei famam fecêre, proximi Pannoniæ, id accipientes circa mare Adriaticum. Pado verò annexa fabulæ videtur causa, hodièq; Transpadanarum agrestibus fœminis monilium vice, succina gestantibus, maximè decoris gratia.* Et hoc est fundamentum Historicum, cur in Italia circa Padum generari succinum finxerint Poëtæ. Non substiterunt autem hic antiqui Scriptores, sed inquisiverunt ulterius, utrum aliis in locis reperiatur Eridanus ille, ut & Electrides, in quibus succinum generetur? Jam verò temporibus Herodoti fama percrebuerat, in Septentrionalibus oris esse Eridanum illum Electriferum, de quo sic Herodotus: *De extremitatibus Europæ, quod pro comperto referam non habeo. Neque enim assentior fluvium quendam esse Eridanum à Barbaris vocitatum, qui subit mare ad Septentrionem spectans, unde Electrum venire narratur. Nam vel ipsum coarguit nomen Eridanus, quod Græcum est non*

barbarum ab aliquo Poëtarum fictum. Sed etsi hoc studiosè quæsivi, à nemine, qui ipse viderit, accipere potui, quomodo se habeat mare ad illam Europæ partem. Ab extrema itaq; ad nos venit stannum Electrumque. Hæc Herodotus *lib. 3. qui inscribitur Thalia multùm post medium, p. 234.* Alii post Herodotum Scriptores paulò dilucidius hanc rem proponunt, tametsi Eridani & Electridum non meminerint: *E regione Scythiæ*, inquit Diodorus Siculus, *supra Galliam in Oceano Insula jacet, quam Basileam vocitant: in hâc succinum largè à fluctibus exspuitur, aliàs nusquam in orbe terrarum reperitur.* Et cum fabulam de Phaëtonte in Eridanum sive Padum delapso in medium protulisset, subjicit: *At cum omnes hanc fabulam commenti à vero aberrarint, aliudq; posterioribus Seculis eventus demonstrarit, veris potius historiis fides habenda est. Succinum enim in Insula (cujus jam est facta mentio) colligitur, & ab incolis in adversam trajicitur continentem, per quam porrò in hæc usq; loca transfertur.* Hæc Diodorus loco citato. Apud utrumque modò allegatorum auctorum Prussiam nostram designari existimamus, licet quædam nobis obstare videantur. Primum, namque Diodorus Siculus terram illam succiniferam supra Galliam collocat, deinque Insulam illam vocat, & denique tertiò *BASILIÆ* (quam alii quoque *BALTIAM* appellant) nomen ipsi imponit, quæ Prussiæ nostræ convenire non videntur. Verùm & hos scopulos facilè evitabimus. Certum quippè est primò Diodorum Siculum etiam Germanos cis Rhenum habitantes appellare Γαλατὰς (i. e. Gallos, ut vertunt Interpretes) cum eo tempore, quo Diodorus vixit, nomen Germaniæ nondum innotuerit. Cluverus noster existimat pro voce Γαλατῶν apud Diodorum legendum esse Κελτῶν, i. e. Celtarum, sub quibus non Galli tantum, sed & Germani tum comprehendebantur. Cum igitur Germani iis temporibus omnes Provincias inter Rhenum & Vistulam jacentes tenuerint Prussia quoque tunc supra Galliam sive Celticam ad septentrionem jacebat. Insulam verò eam esse crediderunt Veteres, regionum harum non satis gnari. Sic etiam Adamus Bremensis in mari Baltico tres Insulas Slavis conterminas esse dicit, primam Fimbriam, secundam Rugiam, & tertiam Sembiam, i. e. Samlandiam Prussiæ Provinciam, *lib. de Situ Daniæ num. 76. pag. 146. seq.* Basiliæ quoque nomen Prussiæ convenire videtur. Tametsi enim Hugo Grotius *in Prolegomenis ad Histor.*

Longo-

Longobard. aliique ipsum secuti per Basiliam, cujus etiam Pytheas meminit, intelligi volunt Scanziam sive Scandinaviam, i. e. hodiernam Suediam & Norwegiam; allegata tamen Diodori Siculi verba satis indicant Prussiam hic esse intelligendam, cùm extra illam Insulam succinum nusquam reperiri statuat, quod certè de Scanzia sive Svedia dici non potest. Plinius licet primâ fronte Grotio favere videatur, non favet tamen, si accuratiùs ipsius verba expendantur. Postquam enim de Basilia ex mente Pytheæ quædam attulerat, subjicit deindè Scandinaviam, ut à Basilia diversam *lib. 4. Hist. Nat. c. 13. pag. 61.* Sed licet largiremur, per Basiliam non nisi Scandinaviam intelligi, quod etiam clariùs indicat Julius Solinus, quando ex mente Xenophontis Lamphaceni à litore Scytharum in Insulam Balthiam (si tamen Basilia eadem est quæ Baltia) triduo navigari ejusque magnitudinem immensam & penè similem continenti statuit *in Polyhist. cap. 22.* Nihilo tamen minus illud sequitur, habitasse in Prussia tempore Diodori Siculi populos, qui succinum colligebant. Sed & ante tempora Herodoti hic habitasse gentes succinum colligentes, non minus est manifestum. Etsi enim Herodotus fidem nullam habet commento Poëtarum de Eridano amni, succinum tamen ab extremis oris, de quibus ibidem agit (nimirum Septentrionalibus) venire satis apertis testatur verbis.

III. Sunt etiam inter recentiores Geographos, qui Eridanum & Insulas Electrides in ipsâ Prussiâ quærunt, adeòque Poëtas non prorsus hic vanos fuisse autumant. Et fortasse jam olim Herodotus ipse famæ tunc pervulgatæ assensum præbuisset, nisi nomen Eridani non Barbarum, sed Græcum dubium ipsum tenuisset. Cogitare tamen facilè poterat, fortasse hoc nomen amni illi primùm à Græcis mercatoribus eò succini causa peregrinantibus fuisse impositum. Neque hoc novum est, Provincias nomina ab exteris accipere, quæ etiam aliquando in usu conservantur. Exempla hic, cum nota sint, cumulare non attinet. Itaque si à Græcis hoc nomen originem traxit, dici posset Græcos id nominis amni dedisse, quoniam mercatores certatim eodem confluebant, & non rarò inter se de succino concertabant. Nam ἐριδαίνω seu ἐριδμαίνω idem est quod certo, litigo. Vel etiam cogitare Herodotus potuisset, nomen illud amnis à Græcis Mercatoribus fuisse corruptum, cum in idiomate Prussorum

rum aliud sonaret. Sed quemnam Prussiæ fluvium dicemus esse Eridanum illum? Goropius Becanus per Eridanum intelligit Vistulam, eoque nomine multùm sibi Gedanum & Vistulam debere contendit, quod primus ipsis hoc retulerit ornamentum. *Vid.* Gorop. Becan. *in Venedicis pag. 994. seqq.* Cum verò Vistulæ nunquam hoc nomen fuerit antiquitùs attributum, neque hodiè exstent ejus rei vestigia, suspicatur Philippus Cluverus, Eridanum effictum esse ex nomine amnis Radunæ, qui non procul à Vistula ortus, tandem etiam in eandem Vistulam se exonerat. *Vid.* Cluver. *lib. 3. Germ. Antiqu. cap. 34. post med.* Cluverum sequitur & Joannes Micrælius *lib. 1. Chron. Pomeran. num. 4. pag. 4.* Secuti sumus & nos eam sententiam, *in Dissertatione de Originibus Prussicis An. 1674. edita.* Sed vidimus posteà non omnibus hanc sententiam probari. Non ita pridem enim nonnemo amicorum, eâ libertate, quæ in rebus adeò vetustis fatisque intricatis merito cuique relinquitur, probare conatus est, Cluverum, cui tamen plurimùm in peritia Geographica tribuit, affectibus obnoxium hæc scripsisse, ut Gedanum eâ de causâ sibi multum debere ostenderet. Tria verò statuit ipse: Primùm, *de Atriatico mari Poëtarum sententias, meras esse fabulas, easq; tales, quæ nulla fide Historicâ innitantur, secùs quam in aliis poëmatibus fieri svevit. In Adriatico enim mari neq; Insulæ Electrides, neq; arbores illæ in rupibus sunt sitæ, nec Eridanus sive Padus succina vehit. p. 14.* Deindè Eridanum Radunæ respondere negat. Tertio Electridas nullas in mari Baltico ad Prussiam reperiri contendit. *p. 17.* Verum quod ad primam attinet assertionem, illa certè per rationem subjectam minimè probatur. Possunt enim alia ex Historia reperiri fabulæ hujus fundamenta. Indicat ea Plinius in verbis superiore numero citatis. Videlicet, quoniam circa Padum agrestes fœminæ monilium vice gestabant succina, commenti sunt Poëtæ in Pado succina reperiri. Item quoniam Veneti succina emere solebant à Pannonibus, qui ea tunc à Venedis Baltici maris accolis sibi parabant: Indè Poëtæ, quod Venedis erat tribuendum, attribuerunt Venetis, maris Adriatici accolis. Posteriores duas assertiones conjunctim aliquot argumentis evertere laborat. Primùm dicit: *se sibi persvadere minimè posse, illam antiquitus faciem Prussiæ fuisse, quæ nunc est. Alluvionibus enim maris obnoxiam fuisse hanc regionem, mutationes vadorum, portûm, litorum avulsiones, quarum damna vel nunc*

destructum

destructum in Sambia S. Adalberti templum loquitur, ostendunt. Simile collium marinorum detecta juga indicant. Illam enim Frisch Nerung/ *quæ unica Insula nunc Prussiæ videtur, olim aquis immersam fuisse pluribus Historiarum, monumentis evinci posset: Sane sub undis latuisse traditur non aliter quàm nunc ad Brusteram scopulos aliquot millia passuum aquis tegi certò constat. Præter memoratam verò nullæ adversus litus maris Baltici, quod Prussiam cingit, extant Insulæ. Sambia enim & Curonica excurrens Insularum nomen fugiunt.* Verùm hæc nondum sententiam Cluveri de ponte dejicient. Nam, fuerint antiquitùs alia maris Baltici litora, undè verò probabitur, prorsus non extitisse tunc Radunam fluvium, qui Poëtis posset fabularum præbere materiam? Si probari posset illa loca omnia, quæ nunc Raduna præterlabitur fuisse fluctibus marinis obruta, largiremur ipsi id quod intendit. Non fuisse autem illa undis tecta ipse videtur adstruere, quando alibi dicit, antè Herodoti tempora succinum fuisse lectum ab Æstiis, & Gothonibus; qui tamen Gothones illa loca tum habitarunt, quæ Raduna alluit. Deindè scire ego vellem quænam sint illa plurima Historiarum monumenta, ex quibus Insulam illam, quæ Frisch Nerung/ vel etiam Danzker Nerung vocatur, sub undis latuisse evinci possit? Fortasse digitum intendit ad Historiam illam, quam habet Hennebergerus in libello *de Veteri Prussia. & in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 333.* Refert ibidem, ex nescio quo Joachimo Rosenzweig/ circa finem Seculi duodecimi à CHRISTO nato totis duodecim annis ventos aquilonares assiduè flasse, adeò ut naves omnes in Prussia computruerint, eoque tempore detectam terram illam inter mare Balticum ac lacum recentem. Alia Historiarum monumenta ego non novi. Quis verò anilibus his fabellis plus deferret, quam probabilibus Cluveri argumentis? Certè tam diuturnis aquilonaribus ventis flantibus, terra, si qua existeret, potiùs absorberetur, quàm sub undis latens detegeretur, ut situm Insulæ illius consideranti obscurum esse non potest. *Conf. ea, quæ in calce Num. XI. dicentur.* Sed licet etiam concederetur non extitisse temporibus Herodoti illam Insulam, neque hodiè aliam præter hanc existere; quibus, quæso, argumentis probari poterit, non extitisse olim alias Insulas ad Prussiam, quæ jam sub undis latent? Extitisse sane tales, indubitatum videntur argumentum suppeditare sarmenta illa vitigi-

nea, quæ ex proximis collibus marinis vi tempestatum avulsa ad litora cum succino propelluntur. Et licet ab hoc etiam præsidio depelleremur, nondum tamen manus dare victas necesse esset. Agnoscit enim ipse Auctor, antiquos Insulas appellasse, quæ ne Peninsularum quidem nomen satis sustinere videntur. Quid si ergò & hic dicamus, antiquos per Insulas illas intellexisse Sambiam, Neriam, ut vocatur, Curonensem, eamque Insulam, quam Nogadus & Vistula efficiunt? sed ne quis nobis occurrat, dicatq;, Insulam quam Vistula & Nojadus efficiunt tunc nondum extitisse, cum demum circa An. 1294. Menike de Querfurt Magister Provincialis aggeres illos fieri jusserit, eamque terram habitabilem fecerit, illi respondemus, fuisse quidem ibidem palustria loca, ut vel hodiè ἀυτόψια demonstrat; nihilo tamen minus fuisse etiam loca editiora, quæ inhabitari coliq; potuerunt, ut Hennebergerus auctor est. *lib. de Fluminibus pag. 16.* Santirium etiam arcem in ipsis Vistulæ & Nogadi confluentibus in Insula illa, ante Menekonis de Querfurt tempora fuisse conditam testatur Petrus de Dusburg. *Part. 3. Chron. Pruss. cap. 44.* Pergit jam amicus, sicque contra Cluverum disserit: *Vero etiam ne simile quidem, vocem ignobilis fluvii, id quod testatur Henneberg. in Catal. Fluviorum:* **Radaun-Fluß/ist das Danzker Mühlen-Wasser/ist ihnen auch offtmahls ausgestochen/und das Wasser benommen/etc.** *ut Historiam originis mittam. Testantur idem antiquiores Scriptorum Polonorum, quibus ex ignobilitate vel ignotus fuit, vel nominari non meruit, quem nil nisi inclytum tandem Gedanensium nobilitavit Emporium &c.* Sed neque hæc Cluveri sententiam convellere poterunt: Casparus enim Schuzius duos notat alveos capite discretos, qui uno Radunæ nomine gaudent *in Chron. fol. 2. a.* Vetus Raduna, quem Henneberg omittit, naturalem eumq; antiquissimum habet alveum, retinetque eundem, donec se in Motlaviam fluvium exoneret. Quinimò asserendum videtur Motlaviæ nomen esse recentius, amni illi ob solum impurum à Germanis demum huc commigrantibus impositum, cum antea totus ille fluvius dictus esset Raduna. Cum igitur fluvius hic aliud fortasse nomen sit adeptus, ita ut Radunæ nomen non nisi in exiguis illis duobus hæreret alveis, videlicet eô, qui hodiè vetus Raduna vocatur, & alterô, qui in usum molarum in alium locum recens est derivatus, non mirum etiam est, quod ejus

Polo-

Poloni Scriptores non meminerint. Sed fac etiam fluvium illum, adeò exiguum esse, ut à Polonicis Scriptoribus nominari non meruerit, quid inde solidi contra Cluverum deducetur? Quis enim nescit, exigua non rarò Poëtis commodam fingendi præbuisse materiam? Postremò subjicit sæpè laudatus auctor: *Tanta tunc* (videlicet Herodoti tempore) *harum terrarum notitia erat minimè, quippe alta silentii nocte sepultæ jacebant incognitæ. Ut alia omittam, quæ meris conjecturis, iisq; dubiis admodum & infirmis, Cluverum affectibus obnoxium niti arguunt.* Hæc ille. Quid autem nos ad hæc regeremus? Ipse auctor nostram causam agit, quando in eodem libro jam tempore Herodoti succinum in Prussia fuisse collectum, atque peregrinis mercatoribus divenditum asserit. Si enim hoc verum est, ut certè est verissimum, quomodo terræ hæ altâ silentii nocte sepultæ jacebant incognitæ? Asseruimus quidem & nos alibi, oras Germaniæ Septentrionales temporibus Julii Cæsaris atque Augusti Romanis fuisse incognitas, adeò ut Historici exactè cognoscere non potuerint, quæ gentes illas oras tenerent, quique ipsarum essent mores: at oræ hujus succiniferæ alia videtur esse ratio. Cum namque succinum ex iis terris in Græciam atque Italiam fuerit allatum, sine dubio curiosiores viri multâ super illis gentibus sciscitabantur, Provinciæque illius aliquam saltem sibi acquirebant cognitionem. Quoquo autem se modo res habeat, non defendimus hanc sententiam, ut veram: sed sufficit nobis ostendisse, eam esse probabilem satis, tantoque Viro, quantus fuit Cluverus, minimè indignam. Interea, grato hoc accipimus animo, quod idem Clariss. Auctor agnoscit, ex supra allegato Herodoti testimonio probari posse, non fuisse iis temporibus Prussiam desertam, sed à certa quadam gente, quæ succinum colligebat, habitatam.

IV. Verùm quænam gentes antiquissimis illis temporibus Prussiam tenuerint, inquirendum jam nobis erit. Mira hic fabulatus est Christianus primus Prussorum Episcopus sub initium Seculi XIII. à CHRISTI Nativitate. Dicit enim, XLVII. annis antè CHRISTUM Orbi donatum Mathematicos quosdam in urbe Bithyniæ Saturâ dictâ congregatos de populis Septentrionalibus disputasse. Cum verò multa de istis Populis dubia occurrerent, misisse ipsos ex suo numero, qui has regiones perlustrarent. Ex his dein unum tantum,

tum, cui nomen Diwanes, in Bithyniam revertisse, atque reliquis de Prussia nostra sequentia retulisse: Non habere videlicet regionem ad Vistulam fluvium sitam unum nomen; sed pro varietate gentium eandem subindè occupantium modò appellari SARGAGAM, modò GELIDEN, modò VATINIAM &c. nullas insuper ibidem reperiri urbes, pagos nullos, nulla ædificia; gentem ipsam esse feram; vestimentis uti ex cannâ palustri confectis; Principi suo, cui nomen Masos, tributi nomine liberorum suorum elegantissimos offerre. Hæc & alia plura ex Chronico Christiani refert Simon Grunovius *in Chron. Pruss. MS.* quem sequitur Thomas Waisselius *in Chron. Pruss. fol.* 7. Habent hoc ipsum & alia Chronica MSS. plurima. Sed mirum est ejusmodi nugas potuisse apud quenquam fidem invenire. Non immerito namque hic quæritur, unde Christianus hæc hauserit? ubi urbs illa Bithyniæ Satura? Quinam illi mathematici inter se disputantes? Illa hic non tango, quæ de Annis Octaviani Augusti ante CHRISTUM natum dicuntur. Manifestè quoque fabulam hanc prodit illud, quod de Maso Principe Prussorum memoratur. Hunc enim pincernam, Miecislai II. Regis Poloniæ (qui Sec. XI. Polonico regno præfuit) fuisse: Cum verò Regnum Polonicum in impotens Rixæ Reginæ dominium concitatum esset, in Tractu Plocensi dominationem arripuisse, atque Provinciam à suo nomine Masoviam appellasse, tradunt Scriptores Polonici. *vid.* Johann. Dlugossius. *Tom. I. Hist. Polon. lib. 3. pag. 189. seq. ad Ann. 140.* Cromer. Neugebauer. & alii. Non nescio tamen, quid Stanislaus Sarnitius de Masone & Masovia tradiderit. Videlicet statuit ille, Masoviam non à Maslao sive Masone, sed à Massagetis antiquis populis, dictam esse. *lib. 1. Annal. Polon. pag. 34.* Plura quæ ad refellendam hanc sententiam faciunt, in sequentibus commodiùs tradentur.

V. Qui nugis id genus missis veriora scrutantur, in varias etiam abeunt sententias. Sunt, qui primos Prussiæ habitatores existimant fuisse *SVEVOS*. Fundamentum sententiæ suæ collocant in illo Lucani:

Fundit ab extremo flavos aquilone Suevos.

Primus qui hoc asseruit fuisse videtur Antonius Sabellicus, quem citat & sequitur Joannes Aubanus Bohemus *lib. de Morib. Legib. & ritibus*

vitibus gentium cap. 16. Alii *ÆSTIOS* primos Prussiam habitasse tradunt, Æstios tamen Suevorum populos fuisse asserere iidem videntur. M. Fridericus Besselius, Tilsensis Prussus, amicus, dum viveret, meus dilectissimus, in doctissimis suis ad Eginhardum Animadversionibus super hâc re ita disserit: *Æstios appellat Tacitus Descript. German. cap. 45. Hæstos Jordanus sive Jornandes Episcopus Ravennas de reb. Get. pag. 103. Edit. Lindebrog. Gens fuit antiquissima, originis Germanicæ inter Venedos & Slavos media, ubi nunc Prussi ac Livones habitant. Nam quod aliqui antiquos Borussiæ incolas Slavicæ originis faciunt, imperitiæ, condonandum est, cum constet lingvâ Celticâ ac moribus Suevicis usos esse Æstios. Et sane videor mihi idem investigare ex iis Taciti verbis: Frumenta cæterosq; fructus patientius quam pro solita Germanorum inertiâ laborant.* Hæc ille. Nos priorem illam de Suevis sententiam non probamus. Etenim ex testimonio Lucani tantum abest, ut pro hâc opinione quicquam possit deduci, ut contrarium etiam inde sequi videatur. Commodiùs enim per Suevos illos apud Lucanum intelliguntur Suevi in Scandinavia tunc habitantes; vel etiam Suevi Semnones cis mare Balticum in Pomerania & Marchia Brandenburgensi degentes. Sabellicus multò recentior est, quam ut de rebus adeò antiquis indubitatam nobis facere queat fidem. Sed neque posteriori sententiæ, quæ est Besselii, calculum nostrum adjicimus, licet imperitiam ille exprobret contrarium sentientibus. Quanquam enim & nosmet ipsi agnoscimus, Æstios hic quondam habitasse, eos tamen primos incolas Prussiæ fuisse, citata Historicorum testimonia non evincunt. Neque verò hoc adeò certum est (si tamen hæc est ipsorum sententia) Æstios fuisse Suevorum partem. Negat hoc apertè Tacitus, quando lingvam Æstiorum Britannicæ, quam Suevicæ similiorem fuisse tradit. *lib. de mor. German. cap. 43.* Nullum autem evidentius signum reperitur, quo melius diversitas populorum cognosci possit, quam lingva diversa.

VI. Quod si igitur antiquos consulamus Scriptores, primos prussiæ incolas *VENEDOS* sive *VENEDAS* Slavicas gentes fuisse comperiemus. Audiamus Claud. Ptolemæum, qui sub Antonino Philosopho claruit, ea de re loquentem: *Tenent*, inquit ille, *Sarmatiam gentes maximæ, VENEDÆ, per totum Venedicum sinum. Et super Daciam Peucini & Bastarnæ, & qui totum Mæotidis*

latus Jazyges ac Roxolani, & qui interiores sunt iis Hamaxobii & Alauni Scythæ: Minores autem gentes tenent Sarmatiam penes Vistulam quidem fluvium, sub Venedis Gythones & Phinni, post Bulanes, sub quibus Phrungundiones, post Avarini juxta caput Vistulæ amnis. Sub his Ombrones, post Anatrophracti, post Burgiones, post Arsyetæ, post Sabori, post Piengitæ & Biessi penes Carpatum montem. Iis omnibus Orientaliores sunt sub Venedis quidem iterum Galindæ & Sudeni & Stavani usq; ad Alaunos. Sub quibus Igilliones & Ceستoboci. Hæc Ptolemæus *lib. 3. Geogr. cap. 5. fol. 81. seq. Edit. Græco-Latinæ Sansonii.* Ex his primô locô patet, Ptolemæum VENEDAS, gentem maximam, collocare ad sinum Venedicum, per quem non Finnicum, vel alium aliquem sinum intelligit, sed sine ullo dubio illam Svevici maris (quod jam Balticum vocamus) partem, quà Prussiam, Curoniam & Livoniam alluit. Probatur hoc ex ipsis Ptolemæi verbis evidentissimè. Etenim dicit ad Vistulam sub Venedis habitare Phinnos & Gythones. Jam si Venedi sinus Venedici accolæ fuerunt, ita ut sub se (i. e. versus austrum) ad Vistulam haberent Phinnos aliasque gentes; non potest aliud inde colligi, quam quod Sinus Venedicus sit maris Baltici pars, qua Prussiam contingit. Hinc ad oculum patet, Venedas, Slavicos populos, oras Prussiæ Septentrionales, i. e. maritimas tenuisse. Probat hoc ipsum etiam Cluverus noster ex locis quibusdam in Livonia sitis, ut sunt Wenden / Windaw / Uschewende / quæ antiquorum Venedorum memoriam hodièque retinere autumat. Verum loca illa alium suorum nominum auctorem nuncupant. Constat enim Vinnonem Magistrum Ordinis Ensiferorum in Livonia ea oppida condidisse, à suoque nomine appellasse. *Vid. Chronicon Ordinis MS. sive ut alii vocant* Hohemeister-Cronick. *f. 41.* Probabilius argumentum, quo probari potest, in his oris quondam habitasse Venedas, depromemus, si respiciamus ad succinum apud *Venedas* colligi solitum, & fabulas illas antiquorum Poëtarum de Succino apud *Venetos* Italiæ populos ad Padum Proveniente. Hoc enim Poëtis occasionem dedit fabularum, ita ut Venetis sive Henetis tribuerent, quæ Venedis Sarmaticis populis erant tribuenda. *Vid.* Cluv. *l. 3. Germ. Antiq. c. 44. in princ. Conf. quæ supra diximus n. 3.* Ne autem nobis contra Ptolemæi auctoritatem quispiam obvertat, id quod nos intendimus ex ipso non posse probari, cum gentes diversissimas, eo potissimum in

loco

loco, maximè confundat; quædam etiam de his dicenda nobis erunt. Videlicet concedendum esse statuimus, Ptolemæum multa miscere: in sedibus verò genti Venedicæ ipsum putamus non errare. Quod ad prius attinet, certum est Ptolemæum inter gentes Sarmaticas (quas à Germanicis populis Vistulâ amne distingvi, tradit præter alios Pomponius Mela *lib. 3. de Situ Orbis cap. 4.*) numerare Avarinos (Varinos) Phrungundiones (Burgundiones) Gythones (Gothones) & alios, quos tamen alii eorum temporum Geographi & Historici Germanicæ fuisse originis asserunt, & ultra Vistulam (in Prussia hæc scribimus) collocant. Dissertis enim verbis Plinius Burgundiones, Varinos & Guthones Vandalis (non Venedis) Germanicæ genti accensèt, eosque in hodierna Polonia (quam tunc possidebant Germani) Mekelburgico Ducatu, & Pomerania collocat. *lib. 4. Hist. Nat. cap. 14.* De Varinis & Gothonibus idem apparet ex Taciti libro *de morib. German. cap. 40. & 43.* Deinde neque hoc probari potest, quod Ptolemæus Venedos adhuc suo tempore in Prussia ad mare Balticum habitasse scribit. Notum enim est ex Tacito, tunc temporis jam Æstios, qui Germanicæ fuerunt originis, maritimam illam oram habitantes, succinum collegisse. Tacit. *de morib. Germ. cap. 45.* Porrò opponit etiam Ptolemæus quasdam gentes Venedis, quas nihilominus inter Venedicas gentes numerari debuisse per est verisimile. Per Bulanos certè nulli alii videntur intelligi posse, quam Poloni; qui dubio procul Venedicæ sunt originis. Videantur quæ ea de re diximus *lib. 1. Reipubl. Polon. cap. 1. & 2.* Quarè injuriam Ptolemæo facere non videtur Philippus Cluverus, quando, Ptolemæum per omnem Germaniam (fortasse etiam per omnem terræ orbem) noviſſima cum antiquissimis permiscere dicit. *lib. 3. German. Antiqu. cap. 44.* Posterius illud, quod de sedibus gentis Venedicæ Ptolemæus asseruit, verum esse deprehenditur ex argumentis supra explicatis. Addere possumus & alia. Gothi nimirum, ut sententia habet probabilissima, trecentis antè Christum natum præter propter annis in Prussiam migrasse putantur. In Prussia verò longè ante tempora Herodoti gentem aliquam habitasse, jam supra probatum dedimus. Quam igitur hic aliam producemus gentem, quæ sinui Venedico nomen dederit, nisi solos Venedas?

VII. Præter Venedos in Prussia quondam GALINDAS & SUDINOS habitasse, ex citatis numero superiore Ptolemæi verbis liquet. Testantur hoc ipsum & nomina ipsa Galindarum & Sudinorum, de quibus plenæ sunt gentis nostræ Historiæ. De *STAVANIS* quoque Ptolemæi suspicari licet, & ipsos olim fuisse Prussiæ incolas, cum situs ipse harum gentium ei sententiæ faveat. Ubi enim hodiè sunt districtus Neidenburgensis & Ortelsburgensis, ibi antiquitus Galindos fuisse certum est. His contermini fuerunt Sudini, gens potentissima, in quorum sedibus hodiè sunt districtus Johansburgensis, Reinensis, Lyccensis, Marggraboviensis. Sudiniam hanc Veterem contingit *SCHALAVONIA* Provincia, quæ & *SLAVANIA* dicitur. Huic verò nomine Stavaniæ & Stavanorum nihil est similius. Videtur idcircò Stavania Ptolemæi esse nostra Slavania. Existimavi ego antehac Galindos, Sudinos & Stavanos fuisse Venedicas gentes, idque asserui in Dissertatione mea de Originibus Prussicis. Postea verò cum nonnullis difficultatibus premerer, cœpi verba Ptolemæi paulo curatius expendere, & certè inveni ipsum hos Populos Venedis non accensere. Videlicet, appellat populos illos generali nomine Sarmatas: In his verò speciatim numerat Venedas, Peucinos, Bastarnas, Sudinos, Galindos, Stavanos, alios. Illud tantum discrimen earum gentium notat, quod quædam fuerint majores, quædam verò minores. Ex quibus jam sit manifestum, Sudinos, Galindos, Stavanos non esse Venedas, quocirca separandos etiam ipsos hic duximus. Sed occurrit his supra laudatus amicus, quando scribit, non esse hanc hypothesin certam, quam nos & alibi posuimus, & nunc denuò repetimus, Galindos & Sudinos olim Prussiæ fuisse incolas. Verum, licet non negemus, incertam, imò falsam esse hypothesin eorum, qui asserunt Sudinos habitasse Ptolemæi temporibus in extremis Sambiæ oris ad mare Balticum ibidemque succinum collegisse: in universum tamen hoc asserere, Sudinos non fuisse Prussiæ incolas, nimis est durum. Fuerunt sanè illi Prussiæ incolæ, licet in Sambia non habitarint. Pro nostra siquidem sententia militant verba Ptolemæi, qui cum dixisset, ad Venedicum sinum habitare Venedas, recensere deindè incipit populos minores, & quidem ordine duplicii Primò enim enumerat occidentaliores, Vistulam amnem proximè accolentes,

usque

usque ad ipsum Vistulæ caput. Deindè orientaliores enarrat sub iisdem Venedis sedes suas habentes, inter quos Sudini, Galindi & Stavani sunt. Uterque verò populorum ordo in Prussia esse potest. Et licet largiremur, hos populos extra Prussiam tunc habitasse, nimirum in Samogitia & Lithvania, quod de Stavanis saltem asserendum videtur, utpote quos usque ad Alaunos sedes suas extendisse memorat Ptolemæus; hoc tamen negari non posset, his gentibus Prussos illos Veteres, quos Ordo Teutonicus reperit, originem suam debere. Supersunt namque etiamnum in Prussicis oris illa ipsa nomina, & quidem non corrupta, sed integra; licet Sudini ab Ordine Teutonico alium in locum sint transportati. *Vid.* Petr. de Dusburg, *Part. 3. Chron. Pruss. cap. 212. & quæ nos ad caput illud notavimus.* Galindi, Prussorum olim Potentissimi, antiquis in sedibus, videlicet in Australibus Prussiæ partibus, ab Hennebergero collocantur. *Vide Comment. ad Tab. Pruss. tit.* **Sudauen.** *& Tabulam ipsam Geograph.*

VIII. Præter Venedos, Galindas, Sudinos & fortasse etiam Stavanos, habuerunt in Prussia suas olim sedes *GOTHI*, & quidem ad mare Balticum. Testatur hoc ipsum Scriptor antiquissimus Pytheas (utpote qui CCC. annis ante CHRISTUM vixisse fertur, ut vult Hugo Grotius *in Prolegom. ad Hist. Goth. & Vandal.*) apud Plinium *lib. XXXVII. Hist. Nat. cap. 2. circa fin.* Probant hoc etiam multi nostratium ex Jornande Episcopo Ravennate, qui Sec. VI. floruit. Dicit hic Gothos venisse in Ulmerugiam, per quam non pauci intelligunt Culmensem in Prussia Provinciam. Sed super hac re mentem nostram inferiùs aperiemus. Certius illud est argumentum, quod ex recentioribus multi sedes Gothis in Prussia assignarunt. *Vid.* Æneas Sylvius *in Descript. Europæ cap. 29.* Erasmus Stella *lib. 1. & 2. Antiq. Boruss.* Joannes Magnus *lib. 1. Hist. Gothorum Sueonumq; cap. 15.* Hugo Grotius *in Prolegom. ad Hist. Goth. Wandal. & Longob.* Johan. Loccenius *lib. 1. Antiq. Sueo-Goth. cap. 1.* Sed & illud argumentum pro nostra sententia non contemnendum est, quod Vincentius Kadlubko Historiæ Polonicæ Scriptor Prussos ubique ferè vocat Getas. *ut lib. 3. Epist. 31. & lib. 4. cap. 19. alibi.* Eodem etiam collineat vetus Adami Bremensis Scholiastes. *num. 87.* ubi dicit: *Gothi à Romanis Getæ vocantur, de quibus Virgilius dicere videtur:*

- - - - acerq; Gelonus
Cum fugit in Rhodopen, atq; in deserta Getarum
Et lac concretum cum sanguine potat equino.

Hoc tusq; hodiè Gothi & Sembi (Samländer) *facere dicuntur, quos ex lacte jumentorum inebriari certum est.* Hæc ille. Cum igitur antiqui Gothos ac Getas unam eandemq; gentem esse statuant, (quod etiam rectè ab iis fieri Joannes Loccenius contra Cluverum, Pontanum, aliosque defendit. *lib. 1. Antiq. Sveo-Goth. cap. 1.*) Kadlubkus verò plerumque Prussos Getas appellet, manifestum est, ejus tempore, Prussiam à Gothis habitari, fuisse creditum. Confirmat etiam hoc Scholiastes Adami Bremensis ex victu Prussis ac Getis communi, de quo infra dabitur agendi locus. Ex alio insuper fonte pro hâc sententiâ petit argumentum Fridericus Besselius, quando *Guttonum* nomen in vico **Guttland** vel **Gootland** in Vistulæ ripâ superare scribit *in Animadvers. ad cap. 12. Eginhardi.* Firmissimum autem argumentum pro Gothorum in Prussia sedibus peti potest à summa cultus divini apud Gothos & Prussos convenientia, de qua suo loco sumus acturi.

IX. Porrò *ÆSTIOS* quoque in Prussia collocant antiqui Scriptores. Tacitus in calce libri *de morib. Germ.* sic de illis loquitur: *Ergò jam dextro Svevici* (Baltici) *maris litore Æstiorum gentes alluuntur, quibus ritus habitusq; Svevorum, lingva Britannicæ propior. Matrem Deam venerantur, insignes superstitionis formas aprorum gestant, id pro armis, omniumq; tutela securum DEI cultorem etiam inter hostes præstat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta cæterosq; fructus patientius, quam pro solitâ Germanorum inertiâ laborant. Sed & mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi gleſſum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt.* Jornandes, qui & Jordanus & Gordianus dicitur. *lib. de Reb. Get. cap. 5. pag. 615. seq.* de populis has terras inhabitantibus agens, hæc inter alia habet verba: *Ad litus autem Oceani, ubi tribus faucibus fluenta Vistulæ fluminis ebibuntur, Vidioarii residunt ex diversis nationibus aggregati, post quos ripam Oceani ITEMESTI* (alii legunt Estii, vel etiam Æstii) *tenent, pacatum genus omnino.* Et *cap. 23. pag. 643.* cum de Venedis, Antibus & Slavis egisset, addit: *Æstrorum* (Æstorum) *quoq; similiter*

liter nationem, qui longissima ripa Oceani Germanici insident, idem ipse (Emmericus Gothorum Rex) *prudentiæ virtute subegit.* Eodem Seculo floruit Cassiodorus, apud quem reperitur Theodorici Gothorum Regis ad Æstios, quos ibi Hæstos appellat, Epistola Gratiarum actoria pro succino sibi ab Hæstis misso, cujus Epistolæ initium hîc dabimus: *Hæstis Theodoricus Rex: Illo & illo Legatis vestris venientibus grande vos studium notitiæ nostræ habuisse cognovimus, ut in Oceani litoribus constituti, cum nostra mente jungamini: suavis nobis admodum grata petitio, ut ad vos perveniret fama nostra, ad quos nulla potuimus destinare mandata. Amate jam cognitum, quem requisivistis ambientes ignotum – Et ideò salutatione vos affectuosa requirentes, indicamus succina, quæ à vobis per horum portitores dicta sunt, grato animo fuisse suscepta: quæ ad vos Oceani unda descendens hanc levissimam substantiam, sicut & vestrorum relatio continebat, exportat. Sed unde veniat, incognitum vos habere dixerunt, quam ante omnes homines patria vestra offerente suscipitis.* Hæc apud Cassiodorum *lib. 5. Var. ep. 2.* Seculo IX. vixit Eginhartus, qui in Vita Caroli Magni cap. 12. sequentia de Æstiis habet: *Hunc sinum* (Codanum) *multæ circumsident nationes. Dani scilicet & Sveones, & quos Nortmannos vocamus septentrionale litus & omnes in eo Insulas tenent, at litus Australe Slavi & Aisti, & aliæ diversæ incolunt nationes.* Itaque ut ex allegatis Historicorum testimoniis manifestum est, habitarunt Æstii in Sambia ad litus maris Baltici. Procedente verò tempore ulterius versus Septentrionem progressi sunt, usque in Livoniam, ubi adhuc Esthonia Provincia reperitur.

X. Æstios illos à Gothis fuisse diversos multis probare nititur Philippus Cluverus *lib. 3. Germ. Antiq. cap. 44 & 46.* Putat autem Æstios fuisse *Istævonas* Rheni accolas, quos à Pytheâ, Strabone & Stephano *Ostiones* sive *Ostiæos* appellari contendit, licet agnoscat, citatos Auctores de sedibus enumeratarum gentium inter se non consentire. Hos Æstios, Ostiones, sive Istævones longè antè Cæsaris in Galliam Comatam expeditiones, in Prussiam autumat commigrasse, succensetque Goropio Becano, qui Prussiam, vel ejus partem, putat fuisse antiquorum *GLESSARIAM*, quæ & *AUSTRIANA* dicebatur, ut auctor est Plinius *lib. 4. Nat. Hist. cap. 13.* Comprobat verò sententiam Goropii Becani Hugo Grotius *in Prolegomenis sæpè citatis.*

citatis. & existimat Æstios ipsissimos fuisse Gothos, à reliquis Gothis, qui in Scandinavia remanserant, ita vocatos, quòd solem orientem spectarent. Confirmat hanc nomenclationem auctoritate Saxonis Grammatici, ut & Anglorum, qui hodieque *Æst-Saxiam* in Anglia vocant, quæ Provincia ipsis Latinè dicitur *Saxonia orientalis.* Addere possumus & hoc, quod Angli Prussos nostros etiamnum appellant *Osterlingos* non ob aliam certè rationem, quam quod ipsi ad orientem solem siti sunt, ut cognosci potest ex Gvvilhelmi Watsii Glossario *In voce Sterlingus.* Nos autem licet Bacano & Grotio concedamus, Æstios fuisse Gothos, Austraniam tamen, quæ & Glessaria dicebatur, non fuisse Prussiam, ejusve partem, cum Cluvero statuimus. Æstios fuisse Gothorum progeniem, illud etiam præter jam allata argumenta, comprobat, quod eosdem illos Prussos, Tacito, Jornandi & Eginharto Æstios vocatos Vincentius Kadlubko Scriptor Polonicus appellat Getas seu Gothos, ut ex num. IX. liquet. Facit huc etiam antiqvum illud Boleslai I. Regis Poloniæ Epitaphium, quod ipsi Sec. XI. positum est, & reperitur Posnaniæ in templo Cathedrali. In illo namque hæc inter alia reperiuntur verba:

Tu possedisti velut Athleta CHRISTI
Regnum Slavorum, GOTHORUM *seu Polonorum.*

Ubi per Gothos intelligi debere Prussos arbitror, quos Boleslaus ille subegisse dicitur. Helmold. *lib. 1. Chron. Slav. cap. 15.* Particula namque illa *seu* non est exegetica, cum Poloni ab antiquis non appellentur Gothi, sed sine dubio propter metrum à Scriptore barbaro pro copulativa particula, &, posita est. Cæterum Glessariam, quæ & Austrania vocatur, non esse Samlandiam in Prussia, sed aliam quandam Insulam in Oceano Germanico, quà alluit Chersonesum Cimbricam sive Holsatiam, Slesvicensem Ducatum & Jutlandiam, contra Grotium aliosque probat luculentissimè Cluverus. Austrania proindè videtur fuisse Insula maris Germanici, non Baltici. Colligitur id ex Plinii verbis sequentibus: *Quidam*, inquit ille, *hæc habitari ad Vistulam usq; fluvium à Sarmatis, Venedis, Scyrris, Hirrii tradunt. Sinum Clylipenum vocari, & in ostio ejus Insulam Latrin. Mox alterum sinum Lagnum conterminum Cimbris. Promontorium*

Cim-

Cimbrorum excurrens in maria peninsulam efficit, quæ Hauſtiſus appellatur XXIII. M. paſſuum. Indè Inſulæ Romanis armis cognitæ. Earum nobiliſſima, Burchana, Fabaria â noſtris dicta â frugis ſimilitudine ſponte provenientis. Item Gleſſaria à ſuccino militiæ appellata à Barbaris Auſtrania, præterq; Actania. Toto autem hoc mari ad Scaldin usq; fluvium Germaniæ accolunt gentes haut explicabili menſura. Hæc ille *lib. 4. cap. 13.* Quod autem hic Plinius dicit, Gleſſariam, Burchanam, Fabariamque fuiſſe Romanis armis cognitam, id dilucidius proponit *lib. 37. cap. 3. pr.* quando ſcribit: *Certum eſt gigni in Inſulis ſeptentrionalis Oceani* (ſuccinum) *& à Germanis appellari gleſſum, itaq; & à noſtris unam Inſularum ob id Gleſſariam appellatam Germanico Cæſare ibi claſſibus rem gerente, Auſtraviam â barbaris dictam.* Ex his jam manifeſtum fit, per Gleſſariam non poſſe intelligi Sambiam ſive Samlandiam noſtram, ut Grotius, aliique, etiam ex noſtratibus Scriptoribus volunt. Repugnat enim primò Inſulæ ſitus. Incipit enim Plinius Inſulas enumerare in mari ſeptentrionali (ſub cujus nomine Veteres etiam Germanicum & Balticum mare intelligunt) ſitas, & quidem ab oriente. Ad Viſtulam amnem ponit ſinum Clilypenum & Inſulam Latrin. Inde verſus occidentem progreſſus, commemorat ſinum Lagnum, Cimbris, ſive hodiernis Holſatis & Jutlandis, conterminum. Poſthæc ulterius verſus occidentem provectus, Promontorium Cimbrorum, quod ſine dubio hodiè vocant *Scagen riſ*, numerat. His ita enarratis, tandem Auſtraniam ponit, Gleſſariam à militibus dictam. Hoc ipſum etiam colligitur ex Solino, qui *in Polyhiſt. cap. 20.* Gleſſariam ponit in mari Germanico; non in mari Baltico, quod tunc etiam Svevicum dicebatur. Adhæc veritas ſententiæ noſtræ elucet etiam ex nominibus illis Inſularum, Auſtraniæ & Burchanæ, quæ & Fabaria vocabatur, quibus etiamnum cognomines Inſulæ reperiuntur in Mari Germanico. Videlicet Auſtrania eſt Inſula **de Strant** dicta, adjacens Sleſvicenſi Ducatui: Burchana eſt Inſula **Borchen**, ad oſtia amnis Amiſiæ ſita. Tradit etiam Veturius, teſte Cluvero, in Inſula **Borchen** reperiri turrim, cui vulgaris appellatio eſt **het Boonhuis** i. e. domus fabaria. Tandem perſvadere nobis non poſſumus, usque in Pruſſiam Germanicum Cæſarem navibus appuliſſe, cum illud ex antiquis Scriptoribus evidenter probari nequeat. Alia autem, quæ illis tem-

poribus has oras Romanis non fuisse cognitas probant, adduximus in Originibus Pomeranicis. Nec opponi nobis potest auctoritas Taciti asserentis, *Solos Gothones succinum, quod illi Glessum vocant, inter vada atq; in ipso litore legere.* Hoc enim intelligendum est de maximo succinorum proventu. Licet enim alia quoque loca succinum reperiant, illius tamen particulæ sunt minores, & officinis artificum ferè inutiles. Et hoc est, quod exprimere voluit Rex Theodoricus illis verbis: *Succinum antè omnes homines patriâ vestrâ offerente suscipitis.* Ejus generis particulas succini minutas cum milites Cæsaris Germ. reperissent, cognovissentq; illud appellari glesum ab incolis, nominarunt Insulam illam Glessariam, quæ Barbaris erat Austrania.

XI. Quocirca cum probatum sit, Gothos & Æstios unam fuisse gentem, inquirendum & hoc erit, quousque Gothi in Prussia sint progressi, sive quas olim Prussiæ partes habitarint. Æneas Sylvius, Erasmus Stella aliique nostrates Historici ex Jornande referunt, Gothos Hulmigerorum expulsorum terras occupasse, i.e. in Vistulæ ripâ orientali inter Ossam & Drebniciam amnes consedisse. Verùm jam supra innuimus, Jornandem per Ulmerugos (sic enim eos appellat, non Ulmigerios, ex quibus Culmigeros eos postea vocatos non pauci fabulantur) intelligere Rugios in Pomerania. Divisa quippe Rugiorum gens erat in Ethelrugios (die edlen Rugen) & Hulmirugos. (die Holm-Rugen) Illi secundùm Jornandem in Scandinavia remanserant; hi verò in Pomerania hodierna jam priscis temporibus consederant, ut hoc fusè probatum dedimus in Dissertat. *de Originibus Pomeranicis.* Ex Jornandis igitur testimonio nihil pro sedibus Ulmerugorum in Prussia poterit afferri, quod aliquam saltem veri speciem habeat. Quod si Cluverum consulamus, alios illum Gothis in Prussia terminos constituere videbimus. Nimirum dicit, Gothos ab oriente habuisse Vistulam, & ubi is in duo scinditur cornua inter Pölplin & Stum; deinde alveum ejus orientalem, qui dicitur Nogat, præterfluitque Mariæburgum, inde propè Elbingam in lacum effunditur. Hinc verò ipsum lacum ad ostium usque, quo is inter duos vicos Balge & Pillau Oceano miscetur. *lib. 3. Germ. Antiq. c. 34.* Secundùm Cluverum ergò Gothi sive Gothones tenuerunt antiquis temporibus hodiernam Pomerelliam, Insulam majorem (das grosse Werder) & Neriam, ut vocatur, Geda-

Gedanensem, sive terram illam inter mare Balticum & lacum recentem usq; ad Pillaviam. Verùm nos, qui Gothos atque Æstios unam putamus fuisse gentem, ulterius ipsos in Prussiam penetrasse dicimus. Certum siquidem est Æstios ultra Pillaviam in Sambia Succinum collegisse: posterioribus etiam seculis eos usque in Livoniam progressos, nomen Æstorum ad hoc usque tempus perdurans evincit. Quamobrem etiam nostri Historici Livonos frequenter appellant die Eysen/ die Eyssländer. *Vid.* Chronicon Ord. *fol. 39. b. 41. b. 42. b.* Waisselius *& alii passim.* Deindè disertis olim verbis hoc ipsum asseruisse videtur Pytheas, quando Gothos sive Gothones succinum legere dicit, apud Plin. *lib. 37. c. 2. circa fin.* Jam cùm succinum in sola Sambia & olim fuerit lectum, & hodiè quoque legatur, non est dubium, quin Gothones iis temporibus in Sambia habitarint. Videtur præterea hoc ipsum ex eo elici, quod Pytheas Gothones æstuarium nomine Mentonomon accolere perhibet. Per æstuarium illud fortasse intelligit lacum recentem, licet circà magnitudinem ejus erret. Aut si mitiùs de eo sentire velimus, error aliquis negligentiâ librariorum irrepsit, adeò ut pro ἑξακισχιλίων σταδίων, i. e. sex millium stadiorum, scribendum Plinio fuerit ἑξακοσίων σταδίων, i. e. sexcentorum stadiorum, Nomen autem hoc, ut diceretur Mentonomon, accepisse videtur à territorio Medenow, in quo vicus ejusdem nominis hodièque reperitur. Et hæ sunt conjecturæ Johannis Micrælii *lib. 1. Chron. Pomeran. num. 6. & 7.*

XII. Præter dictas gentes collocantur etiam in Prussia à quibusdam *ÆLVEONES*, de quibus Ptolemæus *lib. 2. Geogr. cap. 5. fol. 53. (88)* sive *HELVECONES*, de quibus Tacitus *lib. de morib. German. cap. 43.* Habet hanc gentem Caspar Henneberg. in Tabula antiquæ Prusiæ libello de Veteri Prusia, præfixâ. Collocantur autem eo in loco, ubi nunc sita est urbs Elbingensis, quæ etiam ab illa gente nomen sortita esse dicitur, ut ab Ælveonibus dicatur Elbinga, Augusta Ælveonum, Ælveopolis, ut eam frequenter appellat Fridericus Zamelius b. m. Consul Elbingensis. Verum cùm nos in Animadversionibus *ad Part. 3. Dusburgii cap. 16.* mentem nostram super hoc negotio jam exposuerimus, variasq; sententias de sedibus harum gentium in Silesiâ, Bornholmia, Pomerellia ad Helam in medium produxerimus, ad ea benevolum Lectorem remittimus.

XIII. Sunt præterea, qui *HERULIS* in Prussia & Samogitia sedes assignant, fulciuntque hanc sententiam suam argumentis haut contemnendis. Placet hic audire Albertum Wijuk Kojalowicium, qui in Historia Lithvanica eâ de re sic loquitur: *Mihi inter tot ambages, ubi cardo rei solis conjecturis vertitur, detectum instituenti, non leve argumentum è Wolfgangio Lazio fuerit, antiquitus eos populos Herulos nuncupatos. Hic scriptis præterito seculo Commentariis Septentrionalium populorum mutationes eruditè vestigans, cum lib. 20. in Herulorum mentionem devenisset, memorat eorum reliquias Italiâ pulsas in Megapolitano territorio consedisse, Verulosque nunc dici. Sermo illis à circumjacentibus populis omnino discrepans est, cujus ut exemplum Lectori Scriptor exhiberet vulgari eorum lingvâ sacram orationem cubitalibus literis executus est. Hanc cum attentius legerem eandem omnino magna parte esse deprehendi cum illa, quam inter Lithvanos & Lotavos usque hodiè retinet. Herulis proindè veteribus Lithvaniam & reliquas ejusdem gentis provincias sedem atque originem fuisse vix possum ambigere. Accedit quod Leges & instituta Herulorum paria sint illis, quæ de Majoribus Lithvanorum varii prodiderunt. Utrisq; iidem ferè in religionibus ritus; utrisque olim nos propinquos senio aut morbo spem omnem evincente confectos, trucidandi: mancipia, equos, canes & quicquid in vivis carum habuissent, funerali rogo unà cum defunctorum cadaveribus exurendi aliaq; sexcenta.* Hæc & alia plura Kojalovvicz *Parte I. Hist. Lithvan. lib. 1. pag. 5. seqq.* Nos his repugnare non possumus, cum argumentum illud à lingvâ Herulorum petitum sit longè firmissimum; tamen non putamus Herulos à Galindis & Sudinis fuisse diversos, cum lingvâ moribusque, ut sequentia probabunt, conveniant. Fortasse illi Patriâ jam egressi nomen Herulorum sibi sumpserunt, aut ab aliis sibi gentibus inditum non sunt aspernati. Sed de his numero sequente. Idem dicendum nobis esse videtur de *PHINNIS*, quos itidem Prussiæ nostræ fuisse incolas ex Ptolemæo liquet. Collocat enim eos ad Vistulam juxta Gythones sub Venedis. Sed clariora hæc fient ex iis, quæ Dissertatione proximè subsequente proponentur. Videatur interea Tacitus *lib. de morib. Germ. in calce.* & Matthias Strykovvski Osiostevicius Canonicus Samogitiæ *lib. 1. Hist. Lithvanicæ.*

XIV. Præ-

XIV. Præterea fortasse non aberraverimus, si etiam *SCYROS & HIRROS* inter Prussiæ Veteris incolas numeremus. Etenim Plinius, de harum terrarum incolis agens, ad Vistulam etiam dictas gentes collocat: *Quidam*, inquit, *hæc habitari ad Vistulam usque fluvium à Sarmatis, Venedis, Scyris & Hirris tradunt. Sinum Clylipenum vocari, & in ostio ejus Insulam Latrin.* Hic verò posset alicui in mentem venire *HIRROS* illos ipsissimos esse *HERULOS*, de quibus num. superiore actum est. Firmare hoc videtur non tantùm affinitas & similitudo harum appellationum, sed etiam, quod Scyri (quos hic Plinius cum Hirris conjungit) cum Herulis sub Rege Odoacro in Italiam expeditionem susceperunt. *Vid.* Procopius *de Bello Goth. cap. 1.* Jornandes *lib. 2.* Blondus *Dec. 1. lib. 2.* Vide quoque Dissertat. nostram *de Lingva*, & Dissertat. *de Militiâ Veterum Prussorum.* Et hæc ex vetustis illis Scriptoribus de Prussiæ incolis poterant adduci. Si ad paulò recentiora tempora respiciamus, reperiemus, Jornandem Sec. VI. Scriptorem hic sedem assignare *VIDIOARIIS*, vel ut alii legunt *VIRIDARIIS.* Sunt, qui per hos intelligi volunt, Insularum (quarum jam antehac aliquoties fecimus mentionem) incolas; idque probare se posse putant ex ipso vocis hujus etymo, cum Viridarii dicantur, quasi die Werderschen. Vincentius Kadlubko (qui Sec. XII. vixit) collocat etiam in Prussia *SOLADIMISTAS & POLLEXIANOS lib. 4. Chron. Polon. cap. 19. pag. 509.* Quæ autem illi Prussiæ loca coluerint, parùm compertum est.

XV. Postremò ad tractationem de gentibus Prussicis pertinet etiam illud, ut indicemus, quænam sub ipsum Ordinis Teutonici in Prussiam ingressum hic fuerint, Terræ, & quæ in Terris illis Territoria gentesque. Scriptores Prussici juniores Waidevvutum prussorum Regem duodecim filios habuisse ferunt, quorum nomina sunt: *Saymo, Neydro, Sudo, Slavo, Natango, Barto, Galindo, Warmo, Oggo, Pomezo, Colmo & Lituo.* Ab his Prussiæ partes nomina sua sortitas esse perhibent, quæ sunt sequentes:

Sambia.
Nadrovia.
Sudovia.
Schalavonia.
Natangia.
Bartonia.
Galindia.
Warmia.
Oggerlandia.
Pomezania.
Culmigeria sive Culmia.
Lituo in Lithvaniam concessisse eamque de suo nomine appellasse dicitur.

Sed fabulas illas plusquam aniles esse, quæ de Waidevvuto ejusque filiis circumferuntur, nemo non animadvertet, qui tantùm Waidevvuti tempora, cum antiquitate quarundam ex his terris conferet. Waidevvutum enim alii Sec. IV. alii Sec. VI. alii Sec. XIII. à CHRISTO nato vixisse nugantur: *SUDINORUM* autem, *GALINDARUM*, & fortasse etiam *SCHALAVONIORUM* nomina occurrunt jam apud Ptolemæum, qui Sec II. à CHRISTO nato floruit, ut ex supradictis liquidò constat. Similiter *SEMBIÆ* nomen reperitur apud Adamum Bremensem Sec. XI Scriptorem *lib. de Situ Daniæ num. 77. pag. 147.* Hinc saltem illa sententia, quæ Waidevvuti ætatem ad Sec. XIII. refert, in fumum abit. *VARMIAM* insuper quidam ab antiquis populis, qui Varini dicuntur, dictos esse autumant. *Vid.* Philipp. Melanchth. *in Chron. fol. 303.* & Stanisl. Sarnitius *in Chronographia Poloniæ, Analibus Poloniæ annexa.* Quanquam autem neque hæc mihi sententia probatur, evidens tamen est, non omnibus Auctoribus nugas illas de duodecim Waidevvuti filiis probari. Adhæc Erasmus Stella, licet & ipse Waidevvuti fabulas enarret, pauciores tamen ei filios attribuit. Adde quod Hoggerlandia nomen à Germanis tempore Cruciferorum dicta esse videtur, quasi dicas **ein Hockrichtes Land**, idque ob montes quam plurimos quibus hæc regio tumet asperaturque. Dusburgius certè aliique antiquiores eam Prussiæ partem non Oggerlandiam sed Pogesaniam vocant. *POMEZANI* non videntur Veterum Prussorum temporibus ab aliis Prusis fuisse distincti, cum nomen Pomezanorum commune ferè fuerit omnium Prussorum. Sic enim verba habent Privilegii Culmensis num. XXXII. *Qui verò pauciores mansos habuerit cum Plata & aliis levioribus armis & uno equo,*

equo, ad arma talia competente, debet cum Fratribus nostris in expeditionem, quoties ab eis requisitus fuerit, pergere contra Pruthenos, qui Pomezani largo vocabulo nuncupantur. Hæc ibi. Postremò *CULMIGERIAM* ab Hulmigeris antiquis Prussiæ populis Historici nostri penè omnes nomen esse sortitam asserunt, quod quomodo Waidevvuti filio conveniat ipsi viderint. Sed & illas, quas enumeravimus, Prussiæ partes singulas, habuisse sua territoria & peculiares subdivisiones certum est. Quod si hic vel solum Dusburgensem nostrum consulamus, plurima in eo terrarum Prussicarum territoria specialia deprehendemus. Nimirum,

In SUDOVIA fuerunt:
- Kimenovia.
- Karsovia.
- Crasina.
- Pokine.
- Meruniske.
- Selia.

In SAMBIA
- Povvinda.
- Pobeta.
- Beta.
- Rudovia.
- Quedenovia.

In VARMIA
- Gobatini.
- Glottinia.

In POMESANIA
- Algent.
- Risen s. Reisen.

In NATTANGIA
- Solidovia.
- Sclumien.

In NADROVIA
- Cattovia.
- Rethau.

Ex his plurima adhuc nomina supersunt pagis, vicis & oppidis imposita. Sic in Sambia sunt ad hunc usque diem pagi **Powunden/ Pobeten/ Rudau/ Quedenaw.** In Sudovia est adhuc pagus Mierniszki, ut & Kryssovva. In Pomesania à territoria Risen, dictum est oppidum Risenburg. Reliqua peti possunt ex Henneberger libello *de Divisione Prussiæ, & ex Commentariis ad Tab. Geogr. Pruss. quibus etiam est adjectus liber de fluminibus & lacubus Prussiæ.*

Dis-

DISSERTATIO III.

De

Originibus gentium Prusficarum.

(1.) *Prussi non dicuntur à Pruto Scythæ filio & Noachi pronepote, ut tradit Commentitius Berosus. Annius Viterbiensis notatur. Scytha Rex. Venedi an sint iidem qui Veneti sive Heneti.* (2.) *Gothi an ex Scandinavia sint. Reges Gothorum. Gampti. Svedi.* (3.) *Gothi an originis Sarmaticæ. Affirmant Scriptores rerum Sarmaticarum. Getæ & Gothi an eadem gens. Gutæ an sint iidem qui Gothi. Historia Hebræorum Gothicâ lingvâ scripta. Lingva Gotica diversa.* (4.) *Cluveri sententia de Gothis. Jornandes notatur. Ablavius. Denippus. Gothorum carmina. Grotius Jornandem defendit. Gothi undè in Italiam venerint. Quò concesserint Italiâ pulsi. Gothorum origo ex Pomerania & Prussia.* (5.) *Galindi, Sudini &c. undè sint orti. Non ab Israëlitis. Cantilena Jeru, Jeru. Diabolus DEI simia. Qualis rituum convenientia unam faciat gentem.* (6.) *Prussi non sunt à Macedonum reliquiis.* (7.) *Prussi non sunt à Prusia Rege Bithyniæ dicti. Prussorum lingva an à Græcis queat intelligi.* (8.) *Dlugossus sibi contradicit. Willichius refutatur.* (9.) *Prussiæ nomen non est à Prusia.* (10.) *Prussi non sunt à Bructeris.* (11.) *Prutenus & Widewutus Reges. Cimbri. Alani. Pruteni atq; Widewuti nomina ex lingva Prussica derivantur. Alani. Alandi. Wandali sunt quibusdam quasi Wendi-Alani. Lithvani quasi Lithvani-Alani. Roxolani quasi Russi-Alani Alani an fuerint Gothi.* (12.) *Romani an in Prussiam venerint. Qua via huc ingressi esse dicantur. Romove an Romanova. Romove ex Veteri lingva Prussica deducitur. Lingvæ Latinæ & Lithvanicæ convenientia.* (13.) *Porusci populi antiqui. Lingva Boruscorum & Borussorum eadem fuisse putatur. Pomerani & Polabiani undè dicti. Prussi Russis contermini. Podlachiam tenuerunt Russi. Prusiæ nomenclatio ex antiqua Prussorum lingva.* (14.) *ἀναπαλαίωσις eorum quæ dicta sunt.*

(15.) *Ger-*

(15.) *Germanorum in Prussiam migrationes & coloniæ. Urbes Prussicæ à quibus conditæ. Nobilitas Prussica ex omnibus Germaniæ Partibus huc confluxit. Contentiones inter diversarum Nationum Nobiles exortæ. Enarrantur multarum nobilium familiarum Germanicæ origines.*

I. INvestigavimus in Dissertatione prima, quænam gentes antiquitùs in Prussia habitarint, & remotis, Svevis, Helveconibus aliisque, invenimus tandem Prussiam primis temporibus tenuisse *Venedos*, *Gothos*, sive *Æstios*, *Galindos*, *Sudinos* & fortasse etiam *Stavanos*. Ex his verò tres posteriores populos ex Prussia egressos, Herulorum nomen sibi sumpsisse diximus, Sed & Phinnos, Scyros, Hirros, ejusdem cum Galindis, Sudinis & Stavanis fuisse originis, non ex vano quispiam suspicari possit. Jam ulterius Pedem promovemus, harum gentium origines investigaturi. Primos Prussiæ incolas, quos *VENEDOS* sive *VENEDAS* fuisse supra probavimus, à *PRUTO* quodam, Scythæ filio, Araxæ nepote, & Noachi pronepote deducit Joannes Annius Viterbiensis, cujus verba hæc sunt: *Araxa prisca fuit filia Jani sive Noæ, mater prisci Scythæ, à qua Araxis fluvius in Armenia, quæ prisca Scythia dicta est, & Aramea saga, ut sepius diximus. Hæc Araxa comi homine & ardenti simul libidine mixta fingitur semivipera. De quâ Diodorus in tertio libro: Dicunt, inquit, Scythæ per modum fabulæ natam apud se virginem ex terra scilicet Vestæ, umbilico tenus hominis formâ, reliqua viperæ eamque genuisse puerum, cujus nomen sit Scythi (à quo dicti sunt Scythæ) id est, primus & ante alios, quod antecedentes præcessit claritate. Sed hæc expositio Diodori non est illa præcipua, quia Scytha, i. e. primus & ante alios dictus est, quia apud Araxin fluvium mater Araxa illum genuit, ubi post diluvium prima gens & ante omnes nata consedit ibidem ex Historia Scythica. Et subdit Diodorus: Scythæ filii fuerunt Prutus & Napis à quibus diverso imperio populis uterq; nomen dedit. Nota quod in Scythia regnavit Prutus, à quo Prutia magnum Regnum, quod nunc conversâ literâ t. in s. dicunt Prussiam.* Hæc Johannes Annius Viterbiensis *in Commentis ad lib. II. Berosi fol. 19. a. b.* De quibus quid sentiamus, paucis declarandum. Videlicet quod Auctor citatus à Scythis Prus-

sos deducit, laudandum illud quidem: nomen tamen illud Pruti ipsum affabrè confinxisse nobis persvasissimum est. Nihil enim novi est Annio Viterbiensi cum commentitio suo Berosо nomina comminisci, quò facilius nobis in gentibus indè deducendis, palpum obtrudat. Specimen hujus artificii videatur apud Beatum Rhenanum *in lib. 3. Rerum Germanicarum pag. 347. seqq. ubi de nominibus Veterum Germanorum agitur.* Sed neque in præsenti materia Annium Viterbiensem bonâ fide agere, cognoscet, qui Diodorum Siculum, quem sibi in patrocinium vocat, vel obiter inspexerit. Duas nos Diodori Siculi editiones consuluimus, in neutra tamen de Pruto quicquam reperire licuit. Sed verba ipsa Diodori Siculi de Scytha Rege dabimus: *Inter posteros*, inq. *hujus Regis duo extiterunt fratres virtutis eximiæ, quorum uni Palo, alteri Napæ nomen erat. Hi post multas res præclarè gestas regnique partitionem alios Palos, alios Napos de se nominarunt.* Hæc Diodorus *lib. 2. (non 7. ut Annius citat) Biblioth. pag. 89. Edit. Græco-Latinæ Henrici Stephani. & cap. 43. pag. 123. Editionis Latinæ Hanovienſis.* Alii *VENEDOS* cum *VENETIS* Italiæ populis eandem originem habuisse autumant: Venetos autem (quos Græci *HENETOS* appellant, ut habet Plinius *lib. 37. Hist. Natur. cap. 3.*) ex Paphlagonia deducunt, ex qvâ Duce Agenore ad mare Superum concessisse memorantur. Sed quoniam ea de re plurimi egerunt, nobis hæc omnia excutere animus non est, præsertim cum, res vetustate nimiâ obscuræ, ut ait alicubi Livius, velut magno ex intervallo vix cernantur. Consuli potest Goropius Becanus *in Venedicis.* Wolffgangus Lazius *de Migrationibus gentium.* Martinus Cromerus *lib. 1. de Ortu & Reb. gest. Polonorum.* Stanislaus Sarnitius *in Annalibus Polonorum libb. tribus prioribus.* Henricus Bangertus *in Notis ad Helmoldi lib. 1. Chron. Slavorum cap. 2.* Joannes Micrælius *in Chron. Pomeran.* & alii plures.

II. *GOTHOS* in Pomerania, ex qua in Prussiam eos transisse certum est, Jornandes Episcopus Ravennas, qui Sec. VI. floruit, deducit ex Scandinavia, quæ & Scanza, Scantia, Gothiscantia vocatur. *Vid.* Hug. Grotius *in Proleg. ad Historiam Longob. Gothor. &c. pag. 2. & 3.* Per Scantiam autem Jornandes, ut & alii vetustiores, intelligunt hodiernam Suediam & Norvvegiam: Audiamus ipsum Jornandem: *Ex hac igitur*, inquit, *Scanzia insulâ, quasi officina gentium,*

aut

aut certè velut vagina nationum cum Rege suo nomine Berig Gothi, quondam memorantur egressi, qui ut primum è navibus exeuntes terras attigêre, illicò loco nomen dederunt. Nam hodiè illic, ut fertur, Gothiscanzia vocatur. Unde mox promoventes ad sedes Ulmerugorum, qui tunc Oceani ripas insidebant, castra metati sunt, eosq; commisso prælio propriis sedibus pepulerunt, eorumq; vicinos Vandalos jam tunc subjugantes suis applicuêre victoriis. Ibi verò magna populi numerositate crescente, etiam penè quinto Rege regnante, post Berig, Filimer, Filogud, Arigis consilio sedit, ut exinde cum familiis Gothorum promoveret exercitus, qui aptissimas sedes locaq; dum quæreret congrua, pervenit ad Scythiæ terras, quæ lingvâ eorum Ovim vocabantur. Probat hæc deinde Jornandes ex antiquis Gothor. carminibus. *lib. de Reb. Geticis c. 4. Edit. Grotianæ.* Ex Jornande depromsit sua non Joh. solùm Magnus, superioris Seculi Historicus, sed etiam Dusburg, qui An. 1326. Chron. suum scripsit. Hic enim *Part. II. Chron. Pruss. c. 7.* bella contra Pruthenos antiquitùs gesta esse dicit: *per novem Germanos de Swetia, qui dicebantur Gampti.* Explicat hoc ipsum uberius Erasmus Stella *lib. 2. Antiq. Boruss. post med.* Cum enim retulisset à Prussis Widevvuti posteris Germanos vicinos fuisse frequentibus bellis infestatos, addit: *Germani consulentes in medium, vocatis in auxilium Swetiæ Regulis (ii in Oceano siti sunt à Latinis Sitones dicti) qui Ganipoti cognominabantur, quod & ipsi Germani essent, & re bellicâ tùm terrâ, tùm mari plurimùm pollerent, qui eis auxiliares copias classibus traduxêre pluribus annis cum Borussis belligerantes: quo multis trucidatis atq; cæsis eos ad deditionem compulêre. Est utiq; oppidulum ad Vistulam cum arce situm, quod Swezza vocatur, ubi hi, qui ex Swezia venerant, castra sua posuerunt, quod postea in eam munitionem, quam videmus, per Teutonicos fratres exstructum est - Novem Regulos id confecisse bellum Annales habent, sed qua tempestate, aut quamdiu duraverit, nec an simul, an sibi invicem succedentes id bellum gessêre, an etiam Borussos ad tributum pendendum coegêre, nihil reliqui est.* Vid. Stella *loc. cit.* Hôc tamen relatio Dusburgensis nostri & Stellæ ab illa Jornandes discrepat, quod Jornandes tantùm quinque Reges in Ulmerugia & vicina Wandalia numerat, nostri verò novem Regulos esse memorant. Deinde Jornandes illos Reges his in locis sibi ordine successisse refert: Dusburgius verò ipsos appellat germanos, dubiumq; reliquit, fratresne,

an natione Germanos, intelligi voluerit. Dubitavit eâ de re etiam Stella, ut verba jam allata indicare possunt. Joannes Magnus neque quinque, neque novem; sed septem Gothicos in Prussia Reges numerat. Primus eorum, ex Joannis Magni sententiâ, fuit *Berig*, secundus *Gaptus*, (à quo Dusburgensis noster novem illos Germanos appellat Gamptos, & Erasmus Stella Ganipotos; nisi hæc vocabula corrupta esse dicas ex nomine Gepidarum) Tertius *Augis*. Quartus *Amalus*. Quintus *Baltus*. Sextus *Gadaricus*. Septimus *Philmerus*, quem in Scythiam ad Taniam expeditionem suscepisse refert idem Johannes Magnus *lib. I. Historiæ Sueonum & Gothorum cap. 21.*

III. Verùm his variarum gentium Historici se opponere non verentur. Et quidem primùm Poloni aliarumq; Sarmaticarum gentium Scriptores, Gothos originis esse Sarmaticæ asserentes. Videri possunt, Jodocus Ludovicus Decius *in Corpore Histor. Polon. à Pistorio edito Tom. II.* Paulus Piasecius Episcopus Præmislienſis *in Chron. Gestorum in Europa singularium pag. 48. (57.)* Sed & Antonius Bonfinius negat ex Scanzia Gothos prodiisse, & addit Jornandem undique mendicare conjecturas verisimiles in honorem patriæ gentis *Dec. I. Rer. Hungar. lib. 2. pag. 33. & 35.* Argumenta quibus Jornandis, & qui eum sequuntur, sententiam convellere nituntur, sunt ferè sequentia: Primùm dicunt, Orosium *lib. 1. Hist. cap. 1.* disertis verbis sedes Gothis contiguas Alanis & Danis apud Pontum Euxinum & Istrum amnem existentibus assignare. Deindè notum esse dicunt Gothos cum Sec. IV. à CHRISTI Nativitate, Italiam, Hispaniam & alia loca occupassent, non prodiisse ex Svecia, sed è Sarmatia à Ponto Euxino & Tanai flumine. Testatur id Ælius Spartianus *in Antonino Caracallo sub calcem.* Blondus *Dec. I. Hist.* Hieronymus *in Quæst. Hebraicis in Gen. fol. 7.* Adhæc notum est Getarum sedes olim ad Pontum Euxinum fuisse. Jam autem Getas ipsos esse Gothos plurimi putant. Sic enim Ælius Spartianus in Antonino Caracallo: *Cum Antoninus Caracallus Germanici & Parthici & Arabici & Alemannici nomen adscriberet, Helvius Pertinax filius Pertinacis dicitur joco dixisse: Adde si placet, etiam Geticus Maximus, quod Getam occiderat fratrem & GOTHI GETÆ dicerentur: quos ille dum ad orientem transit, tumultuariis præliis devicerat.* Idem confirmat & Hieronymus *in Præfatione*

fatione Commentarii sui secundæ ad Galatas Epistolæ. His adstipulantur ex recentioribus Philippus Melanchthon *lib. 1. Chron.* Dan. Heinsius *in Panegyr. Gustavi Magni laudibus scripto.* Johannes Freinshemius *in Epist. ad Joannem Loccenium.* Et ipse Joan. Loccenius *l. 1. Antiq. Sueo-Goth. cap. 1.* Tametsi autem Phil. Cluverus Getas & Gothos diversæ populos originis esse contendat, fusè tamen hoc ipsum confutat Loccenius, qui consuli potest. Hoc itaque potius asserendum videtur, Gothos illos Scandinavicos sive Svedicos originem traxisse à Getis illis ad Pontum Euxinum habitantibus; postquam verò Sveciam essent ingressi, nunquam inde ad Pontum Euxinum esse regressos. Quamvis Piasecius prorsus neget, Gutas, quos Ptolemæus in Svediâ hodiernâ ponit, ejusdem esse originis cum Gethis sive Gothis apud Tanaim & Pontum Euxinum habitantibus, cum illi fuerint Germani, hi Sarmatæ. Tandem addit etiam Paulus Piasecius argumentum ex lingvâ Gothorum petitum. Dicit enim, se procurante, Adamum Macovium dum in Hispaniâ A. 1622. legationem nomine Sigismundi III. Regis Polon. apud Philip. IV. Hisp. Regem obiret, perquisivisse ibi summâ diligentiâ monumenta Gothorum Wandalorumque, atq; invenisse inter alia etiam sacram Hebræorum Historiam Gothicâ lingvâ scriptam, quæ cum à Svecis, qui erant in aula Sigismundi Regis non pauci viri docti, compararetur cum vulgari tum obsoletiori, demumque cultiori scriptæ lingvæ Svecicæ & Germanicæ, nec unicum reperiri potuisse refert, in quo una alteram vocis aut syllabarum, aut Etymologiæ, significationisve proprietate assimilare sive referre posset. Provocat Piasecius etiam ad publica Regni Sveciæ monumenta, quæ adhuc ex antiquiori superstant ævo. Præcipuè verò Inscriptiones apud oppidum Telga reperiri dicit, quæ ne minimam quidem similitudinem sermonis vel characteris Gothici referunt.

IV. Deindè opponit quoque se Jornandi Philippus Cluverus, ita, ut tamen Gothos Germanis originem debere, & à Getis diversos fuisse contendat. Dicit enim, *Jornandem fabulis suis contaminasse potiùs quam illustrasse gentem Gothicam.* Quinimò, *Jornandem ineptissimarum nugarum posterioribus hominibus Ducem se præbuisse*, tradit. Et cum verba Jornandis de migratione illa ex Scandinavia produxisset, subicit sequentia: *Ergò in iis, quæ in medium adduxi primum miror,*

quisnam aliquot jam ante Trojanum bellum seculis migrationem Gothorum è vagina illa nationum Scanzia adnotaverit: undè eam bis mille circiter post annos habere potuerit vel Jornandes, vel Dexippus (qui Gallieni temporibus scripsit, ut ex Trebellio & Eunapio probat Grotius in Prolegom. ad Hist. Longob. pag. 26.) *vel deniq; Ablavius? Ipsorum Gothorum carmina, quæ ab Ablavio allegat Jornandes ad ea spectare tempora, quæ* CHRISTI JESU *Nativitatem aliquot seculis subsecuta sunt, infra patebit. Johannes verò Magnus Archiepiscopus Upsaliensis, quod Gothorum etiam ante exitum è Scandinavia XIII. Reges nominatim enumeravit; id sanè de suo, multò Jornande vesanior adfingere ausus est, è cujus Historia, si ea, quæ Duce Jornande è Geturum, Gothorum & Scytharum rebus gestis, suis Gutis falsò adstruxit, demas, vix tertia pars universi operis manebit.* Hæc & alia reperies apud Cluverum *lib. 3. Germ. Antiq. cap. 34. p. 132.* Contra Cluverum insurgit Hugo Grotius, suscipitque patrocinium Jornandis, hôc excepto, quod migrationem illam Gothorum ex Scandinavia non putat adeò esse antiquam. Excipit verò hoc dubio procul eam ob causam, ne tot, quot Jornandes, ab Adversario prematur difficultatibus. Primum argumentum, quo sententiam suam stabilire conatur, petit ex Actis publicis Legum, Judiciorum, Rationum, ubi nomen hoc Gothorum in Svedia sive Germanica sive Latinâ lingvâ semper idem invenitur. Secundum argumentum depromit ex Historiis exterarum gentium, ut Moscovitarum, Slavorum, Anglorum, Hispanorum, à quibus semper creditum est, Gothos prodiisse è Scanzia sive hodierna Svedia. Adducit super hæc in medium Anonymi cujusdam Chronicon Slavorum, cujus Auctor testatur, Martinum Episcopi Romani Legatum, cum circa An. 1467. in Svediam veniret, abstuliisse quosdam libros ex Svedia, quos Gothi circa An. Chr. 378. cum Romam & vicina raptarent, inde abstuliisse dicebantur. Ultimo loco producit testimonia Ptolemæi, & qui eum sequitur Martiani Heracleotæ, ex quibus facilè discas, jam dictorum Auctorum temporibus in Scandiarum maxima, quæ propriè Scandia vocabatur, habitasse Gutas, qui sunt ipsissimi Gothi. Verùm hæc neque Sarmaticorum Scriptorum, neq; Cluveri sententiæ quicquam derogant. Etenim quod ad primum attinet argumentum, dicere quis posset, Svedos in Actis publicis sibi Gothorum nomen vindicare, eo quod à Jornande, & quos hic sequitur,

tur, Dexippo & Ablavio, Gothos inde prodiisse sunt edocti. Cum tamen cogitare potuissent, Scriptores illos habitâ ad dictæ migrationis antiquitatem ratione, multò esse recentiores, quam ut ex illis certò res tanta probari possit. Idem ad secundum reponi posset argumentum. Videlicet Jornandem seqvuntur recentiores omnes, præsertim favente nominum affinitate, quibus gentes, de quibus jam nobis est sermo, insigniuntur. Nomen siquidem Gutarum facilè transire potuisse in nomen Gothorum, quis non videt? Chronicon illud Slavicum incredibilia nobis proponit. Notum quippè est, Gothos, cum Italiam & Hispaniam occuparent, tum non prodiisse ex Sveviâ, sed à Tanai & Ponto Euxino, quo jam multo antè à Mari Baltico, ut ipse Jornandes cap. 4. fatetur, concesserant. Neque diffitetur hoc ipsum Grotius: *Gothi*, inquiens, *ad Paludem Mæotim progressi sunt, quorum pars major hinc digressa in Daciam venit, ibiq; se primum posuit. Quando id factum sit, diserte non affirmaverim. Sed ante tempora Antoninorum id factum Spartianus me docet, qui in Caracallæ vita Gothos ait dictos Getas, quod post ipsum plurimi dixêre, Vopiscus, Lætus, Ausonius, Orosius, Hieronymus, Claudianus, Procopius. Causa duplex, primo nominis vicinitas, & una eorum sedes. Hinc Philippo imperante in Mæsiam Thraciamq; eos deducit Jornandes, & ab hoc tempore mansisse in Mæsia partem Gothorum apparet, quos minores Gothos vocat Jornandes.* Hæc & alia Jornandes *in Prolegomenis sæpè citatis.* Alibi verò Grotius migrationem ex Scandinavia plus trecentis antè Christi tempora contigisse annis existimat, idq; ex eâ ratione, quia Gothorum in Prussia succinum colligentium jam Pytheas mentionem fecit, apud Plinium *lib. 37. c. 2. circa fin. vid.* Grotius *loc. cit. pag. 14. seqq.* Alii Sveonum Scriptores multò antiquiorem hanc migrationem faciunt. Johannes enim Magnus dicit illam à Gothis ex Scandinavia susceptam Anno mundi 2531. post diluvium ann. 875. & ante Christi Nativitatem an. 1436. *vid.* Joh. Magnus *lib. 1. Hist. Svec. c. 15.* Jam si Gothi trecentis minimùm antè Christum orbi datum annis in Ulmerugiam, & ex Ulmerugia, quinto Rege regnante ad Tanaim, à Tanai deinde in Daciam, tandem exeunte seculo post Christi Nativitatem in Italiam & alia regna transmigrarunt, originis certè Scandinavicæ, quæ ante septingentos nimirùm jam tum contigerat annos, facilè poterunt oblivisci. Et quis etiam sibi imperare poterit, ut credat, Gothos in Scandinaviam

viam sive Svediam, quam antè septingentos annos reliquerant, libros transmisisse? Verùm licet etiam daremus, hoc fieri potuisse, quod Gothi spem fortasse habeant in Svediam postliminiò redeundi, antiquasque sedes suas revisendi, tamen id, quod Grotius intendit, indè non poterit deduci. Quo enim modo probabitur, Gothos, post vastatum Imperium Romanum, denuò in Svediam revertisse? Ad argumentum Grotii ultimum responderet Piasecius, Gutas Ptolemæi non alios quam Germanos, Gothos autem qui tot regna sui secêre juris, Sarmatas, adeoque hos ab illis fuisse diversissimos. Nos autem quanquam pro una gente Gothos, Gutos & Getas habemus, ex Scanzia tamen illos omnes esse ortos negamus. Videlicet, omnibus illis, quæ hactenus dicta sunt, æquâ lance ponderatis, sic tandem tota res explicari posse videtur: Gothi sive Getæ primis à diluvio Noachico temporibus ad Tanaim & Pontum Euxinum, confederunt: indè ulterius versùs occidentem adhuc ante CHRISTI nati tempora magna eorum pars progressa, in Pomerania & Prussia nostra sedes suas fixit. Cum verò & hic gens ea esset multiplicata, colonias in Svediam usque emisit. Neque obstat, quod Piasecius de Codice Gothio ex Hispania allato in medium adduxit, cum cognosci non queat, an ille Codex etiam Gothico fuerit sermone scriptus. Constat enim in Hispaniam illis temporibus non solùm Gothos, sed & Vandalos, Alanos aliosque populos penetrasse, à quarum gentium aliqua Codex ille fortasse exaratus est. Alii quoque Scriptores sunt quamplurimi, qui Gothicam illam lingvam non aliam quàm Germanicam fuisse probant. Quod autem hodiè ab omnibus, etiam eruditis, intelligi nequeat, mirum non est, cum lingva illa tot seculorum decursibus, totque populorum commixtionibus fuerit planè corrupta. *Vid.* Hugo Grotius *in Proleg. ad Hist. Longob. &c.* Johan. Micrælius *in Hist. Pomeran. Part. I.*

V. Prussi illi, quos Ordo Teutonicus sub jugum egit, videlicet Galindi, Sudini, aliique, quibus majoribus orti sint plurimæ reperiuntur sententiæ. Sunt, qui *ISRAELITIS* à Salmanassare in captivitatem abductis originem ipsos debere asserant. In ea opinione fuit Joh. Funccius, Pastor Regiomonti Palæopolitanus *in Comment. ad Chronolog. suam lib. 10. ad An. Chr. An. 1217.* ubi de Prussis illis hunc in modum loquitur: *Populus agrestis*, inquit, *& Daemoniorum cultui*

cultui deditus in ea terra habitabat. Quod reliquiæ in hodiernum diem testantur. Religio summa cum Mosis institutione de sacrando & immolando hirco in festo Propitiationis in multis conveniebat. Quem sacrificandi hirci morem Sudavii (qui in Sembia ad mare habitant, ubi & succinum eorum opera hauritur ex mediis fluctibus) adhunc diem (licet manifeste non ausint, prohibente eorum nefas pro Principe Alberto) observare dicuntur. Hinc est quod quidam putant hujus Populi originem à Judæis vel Israëlitis â Salmanassare abductis esse, de quibus alias copiosius dicendum esset nisi Sabini operam exspectarem, qui, ut supra dixi, res Ordinis conscribere dicitur. Et ad Annum Mundi 3270. Auctorem hujus opinionis dicit fuisse Andream Osiandrum, aliasque opinionis hujus adducit causas: *Atq; hinc est,* inquiens, *quod Reverendus Dominus Osiander putat, populos illos, qui Lithvaniam & Borussiam aliquando habitarunt, quorum adhuc mediocris multitudo in Borussia, ortum suum habuisse. Cujus conjecturæ haut infirma argumenta sunt, tam lingva, quam veteres eorum cæremoniæ & Religio.* Sed præter has, alias etiam hujus opinionis causas legimus apud Severinum Göbelium Sereniss. Alberti, Marchionis Brandenburgici & primi Ducis Prussiæ Archiatrum, in libro, cui titulum fecit: **Einfältiger iedoch gründlicher Bericht und Bedencken vom Ursprung des Agadt oder Börnsteins ꝛc.** Hoc tamen sententiæ illæ discrepant, quod Göbelius Judæos non à Salmanassare in captivitatem abductos; sed post excidium Urbis Hierosolymitanæ à Tito Vespasiano Imperatore expulsos huc concessisse, statui posse putet. Sic autem ille *lib. cit. c. 3.* eâ de re scribit: **Solch Volck** (in Sudinia) **ist eine Zeitlang ziemlich hart gehalten/ mehrentheil ihrer Abötterey halben/ oder Anruffung der unvernünftigen Creaturen/ Böcke/ Schlangen/ in Ertichtung vieler Götter und Heiligen/ davon man sie lange Jahre hero nicht wohl bringen können. Denn weil sie an der See/ und wohnen/ und den Halsstarrigen Ort an sich gehabt haben/ welche Halsstarrigkeit von der H. Schrifft sonst den Jüden beygeleget/ hat mancher erachtet/ es werden die Leutlein nach der erschröcklichen Zerstörung Jerusalem/ da viel Jüden auf die Schiff geflohen/ und von den Wenden hin und wieder verschlagen worden/ etliche von den überbliebenen an diese Ort Landes angetrieben seyn/ und allda in ihren**

Fischer-Büdlein ihre Nahrung gesucht / insonderheit weil sie noch in ihrem alten Klaglied den Nahmen Jeru / Jeru / als Jerusalem / offt wiederholen und kläglichen singen. Edidit hunc librum Auctor An. 1567. Filius autem ipsius Severinus Göbelius Med. D. alteram procuravit An. 1616. editionem. Ex his jam conjecturæ hujus causas audivimus, quas breviter examinare placet. Lingvam Veterum Prussorum nemo præter Funccium Hebraicæ esse similem asseruit. Quod si autem hoc verum est, & Lithvani, & Curoni & Samogitæ & alii populi à Judæis illis per Salmanassarem abductis originem trahent, cum hæ gentes unam eandemque habuerint lingvam, quod num dici possit, equidem dubito. Sed neque ex Religione Veterum Prussorum hoc ipsum probabitur. Prussi namq; Veteres Percunum, Pikollum, Potrimpum, item Solem, Lunam, Stellas, lucos, fontes, serpentes, aliasq; bestias divino cultu afficiebant, quod certè ab Israëlitis non didicerunt. Convenientia qualiscunque in uno vel altero religioso ritu, non facit certum originis in aliqua gente argumentum. Novimus quippè cacodæmonem, ut DEI simiam, suos sectatores docere ritus, ritibus à DEO institutis haut absimiles, ut pluribus exemplis, si necessitas id exigeret, probare in proclivi esset. Et si adeò levis sacrorum rituum convenientia, ut hic est in hirco consecrando, faceret eandem gentium originem, probari posset, etiam Græcos & Romanos sacra sua & lingvam à Judæis accepisse, cum & apud ipsos hircum Baccho fuisse immolatum legamus. *Vid.* Virgil. *lib. 2. Georg. v. 380. & 395.* Ovid. *lib. 1. Fastor. v. 117.* Deindè, si hoc argumentum procederet, probari nullo negotio posset, Prussos illos Veteres ab omnibus gentibus originem ducere. Nam nulla, credo, gens est sive tam moribus exculta, sive tam barbara, quæ non habuerit olim cum Prussis aliquid in sacris ritibus commune. Magna igitur convenientia rituum sit oportet, eaq; rationibus variis suffulta, si argumentum ex eâ petitum procedere debet. Reliqua argumenta quæ à pertinacia Prussorum & ex hymno Jeru, Jeru, deprompta ipse Göbelius citato loco nimis esse infirma fatetur, quam ut tantam rem nobis persvadere queant. Et hæc etiam est causa, cur Göbelius ipse huic opinioni suum non adjiciat calculum.

VI. Ab Hebræis progredimur ad Græcos, cum non desint, qui & ab illis Prussos deducant. Sed & hi in diversas abeunt sententias. Qui-

Quidam à MACEDONIBUS & Alexandri Magni Ducibus Prussos putant ortos. Primus, ut opinor, qui hanc fabulam in medium protulit, est Witechindus Sec. X Scriptor, qui cum aliis Historiarum monumentis esset destitutus, in pueritia se hoc fando audivisse testatur, Saxonibus suis tam præclaram originem deberi. *lib. 1. Rerum Saxonicarum in princ.* Alii ne solis Saxonibus hanc felicitatem tribuere velle viderentur, vocarunt in communionem ejusdem non solum Pomeranos, sed & Prussos. Abbas Stadensis, qui Sec. XIII. à Christi nativitate vixit, cum varias de Saxonum origine sententias enumerasset, addit: *Invenitur etiam, quod reliquiæ fuerint Macedonum, & mortuo Alexandro per totum orbem sint dispersi. Quia enim Alexander virtute eorum devicerat Asiam, eo defuncto se illi terræ amplius committere non audebant, sed cum 300. navibus recesserunt, quæ omnes perierunt exceptis 54. quarum 18. PRUCIAM occuparunt. 12. RUGIAM. 24. applicuerunt ad Albiam, quarum una trans Albiam sylvam incoluit & succidit, in qua postmodum sunt inventi & Holsati appellati.* Hæc Abbas Stadensis *ad An. 917. fol. 99. a. Edit. Reineri Reineccii An. 1587. Helmstadii.* Alii etiam varias circumstantias addunt, ostenduntque quâ viâ Macedones in has oras sint progressi. Gobelinus Persona: *Macedones,* inquit, *quos Alexander apud montes Caspios tanquam sibi fideliores ad custodiam Patriæ reliquerat, audientes eum esse mortuum, turbati sunt valdè, & perpendentes odium incolarum per terram redire in Macedoniam desperabant. Quare CCC. navibus præparatis miserunt se in mare Caspium & diu navigantes per mare oceanum sedes sibi quærebant: Sed tum longius oberrabant magis tempestate omnes naves eorum præter 54. perierunt. De quibus tandem XVIII. naves intrabant BRUZZIAM, & 12. naves terram Rugen & litora maris propinqua. Et reliquæ XXIV. naves ad ostium fluminis Albiæ applicuerunt* Hæc ille in Cosmodromio *ætate V. cap. XI. pag. 105.* Aliam adhuc viam monstrat Gotfridus Viterbiensis *in Chron. Part. XV. fol. 421.* cujus versus, licet incultos, hic damus:

Nunc benè procedo, dum tempora Saxonis edo
Saxo, velut credo, patriâ fuit ante Macedo
Regis Alexandri miles ubique fuit.

Rege diem functo tulit à Babylone meatum,
Circuit Italiam ratibus veniens Arelatum,
Siciliaq; pharon transit in oceanum.
Inde per Oceanum Britannica litora transit
Gvisara Saxonica terminus ejus erat.

Verum hæc esse fabulosa quis non animadvertit? Cui namque ignotum est Alexandro Macedone mortuo, Duces ipsius imperium inter se divisisse. *Vid.* Curtius *lib. 10. cap. ult.* Deinde fabulam illam esse, ostendit iter maritimum, quod illi suscepisse fecisseque dicuntur per mare Caspium & Oceanum sine dubio Septentrionalem. Notum enim est ex Tabulis Geographicis recentissimis à mari Caspio ad Septentrionalem Oceanum nullum dari transitum. Alterum iter per mare mediterraneum, licet tanta non habeat incommoda, quoniam tamen nullo nititur veterum Scriptorum testimonio, facilè falsitatis convincitur. *Conf.* Albert. Cranzius *in Præfat. ad Saxoniam.*

VII. Alii ex Asia minore & speciatim ex *BITHYNIA* gentem græcam in nostras oras, Duce PRUSIA Bithyniæ Rege, venisse referunt, à quo Prusia etiam Prussiam appellatam esse volunt. Primus, quod sciam, hujus sententiæ auctor est Joannes Dlugossius, Historicus Polonicus, qui sub Casimiro III. (IV.) Jagellonide circa An. 1450. floruit. Hic eâ de re sic loquitur: *Dum enim Prusias Bithyniæ Rex apud quem Hannibal Pœnorum Dux à populo Romano victus & fugatus exulavit svasu Hannibalis temerè contra populum Romanum bellum suscepisset & publicam pugnam non respondentibus fibris, dum exta inspiceret inire esset ausus, ubi etiam in hunc modum ab Annibale increparetur) At tu, inquit, ô Prusia, vitulinæ caruncula credere mavis quam Imperatori probato? Conflictus ergò & superatus Prusias cum Bithyniis gente sua in Aquilonarem oram Romanos fugiens venit, & ex suo titulo Prussiæ nomen fecit.* Hæc Dlugossius *Tom. I. Hist. Polon. lib. 2. ad An. 997. pag. 114.* Præter nomen autem Prusiæ hanc Dlugosso persvasit sententiam, lingva Prussorum, quam græcam fuisse dicit: *Bithynii autem*, subjungens, *populi etiam in hanc diem* (in Prussia) *manent vestigia, quoniam nonnulli Pruteni priscæ lingvæ retinent vocabula, & ab Æolicis, Doricis, Atticis & Jonicis populis competenter intelliguntur.* Dlugossium sequitur Matthias à Michovia, qui itidem à Prusia Prussiam

siam dictam esse non tam ex suâ, quam ex aliorum sententia tradit. Addit etiam, hoc probari ab asserentibus ex græco sermone. Sic enim ille: *Signum hujus asserentes inducunt, quod vulgare Græcum loquentes intelligunt pleraq; verba Prutenorum ex regione Bithyniæ Græci sermonis propagata.* Hæc ille *lib. 2. Chron. Polon. cap. 8. pag. 25. in Corp. Hist. Polon. Tom. II.* Quod hic de græca lingva Dlugossus & Mechovius proponunt, illud, quod ego maximè miror, comprobat & Jodocus Willichius Resellianus Prussus, qui circa An. 1560. Commentarium in Cornelii Taciti libellum de Morib. German. scripsit. Hic enim *Part. 2. citati Commentarii cap. 14. pag. 476.* de lucis Germanorum sacris verba faciens: *Quare*, inquit, *pro templis illi* (germani) *lucos & nemora consecrata retinuerant, in quibus ceremoniæ certæ per sacrificia habebantur. Vidimus & eam consvetudinem adhuc reliquam Nicmonis, i. e. hodiè vocati Memelii accolas observare non longè à Regiomonte Borussiæ, ubi hircos potissimum mactant. Quare Germanica lingva* Bockheliger, *i. e. hircorum cultores plerumque vocantur, eos tamen Illustriss. Dux Albertus, Marchio Brandenb. studiorum singularis Mæcenas ad veram pietatis Christianæ formam reducere conatus est, iiq; sunt veri in illis partibus Borussi, quorum lingva non est Vandalica & admodum peregrina; sed Græca depravata, sicut Gallica & Hispanica ex latina corrupta ferè nata est, SICUT IPSE USU COMPERI, QUOTIES IPSIS GRÆCISSANDO LOCUTUS SUM, ut qui Patriæ meæ vicini sunt.*

VIII. Cum igitur hoc argumentum à lingvæ convenientia desumtum satis stringere videatur, videbimus, quid veri assertiones illæ contineant. Testimonia illa Dlugossi & Willichii multis omni exceptione videbuntur majora, cum ille disertis asserat verbis, *Prussos ab Æolicis, Doricis, Atticis & Jonicis populis competenter intelligi.* Hic insuper id seipsum comperisse dicat, *quoties Græcissando illis locutus esset.* Verùm ego mihi religioni non ducam, hæc omnia una litura inducere. Nam quod ad Dlugossum attinet, ille paulò ante citata verba dixerat: *Erat autem pro ea tempestate Prutenorum gens sæva & crudelis - speciale habens idioma, à Latino tamen aliquantulum derivatum & quod cum Lithvanico habet concordantiam aliquam - unius moris & lingvæ cognationisq; Pruteni & Lithvani Samogitæq; fuisse dignoscuntur - & quamvis gentes ipsa in pronunciatione verborum differunt,*

quemadmodum Poloni, Bohemi, Rutheni. Nihilominus in multis conveniunt. Ex quibus patet, Dlugoſſum Pruſſis & Lithvanis lingvam cum Latina in multis convenientem tribuere, ejusdemque originis illas eſſe gentes aſſerere. Mox autem, idem ille Dlugoſſus, quaſi ſuorum verborum oblitus, modò citatis verbis proximè ſubjicit: *Non unius tamen ſtirpis & lingvæ fuiſſe æſtimantur. Sed Prutenis alia fertur fuiſſe qvam Lithvanis & Samogitis origo. Dum enim Pruſſias Bithyniæ Rex apud quem Annibal. &c.* Hic Dlugoſſum ſibi ipſi non conſtare, nemo non intelligit. Quis igitur ipſius teſtimonio tantum deferet, quantum primâ fronte ipſi videbatur deferendum? Sed turpius adhuc ſeſe Willichius dedit. Nam primum cum loco citato agat de Veteribus Pruſſis, qui Pruſſica adhuc lingvâ utebantur, debuit cum ipſis loqui in Sudinia ſive extrema Sambiæ parte, ubi ſuperiore Seculo adhuc frequentiſſimi erant. Deinde maximam lingva illa convenientiam cum Græca habuerit neceſſe eſt, nec oportet eam adeò fuiſſe corruptam ex Græca, ut Hiſpanicam & Gallicam ex Latina, utpote quæ etiam à Latinè doctis, ob variam verborum flexionem & pronunciationem diverſiſſimam, intelligi non queunt. Denique neceſſarium etiam fuit, ut Willichius accuratè ſciverit lingvam Græcam, de eaque potuerit judicare fueritne à Pruſſis corrupta nec ne? Verum an hæc ita ſe habere poſſint, judicet Lector benevolus ex aliis Willichii verbis, quæ reperiuntur *Parte II. Commentarii in librum Taciti de moribus Germanorum cap. 25. pag. 631. ſeqq.* Cum enim ipſi à quibusdam opponeretur: *Jodocus eſt Boruſſus, & ſuccini naturam non probè deſcripſit.* Reſpondet ad hanc oppoſitionem: *Fateor quidem me eſſe Boruſſum, eumq; Reſellianum ſub Epiſcopatu Warmienſi, qui eſt & Heilsbergenſis; Sed poſt parentum meorum mortem ſtatim in prima ætate vixdum quatuordecim annos natum in Marchiam Brennopyrgenſem, ubi eſt Francofurdiana Academia perveniſſe.* Et cum ſtudia ſua Francofurti inſtituta recenſuiſſet, ſubnectit: *Ubi Bucolica Virgilii enarrare incepi atque Commentaria qualiacunq; ſub prælo excuſa ſunt. In quibus cum locus de electro explicandus eſſet, multos meos Cives conſului, ut veritatem pro virili adumbrarem. Siquidem eam partem nunquam in mea vita vidi, cum ne partes quidem meæ Patriæ ſatis pro dignitate perluſtrarim.* Si igitur in primâ ætate vixdum quatuordecim annos natus Pruſſiam reliquit, parti-

partibus Patriæ suæ, id est, tractûs Roselliani, nondum satis perlustratis, quomodo igitur cum Prussis veteribus adhuc adolescentulus, in tanta renascentium tantùm in Prussia literarum caligine sæpè Græcissando loqui potuit? Sed certè daremus, hæc omnia fieri potuisse, præsertim cum quamplurima exempla testentur, ingenia alia præ aliis magis efflorescere; cum etiam non ignoremus, non tantum in Sudinia superiore seculo repertos fuisse homines, quibus Prussica lingva erat in usu, sed etiam in aliis Prussiæ locis, ut in vicis & pagis tractus Warmiensis, teste Cromero Episcopo Warmiensi *lib. I. Hist. Polon. cap. 5. pag. 409. Tom. II. in Corp. Hist. Polon.* Sic etiam in Nattangia & circa Welaviam, ut patet ex præfatione *Catechismi Prussici jussu Illustrissimi Ducis Alberti An. 1545. Regiomonti typis mandati.* Idcircò dari facilè possent illa, quæ Willichius asserebat, si ea lingvæ Prussiæ cum Græca esset convenientia. Paucas hic voces in medium adducere non sufficit, ut assertio willichii comprobetur, cum nulla lingva adeò sit ab altera diversa, quæ non habeat aliquam saltem, cum illa convenientiam. Sic Slavonicæ Lingvæ cum Græca & Latina harmoniam ostendit Wolffgang. Lazius *lib. XI. de Migrat. Gentium pag. 596. seqq.* Eadem illa lingva ex Germanico sermone non pauca habet vocabula, ut utriusque lingvæ gnaris notum est, & tamen diversam à Græcis, Latinis & Germanis originem sibi adscribunt Slavonicæ gentes. Magna itaque lingvarum convenientia reperiatur oportet, si argumentum illud quicquam valere debet. An verò hic talis convenientia reperiatur, meritò dubitamus. Agemus ea de re infra peculiari Dissertatione, quò Lectorem Benevol. remittimus.

IX. Vanum autem insuper & hoc est, quod dicunt, Prusiam, Regem Bithyniæ Prussiæ nomen dedisse. Cum enim nomen hoc, ut dudum diximus, Seculo demum à Christi Nativitate decimo orbi innotuerit, quomodo Prussia nominis sui auctorem nuncupare poterit Bithyniæ Regem Prusiam? Altum præterea silentium est apud Veteres Geographos de Prussia, etsi multis gentibus ob succinum, quod ibi colligebatur, fuerit satis nota. Dein illa, quæ de fuga Prusiæ in has oras proponit Dlugossius, fabulosa esse, quis non animadvertit? Reclamat huic Justinus *lib. 34. Hist. c. 4.* qui Prusiam à filio Regno exutum, etiam à servis desertum, & cum in latebris ageret, non minori scelere, quam filium occidi jusserat, à filio interfectum memorat.

memorat. Epitomator quoque Livii *lib. 50.* alia, quam quæ Dlugos. sus proponit, de Prusia Rege habet: *Prusas*, inquiens, *Rex Bithyniæ, omnium humillimorumq; vitiorum à Nicomede filio adjuvante Attalo Rege occisus est.* Conf. & Strabo *lib. 13. Geogr.*

X. Non desunt etiam, qui vanitatem sententiæ prioris animadvertentes, Prussos illos, quos Teutonicus Ordo sibi subjecit, à Bructeris Germanicis populis in has oras transgressis, nomen accepisse existimant. Occasionem huic opinioni præbuisse videtur ipse Petrus de Dusburg. Hic enim *Part. II. Chron. Pruss. cap. 7.* dicit, multa bella quondam in Prussia fuisse gesta per Julium Cæsarem, item novem Germanos de Swetia, & per Hugonem dictum Potyre. De hoc, quem ultimo loco commemoravimus, sic scribit Erasmus Stella: *Ea tempestate* (Ottonis I. Imperatoris tempore) *barbara gens iterum latrocinio finitimos impetens per Hugonem dictum POTYRUM, alias BRUCTERUM ex Saxonia natum tum Principem Germanorum Vistulam ex utraq; ripa accolentium (quos alii Bructeros fuisse autumant) seditionibus ex natali solo pulsos in hæc loca devenisse, ab ejus gentis Principe, qui illic (ut dictum est) imperabat Borussis, compressi sunt, adeoq; viribus exuti, ut pacem longissimam servarint.* Hæc Stella *lib. 2. Antiq. Borus. supra medium.* Derivat etiam Prussos à Bructeris Æneas Piccolominæus Senensis *in Statu Europæ sub Friderico III. Imp. cap. 29. pag. 74. Tom. II. Script. German. à Marqu. Freher o editorum.* Gemina his habet & Jacobus Spigelius, cujus hic verba non pigrabimur adscribere: *Strabo*, inquit ille, *auctor est, circa Amasin fluvium Bructeros habitasse. Hos Drusus navali prælio superavit. Unde ab Austro in Aquilonem delapsi ad Oceanum, hodiè Prutheni putantur. Facilè namq; Bructeros in Prutbenos convertit.* Eandem opinionem hausit etiam ex Dusburgio Caspar Hennebergerus, qui in Tabulâ Geographicâ Prussiæ Veteris, libello de Veteri Prussia, adjectâ, Bructeros collocat in ripa Vistulæ occidentali juxta Culmensem Provinciam. Sed & hæc sententia facili negotio exploditur. Certum quidem est, Strabonem asserere Bructeros à Druso superatos esse. *lib. 7. Geogr. in pr.* Conf. & Tacitus *lib. 1. Annal. cap. 51.* Sed Bructeros post illam pugnam in Prussiam usq; penetrasse, neq; Strabo, neq; Tacitus, neq; alius quispiam illorum Seculorum Scriptor asserit. Quinimò post illam pugnam, nimirum primò Principatûs Trajani annò, Romæ

nuncia-

nunciatum erat, Bructeros à Chamavis & Angrivariis pulsos ac penitùs excisos, teste Tacito *lib. de morib. German. cap. 33.* Quorsum verò reliquiæ Bructerorum concesserint, haut facilè dictu est. Philippus Cluverus eos collocat super Rheni ripam inter Agrippinensem Coloniam & Confluentes Mosellæ. *lib. 3. German. Antiq. 14.* Neque etiam nomen Bructerorum adeò affine est nomini Prussorum vel Prutenorum, ut eâ facilitate in illud potuerit transire. Taceo jam contradictiones citatorum Auctorum, quæ Lector Benevolus facile notabit ridebitque.

XI. Celeberrima quoq; illa est migratio, quæ à PRUTENO & ipsius fratre WIDEWUTO in Prussiam susceptа esse vulgò dicitur. Plena sunt de hac migratione Chronica non solum superiore, sed & hoc Seculo à Prussis Lithvanisq; scripta. Quo tempore illa contigerit, non convenit inter omnes. Primùm Erasmus Stella *lib. 2. Antiq. Pruss.* & Albertus Wijuk Kojalowicz *p. 1. Hist. Lithv. lib. 1. p. 13.* referunt eam ad Valentiniani Imperat. tempora. Deindè Alexander Gvagvinus retulit Regum horum ætatem ad Ann. Chr. 503. *in Descript. Pruss. quæ habetur in Sarmatiâ Europeâ.* Tertiam de migratione hac sententiam reperio apud D. Cœlestinum Mislentam, qui, *in Proleg. ad Manuale Prutenicum*, nescio quem secutus auctorem, Waidewuti ætatem refert ad Sec. à Chr. nato XIII. Dicit enim Conradum, Masoviæ Ducem, (quem perperam Uladislai exulis filium facit) filiam suam elocasse Chelmo (à quo Culmensis terra nomen sortita) eumq; simul ad Christianam religionem, frustrà reluctante Chelmonis parente Waidevvuto, convertisse: De loco etiam sive de Regione, ex quâ illa migratio susceptа est, non consentiunt Historici. Prussica Chronica pleraq;, ut Grunovii, Hennebergeri, Waisselii, ut & quædam alia, CIMBRICOS illos Principes fuisse autumant. Cimbros autem illos reliquias Gothorum Româ pulsorum fuisse quidam ex citatis Historicis existimant. Lithvanici Scriptores, quibus se adjungit Erasmus Stella, Reges illos *ALANORUM* fuisse perhibent. *Vid.* Stella *l. 2. pr.* Ipsa migrationis Historia hunc ferè in modum à Kojalovicio describitur: *Circa tempora Valentiniani An. 366. Alani Duce Lithalano à Sicambris cæsi cum patriam sine probro intrare non poterant, in Prussiam concesserunt, quos Prussi, ut religione, lingvâ, ritibus, origine socium libenter susceperunt. Inde Widewutus Alanus electus est Rex Prussorum liberis votis.*

Hæc Cojalovvicz *loc. cit. pag. 13.* Ex his sententia prior, quæ Prusfos ex Cimbria deducit, sine ullo dubio ex fabulosa illa Gothorum ex Scandinavia migratione expressa & efficta est. Videlicet acceperant famâ atque auditione Scriptores nostri, Gotos huc aliquando ex Scandinavia concessisse, idcircò cum eandem aliquot circumstantiarum enarratione convestire atq; exornare vellent, nescio quem Prutenum Widevvutumq; nobis effinxerunt. Commentum hoc esse, & quidem recentioribus seculis ingeniosè satis excogitatum, concedet, qui nominum illorum originem consideraverit. Clarissimus Vir Dn. M. Matth. Prætorius, Pastor Niebudzensis, in Annotatis ad Dissertationem meam de Idololatria Veterum Prussorum (Ann. 1675. publici juris factam) mihi transmissis, *Waidewutum* putat dictum esse à Prussica voce *Waidin*, i. e. scientia, & *Wuitis*, i. e. Præfectus. Waidevvutus igitur secundùm hanc nomenclationem erit Scientiæ Præfectus, sive Doctor scientificus. *Prutenus* autem dictus ipsi videtur à *Pruta* i. e. intelligentia. Hinc cum recentiorum temporum otiosa ingenia Legum Prussicarum Auctores comminisci vellent, commenti sunt, etiam ejusmodi nomina, quæ Legumlatoribus conveniunt. Confirmabimur in ea sententia, si primos Historiæ Prussicæ Conditores inspexerimus, qui nihil prorsus de Pruteno & Waidevvuto habent, illos certè non omisturi, si quid de illis ex antiquioribus Historicis accepissent. Sed licet & illi Prutenum atq; Widevvutum agnoscerent, adhuc tamen quæri posset, undè illi hæc depromserint, cum in tanta harum gentium barbarie nemo literis ea consignarit. Adhæc si Prutenus & Waidevvutus Sec. IV. vel subsequente in Prussiam commigrassent, cur neq; Jornandes, neq; Theodoricus Gothorum Rex apud Cassiodorum, neq; Eginhard. neq; alius quispiam exterorum Scriptor, ipsos appellat à Pruteno illo Prutenos? Cur ipsos solo Æstiorum nomine insigniunt? vel saltem Cimbricos Scriptores, posterioribus præsertim temporibus, dum quævis gens in res suæ gentis antiquis temporibus gestas sedulo inquirit, hæc notasse oportuit. Jam verò altissimum est apud ipsos de Pruteno atq; Waidevvuto silentium. Quod ad posteriorem sententiam, quæ ab Alanis Prussos deducit, attinet, illa non uno modo ab omnibus explicatur. Kojalovvicius hoc intelligere videtur de Alanis, quos Ptolemæus in loco supra nobis adducto collocat ad orientem propè Stavanos; quosque antiqui Scriptores

ad

ad Tanaim & paludem Mæotin collocant. Sic enim Claudianus *lib. 1. in Ruffin.*

Patriamq; bibens Mæotin Alanus.

Conf. & Ammianus Marcellinus *l. 31. Hist.* & alii. Sed Johannes Magnus existimat omnium Alanorum originem commodè posse referri ad illam gentium vaginam, Scandinaviam, Alandosque eos fuisse, qui in Insulis inter Scandiam & Finningiam habitant, eosque in vicinam Russiam antiquissimis temporibus commigrasse. *l. 15. Hist. Goth. Sveonumq; cap. 19.* Ab illis putat idem Joannes Magnus dictos esse Roxolanos, qvasi dicas Russos Alanos. Fatetnr tamen ingenuè suas tantùm has esse conjecturas. Ad eundem modum Illustris Vir Joachimus Pastorius ab Hurtemberg existimat Wandalos quoque dictos esse, quasi Wendos Alanos, Lithvani deniq; Scriptores Lithvanos appellatos esse putant, quasi Lithvanos Alanos. Hic ut nostram promamus sententiam, tenendum esse putamus, non posse Wandalos, Roxolanos, Lithvanos pro unius originis gente venditari. Vandalos enim fuisse Germanos, diversosq; â Wendis, Lithvanis, Roxolanis, Sarmaticis populis probat egregiè Grotius *in Præfation. ad Hist. Wandalorum &c.* Vid. quæ & nos ea de re diximus *lib. 1. de Republic. Polon. cap. 1. & in Originib. Pomeran.* Deindè ex Alandia Sinus Codani Insula Alanos illos orientales & Lithvanos cum Joanne Magno, quam Gothos ex Scanzia cum Jornande deducêre, multò absurdius esse videtur. Hoc enim testimoniis minimum Dexippi & Ablavii ipsiusque Jornandis nititur; sed illud ex vetustioribus asseruit nemo. Dicere quidem possemus cum Procopio Sec. VI. Scriptore Alanos fuisse genus Gothicum (*ex lib. 1. de bell. Wandal. cap. 3. p. 153.* simulq; cum Gothis ex Scanzia prodiisse: Sed quid hoc aliud esset dicere, quam turrim Babylonicam in Svedia structam, indèq; dispersionem tot gentium, ut Vandalorum, Lithvanorum, Prussorum, Russorum, Longobardorum, Gothorum aliorumq; populorum, factam esse asserere? Ab Alanis certè illis Ptolemæo memoratis commodius Lithvani & Prussi deduci posse videntur. Svadet enim, hoc ut credamus, Scriptorum Lithvanicorum aliorumque, ut Matthiæ Strykovii Ossostevicii, Kojalovicii, Erasmi Stellæ, Jodoci Ludovici Decii, Joannis Aubani Boëmi, aliorumq; unanimis consensus; Svadet populorum vicinitas; Svadent deniq; harum gentium nomina, quæ Alanorum

memoriam adhuc conservare videntur, ut sunt Lithalani & Roxalani. Samogitæ etiam ex quorundam sententiâ dicuntur fuisse Massagetæ, quos Alanorum fuisse propaginem, testatur Ammianus Marcellinus. Et hæc argumenta tanti ponderis mihi sunt visa, ut etiam illam sententiam in Dissertatione de Originibus Prussicis adstruxerim. Sed, ne quid dissimulem, non exiguum deindè mihi scrupulum injecit, Ammianus Marcellinus, qui *lib. 31. Hist. non longè à princ.* describens Alanos, talem religionem cultumq; divinum, mores item tales ipsis tribuit, quales Lithvanis & Prussis illis veteribus minimè conveniunt. Ut cætera præteream, de quibus videri potest Ammian. Marcellinus, illud tantùm hîc commemorare lubet, Alanos gentem semper fuisse habitam bellicosissimam; Prussos autem non nisi postremis temporibus armis assveviſe deindè probabimus. De Alanis exsertè Lucan. *l. 8.*

- - - peterem cum Caspia claustra
Et sequerer duros, æterni Martis, Alanos

Idem Lucanus *lib. 10.*

- - - quem non violasset Alanus
Non Scytha &c.

Valerius Flaccus *l. 6.* Argonautis.

Miserat ardentes, mox ipse secutus, Alanos.

Laonicus Chalcondylas: *Verum*, inquit, *Alani ad Caucasum se usq; extendunt, qui præ reliquis habentur Viri fortissimi & bellicarum rerum peritissimi. Hi conficiunt loricas optimas-- æra habent quæ ex ære parant.* Prussos autem diversos ab his mores habuisse sequentia probabunt. Conf. Casp. Barthius *in Notis ad Guilhelmi Britonis lib. 1. Philipp. vers. 123. pag. 29.* ubi fusè de Alanis. Proinde neque hæc sententia, quæ Lithvanos & Prussos ab Alanis deducit, mihi per omnia probari posse videtur.

XII. Porrò sunt etiam, qui ROMANOS Prussis illis originem dedisse dicunt, etiamsi de tempore, quo in Prussiam penetrarint, non consentiant. Alii tempus planè se ignorare scribunt, ut Martin. Cromerus *lib. 3. de Gest. Polon. p. 443. Tom. II. in Corp. Hist. Polon.* Alii, ne nihil ea de re dixisse videantur, referunt hoc ad Julii Cæsaris tempora, quibus, bellis civilibus exortis, Romanorum non pauci in Lithvaniam & Prussiam commigrasse memorantur, quam sententiam fovet Johannes Dlugossus *Tom. I. Hist. Polon. l. 2. pag. 113.* Alii multò serius

id

id contigisse scribunt. Albertus namq; Kojalovvicz cum multis hanc opinionem premi difficultatibus cerneret, ad Sec. X. & speciatim ad An. 924. hanc migrationem reduci posse existimat *part. I. Hist. Lithv. l. 2. p. 31. seq.* Deindè non consentiunt etiam Scriptores nostri ac Lithvanici, quâ viâ huc sint delati Romani. Albertus Kojalovvicz sic ea de re loquitur: *Itali Ann. 924. -- Venedico sive Baltico mari per exigui freti angustias Curonensem sinum invecti, litus legendo in ostia Nemenis seu Chroni inciderunt, ubi is longo per Russiam, Lithvaniam & Prussiam cursu collectas aquas duodecim alveis exonerat. Adverso flumine interiora continentis ingressi ad ostium Dubissæ amnis loco commodo inter amœnam camporum planiciem prima coloniæ novæ fundamenta jecerunt. ROMANOVA tunc dicta est, à posteris Romnove & Romove.* sed Caspar Peucerus, & ex eo Joachimus Curæus *in Annal. Silesiæ pag. 36.* Romanos huc ingressos esse putant per Valachiam & Podoliam terrestri itinere. Verba Curæi sunt: *De origine gentis Prussicæ neminem probabilius quid afferre, quam D. Peucerum Virum Clariss. qui putat eos in eas regiones Arctoas desertas tunc à Slavis, qui sese in Pomeraniam & Poloniam infuderant, migrasse ex Valachia, & fuisse olim colonos Italicos collocatos in Valachiam ab Imperatoribus Græcis, ut arcerent Slavos ab Imperio Constantinopolitano, sed superatos tandem multitudine & vi Slavorum patriam reliquisse. Etsi autem posteritas inter barbaros, ut ille inquit, barbara facta est, tamen aliquos mores gentis Italicæ veteris in quotidiano usu balneorum, in ritu funerum, in cremandis cadaveribus suorum retinuerunt.* Hæc ille. Et certè migratio hæc aliquot probari potest rationibus. Primùm namq; probabile est ROMOVE sive ROMNOVE Prussicam urbem, referre nomen Romæ novæ, quam in Veteris illius memoriam hîc Romani condidêre. Testatur hoc antiquissimus rerum Prussicarum Scriptor Petr. de Dusburg. *part. 3. c. 5. init.* Ex recentioribus confirmat idem Stanisl. Sarnitius *lib. 6. Annal. Polon. p. 286. & 293. seq. & alii.* Tametsi non nesciam, probabilem itidem esse sententiam Viri Clariss. atq; Rev. Dn. M. Prætorii, Pastoris Niebudzensis, qui hoc nomen ex Veteri lingvâ Prussicâ deducit, vultque urbem ita dictam à quercu illa sacra, sub quâ Dii Prussorum habitabant. Sed quoniam ea de re infra pluscula nobis erunt dicenda, eò Benev. Lectorem remittimus. Deindè magna Lingvæ Lithvanicæ & Prussicæ cum Latinâ convenientia id ipsum confirmat, ut peculiari Dissertatione docebimus.

mus. Ad extremum Ritus in sacris quamplurimi apud Prussos reperiuntur, qui & apud Romanos olim fuerunt in usu. Testatur illud Michalo Lithvanus his inter alia verbis: *Nos Lithvani ex Italico sermone oriundi sumus. Quod ita esse liquet ex sermone nostro semilatino & ex ritibus Romanorum vetustis, qui non ita pridem desiêre apud nos, videlicet ex concrematis humanis corporibus, auguriis, auspiciis aliisq; superstitionibus adhuc in quibusdam locis durantibus: maximê cultu Æsculapii, qui sub eadem, qui olim Romam ab Epidauro commigraverat, serpentis specie colitur. Coluntur & sacri penates, manes, lares, lemures, montes, specus, lacus, luci. Sed nec admodum diu sacer ille perpetuusq; qui cremandis victimis Romanorum Hebræorumq; more fovebatur, extinctus est, per baptismatis undam, ugnis, id est, ignis.* Quæ hic Michalo de suis confirmat Lithvanis, illa omnia de Prussis quoque nostris dici possunt.

XIII. Præterea non pauci quoque Prussos illos à BORUSCIS adeòque à Russis & Originem & nomen habere contendunt. Boruscī autem Ptolemæi tempore ad Riphæos montes habitabant. Ptolem. *lib. 3. Geogr. c. 5. pag. 82.* Riphæos montes Plinius, quamvis quorundam judicio perperam, eo in loco collocat, ubi Tanais fontes suos habet i. e. in hodierna Russia. *Vid.* Plin. *lib. 4. cap. 12. pag. 58.* Est in hâc opinione de Boruscis Prussorum Parentibus Erasmus Stella *lib. 1. Antiq. Borus. circ. fin.* ubi dicit, populos ad Riphæos montes habitantes perpetuis nivibus & algoribus huc esse compulsos. Comprobat hæc & Martinus Cromerus: *Inter multas*, inquiens, *Sarmatiæ Europæa gentes Boruscī à Ptolemæo in Geographia ad Septentrionem valde remoti ponuntur, in ea ora, quam nunc Livones & Moschi, ut opinor, obtinent ultra Cherniscum amnem Riphæis vicini. Eos ego aliquo tempore ad meridiem & occidentem progressos magnam Germaniæ partem, quæ ab oriente Russis & Moschis conjungitur à meridie, nemoribus & Hercinio saltu claudit & omnem illum tractum, qui secundum Venedici sive Baltici sive Codani sinus litus usq; ad Vistulam & ostia fluvios pertinet, tenuisse, & Borussos & Prussos deflexo paululum nomine dictos esse cum Erasmo Stella crediderim.* Hæc Cromerus *lib. 3. de ortu & reb. gest. Polon. pag. 442. seq.* His tamen opponit sese Cluverus, dicitq; *delirare eos, qui Boruscos Ptolemæi apud Riphæos montes memoratos populos corrumpunt in Borussos, interpretanturq; Prussos. lib. 3. Germ. Antiqv. c. 44.*

pag

pag. 193. Nullas autem Cluverus dissensionis suæ adjicit causas. Nos, quamvis Prussiam antiquam usque ad montes Riphæos fuisse extensam negemus (quam sententiam etiam Cluverus tantum impugnare videtur) ab iis tamen populis, Riphæos montes accolentibus, Prussos derivari posse existimamus, cum nobis pro ea sententia stabilienda suppetant argumenta non contemnenda. Ut enim affinitatem illorum nominum Borusci, Borussi, Prussi omittam, quæ tamen hic non exiguum habent pondus; illud tantùm quod de lingva Boruscorum & Prussorum habet Erasmus Stella commemorabo: Probaturus enim ille sententiam suam de Prussorum sive Borussorum origine à Boruscis: *Quia usq; hodiè*, inquit, *populi ad Riphæos montes habitantes eodem pariq; sermone, quo hi, utuntur.* Nec intra verba tantùm consistit ejus assertio, ut ex Dissert. de lingva Veterum Prussorum elucebit. Et hæc mihi semper satis probabilis visa est Prussici nominis derivatio. Quamvis neque illorum sententia improbari posse videatur, qui Borussos & Prussos à vicinitate Russorum dictos esse volunt. Polonicum enim *pod*, & Prussorum Veterum *po* idem est quod Latinorum *sub*. Ut igitur *Pomerani* dicti sunt Polonicè *Pomorzanie*, quasi *Podmorzanie* i. e. sub mari sive ad mare habitantes, sive maris accolæ. Item ut Slavica gens *Polabingi*, sive *Polabianie*, dicti sunt à fluvio *Labe* (sic etiamnum Slavi appellant Albim fluvium) quem olim in hodierno Ducatu Mekelburgensi accolebant: Sic etiam *Porussi* & contractè *Prussi* dicti esse videntur hi Populi nostri, quia fuerunt accolæ Russorum. Sed dices: Russos nunquam Prusis fuisse conterminos. Ego contra regero, contrarium asserere Scriptores non paucos. Adamus Bremensis: *Tertia*, inquit, *Insula est illa, quæ Semland appellari solet, contigua Ruzzis in lib. de Situ Dan. pag. 147.* Dithmarus Mersburgensis *lib. 6. Chron. circa fin.* de Brunone Episcopo consangvineo suo: *In duodecimo*, inquit, *conversionis ac inclytæ conversationis suæ anno ad Prussiam pergens steriles hos agros semine divino studuit fœcundare. — Tunc in confinio dictæ Regionis & RUSSIÆ cum prædicaret primo ab incolis prohibetur, & plus evangelizans capitur.* Gemina his habet Helmoldus: *Litus*, inquiens, *Slavorum incolunt Nationes, quorum ab origine primi Ruzzi, deindè Poloni, habentes à septentrione Pruzzos, ab Austro Boëmos. lib. 1. Chron. Slav. c. 1.* Hi Scriptores sine dubio omnes illos, qui tum lingvâ utebantur unâ, ut Curonos, Samogitas, Prussos

& for-

& fortaſſe alios, pro una gente habuerunt. Quibus certè contermini fuerunt Ruſi, cum non ſit ignotum, magnam Lithvaniæ hodiernæ partem à Ruſis iis temporibus fuiſſe regnatam. Quin etiam hodiè in tota propemodum Lithvania, quatenus illa Samogitiæ contradiſtingvitur, uſus obtinet lingvæ Ruſicæ, non in pagis tantùm, ſed etiam in ipſis urbibus. Moris etiam eſt pro ſummis Lithvaniæ Tribunalibus, decreta lingvâ Ruſicâ ſcribere, quæ certè omnia, Ruſicam gentem illa quondam loca tenuiſſe, ſatis apertè indicant. Deindè & ex alia parte Prusſiam olim contingebat Ruſſia, nimirum ab Auſtro. Dusburgius enim noſter Podlachiam, quæ proximè contingit Prusſiam, ſemper appellat Ruſſiam. Suſpicari etiam licet, *Prutenos* dictos eſſe quaſi *Po-Ruthenos* i. e. accolas Ruthenorum. *Rutheni* autem ab eorum temporum Scriptoribus appellantur incolæ Rugienſis Inſulæ, ut in Diſſertatione de Originibus Pomeranicis ex Radevico & Anonymo quodam Vitæ S. Ottonis Epiſcopi Bambergenſis Scriptore probavimus. Cum enim illi Scriptores Sambiam ſive Prusſiam Inſulam eſſe crediderint, ſolent etiam in mare Baltico tres illas Inſulas ponere, Fimbriam, Rugiam, Sembiam, ut videre licet apud Adamum Bremenſem *lib. de Situ Dan. n. 76. p. 146. ſeq.* Facilè igitur Prusſia noſtra dici potuit Po-Ruthenia, & contractè Frutenia, ipſique populi Pruteni. Addo, probabile quoque eſſe Pruſſos ab amne Ruſſo nominatos, quaſi dicerentur *Poruſſi & Pruſſi*, i. e. accolæ Ruſi fluminis. Eſt enim in Prusſia oſtium amnis Memelæ, quod hodièque Ruſſa vocatur. Quin, ipſum Memelam fluvium hoc nomine olim à Prusſis fuiſſe dictum, fortaſſe non abſurdè dixeris. Notum inſuper eſt, ipſum lacum Curonenſem (das Churiſche Haff) olim vocari ſolitum *Ruſſna*, ut diſertis verbis habent verba Privilegii Pacis inter Vladislaum Jagellonidem Regem Poloniæ & Paulum de Rusdorff Magiſtrum Ordinis Teut. in Cujavia dati. *Vid. Privilegia Pruſſiæ Ducalis f. 9. a pr.* Quanquam autem dictæ nominis Prusſici nomenclationes mihi viſæ ſunt probabiliſſimæ, mirificè tamen mihi placuêre, quæ Vir Clariſſ. Dn. M. Frætorius, Amicus meus honorandus, ſuper hâc re non ita pridem ad me ſcripſit: Deducit ille nomen Pruſſorum ex veteri lingva Prusſica. Siquidem vox *Pruta* ſive *Pruota* Prusſis Veteribus, idem fuit quod *intelligentia*. Proindè cum Pruſſi vicinis gentibus ſibi viderentur prudentiores, hoc nomen ſibi adoptarunt, dicique voluerunt

voluerunt Pruſſi i. e. Prudentes, Intelligentes ſive Præſcientes. Hoc ita ſe habere confirmat Hiſtoria Pruſſica. Cum enim Maſovii alludentes ad nomen Prutenorum ipſos appellaſſent Brutos & Brutenos, bellum ipſis à Pruſſis illatum eſt, quod tandem non niſi eâ conditione confectum & compoſitum eſt, ut Maſovii impoſterùm Pruſſos vocarent PRÆSCIENTES, non autem BRUTOS, ut ex Simonis Grunovii *Tract. 4. c. 1.* docet Henneb. *in Comment. ad Tabulam Pruſſiæ pag. 332.* Quomodo autem ex voce Pruta i. e. intelligentia, facta ſit vox Pruſſia, indicat idem Prætorius. Videlicet *Pruntu*, id eſt, intelligo habet in futuro *Pruſſia*, i. e. intelliget. Conferantur ea quæ ſuprà de nomine Pruteni Regis à nobis dicta ſunt *num. XI.*

XIV. Ut jam ea, quæ hactenus adducta ſunt, in pauca contrahamus, explicemusque, quid nobis de Origine illorum Pruſſorum, qui tot bellis cum Ordine Teutonico geſtis inclaruêre, videatur, ſequentia eſſe notanda ducimus. Antiquiſſimis temporibus Pruſſiam tenuerunt *VENEDI* ad mare Balticum, iisdem autem temporibus, Orientales & Auſtrales Pruſſiæ partes habitarunt *GALINDI, SUDINI*, aliique. Facit hic nobiſcum Frid. Zamelius Conſul quondam Elbingenſis *In Monumento Familiæ* ſic ſcribens:

Quid porrò exclamem? quot ſunt in origine nugæ?
Quo totidem fratres à Widenuto ſati?
Ille quidem fuerit, numerum tamen edo minorem.
Nomina poſt populos quis putet eſſe ſatos?
Sudina gentes & res Galinda vigebat,
Cum nondum Scythicus legit electra puer.

Hos verò Galindos ejusdem putamus eſſe originis cum PHINNIS, quos eodem in loco Ptolemæus ad Viſtulam collocat. Mores enim Phinnorum, ut à Tacito *in fine libri de Moribus Germanorum* deſcribuntur, Pruſſis illis omninò conveniunt. *GOTHI* deindè, pulſis in Auſtrales Pruſſiæ partes Venedis, Septentrionalem Pruſſiam occuparunt. Sed & *ÆSTIOS* ab Iſthævonibus Rheni accolis ortos huc progreſſos, Gothorum ſedes occupaſſe, tradit Cluverus *lib. 3. German. cap. 44. & 46.* Et certè ſedulò mihi mores Æſtiorum, ut & ſacra, aliaque à Tacito deſcripta, cum Gothorum moribus, ſacris aliisque inſtitutis, conferenti, non rarò idem,

quod Cluvero, visum est. Dum autem alia circumspicienti, mihi de hac migratione Isthævonum nihil prorsus apud Veteres Scriptores occurrat, satius esse duco à Cluveri sententia abire. Non aliam igitur Æstiis quam Gothis originem assignandam esse puto. Posthæc cum Sec. IV. & V. à CHRISTI Nativitate tot septentrionalium populorum, ut Gothorum, Venedorum, Vandalorum, Herulorum, aliorumque migrationibus, hæ terræ essent propemodum exhaustæ, totam Prussiam inundasse videntur *PHINNI*, qui ejusdem cum Galindis, Sudinis, Alanis, Lithvanis fuerunt originis. Probari hoc potest ex lingvâ Prussorum. Etenim cum Ordo Teutonicus Prussiam intrasset, non reperit in Septentrionalibus Prussiæ locis lingvam Gothicam sive Cermanicam, sed Galindicam & Sudavicam, quod nobis documento esse potest, Gothos sive Æstios jam tum in extremas Livoniæ partes fuisse compulsos. Has gentium migrationes existimamus fuisse præcipuas. Reliquæ, ut puta, Romanorum, Russorum aliorumque migrationes, licet, fuerint minores, ab iis tamen Prussi illi, sive eos Phinnicos, sive Alanicos vocemus, multum ex moribus traxerunt, multa etiam vocabula ex eorum lingvâ retinuerunt, ut de Latina lingvua, non solùm ex iis, quæ supra dicta sunt, liquet; sed etiam ex Dissertatione de Lingva Prussorum manifestius apparebit.

XV. Ad extremum cum Sec. XIII. Cruciferi Prussos oppugnare cœpissent, ex omnibus Germaniæ partibus huc deduci coloniæ cœperunt. Non rarò ipsi quoque Principes Germanici magnis exercitibus stipati Prussiam intrarunt, ut Ordini Teutonico contra Veteres Prussos præstò essent, ex quibus exercitibus multi deinceps milites, qui fortiter se gerentes virtutem suam Ordini Teutonico probaverant, villis atque prædiis donati, in Prussiâ sedes suas fixerunt. Nec dubitare licet, quin plurimi Nobiles ex Germania cum totis huc familiis commigrarint. Confirmat hoc passim Dusburgensis noster. Vide quæ & nos ad Prologum Dusburgensis notavimus. Illud tantùm breviter hic commemorandum est, certatim in Prussiam ex omni Germania commigrasse Saxones, Misnenses, Thuringos, Hassos, Bohemos, Austriacos, Svevos, Rhenanos populos, Holsatos aliosque. Ex Germania quoque superiore, quin multi se huc contulerint, dubium non est. Testatur hoc ipsum Justus Lipsius *lib. 2. Lovanii cap. 8.*

Quædam

Quædam ex eo adduximus *in Animadversionibus ad Dusburgii part. 3. cap. 136.* Probari quoque hæc omnia possent exemplis urbium Prussicarum, quas Peregrini illi condidisse dicuntur. Sic Mariæ Insulana urbs initia sua debet Burchardo, Burggrabio Magdeburgensi, qui ipsam circa An. 1233. ex Insula Quidino, eum in locum, ubi nunc sita est, transtulit. *Vid.* Dusburg. *p. 3. Chron. c. 9.* Brunsberga condita est in memoriam Brunonis, Episc. Olomucensis, ut quidam volunt; Regiomontum ab Ottocaro Rege Bohemiæ; Brandeburgum à Marchion. Brandeb. alia oppida ab aliis, de quibus hic multis agere non attinet. Unum tamen de oppido Hollandensi, quod tribus milliaribus abest ab Elbinga, addendum est, cum nomen hoc Jano Dousæ seniori materiam erroris præbuerit. Ille enim de originibus gentis suæ solicitus, cum in Prussia Hollandiæ nomen reperisset, inde Hollandos suos Batavicos deduci posse putavit. Verba ejus sunt: *Nisi si à Venedis potius sive Wendis, quos Borussos hodiè ac Pruthenos vocitamus, nominis originem nos debere contenderit; ducta ex eo potissimùm conjectura, quod intra ejusdem populi ditionem haut procul Elbinga tanto post tempore oppidum etiamnum Ducale integrum Hollandiæ nostræ vocabulum repræsentans, in Geographicis tabulis reperiatur.* Tametsi verò Hollandiæ Etymon ad commune oppidi hujus Borussici vocabulum neque inscitè adeò, neque citra rationem referri posse confitetur, magis tamen postea probat sententionem Junii, quam antea proposuerat. *Vid.* Janus Dousa *lic. 6. Annal. Holland. p. 246. & 248.* Verùm nos dicimus, nostrum hoc oppidum, cui Hollandiæ nomen est, Hollandis, inferiorem Germaniam incolentibus, non verò Batavos Prusis, originem debere. Asseritur hoc desertis verbis in Privilegio oppidi hujus. Meneko enim sive Meinhardus de Querfurt Magister Prussiæ Provincialis hanc urbem in districtu Pazlakensi circa An. 1290. condidit, à primisque ipsius incolis, qui ex Hollandia erant oriundi, Hollandiam appellavit. Simul etiam hinc discimus, Hennebergerum perperam scribere, quod urbs hæc antea dicta fuerit Pozlauken. In districtu Pozlaukensi quidem eam esse conditam audivimus ex Privilegio Civitatis illius, ipsam verò illam, eo gavisam esse nomine, nusquam apud Veteres Scriptores legimus. Ad extremum ex universa Germania huc migrationes fuisse susceptas coloniasque deductas testari possunt etiam tot familiæ nobiles, quæ ex Austria, Bohe-

mia, Moravia, Franconia, Voitlandia, Misnia, Saxonia aliisque Germaniæ partibus hodièque originem suam deducunt. Ex tanto nationum Germanicarum confluxu maximi quondam sub ordine Teutonico non rarò orti sunt tumultus. Etenim sub Conrado ab Erlichshauseu duæ extiterunt factiones, videlicet Rhenanorum & Superiorum Germanorum. Ad illos referebantur Duringi, Hassi, Saxones, Misnenses, Westphali, Clivenses Juliacenses, Lotharingi, Luneburgenses, aliæque ad Rhenum habitantes nationes. Ad hos autem pertinebant Francones, Svevi, Bavari, Austriaci aliique Superiores Germani. In his Francorum factio fuit potentior maximisque fungebatur Magistratibus, quo factum est, ut Rhenanam factionem quibus poterat modis, supprimeret. *Vid.* Thomas Waisselius *in Chron. Pruss. fol. 169. b.* Ut hæc eo fiant planiora, lubet quædam de Originibus Nobilitatis Prussicæ subjungere. Ubi statim ab initio prænonendum esse Ben. Lectorem duximus, ne hic à nobis exigat origines eorum Nobilium, qui in Prussia Regia degunt. Plerique enim eorum ex Polonia ducunt originem, quiq; adhuc ex Germanico sangvine oriundi supersunt, illi jam nominibus suis Polonicam adjiciunt terminationem, ut eos non adeò facilè à Germanis discernas. Sed neque omnibus familiis, quæ in Prussia sunt Ducali, origines assignare licebit, cum plerarumq; genealogiæ non sint in promptu. Neq; illud hic pensi habebimus, quæ sint familiæ antiquiores aliisq; potentiores, sed unicè ad ingressum earum in hanc Provinciam, cujus origines investigamus, respiciemus. Antiquissima earum, quæ hodiè in Prussia Ducali supersunt, videtur fuisse *WALLENRODIORUM*. Jam enim tempore Popponis de Osterna circa An. 1250. quidam *Walrod* Præfectus fuit Ermelandiæ, ut habet Chronicon Ord. Teut. *fol. 70. a.* Tametsi non nesciamus alios aliter hoc nomen scripsisse, puta, Wolrath/ Vulrath/ Volrath/ adeò ut alicui in mentem venire possit, fuisse hoc præ nomen Præsidis illius. Ex familia Wallenrodiorum An. 1391. Conradus à Wallenrod in Magistrum generalem est evectus Origo familiæ hujus est Franconia. *REDERUS* etiam quidam Westphalus An. 1261. in pugna Pokarvvinensi generosum profudit sangvinem teste Dusburgio aliisq;. Ex hâc gente videntur esse Rederii in Ducali Prussia non incelebres. Circa eadem tempora fuit Magister Provincialis CONRADUS SAX, quem ejusdem originis fuisse cum SCHAKIUS,

qui

qui hodiêq; in Prussia sunt, contendit Stanislaus Sarnitius *l. 6. Annal. pag. 294.* Sed & Saxii hodiè reperiuntur in Prussia. Kospothii, quorum tamen familia nostra memoria in Prussia intercedit, initio Sec. XIV. Prussiam intrarunt. Nam Henricus à Kospoth cum Henrico Plavenio An. 1309. Prussiam intravit. An. 1345. Joannes à Kospoth Commendator fuit Lipstadiensis & Morungensis. Origo prima est ex Italia, proxima est ex Franconia, undê etiam in Prussiam descendit. Burggrabii & Comites de Dohna Sec. XIV. Prussiam ingressi sunt. Jam enim ante trecentis annis non nemo ex hâc familiâ cum Duce Silesiæ huc delatus est; sed cum iste Germaniam repeteret, postea Stanislaus à Dohna ex domo Krachtensi hic domum fixit. Tettavii ex Bohemia oriundi sunt. Inde in Voitlandiam transgressi sunt. Ex his Wernerus à Tettau An. 1404. suis sumptibus auxiliarem ordini Teutonico militem in Prusiam adduxit. Hunc secuti sunt alii Tettavii ex Voitlandia, donec tandem Wilhelmus à Tettau animum ad nuptias in Prusia applicuit, ex quo hodierna familia Tettaviorum genus suum ducit. Circa eadem tempora Sternbergii floruerunt, ex quibus An. 1413. Michaël Kuchmeister à Sternberg in Magistrum Ord. Teut. generalem est electus. Truchsessii è domo Wetzhausen ex Franconia oriundi circa eadem tempora magni nominis fuêre, cum ex hâc familiâ An. 1477. ad Magistri generalis dignitatem evectus sit Martinus Truchsessius à Wetzhausen. Rauterii circa An. 1420. ex Austria progressi in Prusia floruêre. Ostavii ab An. 1434. Prussiam incoluêre. Primus hujus familiæ in Prusia Propagator fuit Johannes ab Ostau tempore Pauli de Rusdorff Magistri. Eylenburgii Liberi Barones Saxonicæ sunt originis. Primus qui in Prusia consedit est Went sive Wenceslaus L. B. ab Eylenburg An. 1454. à quo hodierni Eylenburgii descendunt (alioquin & antea, videlicet An. 1438. Pott von Eylenburg Eques Ordinis Teutonici in Prusia fuisse dicitur) Schlibenii circa eadem tempora sedem suam in Prusiam transtulerunt. Nam An. 1460. Georgius à Schlieben, primus familiæ hujus in Prusia fundator, Magistro suppetias laturus ex Marchia Brandenburgensi huc accessit. Sub eadem tempora Rappiorum nomen in his terris auditum est. Nam Eustatius Rappe tum arcis Frauenburgensis in Livonia Capitaneus fuisse memoratur, cujus filius in Prussiam transiit. Creuziorum familia Misnica est. Primus ex hâc familia

in Prusſia ſedem fixit Melchior à Creuzen, qui cum Frider. Duce Sax. & Mag. Ord. Teut. in Prusſiam ſe contulit. Cum Alberto Marchione Brandenburg. & Magiſtro Ordinis Teut. ultimo multæ nobiliſimæ familiæ, quæ etiamnum ſuperſunt, in Prusſiam habitatum ſe contulerunt. In his eſt familia Franconica TRUCHSESSIORUM Liberorum, Baronum de Waldburg, quorum hic in Prusſia primus Fridericus S. R. Imp. Dapifer hereditarius & L. B. in Waldburg. Deindè Liberi Barones zu Kittlitz Sileſii, quorum primus Prusſiæ nomen hoc Prusſiæ intulit Henricus L. B. zu Kittlitz. Item Liberi Barones zu Heydeck/quorum primus fuit Wolffgangus L.B. zu Heydeck/ Francus. Præter hos SCHENKII Liberi Barones zu Tautenberg/ quorum primus tunc temporis Chriſtophorus Schenck zu Tautenberg. KALKSTEINII eodem tempore huc commigrarunt. POLENZII ex Luſatia eo ipſo tempore Joh. à Polenz & Georg. à Polenz, quorum poſterior ad dignitatem Epiſcopal. eſt evectus, ad nos miſerunt. Eodem Alberto Duce rerum in Prusſia potiente huc ſe contulerunt Joach. à BORK, & Anton. à BORK ex Pomerania, Paulus ab HALLE ex Ducatu Brunſvicenſi, Matthias à PUDEVELS ex Pomerania: Antonius ab HAUSEN ſuæ quisque familiæ in Prusſia Dux. NETTELHORSTII tempore Georgii Wilhelmi Electoris ex Curonia huc ad nos commigrarunt, quorum primus fuit Chriſtophorus à Nettelhorſt Aulæ Marſchalcus & Capitaneus Neuhuſenſis & Labiavienſis. Prima autem gentis hujus origo eſt ex Weſtphalia. Antiquiores tamen ſunt in Prusſia iis, quos proximè enumeravimus, BRUMSII, qui ex Helvetia familiam ſuam deducunt. Item KÖNIGSEKII ex Svevia: Comites DENHOFFII ex Livonia. Sub Sereniſſ. Friderico Wilhelmo Electore, qui hodiè rerum potitur, Jus Indigenatus adepti ſunt Liberi Barones à SCHWERIN, ex Pomerania, Liberi Barones ab HOVERBEK ex Brabantia. Liberi Barones à DOBRZINIEC ex Bohemia, DE LA CAVE ex Gallia NOLDII ex Curonia genus ducentes. Præter has familias ſunt adhuc quam plurimæ aliæ, quarum Origines Germanicas quam libentiſimè annecteremus, ſi earum genealogiæ in promptu eſſent. Nunc nomina ſaltem quarundam apponemus, quæ præ cæteris hic vel olim floruêre vel hodiè adhuc florent. Sunt verò in Prusſia hodièque Albe/ Auer/ Bilgrim/ Bodenbruch/ Daubeneck/ Dibes/ Eppingen/ Falkenhan/ Flanz/ Glaubitzen/ Gözen/ Gröben/ Hanckwitzen/ Hohn-

Zohndorff/Kannacher/Kaniz/Lehwald/Lehndorf/Milbe/Oelschniz/Oelßen/Oppen/Packmor/Prenck/Prembock/Portugall/Rauschke/Ripp/Rauch/Rosen/Sack/Schack/Sancken/Schlubuth/Taubenheim/Troschke/Venediger/Waldau (Valdaviorum unicus tantum adhuc superest, venerandus Senek NN. à Waldau Ordinis Joannitarum Commendator) & alii plurimi. Sed & aliæ adhuc supersunt Familiæ, quæ ex antiqua Nobilitate putantur esse oriundi, ut *Kalneinii, Lesgewangii, Pertandii, Parteinii, Praxeinii, Malgedeinii, Merkii*, aliique, de quibus in Animadvers. ad Dusburgium egimus. Exstinctæ autem jam sunt non paucæ nobilissimæ familiæ, magnis antiquitùs honoribus in Prussia functæ, ut Alexwangiorum, Bayseniorum, Drahe, Roberssche/ deren vom Mercklichen Rade/ Plaveniorum, aliorumque.

Dissertatio IV.

De Habitu Corporum Prusficorum.

(1.) *De Originibus gentium an quidquam ex habitu corporum deduci queat.* (2.) *Prussi Veteres cæruleis fuerunt oculis, ut & Germani, Heruli.* (3.) *Facies Prussorum rubicunda. Corpus candidum, ut aliorum septentrionalium, nempe Gothorum, Vandalorum &c.* (4.) *Prussi Veteres criniti, ut Gothi, Getæ. Capillus eorum non crispus sed simplex, ejus rei causa.* (5.) *Crines Prussorum an rufi, ut alii Septentrionales?* (6.) *An fuerint procero corpore?* (7.) *An in Prussia olim reperti gigantes? Miligedo Prussus.* (8.) *Quæ Prussorum Veterum senectus. Lithvanorum vivacitas. Lithvani pleriq; ultra centum annos vixerunt.* (9.) *Diversitas hodiè in Prussia est maxima, ut in Germania. Causas ejus rei inquirere Physici est.*

I. IN investigandis gentium originibus, non exiguum ex nonnullorum sententiâ suppeditat argumentum habitûs corporum unius gentis cum alia quadam gente similitudo vel dissimilitudo. Sed hoc ipsum non nisi cum grano salis est accipiendum. Equidem quanquam in migrationibus

nibus in longè remotas terras susceptis hoc fortasse procedit, evincitque, si alia accedant argumenta, validiùs, gentem novam ex his vel illis oris accessisse: De migrationibus tamen ex eadem orbis plaga susceptis vix quidquam solidi ex habitu corporis colligi poterit. Animadvertimus enim totam aliquando orbis terrarum plagam uno gaudere corporis habitu, ut sequentia probabunt. Quod si igitur una gens sese immisceat alteri sibi vicinæ, vel etiam genti paulo remotiori, habitu corporis ab ea distingvi nequit. Et hoc est, quod de Originibus Prussicis agentes hoc argumento non simus usi, sed peculiari Dissertatione hanc materiam nobis sumpserimus pertractandam. De primis verò temporibus, quæ CHRISTI nati tempora excedunt, nihil occurrit certi, quod de Prussis speciatim dici possit. Posterioribus etiam temporibus, quamvis Prussi ex diversis gentibus fuerint mixti, ut supra probatum dedimus, idem tamen habitus Corporum illis omnibus attribuitur, & quidem qui ipsis cum Germanis aliisque populis septentrionalibus fuit communis, quod jam probare ingredimur.

II. Multa verò quæ ad habitum corporum Prussicorum pertinent paucis verbis complexus est Adamus Bremensis *in lib. de Situ Daniæ & reliqv. Septentr. Region.* quando de Prussis ita scribit n. 77. *Homines cærulei, facie rubeâ, & criniti.* Eadem verba habet ex Adamo Helmoldus *lib. 1. Chron, Slav. cap. 1.* Primùm igitur modò laudati auctores Prussos vocant homines cæruleos id quod de oculorum colore dubio procul intelligendum est. Hos Prussis adscribere videtur etiam Tacitus *in lib. de morib. Germ.* Postquam enim de Germanis universè dixerat cap. 4. *Habitus corporum, quanquam in tanto hominum numero idem omnibus, truces & cærulei oculi.* Deinde *cap. 45.* de Æstiis ita scribit: *Qvibus ritus* HABITUSQVE *Svevorum.* Hic per habitum, ut in priore loco, non alium quam corporum habitum intelligere videtur. Similiter etiam Sidonius Apollinaris eundem oculorum colorem attribuit Germanis & Herulis, quos Prussos fuisse ex Dissert. nostris de Originib. & de Lingva Prussorum, manifestum est. Sic enim ille de Germanis:

Tum lumine glauco
Albet aquosa acies.

De Herulis etiam ad eundem ferè modum canit:

Hic

Hic glaucis Herulus genis vagatur
Imos Oceani colens receſſus
Algoſo prope concolor profundo.

Quanquam autem non cœruleos, ſed glaucos ipſis adſcribit oculos, ſufficere tamen hoc nobis poſſet, quod eundem Germanis atque Herulis attribuat colorem. Sed fortaſſe per glaucum colorem hîc non alius quam cæruleus erit intelligendus. Hoc enim apud omnes Scriptores antiquos in confeſſo eſt, Germanis olim fuiſſe cærulos oculos. Ex multis pauca tantùm dabimus. Juvenalis ſic ſcribit:

Cærula quis ſtupit Germani lumina?

Auſonius de Biſſula Virgine Sveva in bello capta ſic in Eidylliis canit:

Sic Latiis mutata bonis, Germana maneret,
Ut facies, oculos cærula, flava comas.

Quin etiam de omnibus Septentrionalibus gentibus hoc ipſum aſſerit Vitruvius in Architecton. Milit. Quod ſi his habenda eſt fides, neque Pruſſis cærulei oculi erunt denegandi.

III. Deinde Pruſſos olim facie rubeâ fuiſſe, perhibent Adamus & Helmoldus. Notanter autem addunt faciem Pruſſorum fuiſſe rubicundam, ut indicent colorem reliqui corporis fuiſſe diverſum. Quodſi autem verum eſt, quod Plinius & Vitruvius tradunt, Septentrionales populos omnes candido eſſe corpore, etiam de Prusſis hoc erit verum Plinii *ex lib. 1. Hiſt. nat. cap. 78.* verba ſunt: *Æthiopas vicini ſideris vapore torreri, aduſtisq; ſimiles gigni, barba & capillo vibrato, non eſt dubium. Et adverſa plaga mundi atq; glaciali candidâ cute eſſe gentes.* Vitruvius ita de iisdem populis loquitur: *Sub ſeptentrionibus nutriuntur gentes candidis coloribus.* Speciatim quoque de Germanis Julius Firmicus Maternus *lib. 1. cap. 1. Si luna*, inquit, *facit candidos, Mars rubros, Saturnus nigros; cur omnes in Æthiopia nigri, in Germania candidi, in Thracia rubri procreantur?* De Gothis, Oſtrogothis, Viſigothis, Vandalis & Gepidis Procopius *lib. 1. Hiſt. Vandal.* ita ſcribit: *Neq; aliis ii* (i. e. hi populi, quos omnes Gothicos eſſe ſtatuit) *præterquam nomine differunt candidi corpore.*

IV. Ad extremum Pruſſos crinitos fuiſſe perhibent Adamus & Helmoldus. Non tondebant igitur Pruſſi capillum, quod itidem Vitruvius de omnibus Septentrionalibus populis affirmat, quando ipſis *directum capillum* fuiſſe ſcribit. Gemina his habet Plinius, qui

lib. 1. cap. 78. *promissos crines* Septentrionalibus populis tribuit. Speciatim hoc de Germanis fusè probat Hermannus Conringius *in lib. de Habitûs Corp. Germ. causis pag. 14. seqq.* De Gothis, quos etiam Prussiam habitasse dictum est, canit Claudianus:

Cringeri sedere Patres, pellita Getarum
Curia.

Theodoricus quoque Gothorum Rex Gothos frequenter vocat capillatos. *Vid.* Cassiodor. *lib. 4. Var. ep. 49. & in Edicto cap. 195.* Similiter de Getis, quos ejusdem cum Gothis fuisse originis multi statuunt, Ovid. *de Ponto lib. 1. eleg. 9.*

Aspicit hirsutos Cominus ursa Getas.

Et *lib. 1. Trist. eleg. 7.* de iisdem:

Non coma, non ullâ barba resecta manu.

Harum autem gentium capillus non fuit crispus, sed simplex, quòd Plinius & Vitruvius in locis supra citatis intellexisse videntur per *directos & promissos crines.* Disertis autem id ipsum verbis exprimit Aristoteles *lib. 5. de Generat. Animal. cap. 3.* redditque ejus rei causam: *Simplici,* inquiens, *pilo sunt, qui humore abundant. Fluit enim humor in iis non stillat. Quocirca Scythæ, incolæ Ponti, & Thraces pilo sunt promisso & simplici. Nam & ipsi humidi sunt & aër ambiens eos humidus est. Æthiopes contra, qui loca incolunt calida crispo sunt pilo: siccum est enim & cerebrum eorum & cœlum ambiens.* Quandam autem in his verbis Aristoteles de Scythis tantum Ponti accolis & Thracibus loquitur, ratio tamen Physica, quam addit, generalis est, omnibusq; maris Svevici sive Baltici accolis communis.

V. Quo colore Prussorum crines fuerint tincti, non meminit Adamus, neque quenquam ex nostris Scriptoribus hoc annotasse puto. Quodsi autem Vitruvio fides est, omnes Populi Septentrionales capillum habuêre *FLAVUM.* Idem asserit Aristoteles in Problematis Sect. ult. quæst. 2. *Omnes,* inquiens, *incolæ plagæ Septentrionalis rufo sunt pilo & tenui.* Non discedit ab his Plinius *loc. cit.* qui septentrionalibus in plagis gentes esse *flavis promissas crinibus.* Germanis etiam omnibus Tacitus rutilas tribuit comas *cap. 4. Conf. & in Vita Agricolæ cap. 11.* Posteriore hoc loco Tacitus populos quosdam Calidoniæ originis esse Germanicæ inter alia & hac de causa esse probat, quod rutilæ ipsis fuerint comæ. Similia occurrunt de Germanis

& apud

& apud Manilium *lib. 4. Astronom. multùm post medium.* ubi sic Poëta:

Est stupefacta suos inter Germania partus.

Et post pauca:

Flava per ingentes surgit Germania partus.

Lucanus insuper de Svevis ita canit;

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis,

De Getis quoque seu Gothis scribit S. Hieronymus ad Lætam: *Getarum rutilus & flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria.* Et sic probabilibus saltem, si non exceptione majoribus probavimus argumentis, Prussos habuisse capillum promissum, simplicem & flavum, sive rutilum.

VI. Præterea fuerunt Prussi eximiâ corporis magnitudine, quod elicere mihi videor ex Hennebergeri verbis, qui de Prussis veteribus ex Simone Grunovio: **Die gar alte Preußen/ so vor den** Cimbris **in diesem Lande gewesen sind/ die seyn gar ein starckes/ grobes/ unverständiges Volck gewesen.** *in lib. de Vet. Pruss. fol. 5.* His tamen hoc ipsum, quod intendo, non evincerem, nisi alia supereſſent firmiora argumenta, cum verba Hennebergeri non de magnitudine sed robore corporis sint intelligenda. Propius ad rem facit, quod Vitruvius habet: *Sub septentrionibus nutriuntur gentes immanibus corporibus.* Non secus hic sentit Plinius, qui Septentrionalibus *proceritatem corporum tribuit, idq; ob humoris alimentum. l. 1. c. 78.* Deindè notum etiam est ex Scriptorib. antiquis, Germanos omnes fuisse procero corpore adeò ut etiam Isidorus *lib. 9. Orig. c. 1.* hos populos esse Germanos dictos existimet, *quod sint immania corpora immanesq; nationes sævissimis durata frigoribus.* Æstiis autem, quos dubio procul per Cimbros intelligit Hennebergerus in verbis paulò ante citatis, Tacitus eundem corporum habitum tribuit, quem Germanis fuisse, cap. 4. asseruerat. Ibi autem: *Habitus quoq;*, inquit, *corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus.* Conf. in Agricola cap. 11. Vegetius etiam *lib. 1. de re militari cap. 1.* eadem de Germanorum proceritate scribit: *Quid*, inquiens, *adversus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuisset? quid adversus Germanorum proceritatem brevitas potuisset audere?* Etiamsi verò Henneber-

gerus per Cimbros propriè intellexisset eos populos, qui in Cimbrica Chersoneso habitantes hodiè Jutlandorum & Holsatorum nomina gerunt, idem tamen evinci posset. De Cimbris enim Quintilianus: *Nec minus*, inquit, *animorum immanitate quam corporum belluis suis proximi.* Hæc ille *Declamat. 3. ante med.* Ob eandem rationem Plutarchus Cimbris μεγάλας καὶ βαρείας μαχαίρας, i. e. ingentes & graves gladios, adscribit. *in C. Mario post med. pag. 420.* Gothos præterea omnes *corporum mole arduâ* fuisse tradit Isidorus *lib. 9. Orig. c. 1.* Ad extremum Lithvanis quoque, qui cum Prussis Veteribus eandem agnoscunt originem, proceritatem corporis adscribit Joannes Lasscius Polonus *in lib. de Diis Samogitarum. Vid. Respubl. Polon. apud Elzevirios Lugduni Batavorum An. 1627. edita pag. 294.*

VII. Quanquam autem Prussis insignem corporum magnitudinem fuisse probatu non est difficile, gigantea tamen ipsis proceritas nusquam tribuitur, nisi paucos quosdam excipias Prussos, quos non immeritò gigantibus annumeres. Sic cum Prussi Culmseam oppidum Provinciæ Culmensis oppugnarent, congressi cum iis Cruciferi, vulnerarunt inter alios ex Prussis *unum virum longissimum, qui plusquam ab humero & sursum omnes alios in longitudine excedebat.* ut ait Petrus de Dusburg *part. 3. Chron. cap. 148.* qui consulatur. Similiter etiam Miligedo conversus Christianus, qui in arce Bartensteinensi Cruciferis contra Prussos conterraneos suos militabat, terrori fuit omnibus dicti castri obsessoribus, *vid.* Dusburg. *part. 3. c. 114.* Schuz. *lib. 1. fol. 35. b.* Neque illud mirum, inter Prussos olim fuisse gigantes, cum & aliis Septentrionalibus illi quondam non defuerint. Præsertim autem de Gothis, quorum partem in Prussiam concessisse probavimus, id ipsum probat Saxo Grammaticus *in Proœm. Hist. Danicæ*, & Arngrinus Jonas *in Descriptione Islandiæ cap. 4.* Conf. Hermann. Conring. *de Hab. Corp. German. causis pag. 9. segq.*

VIII. Addimus his nonnulla de Prussorum ætate, ad quot annos illi vitam suam producere potuerint. Quanquam enim eâ de re nihil memoratu dignum apud Scriptores Prussicos inveniam, non desunt tamen alia, ex quibus colligere licet, Prussorum vitam olim fuisse hodiernâ diuturniorem. Invenias enim adhuc in Sambia inter agricolas, inter quos adhuc prisca manet simplicitas senes grandævos plurimos, etiamsi hodiè victus ratio sit planè mutata, ex

quo

quo facile possumus assequi conjecturâ, olim in Prussia plerosque ad eam ætatem pertigisse. Innuere hæc velle videntur Prussici Scriptores, quando Waidevvutum anno ætatis centesimo decimo sexto Prussiam inter filios divisisse referunt. *vid.* Matth. Strykovvski Ossostevicius *in Sarmatia Europæa Vid. Respubl. Polon. pag. 323.* Accedit etiam, quod Lithvanici Scriptores Lithvanos suos vulgò ad centum annos vivere scribunt, ut Joannes Lasscius *in lib. de Diis Samogit. in Descript. Reipubl. Polonicæ pag. 295.* Non erit à proposito nostro alienum, si lepidam aliquam Historiam de Lithvano quodam sene, quæ sub ipsum Conversionis ad fidem Christianam initium contigit, hic interseramus. Cum An. 1413. Samogitia operâ Vladislai Regis Poloniæ & Vitoldi Magni Ducis Lithvaniæ maximam partem jam esset conversa, explicbaat Nicolaus Wenzik Ordinis Prædicatorum Sacerdos præsentibus Principibus creati orbis seriem cum grandis natu vetulus Sacerdotis sermonem interrumpens populum elatâ voce alloquitur: Mihi credite viri. Quæcunque ab hoc juvenculo homine dici audistis, ficta profectò sunt. Unde enim ille hæc nosset, cum ego tot annos & propè seculum integrum vitâ & memoriâ complexus nequaquam horum recorder? Abiisset tota concio inrisum, nisi Rex auctoritate sua Sacerdoti fidem fecisset apud populum. Perbenigne enim edentulum illum edocuit, sacros Oratores de iis loqui, quæ pluribus antè seculis contigissent. *vid.* Albert. Wijuk Kojalovvicz *part. 2. Hist. Lithvan. lib. 2. ad Ann. 1413. pag. 94.* Validiùs nostram firmat sententiam si hanc referamus ex fide Lasscii. Sic enim ille Vetulum hunc introducit loquentem: Mentitur hic homo, non admodum senex. Multi enim nostrum centesimum annum superaverunt, tamen hæc minimè recordantur. *vid. Respubl. Polon. pag. 295.*

IX. Quodsi hæc, quæ hactenus à nobis dicta sunt, cum hodierno habitu Corporum Prussicorum conferamus, maximam hic differentiam deprehendemus. Quis enim diceret hodiè Prussos omnes, aut plerosque, aut magnam eorum partem cœruleos habere oculos, crines flavos aut rufos. esse facie rubeâ, non resecare barbam, proceritate gaudere præ cæteris gentibus notabili, vivere plerosque ultra centum annos? Neque ille quidquam obtinuerit, qui obverteret, hodie hoc non esse mirum, cum tanta hic reperiatur gentium Germanicarum confusio, quanta nusquam alibi reperitur, *ut ex Dissertat. de*

Originib· Gentium Prussicarum elucet. Non, inquam, ille quicquam contra nos obtinuerit, quia & de Germanicis olim gentibus hæc omnia, quæ de Prussis Veteribus hâc Dissertatione dicta sunt, dici potuerunt, & tamen inter Germanos hodiè maxima reperitur diversitas. *Equidem,* inquit Cl. Conringius, *non minus nos atq; alios populos vicinos habitu multum inter nos differre arbitror; quantum sane me oculi docent. Proceri forte plures in Germania quam in Gallia, Hispania, Italia: candidi quoq; plures & rufi & χαεγωοὶ hîc quam terrarum alibi. In nonnullis tamen Germaniæ nationibus breves, nigri & crispi alios illos numero longè antecedunt. Profecto si staturam aut colorem videas, longè plurimos sub Pyreneo aut Apennino natos potius jures, quam inter Hercynios saltus aut ad Rheni atq; Albis flumina.* Hæc Conringius de Germanis suis *in lib. de Habitûs Corporum Germanicorum causis pag. 24. seq.* Eadem de Prussis hodiè dicere possumus. De causis hujus mutationis agere instituti nostri non est, cum hoc ad Physicum forum pertineat. Qui tamen ea de re erudiri vult, adeat sæpè laudati Conringii librum, in quo doctissimè hæc omnia discutit.

DISSERTATIO V.

De Lingva Veterum Prussorum, modoq; scribendi.

(1.) *Venedorum lingva Slavonica fuit, qua hodiè utuntur Poloni, Russi, alii. Hymnus à S. Adalberto compositus. Inscriptio templi Polonica antiqua. Usus lingvæ Slavonicæ in Prussia. Prussorum lessus.* (2.) *Gothi Germanica lingva usi sunt. Lingva Britannica est Germanica. Terminatio in* au *Germanica est.* (3.) *Lingva Prussorum quos Ordo Teutonicus subegit. Usus ejus adhuc superiori Seculo fuit frequens, præcipuè in Sambiâ. Conciones Prussicæ in vico Schaken. Dialectus Lingvæ Prussicæ non una. Convenientia ejus lingvæ cum Lithvanicâ. Catechismus lingvâ Prussicâ conscriptus jussu Alberti Ducis Prussiæ. Ejus duæ sunt Editiones. Ipsa fidei capita Prussicâ lingvâ recensentur. Oratio Dominica lingvâ Werulorum*

rum reddita. Eadem Oratio, ut & Symbolum Apostolicum, Lithvanicè redditur. (4.) *Index vocabulorum quorundam Prussicorum ex Grunovio.* (5.) *Weruli, Lithvani, Prussi ejusdem sunt originis. Lingvarum dictarum convenientiæ.* (6.) *Fontes linguæ Prussicæ sunt, qui in Græcia quærunt.* (7.) *Alii in Latio se eos reperisse putant.* (8.) *Convenientia Lingvæ Prussicæ cum Polonica.* (9.) *Convenientia cum Latina.* (10.) *An sit aliqua ejus lingvæ convenientia cum Græca. Aliquâ hoc saltem ex parte conceditur An ex Germanico etiam quædam traxerint Prussi.* (11.) *Characteres certos, quibus in lingvâ suâ exprimenda uterentur, an habuerint veteres Prussi.*

I. INvestigatis Prussicarum gentium originibus ad lingvam Prussicam progredimur, ut in iis, quæ hactenus à nobis dicta sunt, eò magis confirmemur. Ut autem rem à capite arcessamus, easdem hîc, quas supra, Prussorum observabimus migrationes. Et quidem quod ad Venedos, qui Prussiam primi tenuerunt, attinet, illos Slavonicè locutos esse, evidentiùs est, quam ut ulla indigeat probatione. Hoc autem insuper tenendum est, lingvam illam tot seculorum decursibus non parum esse immutatam, multoque cultiorem jam illam lingvam in Polonia aliisque in Regnis esse, quam quidem olim rudioribus illis Seculis fuit. Cognosci hoc de Polonis potest ex hymno illo à S. Adalberto Prussorum Apostolo composito, qui Statutis & Constitutionibus Regni Poloniæ à Joanne Lasko & Jano Januszovio congestis præfixus est. Ejus initium hoc est. *Boharodzica, Dziewica, Błohoslawiona Maria &c.* Quamvis eum Januszovius jam ad politius hoc seculum inflexerit, ita ut non legat more Russorum *Boharodzica* &c. sed *Bogarodzica* &c. Extat etiam Vilnæ in Lithvania inscriptio templi antiqua, quam exhibet Stanislaus Sarnitius *lib. 7. pag. 369.* cujus initium est: *Ku chwale imienia naywyszszoho Boha Oyca wszemohuszczoho* &c. Ex his diligens antiquitatum scrutator facilè deprehendet, lingvam antiquam Polonorum proximè ad eam accedere, dialectum, quam hodieque servant Rusi. Idem Prusis illis dicendum erit, qui primis temporibus ad Sinum Venedicum habitarunt, & postea à Gothis in partes Prussiæ Australes expulsi sunt. Illi namq;

Vene-

Venedicam adhuc lingvam sive Slavonicam in pluribus Prussiæ districtibus retinent, licet itidem jam cultiorem, quam quidem antea fuerat. Confirmatur illud ex Johannis Meletii Archipresbyteri Lyccensis epistola ad Georgium Sabinum primum Academiæ Regiomontanæ Rectorem de Religione Veterum Prussorum scripta, & An. 1551. Regiomonti typis excusa, postea quoque non rarò variisin locis recusa. In ea lamentationes Prussorum funebres has fuisse dicit: *Halele, lele, y procz ty mene umral? y za ty nie miel szto iesty, albo pity, y procz ty umarl? Halele, lele, y za ty nie miel krasi mlodzice, y procz ty umarl.* Hoc Poloni & Prusi in quibusdam Poloniæ conterminis districtibus habitantes hodiè sic efferrent: *Heu, Heu, à czemús ty mie umarl? à zás ty nie mial co iésé, albo pié, á czemús ty umarl? Heu, Heu, y zás ty nie mial krasna zone, á czemús umarl?* id est: Heu, heu, quare mortuus es? Num tibi deerat cibus & potus, quare tu mortuus es? Heu, heu annon habuisti formosam conjugem? quare tu mortuus es? Notat laudatus Meletius etiam illorum Prussorum formulam: *Jely, pily Duszice*, i. e. edistis, bibistis animulæ. Quæ proximè ad Lingvam Russorum accedere, Rusi ultro agnoscent. Fuisse autem multis in locis Prussiæ Slavonicam lingvam in usu, probatu non erit difficile. Siquidem Cruciferi, si in locis, quibus lingva Prusica familiaris erat, aliam, exterminatâ priore, introducere voluissent, Germanicam, ut Germani ipsi, non Polonicam, quam non intelligebant, introduxissent. Cum igitur multis in locis hodieque lingva Venedica sive Polonica sit vernacula, quæ tum, ob eam quam diximus causam, ab ordine Teutonico introduci non potuit; consequens est, ut statuamus, & olim eam Prusis fuisse vernaculam.

II. Gothi sive Æstii quâ lingvâ sint usi, docet nos Tacitus, quem hoc de argumento differentem audiamus: *Ergo*, inquit, *jam à dextro Svevici maris litore Æstiorum gentes alluuntur, quibus ritus habitusq; Svevorum, lingva Britannicæ propior.* Hæc ille *in lib. de morib. Germ. sub calcem.* Lingvam verò Britannicam fuisse Celticam, sive Gallicam, dicit idem Tacitus *in Agricola cap. 11.* Hâc lingvâ iis temporibus usi sunt Galli, Britanni & Germani, ut probat Philippus Cluverus *lib. 1. German. Antiq. cap. 5. & seqq.* Item Marcus Zuerius Boxhornius *in lib. de Originib. Gallicis c. 1.* Quamvis autem hic Tacito contro-

controversia moveri posset, eò quod Svevicæ lingvæ illam propinqvam, fuisse negat, nobis tamen hic ex Tacito probasse sufficit, lingvam Æstiorum in Prussia fuisse Germanicam. Videntur hæc, quæ diximus, etiam confirmare tot nomina villarum & pagorum ante adventum Cruciferorum hic usitata. Notum enim est terminationem in *au* esse Germanicam, designans terram aliquam, ut videre licet in illis: Morau/Nassau/Brißgau/Betau/Welau/Wetterau/ & aliis quam plurimis. Jam verò id genus terminationes in Sambia, quam Gothos tenuisse Dissertatione I. probatum dedimus, frequentes jam ante Cruciferorum adventum fuêre, ut Medenau/ Qvedenau/Germau/Welau/Waldau/etc. Nisi fortè hic dicere malis, locorum illorum nomina Prussica Cruciferos ad suæ lingvæ genium deflexisse, cum antea non in *au* sed in *o*, quæ terminatio Veteribus Prussis fuit frequentissima, desinerent. Quod si cuipiam terminatio in *o* non placet (quamvis ea insuper exemplo Polonorum, qui eandem in urbibus denominandis plerumque seqvuntur) substituere poterit terminationem in *a*, cùm locis Prussicis non rarò vocabula in *a* desinentia nomen dederint. Sic *Germau* dicitur, ut M. Prætorius arbitratur, deductum est à *gerima* id est compotatio. *Lankau* à *Lanka* id est Pratum. *Waldau* à *Walda* i. e. districtus. Obiter hîc notandum, Lingvam illam Britannicam, sive Celticam hodiè superesse in Wallia, Angliæ Provincia, quæ nomen etiam Veterum Gallorum, sive Celtarum servat. Literæ namque G & W. olim pro Dialectorum varietate variari solebant. Sic in Gallia dicuntur *Gascones*, qui & *Vascones*. *Gwerra* dicitur bellum & *Werra*. Non secus etiam hodiè sunt Walli, qui olim Galli. *Vid.* Boxhorn. *loc. cit. cap. 4. pag. 75.*

III. Prussi, quos Ordo Teutonicus Sec. XIII. sub jugum egit, utebantur lingvâ à supradictis diversâ. Illam his temporibus unicè intelligimus, quando veterem lingvam Prussicam nominamus, ejusque origines nunc nobis erunt investigandæ. Sciendum autem est, superiore Seculo totam ferè Sambiam adhuc illâ lingvâ esse usam. Certum etiam est, Conciones sacras Sambitis in vico Schaken illo tempore eâdem lingvâ fuisse habitas, ita ut Prætor ejus loci singulas periodos ab Ecclesiaste prolatas Germanicè, auditoribus redderet Prussicè, ut auctor est Lucas Osiander *in Notis ad cap. 2. Act. Apost.*

Nec defuerunt in Natangia, Sudinia & Warmia ejus lingvæ homines, quorum saluti ut consuleret pius Princeps Albertus primus Dux Prussiæ Catechismum in lingvam Prussicam converti curavit. Cum autem inter Prussos non una reperiretur lingvæ Dialectus, sic versionem illam adornari jussit, ut omnibus, lingvâ Prussicâ utentibus, usui esse posset. Editus est Catechismus ille Prussicus Ann. 1545. Regiomonti, typis Joannis Weinreich excusus. Cæterum cum deprehensum esset, Interpretem primæ hujus editionis non ubique proprietatem & vim vocum observasse, Prussos etiam in diversis districtibus habitantes, ob variantem dialectorum, non omnia capere potuisse, factum est, ut optimus ille Princeps de salute suorum solicitus Catechismum denuo sub limam revocari, & in secunda editione, quæ eodem anno prodiit, Dialectum potissimùm Sambiensem observari jusserit. Hunc Catechismum summa fidei capita complexum jussi sunt sacerdotes suis parœcianis prælegere, eosque in iis, quæ ad salutem faciunt obtinendam erudire, ut ex Præfationibus dictarum editionum manifestum fit. Edita quoque est superiore Seculo Agenda, quam vocant, Ecclesiastica Prussico sermone, ex quibus Scriptis satis superque cognoscere licet, quæ fuerit vetusta Prussorum lingva. Hodiè siquidem ex rusticis in Sambia rarissimi inveniuntur ejus lingvæ gnari; & quidem adeò corruptè illos loqui animadvertas, ut ab illa, quam nobis Catechismus & dicta Agenda exhibent, ipsorum lingva non parum differat. Cui ex hodiernis lingvis illa fuerit affinis, docent nos nostri, ut & Polonici Scriptores passim. Dignus est, qui super hoc negotio audiatur, Johannes Dlugossus, qui diserte: *Gens Pruthenorum*, inquit, *speciale habens idioma — quod cum Lithvanico habet convenientiam aliquam — unius & moris & lingvæ cognationisque Prutheni & Lithvani Sámogitæque fuisse dignoscuntur, & quamvis gentes ipsæ in pronunciatione verborum differunt, quemadmodum Poloni, Bohemi, Rutheni. Nihilominus in multis conveniunt.* Hæc Dlugoss. *Tom. I. Hist. Polon. lib. 2. ad Ann. 997.* Gemina his habet Martinus Cromerus, qui *lib. 1. cap. 5. pag. 409.* ea de re sic loquitur: *Quorum* (Prussorum) *extant adhuc reliquiæ quædam in vicis & pagis tractus Warmiensis & Sambiensis Lingva utentes Lithvanicæ non absimili.* Et *lib. 3. pag. 442. Livonos*, ait, *Samogitas & Prussos vetus nomen retinentes eadem inter se lingvâ vulgò utuntur, tantum quod*

multas

multas voces latinas admixtas habent. His non absimilia reperiuntur & apud Alexandrum Gvagvinum (Matth. Strykovium) *in Sarmatia Europæ, ubi de Prussis agit.* Severinus quoque Gœbelius *in lib. de Succino c. 3.* de lingva Prussica refert. Ihre (Sudinorum) Sprache ist nicht ganz frembde von der Littawschen. Cl. Vir M. Prætorius amicus meus honorandus notat in Scripto de lingva Prussica mihi transmisso, lingvam illam fuisse inter Curonicam & Lithvanicam quasi mediam. E. g. Lithvanus dicit, *Mes girdime*, i. e. nos audimus: Curonus, *Mes sirdime:* Prussus, *Mes kirdime.* Sic etiam Lithvanus dicit, *Wakit*, i. e. vocare; Prussus *Wadit.* Item Prussico idiomate *nusu*, idem est quod noster; Lithvanico *nuson.* Similiter se res habet in aliis quamplurimis. Sed quamvis hoc non negaverim, talem Lingvæ Prussicæ Lithvanicæque differentiam in plurimis obtinuisse verbis; largietur tamen mihi laudatus Vir Clarissimus, in non paucioribus Prussicam à Lithvanica fuisse planè diversam. Quin etiam in ipsa Prussia tanta fuit lingvæ Prussicæ in multis Districtibus diversitas, ut Prussus Prussum vix intelligeret. A viro quodam in Prussia non infimi nominis, cum Regiomonti degerem, accepi, ad B. D. Tinctorium Medicum non ita pridem celeberrimum ante aliquod lustra venisse hominem quendam, qui se lingvæ Prussicæ veteris peritum jactitabat. Proponebatur ipsi à quibusdam curiosis rei periculum facere volentibus, non paucæ formulæ, quas Prussus ille promptè suâ reddidit lingvâ. Aderat etiam, qui inscio eas calamo excipiebat. His finitis, Prussus aliam sese adhuc lingvam Prussicam, Dialectum diversam indicans, scire innuebat: instant illi rogantque, reddat jam memoratas aliasque formulas alio modo. Ille nihil cunctatus eadem promptitudine ad singulas quæstiones respondet. Ne verò fraus subesset, perturbato quæstionum ordine, semel atque iterum eadem interrogatus, eodem modo, quo antea, respondet, sicque abunde rei fidem facit. His certè fidem non denegabit, quicunq; Catechismum Prussicum quem mox subjiciemus, cum Catechismo Lithvanico & Oratione Dominicâ Prussicè à Sim. Grunovio, lingvæ hujus non ignaro, redditâ, contulerit. Ante autem quam ipsum Catechismum perlustremus, illud prænotandum esse ducimus, exteros Scriptores varias de lingva Prutenica Veteri traditiones literis prodidisse, quæ tamen fidem nullam merentur. Sic

J. A. Comenius in novissima Lingvarum methodo (quæ est Parte I. Operum Didacticorum) cap. 3. num. 18. *Exemplo*, inquit, *sit vetus Prutenica toto genere ab aliis Europæis diversa, quæ ita nunc usurpari desiit, ut cum ante annos centum complures etiam fuerint eâ utentes - - jam nonnisi unus superesse dicitur pagus, in quo vix aliquot viri senes eam lingvam intelligunt.* Audivi quoque nonnullis persvasum esse, in dicto illo pago in hunc usque diem Linguam Prussicam de industria foveri semperque à Serenissimo Electore uni juveni dictæ lingvæ perito in Academiâ Regiomontanâ sumptus suppeditari necessarios, qui postmodum hos homines lingvâ Prussicâ doceat. Sed primùm lingva Frusica non est toto genere à cæteris Europæis diversa, cum sit dialectus Lithvanicæ & Curonicæ Lingvæ. Deindè non in uno sed in pluribus adhuc pagis passim reperiuntur hujus lingvæ gnari. Denique non docetur jam amplius rusticana plebs veteri lingvâ Prutenicâ, neque cuiquam hodiè propterea suppeditantur sumptus, ut illorum hominum curam gerat, cum omnes illi Germanicè loquantur. Superiori autem Seculo non uni tantum, sed & pluribus ea propter fuisse sumptus ad studia suppeditatos facilè concesserim.

PARS CATECHISMI PRIMA.

Ex Editione Prima.	Ex Editione secunda.
Staey dessempts Pallapsaey	***Staey dessimpts Pallapsaey***
i. e. decem Præcepta.	i. e. decem Præcepta.
Pirmas.	Pirmois.
Thou ni tur Kittans Deiwans turrettwey.	*Tou ni tur Kittans deivans turryetwey.*
Anters.	Anters.
Thou nytur schan emnen twayse Deiwas'ny anterpinsquan menentwey.	*Tou ni tur sten emnen twayse deywas nienbænden westwey.*
Tirts.	Tirtis.
Thou tur schan lankenan deinan swintintwey.	*Tou tur stan lankinan deinan swyntintwey.*

Ketvverts

Ketvverts.

Thou tur twaian thawan bha muttin ſomonentwey.

Penkts.

Thou ny tur gallintwey.

Wuſchts.

Thou ny tur pattiniskun lembtwey.

Sepmas.

Thou ny tur ranktwey.

Aſmus.

Thou ny tur falſch widekauſnan vvaitiatun preiken tvvaien tavviſchen.

Nevvints.

Thou ny tur pallapſittvvey tvvaiſei tavviſchis buttan.

Deſſimpts.

Thou ny tur pallapſittvvey tvvaiſei tavviſchis gennan, vvaikan, mergvvan, pecku, ader Katanaſſen aſch.

Ketvvirtz.

Tou tur tvvayien thavvan bhe mutien ſmunintvvey.

Pyienkts.

Tou ni tur gallintvvey.

Vſts.

Tou ni tur ſalobiſquan limtvvey.

Septmas.

Tou ni tur ranktvvey.

Aſmus.

Tou ni tur reddi vveydikaaſnan vvaytiaton preyken tvvayien tauvvyſzen.

Nevvynts.

Tou ni tur pallapſittvvey tvvaiſis tauvvyſchis butten.

Deſſympts.

Tou ni tur pallapſittvvey tvvaiſis tauvviſchies, gennan, vvaykan, mergvvan, pecku, adder Katanæſſen heſt.

Pars Catechismi Secunda.

Ex prima Editione.

Stas Dröffs

i. e. Fides.

AS drovve an deivvan, Thavvan vviſmoſing, Kas áſt taykovvuns dangon bah ſemmin. Bah an JESUM CHRISTUM ſvvaian ainan Sunun nuſun Rekian, Kas patickots áſt aſſaſtan ſvvintan naſeilen, Gemmons aſſaſtan jungfrawen Marian. Stenuns po Pontio Pylato ſcriſits, aulavvns

Ex ſecunda Editione.

Stan Druvvin

i. e. Fides.

AS drovvy en deyvvan Thavvan vviſſemokin, Kas eſt tynynnons dængon bhe ſemmien. Bhæ en JESUM GHRISTUM ſvvaien aynen Sounon nouſon reykien, kas pagauts æſt bæſe ſvvintan naſeylien. Gemmons æſcſtan jungprawan Marian. Styienuns po Pontio Pilato ſareſitzt.

aulavvns bah encops. Sammay ſuns preipekollin, Tirtin deinan att ſxivvuns aſſa gallans. Vnſey gobuns andangon, Sindats preitikray deivas vviſmoſingis Thavvas, Stvvendau pergubuns vvirſt preyleiginvvey ſlans geivvans bha aulauvvuſſens. As Drovve an ſvvintan naſeilen, ainan ſvvintan Krixſtianiſxun Kirkin, ainan perroniſcon ſvvintan, & vverpſaman grecon, at ſxiſenna menſchon, bha prabitſcun geivvin. Amen.

aulauns bhe enquoptzt. Semmay lyſons preypykullien, An tirtien deinan etſxyuns hæſe gallans. Vnſei gubons nadengon. Syndens preytikary deyvvas vvyſſen mukis thavvas, ſtvvendau vvirſt pergubons leygentonſtens geyvvans bhe alaunſins. As drovvy en ſvvyntan naſeylien ainan ſvvyntan Krichſtianiſquan Kirken, perroniſquan ſvvintan Etvverpſenman griquan Etſxyſnan menſes, bhe prabuſquan geyvvien. Amen.

Idem Symbolum Apoſtolicum Lithvanicè.

ASz tikkiu y dievva Tevva vviſgalinti, Sutvvereji Daangaus ir zemes. Ir y JESU CHRISTU io vvien gimmuſu Sunu vvieſzpati muſu, kurs praſidejes nu dvvaſes Szvventos, gimmes iſz Marios Mergos czyſtos, kentejes po Ponsku Pilotu, nukrizavvotas, numirres ir palaydotas Nuzenge y Pekla, treczoi dienoi keleſi iſz numirruſi uz zenge ant dangaus. Sed po deſzines Dievvo Tevvo vviſſogalinczo iſz te pareis, ſuditu, gyvvus ir mirruſus. Aſz tikkiu y dvvaſe Szvventa, ſzvventa krikſzſzczoniſzka baznyczia. Svventuiu draudiſte. atteidimma grieku, kuno iſz numirruſu prikalimma. ir amzina givvota.

PARS CATECHISMI TERTIA.

Ex Editione prima.

Sta Thavve nuſon

i.e. Pater noſter.

THavve nuſon kas thu aſſe andangon. Svvintints vvirſt tais emmens Pergeis tvvais laeims. Tvvais quaits audaſſeiſin naſemmey key audangon Nuſan deininan geittin dais numons ſchindeinan. Bha

Ex ſecunda Editione.

Stan Thavve nonſon

i.e. Pater noſter.

THavve nouſon kas thou aſſe andengon. Svvyntits vvirſe tvvais emmens Pareyſey noumans tvvayia ryeny. Tvvays quaits audaſeyſin naſemmiey nay endengan, nouſon deyninan geytiey days noumans ſchindeynan.

Bha attvverpeis noumans nuſon auſchautins, nay mas atvverpimay nuſon auſchantnixamans. Bhany vvedais mans enperbandan. Sclait is ranxeis mans aſſa vvargan. Amen.

deynan. Bhæ etvverpeis noumans nauſon anſchautins, nay mes & vverpymay nouſon anſchautinexa-mans. Bhæ ni vvedeys mans enperbandaſnan. Slaitt is ranxeis mans æſſe vvargan. Emmen.

Oratio Dominica Pruſſicè, ex Simone Grunovio.

NOſſen thevves cur tu es delbes, ſehvviz geſger thovves vvardes, penag mynys thovve myſtlalſtibe, toppes pratres gircad delbeſziſne tade tymnes Sennes vvorſinny, dodi monimes an noſſe igdenas magſe, unde geitkas pamas numas muſſe nozegun cademas pametam nuſſon pyrtainekans. No vvede numus panam padomam, ſvvalbadi mumes nevvuſe layne. *JESUS Amen.*

Oratio Dominica Lithvanicè.

TEvve muſu kuris eſſi dangui, teeſſie Szvvanczamas vvardas tavvo te ateit tavvo karaliſte, te nu ſi duodie tavvo vvalle kaip dangui taip irant remes. Duona nuſu dieniſzka duok muns ſzendiena, atleiſk mums muſu kaltes, kaip mes atleidziam ſavviemus kaltemus. Ne duok mus vveſt y pikta pagundima, Bet gelbek mus nu pikto.

Oratio Dominica VVerulorum lingvâ, qui in Mekelburgico Ducatu degunt, ex Wolffgangi Lazii libb. de Migrat. Gent.

TAbes mus, kas tu es ekſzan debeſſis, Svvetitz tovus vvartcz, enak mums tovus vvalſtibe, tovus praats buska ekſzan debbes ta vvurſan ſummes, muſſe denishe mauſe duth mums ſchoden, pammatemmuns muſe grake, kames pammat muſe patradueken, ne vvedamums louna badekle, pettpaſſarza mums nuvvuſſe loune.

PARS

PARS CATECHISMI QVARTA.

Ex Editione prima.

Assa stan Crixtisnan

i. e. de Baptismo.

NUson Rexis Christus bela prey svvanians maldaisins: Jeithy en vvyssan svvetan, muxinaity vvissans poganans, bha Cryxtity dins en emmen Thavvas, bha Sunos, bha svvinte Naseilis, xas drovve bha crixtits vvirst, stas vvirst deivvuts, xas aber nidruvve, stas vvirst proxlantitz.

Ex Editione secunda.

Assæ stan Crixtisnan

i. e. de Baptismo.

NOuson ryxies Jsus Christus byla preysvvayiens maldaysins: Jeiti en vvyssan svvytan, muxyneyti vvyssens poganens, bhæ Crixtidiens en emnen Thavvas, bhæ sounons, bhæ svvyntas naseylis, xas druvve bhæ crixteits vvirst, stes vvirst deyvvuts, xas nidruvve, stes vvirst preclantits.

Hæc ad verbum sic redduntur:

NOster Dominus (Jesus, habetur in editione secunda) Christus dixit ad suos discipulos: Ite in omnem mundum, docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine Patris & Filii & Sancti Spiritus. Qui credit & baptizatus fuerit, ille erit salvus, qui (verò, additur in editione prima) non credit, ille erit maledictus.

PARS CATECHISMI QVINTA.

Ex Editione prima.

Assa Sacramentan bietis eden.

i. e. de Sacramento Altaris.

NUsen Ricxis Jesus Christus, austan naxtin xadan provveladin, ymmits stan, geittin, dinkevvats, bha limats bha daits svvaimans maldaisemans bha belats: ymaity stvven edeitte, sta æst mais xermens, xas pervvans dats vvirst, stavveidan segeitty prey maynan menissnan.

Staſma

Ex Editione secunda.

Assa Sacramenten bytis ydi.

i. e. de Sacramento Altaris.

NOuson reyxeis Jsus Christus, austan naxtin xaden provveladin, ymmeits sten geytien, dinxautzt bhe lymuczt, bhe dayts svvaymans malday simans, bhe bylaczt: ymayti stvven, bhe ydieyti, stæ æst mays xermens, xas pervvans daeczt vvirst, Stevveyden segeyti pre mayien menisnan.

Stæſmn

Staſma poleygo immitz deygſtan Keluan pho ſtan betten eden, dinxovvatz bha daitz ſvvaimans maldaiſemans bha belats: immaitty ſtvven, bha pugeitty vviſſay is ſtaſma, ſchis Kelchs aſt ſtanavvans Teſtamentan, an maia xrangen, xha pervvans palletan vverſt, pray att vverpſannan greuun, ſtevveydan ſegeitty, xodeſnimma yous pogeitty pray maian meniſnan.

Staſmu poteygo ymmeyts deygi ſteu Kelian, poſtan bitans ydi, dinxaucyt bhe daits ſvvaymans maldayſimans bha lilats: ymmayti ſtvven bhe puieyti vvyſſay iſteſmu, Sis Kelkis aſt ſta neuvvenen Teſtamenten en mayiey xrauvviey, xa pervvans praliten vvirſt, prey etvverpſauniam griquan, ſtevvidan ſegeyti xudeſnammijoes puietti prey mayian miniſnan.

Es his jam manifeſtum fit, duas illas Catechiſmi editiones, etſi inter ſe non adeò differant, ab illa tamen Pruſſicâ dialecto, quam tenuit, Simon Grunovius, plurimùm differre. Animadvertet etiam curioſus Lector non ovum ovo, quod ajunt, ſimilius eſſe, quam ſibi ſunt ſimiles Lingva Pruſſica, & Werulorum, in Mekelburgico Ducatu habitantium, de quibus Wolffgangus Lazius *in lib. 12. de Migrat. Gent. n. 5. pag. 628.* Quodſi enim Orationem Dominicam lingvâ Werulorum à Lazio exhibitam, cum Oratione Dominica Pruſſico idiomate â Grunovio nobis expreſsâ conferas, tantùm non verbum è verbo expreſſum in ea reperies.

IV. Verùmenimverò lubet etiam ex Simone Grunovio Catalogum quarundam Pruſſicarum vocum annectere, ut eò pleniorem de veteri lingva Pruſſica, quæ jam jam animam agit, imò propemodum jam extincta eſt, inde cognitionem hauriamus:

Devus GOtt.	Ruggis Roggen.
Angol Engel.	Gayde Gerſt.
Maiſta Stadt.	Mayſe Weyzen.
Ludis Menſch.	Wyſge Haber.
Caymo Dorff.	Geyto Brodt.
Camnel Pferdt.	Sauſe Teig.
Cluth ein Kuh.	Pogeys trincke.
Sangor Hund.	Walge eſſet.
Ricke Herr.	Wyms ſpey.
Wunda Waſſer.	Plavis bezahle.
Pevo Bier.	Crage Kanne.

Skaura Saw.
Debica groß.
Ganna Hausfraw.
Docti Tochter.
Tave Vater.
Sus Jahr.
Peile Käß.
Salme Stroh.
Puncka Acker.
Malko holen.
Widra Wind.
Galbo Haupt.
Ranko Hand.
Wielna Rock.
Norte Hembd.
Licte Licht.
Gotte Haut.
Saycka Sack.
Gerbeysa Beichten.
Grekoy Sünden.
Kirkoy Kirchen.
Pasoygu fasten.
Kekyris Erbßen.
Peinnes Weck.
Meikte Schlaff.
Salli Salz.
Chelmo Hut.
Gertis Hund.
Abbas Wagen.
Sneko Schnee.
Salta halt.
Liurti klein.
Supana Braut.
Mutte Mutter.
Haltnika Kind.
Schostro Schwester.
Labbis Gutt.

Aucte Büttter.
Paute Eyer.
Skunna Schrein.
Heida Herdt.
Linno Flachs.
Gnapsen Hanf.
Scuto Zwirn.
Woykello Knecht.
Calte eine Marck.
Peisda der Arsch.
Lapinna Geboth.
Pipelko Vogel.
Comatir Gevatter.
Sau dey geh weg.
Dirsos gintos from Mann.
Manga Hure.
Tirtters ein Wächter.
Ni koyten wiltu nicht.
Wabelko Apffel.
Bila Beyl.
Moska Leimet.
Angle Nolden.
Glasso Glaß.
Mergus Magd.
Kurpe Schuh.
Pomeles lecke.
Deyn Tag.
Imays nimb.
Saydit hüte dich.
Pirmas zum ersten.
Eugeke komm her.
Mangoson Hurenkind.
Mayter Schalck.
Jest er ist
Gosen Dreck.
Warum rot.

V. Ex

V. Ex collatione harum lingvarum, nimirum Prussicæ, Lithvanicæ, & ejus, quæ apud Werulos in Mekelburgico Ducatu in usu est, jam satis superque cognoscitur, verum esse illud, quod superiori Dissertatione confirmatum ivimus, enumeratas modò gentes unius esse originis, cum tanta lingvarum illarum reperiatur convenientia. Majorem etiam earum similitudinem cognoscet, qui lingvas illas aut omnes, aut saltem earum unam perfectè callet, variasque ejusdem dialectos habet cognitas. Non enim ignotum est, unam sæpè rem plures habere denominationes pluresque voces, quæ, cum non possint simul omnes uno poni loco, eò lectorem adigunt, ut in collatione lingvarum vocem aliquam ab alterius lingvæ vocabulo differre putet, cum tamen habeat alia vocabula cum vicinâ sibi lingvâ communia, quibus res illa commodè exprimi potuisset. Exemplum reperies in Symbolo Apostolico Editionis primæ dicitur *wismosing*, & in Editione secunda *wissemokin* i. e. omniscientem. Lithvanicè dicitur *wissgalinti* i. e. omnipotentem, quam vocem & Prussi agnoscebant, indè GALINDI Prussiæ populi dicti sunt i. e. potentes. (Alii Galindos interpretantur Latrones à voce *gallintvvey* i. e. occidere: sed vix verisimile est, Prussos à latrocinandi more, quem in vitio ponendum esse non nesciebant, sibi nomen fuisse sumpturos.) Deinde sæpiùs in una lingva simplicibus verbis res exprimitur, quæ in alia lingva pluribus circumscribitur vocabulis. Exemplum itidem est in Symbolo Apostolico, ubi Lithvanus paucis verbis dicit: *Sutvvereji Dangaus ir zémes* i. e. Creatorem cœli & terræ. Prussus hoc ipsum circumscribit sequenti modo: *Kas est tyxynnons dængon bhe semmien* i. e. qui est Creator cœli & terræ. Non rarò etiam una eademque vox in diversis lingvis scribitur literis diversis etiamsi sonus sit idem, ut in modo citato exemplo Lithvanus dicebat *zémes* i. e. terræ: Prussici Catechismi auctor, cum fuerit Germanus, non scripsit eandem vocem per literam z, verum per s. quæ litera apud Germanos illi Lithvanicæ respondet.

VI. His cognitis aggredimur jam rem ipsam, Origines Lingvæ Prussicæ investigaturi. Sunt hic primùm, qvi in Græcia fontes lingvæ Prussicæ, ut & Lithvanicæ & Werulorum, quærant. Producunt etiam, ne sine ratione id asseruisse videantur, voces ex Prussica & Lithvanica lingvis non paucas, quas non nisi ex Græco derivari posse arbi-

trantur. Sic *ganna* i. e. uxor, derivari videtur à γύναιξ. Vox etiam Prussica *malnikas* i. e. soboles, deduci potest à Græco μελανὸς. Similiter vox *aukslpts* i. e. adopertus est à καλύπτω. Item *ist* Prussis idem est quod *edere*. Sic etiam *puton* est à πίνω. i. e. bibo, poto. Habuimus insuper in Oratione Dominica Editionis secundæ vocem *pareyse* i. e. adveniat, quæ commodissimè deducitur à πάρειμι i. e. advenio. Quid? quod etiam integræ producuntur formulæ Prussicæ, quæ in Græco sermone eodem proferuntur modo, verbi gratia: *Mes Rinyai asmen* i. e. nos Domini sumus. Græci sic reddunt: ἡμεῖς Κύριοι ἐσμὲν. Illud etiam vulgare Lithvanorum Proverbium: *Dievva dawe dantes, Dievva dosir duona.* i. e. *DEUS dedit dentes, DEUS dabit & panem*, ex Græco sunt, qui derivent. Numeros præterea Prussicos, quos ex decem Præceptis supra datis addiscere licet, Græcos esse multi contendunt. Quodsi longiùs petitas vocum nomenclationes admittamus, quas certè in aliis lingvis admitti non ignorant Philologi, multò plura liceret in medium adducere ex lingvâ Lithvanicâ atque Prussicâ, quæ helleniſmum sapiunt. Unicum hîc profero ex Indice Grunoviano exemplum. *Manga* Prussis erat meretrix, fortasse à Græco μάγγανον i. e. machinamentum, veneficium, fucus, dolus, rete. Dictæ autem indè videntur propterea, quod machinamentis suis ac dolis fucatæ meretrices incautos adolescentes in nassas suas pertrahere consueverunt. Nihil nunc dicam de ipso vocum Lithvanicarum sono, & vulgari etiam pronunciatione, quæ mihi jam pridem adhuc adolescentulo vix primis Græcæ lingvæ elementis imbuto nescio quid Græci referre visa est.

VII. Alii Prusficam, Werulorum & Lithvanicam lingvas ex Latio arcessunt. Probat hoc speciatim de Lingva Lithvanica, ut sibi Vernaculâ, Michalo Lithvanus, in Fragmentis, quæ reperiuntur in libello ab Elzeviriis Lugduni Batavorum typis impresso, cujus hæc est Inscriptio: *Respublica Polonica*, ubi de hoc argumento hunc in modum loquitur: *Et ugnis, & unda, aër, sol, mensis, dies, noctis, ros, aurora, DEUS, vir, devir* i. e. *levir, nepotis, neptis, tu, meus, suus, levis, tenuis, vivus, juvenis, vetustus, senis, oculus, auris, nasus, dentes, sta, sede, verte, inverte, perverte, aratum, occatum, satum, semen, lens, linum, cannabis, avena, pecus, ovis, anguis, ansa, corbis, axis, rota, jugum, pondus, culeus, callis, cur, nunc, tractus intractus, pertractus, extractus, mensis,*

Aus, immerctus, sutus, insutus, versus, inversus, perversus, primus, unus, duo, tres, quatuor, quinq, sex, septem, & pleraq; alia itidem significant Lithvano sermone, quod & Latino. Hæc ille *p. 265. seq.* Non tamen existimandum est Michalonem hoc intendere, ut probet, has aliasque voces in Lithvanico idiomate eodem modo proferri, ut in Latino, ne unicâ quidem literulâ immutatâ; sed levem aliquando vocis inflexionem ille haut difficulter concedet, dummodò vocabula nihilominus haut multùm sibi sint dissimilia. *Sic ignis* est *ugnis:* unda, *vvanda:* aër, *oras:* sol, *saule:* mensis, *menuo:* dies, *diena:* noctis est *nactis:* ros, *rasa:* aurora, *ausxras:* DEUS, *Dievvas:* vir, *viras:* jugum, *jungas:* cannabis, *kanapas.* & sic deinceps. Non solùm autem Lithvanicam, sed & cognatam ei Werulorum lingvam in Latino idiomate sua invenire incunabula, confirmat Wolffgangus Lazius *lib. 12. de Migrat. gent. num. 5.* De Prusico sermone licet hoc ipsum nemo probaret, palàm tamen illud constare posset ex lingvis illis cognatis, & dialecto tantùm à Prusicâ disjunctis. Agnoscunt verò Prusicæ Lingvæ ex Latina origines Dlugossus, Cromerus, alii. Confirmat etiam hoc aliquot Prusicis vocabulis, Beatus Frid. Zamelius *in Carmine ad Robertum Cruquium,* ut *Kurpis* genus calceamenti Prusici putat à *crepidis* vel etiam à *carbatinis* dictum: *paggun* à Latinâ voce *pax,* item *tebbe* à *tu* deducit. *Vide ipsum carmen.* Similiter Prusi olim succinum appellarunt, *genitar,* quam vocem originis esse Latinæ contendit Johannes Wigandus *in Historiâ Succini fol. 1. b.* Sic enim ille super hac re scribit: *Sudavienses seu Sudini vocant genitar, quasi genitum terrâ propriissimâ appellatione, quia est* ein Erd-Gewächs / ein Berg-Wachs / *bitumen scilicet è terra natum & concretum. Non autem disputo, unde hoc nomen acceperint Sudavienses, cum non utantur Latino idiomate.* Hæc & alia loco citato Wigandus.

VIII. Quid nos eâ de re sentiamus, paucis aperiendum erit. Primùm dicimus Prusicam Lingvam habere plurima vocabula sibi propria, ita ut in Lithvanica prorsus non reperiantur. Agnoscunt hoc facilè Lithvani, qui utramque accuratius excutiunt. Idoneum etiam hujus rei testem citamus Simonem Grunovium, qui Indici vocabulorum Prusicorum, quem num. IV. dedimus, hæc verba subjicit: Hiebey ist abzunehmen / wie die Preußen eine sonderliche Sprache haben / der Pohl ihnen nichts verstehet / der Lit-

tawe gar wenig. Ne turberis autem Lector Benevole, quando audis, Lithvanos pauca ex Prusfico idiomate intelligere. Notum enim eft, unius etiam Lingvæ homines fe invicem aliquando non intelligere, ob dialectum diverfam. Sic fi committas Auftriacum cum Pomerano, Hollando, &c. vera nos dixiffe facilè animadvertes. Grunovius autem hoc de Prusfis & Lithvanis etiam eâ de caufa dixit, quia aliam Prusficæ Lingvæ dialectum, quàm quæ in Catechifmo Prusfico nobis exhibetur, magisque à Lithvanico idiomate diftantem tenuit. Natus enim eft vixitque Grunovius in Prusfia Regia, quæ ut à Lithvania remotior, ita quoque à lingvâ Lithvanica fuit & olim alienior. Deindè non minùs certum eft, utramque illam linguam, Lithvanicam videlicet & Prusficam, plurima vocabula cum Polonis habere communia: Ut in Oratione Dominicâ, *Svventits* Polonis eft *Svviecony* i. e. fanctificatus: *tvvays* Polonicè dicitur *tvvoy* i. e. tuus: *femmie* Polonicè *ziemia* i. e. terra. *Days* Polonicè *day* i. e. da: *vvedeys* Polonicè *vviedz* i. e. ducas: In Symbolo Apoftolico: *Sounos* Polonicè dicitur *Syn* i. e. filius: *Svvinta* Polonis eft *Svviety* i. e. fanctus. *Po*, Polonicè *Pod* i. e. fub. *Enkops* five *enquops* videtur hybrida effe vox, ex Latina & Polonica voce conflata: Nam *en* eft ab *in* Latino; *Kops* eft à Polonica *Kopac* i. e. fodere. *Pykullin* Polonis eft *Pieklo* i. e. inferi: *griquan* (five ut Grunovius habet *grekoy*) i. e. peccata Poloni vocant *grzechy*. In reliquis Catechifmi partibus obfervari fequentia verba: *Swita*, Poloni dicunt *Swiat* i. e. mundus: *Pogans*, Polonicè *Poganie* i. e. Ethnici five Pagani: *Preklants*, Polonicè *przeklety* i. e. maledictus feu condemnatus. *En moyen Kræuwiey* id eft in meo fangvine, Polonus fic efferet: *w moiey Krwiey*. Sic etiam pro Pruffico verbo *dinkauzt* Polonus fubftituet *dziekowal*, i. e. gratias egit. In Catalogo Grunovii Polonica funt: *meſta* Polonis *miaſto* i. e. civitas. *Ludis* Polonicè *ludzie* i. e. homines. *Pewo* Polonis *Piwo* i. e. cereviſia. *Ranko*, Polonis *reka* i. e. manus. *Sneko*, Polonicè *Sniek* i. e. nix. *Wabelko*, Polonicè *iablko* i. e. Pomum. Sed & multò plura olim his gentibus fuiffe communia crediderim. Sic veteribus Pruffis *Supani* dicebantur Nobiles, quæ vox neq; hodiè Lithvanis eft ignota; Polonis autem Nobiles olim itidem dictos effe *Supanos*, teftatur Auctor Chronici Montis-Serini *ad an. 1209. pag. 86.* Slavi quoque in Hungaria *Span* vocant Dominum, feu Nobilem. Sed & ipfis Hungaris

Iſpan

Ispan est Præfectus alicujus Comitatûs. Ex quibus jam facilè deduci potest, Polonicum *Pan* i. e. *Dominus*, factam esse ex antiquo *Span*, sive *Ispan* sive *Supan*. Hoc inde etiam confirmari posse videtur, quod Poloni etiamnum, non secùs ac de Hungaris modò diximus, Castellanos suos, qui olim arcium Provinciarumque fuêre præfecti, vocant *Pan*, ut, *Pan Kracowski* i. e. Dominus Cracovienſis, quo titulo cohonestant Castellanum Cracovienſem. Dubium autem hîc moveri posset, utrûm Poloni à Lithvanis & Prussis, an verò hi ab istis vocabula jam enumerata, quæque utrique parti fuêre communia, acceperint. Indignum fortasse hoc videbitur Polonis, lingvam adeò nobilem, adeò excultam, ex Lithvania & Prussia arcessere. Neque ego asseruerim, Polonos vocabula modò enumerata, & id genus alia plurima, à Lithvanis & Prussis accepisse; de quibusdam tamen id non temerè dici posse arbitror. Considerent tantùm accuratius Poloni vocem (quâ hodieque utuntur) *naparstek* i.e. digitabulum: Hæc à Lithvanico *perstos* i. e. digitus, deduci videtur. Cæterum ut paucis, quod sentio, dicam, plerasque voces ex enumeratis, neque Polonos à Lithvanis, neque hos ab illis, sed utrosque à tertia aliqua gente hausisse puto. Constat enim & Polonos, & Lithvanos Prussosque Sarmatiam quondam Europæam, ut communem matrem, coluisse. Quare utraque gens ab aliqua tertia facilè multa in suam potuit trahere lingvam, adeò ut non sit necesse, aut hanc ab illa, aut illam ab hâc derivare. Firmari potest hæc sententia illô ipsô vocabulo *naparszek*, quod non à Lithvanico *perstos*, sed ab antiquo Slavonico *prst*, quod hodièque apud Bohemos digitum significat, derivatur.

IX. Deindè neq; hoc negari posse videtur, ex Latina lingva quamplurima in veteri Prussico idiomate reperiri vocabula. Præter illa, quæ num. VII. enumerata sunt, quis non agnoscit Latina illa esse in Oratione Dominica: *Kas tu es* i. e. qui tu es? Nec minus Latina esse videntur sequentia: *tovus* i. e. tuus: *nuson* i. e. noster: *emmens* i. e. nomen: *Rieki* i. e. regnum: *deinina*, diurnus sive quotidianus: *noumons*, nobis: *en*, in: *perdandasna*, est tentatio, fortasse à Latino verbo perdere. In Symbolo Apostolico sunt *sxresitzt* i. e. crucifixus: *deyna*, dies. Similiter in Catalogo Prusicorum vocabulorum Simonis Grunovii *Kekyris* à cicer. In aliis quoque Catechismi partibus reperiuntur: *per wans* i. e. pro vobis: *postan* i. e. post: *Kermens* i. e.

cor-

corpus sive caro. Sed dices, hæc nondum probare, Prussos illa vocabula Latinis debere; multò minus autem sequi, Latinos ipsos hanc Lingvam in Prussiam intulisse. Quis enim ignorat nullam unquam reperiri lingvam, quæ cum aliâ, etiam in speciem diversissimâ, aliquam saltem non habeat convenientiam. Exemplo sit Lingva Germanica. Hanc cum Græcis ex Latinis plurima habere communia, probant Wolffgangus Lazius *lib. 11. de Migrat. gent. p. 596. seqq.* & Hadrianus Junius *in Animadvers.* Eandem Germanorum lingvam plurimas voces, vocibus Turcis habere cognatas, probat Boxhornius. Quin & cum Persis non pauca Germanis esse in lingva communia, demonstrat laudatus Boxhornius *in Originibus Gallicis.* Idem habet Josephus Scaliger *in lib. 4.* Manilii dicitq; in lingva Persica reperiri Fader, muder, brader, tuchter, band, & similia non pauca. Quis autem propterea diceret, Germanos omnia illa verba ab enumeratis gentibus accepisse? Sic etiam ob ejusmodi Lingvæ Prussicæ Latinæq; convenientiam asseri pro certo non posse videtur, Latinos ipsos coloniam aliquam ex Italia deducentes, huc ea vocabula invexisse, præsertim cum detur alius modus, quo hoc ipsum fortasse contigit. Videlicet Veterum Scriptorum monumenta evolventibus obscurum esse nequit, magnum quondam Romanis lingvæ suæ propogandæ fuisse studium. Comprobabimus hæc verbis Boxhornii viri de Originibus gentium & lingvarum texterrimè judicantis: *Romani,* inquit ille, *gentibus sibi subditis omnibus lingvæ suæ jugum, omni conatu etiam latis legibus imponebant, ita ut Gallicas & Hispanicas Provincias Latinas prorsus facerent & omnes ferè gentes Latinè loquerentur. Leges enim quibus Provinciæ regebantur, Latinas esse oportuit & Provinciarum Prætores sententiam latinè dicere. Exstantq; exempla ademptæ civitatis ob Latinæ lingvæ ignorantiam. Narrat enim Svetonius splendidum virum Græciaq; Principem è judicum albo erasum, & in peregrinitatem redactum, quod Latinam lingvam ignoraverit. In scholis etiam illa sola fuit approbata. Nec Legatis, supplicantibus, appellantibus, in Senatu loqui permissum est, nisi Latinè. Imò & Græcos ipsos Latinè loqui cogebant, non in urbe tantùm, sed in Græcia & Asia, quo Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior, ut Valerius Maximus loquitur, diffunderetur.* Hæc ille *in Originib. Gall. pag. 80.* Quid si ergò hic dicamus, non Prussos ab Italis, sed utrosq; ab alia quadam gente hæc hausisse? Aut si concedendum

est,

est, ab Italis Prussos illa petiisse, quid opus est, colonias huc ex Italia arcessere, cum Romani gentibus his devictis potuerint lingvam suam imperare, parùm existimantes actionum humanarum esse dominos, nisi etiam loquelæ imperarent. Verumenimverò hæc sententiam nostram de ponte, quod ajunt, nondum dejiciunt. Cum enim in tam paucis versibus tot reperiantur Latina verba, plura etiam paulò post à nobis in medium sint adducta, dici vix potest, gentes tantis terrarum spaciis à se invicem disjunctas tantam in lingva sua convenientiam deprehendere posse, quantam hæ gentes deprehendunt, nisi altera eandem ab altera petat. Deinde qua Annalium fide hoc asseretur, Romanos olim in Prusiam usque victricia circumtulisse arma. Sanè intactas fuisse has gentes Romanis Augusti temporibus jam superiore Dissertatione nisi fallor evici. Subsecutis temporibus non Romani Septentrionales has gentes, sed hæ illos infestare cœperunt. Hæc nobis in medium adducenda fuerunt, ut constaret, Latinis Veterem lingvam Prussicam non pauca debere. Ne tamen quid dissimulem, concedo, quædam etiam ex his, quæ Latina esse diximus, posse ex Polonico sermone derivari, puta, *tovus*, tvvoy, i. e. tuus: *nuson*, nasz i. e. noster: *emmens*, imię, id est, nomen: *deina*, dzien, id est dies: *skresitzt*, ukrzyzowany, i. e. crucifixus: *Syndens*, siedzaci. e. sedens. Item de voce *genitar* non ab re quispiam dubitaverit, an Latinam agnoscat originem. Quanquam enim in Slavonicâ lingvâ, quæ Polonis, Russis, Bohemis, aliisq; gentibus est communis, non invenio ei aliquid simile; Curoni tamen succinum appellant *sintre*, & Lithvani *gintars* vel *gentars*, quo etiam modo Prussi olim (hodiè namq; vox hæc in Prussia jam exolevit) sine dubio succinum vocarunt. Hæ autem voces vix à Latino verbo *gigno* deduci possunt. *vid.* Dn. M. Phil. Jac. Harmannus *de Succ. Coroll. I. p. 282. seqq.*

X. De Græca lingva quæstio difficilior est. Auget difficultatem usus articulorum in Prussicâ lingvâ, qui neque datur in Latinâ neque in Polonica. Undè hic articulorum usus, nisi à Græcis? Sic Prussi dicunt: *Stacy dessimpts Pallapsaey*, non secus atq; Græci: ὁ δεκάλογος. Item in secundo Præcepto: *sten emnen*, ut in Græco: τὸ ὄνομα. In tertio Præcepto: *stan lankinan deynan*, ut Græci: τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων, Latini verò, ut & Poloni, hæc sine articulo effetunt: *Decem Præcepta. Nomen. Diem sabbathi.* Videntur itaque præ-

ter dicta vocabula & articulos à Græcis mutuati. Sed hæc nondum nos cogunt, ut ſtatuamus Pruſſicæ lingvæ natales in Græcia eſſe inquirendos. Primùm enim nobis non eſt dubium, quin ex iis, quæ ſupra fuêre prolata, nonnulla commodè poſſint ex Latino ſermone deduci. Sic *ganna*, ſive potius, ut in utraque Catechiſmi Pruſſici editione habetur, *genna* nonne commodius deducitur ex antiquo *geno, genui*, pro quo hodiè dicimus *gigno, genui*. Item vox *iſt*, id eſt, edere majori facilitate à Latino *edo, es, eſt*, derivatur, atque à Græco ἔδω. Nam in Catechiſmo Pruſſico, ubi de Inſtitutione S. cœnæ agitur, exſtat vox *edeitte*, & in editione ſecunda *ydieyti* i. e. edite, quæ Latina eſſe in propatulo eſt. *Puton* quoque eſt à Latino *potare*. In inſtitutione Sacræ cœnæ dicitur *Puieyti* i. e. bibite, quod tamen etiam à Polonico *piycie* i. e. bibite poteſt deduci; ut & prius illud *edeitte* à Polonico *iedzcie* i. e. edite. *Rykies* i. e. Dominus, quod à κύριος voce Græca deſcendat, nobis perſvadere non poſſumus: ſed quod à Latino *Rex* fluat, hoc aliis facilè nos perſvaſuros exiſtimamus. Scribitur illa vox à variis variè. In Catechiſmo Pruſſico mox ſcribitur *Rykyes*, mox *Reykeis*, mox *Rekies*, *Rekis*, *Rikis*. Simon Grunovius habet *Ryke*. Unde cognoſcimus à Pruſſis, pro varietate Dialectorum variè hanc vocem fuiſſe pronunciatam. Jam illud *Rekis*, ut & *Rikis* quod propius accedat ad vocem *Rex*, quam ad vocem κύριος, palam eſt. Cui hæc non ſatisfaciunt, inſpiciat, quæſo, Orationem Dominicam, ubi verba: *Adveniat nobis tuum Regnum*, ſic Pruſſicè redduntur: *Pareyſey neumans twayia ryeki*. Ubi *Ryeki* eſt regnum, ſine dubio à *Rykis* i. e. Rex deductum. Obiter hic notandus eſt error eorum, qui ex Catechiſmi Pruſſici ſecundâ, eaque correctiori, editione probare ſatagunt, *Domiunm*, Pruſſicè vocari *Rekel*. Dicunt enim ex primis de SS. Cœnæ inſtitutione, verbis hoc ipſum probari. Verum dictis in verbis non habetur *Rekel*, ſed *Reykeis*, niſi quod punctum literæ i impoſitum, vitio typi jam vetuſtate & crebro uſu detriti, conjunctum ſit cum ipſa litera, adeò ut impreſſum videatur *Reykels*. Idem error vitio literæ i commiſſus eſt in Præcepto octavo ejusdem editionis, ubi pro *reddi* legitur *reddl*. Alioquin & in illa ipſa editione ſecunda Dominus diſertè vocatur *Reykis* &c. *vid. Inſtitutio Baptiſmi* & *Symbolum Apoſtolicum*. Sic etiam numeri ferè omnes non à Græcis, ſed Latinis ad Pruſſos tranſierunt: *Pirmas* enim eſt

à pri-

à primus: *anteres* ab alter; *tirtis* à tertius: *Kettwirtz* à quatuor, quod à Græco πίτυρ vix poterit deduci. *Pyienkts* licet propius accedere videatur ad Græcum πέντε, quam ad Latinum quinque: dicimus tamen hoc in Polonico verbo *piec* etymon suum habere. *Usts* propria Prutenis videtur esse vox. *Sepmas* est à septimus, ut evidens est. *Asmus* est à Polonico *osmy*, i.e. octavus. *Newintz* est à nonus, terminatio autem est Polonica, cum in ea sit *dziewiec*. Tandem *dessimpts* est à decem, quamvis & Poloni dicant *dziesiec*. Sed & Lithvanicum illud Proverbium ex Latino sermone commodissimè deducitur: ita ut *Dieva* sit DEUS: *dave*, dedit, *dantes*, dentes: *dosti* dabit (similius tamen hoc est Græco δώσει) *duonos* panem, à Latino donum, quod panis κατ' ἐξοχὴν Lithvanis dicebatur *donum DEI*. Neque infrequens hodie est Polonis panem appellare *Bozydar*, Germanis GOttes-Gab, id est donum DEI. Porrò de quibusdam etiam adhuc sub judice lis est, utrùm Prussi ea eodem modo pronunciarint. Verbi gratia, quod *Malnikai*, soboles, dicitur à Græco μαλακὸς descendere, dubium indè reddi potest, quia Grunovii index non habet *malnikas*, sed *Haltnikas*, quod certè à μαλακὸς nullo modo potest originem trahere. Sed licet retineatur vox *malnikas*, illud tamen à Græco μαλακὸς deducere non est necesse, cùm à Polonico *malenki*, id est parvulus, multò commodiùs queat derivari. Essent & alia satis probabilia, quibus reliqua etiam, quæ ex Græco idiomate superius proposita sunt, impugnari possent, ne tamen simus morosi, concedamus, dari aliquam Prussicæ lingvæ cum Græca convenientiam. Quid verò tum postea? num idcirco Prussica lingva Græcæ erit filia? Certè magna lingvarum convenientia sit, necesse est, quæ adeò arcto cognationis vinculo connexæ sunt. Sed in Prussicam lingvam nonnisi casu quodam aliquot Græca vocabula irrepserunt. Videlicet primò certum est, aliquando gentem ab alia gente recipere vocabula rerum, quas antea non habuerat. Sic cum Poloni à vicinis Germanis plurimas artes addidicerint, vocabula etiam plurima earum artium simul receperunt. Non secus etiam Lithvani quoniam à Russis, ut hi à Græcis, literas acceperunt, appellari quoque eas voluêre *gromata*, à Græco γράμματα. Eodem hoc illi modo feciisse videntur, ut Germani, qui simulac rationem scribendi didicerunt à Romanis, illud ipsum *scribere*

vocarunt **ſchreiben.** Item cum Ruſſi, Lithvani, Pruſſi rationem ædificia exſtruendi accepiſſent, tectum vocarunt *eſtekis*, à Græco verbo στέγω i. e. tego. Deinde ſunt etiam quædam fortaſſe vocabula in Græca & Pruſſica lingva ſibi cognata, quæ neque Pruſſi à Græcis neque hi ab illis mutuati ſunt, ſed quæ ab antiquiſſimis Scytis ad utramque gentem propagata ſunt. Ad extremum illud, quod de articulo in Lingvâ Pruſſicâ dictum eſt, facili negotio itidem convellitur. Articulum ſiquidem Pruſſi non habent à Græcis, ſed aut ab antiquis Æſtiis, quos deſcribit Tacitus, aut etiam ab illis Germanis, qui Ordine Teutonico Pruſſiam adminiſtrante, colonias huc deduxerunt. Probatur hoc duobus argumentis. Primò, ſi Articulus ille ex Græca flueret Lingva, agnoſceret eum & Lingva Lithvanica, quæ à Pruſſica non niſi Dialecto differt. Cum autem Lithvanica lingva eundem non agnoſcat, haut difficulter indè colligitur, aliunde Pruſſos eum hauſiſſe. Deindè non parùm etiam in ea ſententia confirmor, cum Pruſſos illos Veteres Articulum Germanicum **ein** eadem ratione uſurpaſſe deprehendo, prout illum uſurpant Germani. Rei hujus veritas elucet ex Symbolo Apoſtolico, ubi illa verba Germanica: **Eine heilige Chriſtliche Kirche**, Pruſſici Catechiſmi interpres hoc modo reddidit: *aynan ſwitan Krichſtianiſquan Kirken.* Sed neque hoc ſolùm ex lingvâ Germanicâ Pruſſi videntur eſſe mutuati. Hoc enim ipſum etiam obſervo in verbo *wirſt*, quæ idem notat, quod verbum Germanicum, **Er wird.** Ut puta, in illa Orationis Dominicæ particula: **Geheiliget werde dein Nahme**, ſic redditur in Editione Catechiſmi Pruſſici prima: *Swintins wirſt* (ſecunda Editio habet *wirſe*, ſed minùs rectè, ut ex collatione aliorum locorum liquet) *tways emmens.* Similiter illa verba: **Wer gläubet und getaufft wird, der wird ſeelig: Wer nicht gläubet, der wird verdammt**, ſic exprimuntur: *Kas druwe, bhæ crixteits wirſt, ſtes wirſt deywuts, Kas nidruwe, ſtes wirſt preclantits.* In quâ periodo verbum Germanicum **wird**, ter in Pruſſico redditur per verbum wirſt. Quin etiam ipſum verbum *druwe*, id eſt, **Ich gläube**, Germanicam ſapit originem, cum videatur deductum à verbo **ich traue.** Stabilire ſententiam hanc meam videtur lingva Lithvanica,

vanicâ, in quâ verbum *credo*, non redditur per *druwe*, sed per verbum *tikkiu*, quod mihi est indicio, ex alia lingva Prussos Veteres illud deprompsisse. Adhæc particula **oder** in decimo Præcepto Editionis prioris redditur per particulam *ader*. Postremò particulæ adversativæ **aber** / in Prussico respondet itidem particula *aber*, ut ex verbis de Institutione Baptismi, secundùm primam editionem, apparet. Ut verò tandem ea, quæ hactenus uberius dicta sunt, in pauca contraham, hoc extra controversiam ponendum est, Lingvam Prussis olim cum Finnis, Lithvanis, Alanis, Werulis fuisse communem, quæ tamen plurimas voces cum Lingva Venedorum sive Slavorum primis etiam temporibus habuit communes. Deindè genribus variè commixtis, quam plurima Prussi traxerunt ab Italis, pauciora verò à Græcis, idque non nisi per Russos. Ad ultimum, lingva Prussica multa etiam accepit ex Germanico idiomate, cum Ordo Teutonicus etiam latis legibus Prussis injunxisset, ut Lingvæ Germanicæ assvescerent. Inter Leges enim à Sigefrido de Feuchtvvangen latas, tertia (secundùm Schuzium est secunda) sic sese habet: *Qui familiam ex Prussis alit, ut ea singulis hebdomadis diebus solis coràm sacerdote per exomologesin conscientiam suam purget, templa frequentet, cum nomine Prussice loquatur, sedulò curato.* *vid.* Thomas Waisselius *in Sigefrid. à Feuchtwangen fol. 105. a.* Schüz. *lib. 2. Chron fol. 54. a.*

XI. Ad extremum & de characteribus, quibus Prussi soliti sunt in hac lingva sua exprimenda uti, paucis nobis agendum erit. Quod si antiquissima gentium Prussicarum tempora respiciamus, Venedis literas non fuisse notas, compertum est. Sed neque Æstios tempore Cornelii Taciti literas habuisse, docet ejus liber de moribus Germanorum. Ille enim de omnibus Germanis disertè: *Literarum*, inquit, *secreta viri pariter atq; fœminæ ignorarunt.* cap. 19. Successu temporis, ubi Septentrionales hæ regiones à Romanis frequentari cœperunt, ab aliis jam literas accepisse Prussi leguntur. Cum enim Sec. VI. à Christo nato Legatos ad Theodoricum Regem Gothorum in Italiam misissent, succinum Regi oblaturos, scripsit Rex ille Epistolam gratiarum actoriam, pro succino sibi transmisso gratum animum contestatus, quam Epistolam Prussi acceptam sine dubio per in-

terpretem legerunt. Habetur dicta Epistola apud Cassiodorum, *in Variis*. Proprios autem characteres neque tunc ipsos habuisse verisimile est. Idem dicendum est de Prusis illis Alanicis, quos Ordo Teutonicus sub jugum egit. Locupletem hic testem citamus Petrum de Dusburg, qui de Prussorum Veterum Religione agens: *Quia*, inquit, *simplices fuerunt, in Scripturis DEUM speculari non poterant. Mirabantur ultra modum in primitivo, quod quis absenti intentionem suam per literas potuit explicare.* Hæc Dusburg *part. 3. Chron. Pruss. cap. 5.* Adeò simplices tum fuêre Prusi, sed in re prorsus admiranda non soli. Omnes barbaræ gentes hoc unicum in Europæis hominibus demirabantur, quando videbant alterum cum altero animi sui sensa per literas communicare. Indi Avorum & proavorum nostrorum memoriâ adeò demirati sunt scribendi inventionem, ut audito primùm Scripturæ nomine accurrerent ad papyrum loquentem audiendam, ut ipsi arbitrabantur, quod de ipsis ex aliis Scriptoribus Indicis refert Lælius Biscíola *lib. 6. Subcisiv. cap. 12.* Feruntur etiam Americani ab Hispanis subacti cum literarum usum vidissent, primum putasse, id esse certissimum divinitatis argumentum, quod chartis scriptis occulta vox inesse posset, ut auctor est Petrus Cieza *Tom. II. Histor. Peruanæ cap. 34.* Non possum hic, quin attexam facetissimum illud, quod narratum sibi à viro quodam religioso, qui Ann. M D LXXII. è Brasilia redierat, scribit Ludovicus Richeome in libello quem inscripsit: *L' Adieu de l' Ame.* Ex Richeomio verò depromsit Hermannus Hugo *in Præfation. ad Lectorem, Libro, de prima scribendi origine, præmissâ.* Mancipium quoddam Peruanum ab Europæo Nobili, qui in Brasilia tum habitabat, ablegatum est ad familiarem sui, Nobilem item Europæum cum fiscinula ficuum & literis. In via servus hic, hero suo scilicet monosyllabus, fructuum novitate & dulcedine pellectus, bonam eorum partem abligurivit, literarum suarum securus. Nobilis literis acceptis, hominem verbis accipere, ille admirari, ecquî id sciret, & verò etiam abjurare factum. Nobilis contra adferre testes literas; alter contra testari literas mentiri & esse inteStabilis. Ergo mancipium cum indicibus literis remittitur ad herum suum. Herus dissimulat factum. Paucis

post

post diebus servum remittit cum ficubus & literis numero adscripto. Hic ratus sibi abundè cautum ab indicio fore literas sub saxum abdit, in quo sessum ibat : & , jam literæ , inquiebat, etiamsi Argi aut Lyncei sitis non videbitis delicias meas. Cum hoc dicto exinanit fiscinam & totum sibi de ficubus instruit epulum , relictis pauculis. Quod supererat , cum literis defert ad Nobilem. Ille numerum in literis quidem integrum , at in fiscina dimidiatum tantum reperit. Tum denuò adoriri servum, manus ambas excutere & marsupium , Literarum adferre testimonium de numero ficuum. Contra servus purgare se & sacculorum ostendere inanias, literarum fidem elevare , quas certum sciret, nihil vel per rimas potuisse arbitrari , quando eas in saxa abdiderat , neque ante doceri potuit illiteratum mancipium, quid possent literæ ? quam ab hero suo tergum ejus totum conscriberetur stylis ulmeis. Hæc illi de Indis aliisque barbaricis gentibus referunt , imò etiam alia plura , quæ apud ipsos videantur Auctores. Quid enim hic attinet extera cumulare, cum & Prussi in eadem olim hæserint simplicitate ? Deorum instar certè colebant eos , quos legendi scribendique peritos videbant. *Vid,* Casp. Henneberger. *in lib. de Vet. Pruss. fol. 6. a.* De Nobilioribus tamen Prusis dubium moveri posset, cum vix sit verisimile circa Sec. XIII. quo Cruciferi Prusiam intrarunt , in universum Prussos adeò fuisse stupidos , ut nemo eorum aliquam saltem literarum cognitionem habuerit. Adamus certè Bremensis testatur jam suo tempore , nimirum Sec. XI. Prusos cum Germanis commercia tractasse *in lib. de Situ Daniæ & reliqv. Region. Septentrional.* Gemina habet & Helmoldus *lib. 1. Chronic. Slav. cap. 1.* A Germanis igitur illis temporibus cognoscere potuissent, tantam esse literarum vim , ut alter alteri haut difficulter desideria sua aperire possit. Quod si Simonem Grunovium, &, qui eum seqvuntur, Hennebergerum , Waisselium, alios, audimus, non fuerunt Prusi adeò literarum expertes, cùm insignia Widevvuti imaginibus trium Deorum insignita certam habuerint epigraphen. *Vid.* Henneberg. *in lib. de Vet. Prussia.* Habentur etiam aliquot Characteres Prusici apud Casparum Schuzium *lib. 1. Chron. Pruss. fol. 9. Edit. Prima.* Illi non absimiles sunt characteribus Russorum,

ut

ut ex adjectâ Dissertationis de Diis Prusicis figurâ cognoscemus. Ut autem omnia, quæ de Widevvuto feruntur, nobis suspecta sunt, ita neque hos characteres pro genuinis Prussorum characteribus & literis ausim venditare. Satius proinde est, ut cum Dusburgensi nostro statuamus, apud Veteres illos Prussos, nullum prorsus fuisse literarum usum.

Appendicis loco ad Dissertationem de Lingva Veterum Prussorum *adjicimus* FRIDERICI ZAMELII, Consulis quondam Elbingensis, *ad* Robertum Cruquium, Virum Nobilissimum, *De* GALINDIS ac SUDINIS, Carmen, In quo multa de Veteri Lingva Prussica occurrunt.

NOsse *Galindæas* in nostra Prussside gentes
Vis dilecte Cruqui, & qualis *Sudina* fuisset
Natio, solicitas Latio tibi Carmine pandam.
Gallindas (vox hæc Sudinis nota suisque
Antè fuit populis) Latrones ore Latino
Dixeris. Immenso cum crescceret agmine vulgus
Et jam Myrmidones contempti patribus essent,
In sua crudeles merserunt viscera ferrum.

Ac

Ac ne fœcundæ præberent ubera matres
Ipsas immani truncarunt vulnere mammas
Tum vati, quas Vaidilodas ceu Fatiloquas gens
Nominat à stirpe Ausoniâ, procumbere supplex
Fœmineum genus, & solatia quærere rebus
Osa nefas, sexumque humilem miserata Sacerdos
Omne ciet nomen, quod posset sumere bellum
Finitimosque jubet quacunque lacessere Reges.
Mandat & imperio Superum deponere suta
Peilaque: se certam palmæ, quia Numinis irent
Auspicio. Positis ruere omnes ocyus armis:
Jam ferre atque agere, ut fama est vulgata per urbes,
Incumbunt armatæ acies, ceduntur inermes,
Visque omnis sublata Virûm, desertaque terra est.
Terra patens latè, nullisque habitata colonis,
Quam quos ipse sui genius profuderat agri.
Vanum, hos Teutonicis motus intexere fastis,
Atque in Reginæ quondam *Crucis* edere rebus.
Tunc ignorati nostro sub sole Magistri
Nec Solymæ dederant devotis nomina signis
Cæsaribus tunc summus honor, Dominosque superbos
Jam non ingenio patrum urbs æterna ferebat.
Mansit iners nomen, glebæ sine gente remansit
Quod facinus dederat (vetus atrâ nocte sepultum est)
Et Sudinorum cessit pars maxima prædæ
Hi simul antiquis regnum tenuere Galindis
Ante Deos terris genitos, mundique recentis
Secula robustæ gentes, nec cladibus ullis
Afflictæ, ac tandem vix æquo Marte subactæ
Vos sceptri in partem Sanicos misistis amicos
Littore concesso. Jam tum Gothus impiger Austro
Cœperat esse gravis. Pridem donastis electrum

Teutoniæ populis: misit Germania Gallis
Venit ab Eridano Romanis gutta triumphis.
Ex quo Sudini vicino hæsere Litóo,
Vox quoque confusa est. Latias didicere loquellas
Et Grajos rapuere sonos. Si tempora mecum
Resque puto exactas, quid non miscebat Alanus.
Orbe vagus patriæque redux? immota federes
Quamlibet, ac seneas ignota Sydina Grajis
Scilicet indè Deos, & sacra habuere Borussi,
Et pariter lingvam. Numerum docuere Latini:
Ipsæ aræ sonuere Deum; Pecus arva Laresque.
Virs vir ab Ausonio est: γάνναι peperere γυναῖκες.
Tavva Patrem appellant: Matrem dat *Mutien*: hæcque
Litvvanâ an cultis manarunt nomina lingvis.
Μαλνῦκαι Sobolem, Pumilum propè Sarmata vertat
Hic quoque Galindæ tumulos communibus urgens
Finibus, in notæ venit commercia lingvæ.
Quid si Tu μαλακὸς contendas esse Pelasgum?
Jumpravam certè indigetes cum Teutone Nimfam
Edere est, πῶτον potare ab origine Græca.
Kurpis Alanorum, veniunt ea vincula plantis,
Ni fortè Ausonium est: Crepidas exponeret Auson,
Quales Mosopiæ haut ignoravere puellæ.
Nec si Carbatinis componas, prorsus abirem.
Unds unda est: ἀυκλιπὴς adopertum à voce καλύπτω.
Si *paggun* nescis, Pax est gratissima rerum,
Pax, de qua nomen Videnutis Poggia duxit:
Cujus sunt nostris oracula reddita silvis.
Vidimus illius nuper frontalia divæ
Cornea, deformem medio claudentia gemmam.
Sed juvat in nudis studium consumere verbis.
Μὴς εἶκναι ἀσμὴ sonat ἡμεῖς κύριοι ἐσμὲν.

Cum

Cum *Smunentin* homo Latium ſtat: cordaque *Vaikai*
Serva notat: quos morigeros decet eſſe *Poclusmans*
Rankas Sarmaticum manus eſt: Tu *tebbe* Latinum,
As, ego, diſcedit: quod avitum credimus eſſe.
Miſcuerunt, lexesque ſuas habitumque dederunt
Inque eadem duri ſacra convenere *Curones*.
Deque Gothis ſumptum eſt: gentem dirimebat utramq;
Viſtula: nec patriâ Gothus omnis abiverat orâ.
Propria ſunt quædam, populoque affinia nulli.
Hoc candens ſublime vocat mea Pruſſia *Dangon*,
Vox licet hæc etiam Litalano cognita civi.
Burvalcan priſco reddunt idiomate villam.
Ac memini, cum Tu tranſiſſes prædia *Glandes*,
Gerdavumque nemus; Ditobaldum quærere natum,
Nomina quid referant. Spes & Fiducia *Glands* eſt.
Namque heic præſidium contra *Mariana* locabant
Arma laceſſiti. *Gerdant* eſt dicere Pruſſis.
Nempè Oratores noſtræ pietatis agebant
Partibus his, populique coacta eſt concio fidi.
Quando erat hoc operæ, violento cogere gentem
Marte reluctantem Domino confidere rerum.
Obſtiterant plures: pauci acceſſere volones,
Qui nemore obſcuro Superis ſua vota litarent
Nec civi infeſto nec aperti patribus ipſis.
De *Pronio* eſt fundo, veteres dixere *peronin*
Juxta *Protis* ager: *Pratin* dixere priores
Conſilium hoc ipſum eſt, illud commune vocabant.
Sæpè locum conſtat priſcos celebraſſe Boruſſos,
Et decorum cumulo *Pronium* fulſiſſe *Samilen*.
Contigit, ut dictâ ratione vocabula noſtræ
Gentis vicini tranſirent limitis aras,
Quodque putes *Curium*, daret illud Pruſſia Mater.

Quid meus immundâ salientem postulet undam
Lector ab eluvie? voces periere virique
Queis hoc defuerat, quod vos habuistis Athenæ.
Pauca mihi rudibus majorum cura tabellis
Posteritatis amans ab avorum morte reliquit,
Mitte *Caledoniam* Scriptor sine nomine Silvam
Et Britones memorare patres. Si fabula forsan
Ista fuit pueris narranda, hoc fine quiescat.
Excute primævos omni cum prole Britannos.
Atque apices Druidum, qui cis mare transq; colebant,
Qua patet illius lingvæ communior usus;
Tum Prussos attende meos: differre loquetur
Hoc illudque genus præsens discordia vocum.
Riphæa qui gentis avos deducit ab Arcto,
Qua Macedûm subit ara Ducis, subit æmula Juli.
Cæsaris & rigidum incusant sola ferrea cœlum,
Verius antiquæ relegit vestigia lingvæ
Est aliquid, quod STELLA micas: si non mea Pareæ
Stamina dissolvent, stat plenum immittere solem.

DIS-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DISSERTATIO VI.

De

Locis divino cultui destinatis apud Veteres Prussos.

(1.) *Deos tectis includi non debere, crediderunt veteres, puta, Judæi, Pagani, alii. An & nascentis Ecclesiæ Christiani. Quid hic Septentrionales senserint gentes.* μηνίσκοι, σκεπάσματα. (2.) *Prussi Veteres nulla habuere templa. Arbores, cumprimis Quercus Deorum habitaculis destinatæ. Hoc Prussis, Romanis aliisq; commune fuit.* (3.) *Quercus Romoveana. Ejus quantitas & qualitas. Arbores ejusdem generis apud Gothos. Rykaioth an diversum à Romove. Quercus Romove à Boleslao Rege Pol. excisa.* (4.) *Alia Quercus ad urbem Heiligenbeil, excisa ab Anshelmo Episcopo.* (5.) *Quercus in qua non Mariæburgensis sed Thorunienſis arx condita.* (6.) *Quercus juxta oppidum Welau. Albertus Dux in ea, cum fuerit excavata, equum circumegit. Quomodo condiderit.* (7.) *Tilia Diis dicata ad Schakunicum pagum.* (8.) *Sambucus Barstuccis dicata.* (9.) *Totæ sylvæ Diis sacræ apud Prussos, Romanos, Gothos.* (10.) *Fontes & Lacus Diis sacri. Golbæ fluvii miraculum. Apud Gothos fontes Diis sacri. Minutorum Deorum loca apud Veteres Prussos.* (11.) *Qui Dii enumeratis in locis fuerint culti.* (12.) *A quibus urbs Romove, in qua majores Dii culti, sit condita. Romove Lithvanica & Prussica. De locis, ubi sitæ fuerint urbes illæ disquiritur.*

I. ANtiquissimis temporibus ea invaluerat apud omnes gentes opinio, Deos non parietibus includi, sed sub dio cultu debito affici debere. Ipsam etiam gentem Judaicam primis temporibus templum Deo nullum exstruxisse in confesso est. Cum enim illa ex captivitate

vitate Ægyptiaca esset egressa, tum demùm jussu Dei tabernaculum confectum est, in quô arca fœderis aliaque sacra servarentur. *vid. Exod. 25. & seqq.* Templum autem Deo Salomon elapsis propemodum tribus à mundo condito annorum millibus excitavit. *1. Reg. 5. & seqq.* Christianos quoq; primis à CHRISTO Orbi donato seculis nulla templa habuisse probant nonnulli ex Origene, Minucio Felice, Lactantio, aliisq;. *vid.* Nicolaus Vedelius *in Exercitat. ad Epist. Ignatii, quam scripsit ad Magnesios p. 55.* Alii tamen contrarium asserunt ex Euseb. *lib. 2. Hist. Eccl. cap. 16.* Niceph. *lib. 2. c. 35. 39. seqq.* Hieronym. *in Epitaph. Paulæ Epist. 27.* Multa ad hanc materiam facientia cumulat Joannes Stephanus Durantus *lib. 1. de Ritib. Eccl. Cathol. cap. 2.* De septentrionalibus gentibus, ut propius ad rem accedamus, testatur hoc ipsum Olaus Wormius *lib. 1. Monum. Danic. cap. 3.* cujus verba sunt: *Idola sua* Sturgudur *dicta, primitus mapalibus & tuguriolis tegebant veteres, præter decorem esse existimantes, Deos tectis claudi, imprimis ubi cultibus debitis placari & majestatem suam exserere debebant.* Per Mapalia & tuguriola, interprete Joanne Schæffero, hic non intelligit Wormius clausas quasdam ædiculas, sed qualiacunq; in summo tecta, pluviæ arcendæ Deorum imaginibus imposita. Qualia ὑλώματα à Græcis appellantur, etiam Aristophani memorata *in Avibus.* Scholiastes Aristophanis vocat: σκεπάσματα τῶν ἀνδριάντων, ἵνα μὴ ἀκάθαρτον ἀνῶν τὰ ὄρνεα. h. e. tecta seu operimenta statuarum, ne in eas sordes mittant aves. *vid.* Schæfferus *in Upsalia antiqua cap. 4. initio.*

II. Non secùs etiam Prussi olim pagani, quos à Gothis, ut postea dicemus, sacra sua accepisse verisimile est, nulla Diis suis struebant templa, sed eos sub arboribus collocare solebant. Præcipuè verò QVERCUS huic rei tunc existimabatur idonea. Erasmus Stella: *Præcellentes*, inquit, *arbores, ut robora, quercus, Deos inhabitare dixerunt, ex quibus sciscitantibus responsa reddi audiebantur, ob id nec hujuscemodi arbores cædebant, sed religiosè, ut numinum Deos, colebant.* Idem & alii Prussicæ Historiæ Scriptores testantur omnes. Commune hoc fuit Prussis illis cum Romanis pariter ac Græcis, qui Dryadum & Hamadryadum frequentissimè mentionem faciunt, quæ Deæ sic dicebantur, quod in arboribus habitare, ac unà cum iis vivere ac mori putabantur. Huc pertinet fabula Erisichthonis Thessali unam

ex

ex hoc genere Dearum interficientis, dum quercum altisſimam exſcindit, quâ de re ovidius *lib. 8. Metamorph. Fab. XI. v. 749. 765. ſeqq.* ita canit:

Stabat in his ingens annoſo robore quercus
Cujus ut in trunco fecit manus impia vulnus
Haut aliter fluxit diſcuſſo cortice ſangvis
Quam ſolet antè aras ingens ubi victima taurus
Concidit, abruptâ cruor è cervice profundi.

Plurima ejus generis occurrunt de omnibus ferè gentibus apud Scriptores antiquos, quæ hîc cumulare inſtituti noſtri ratio prohibet. *vid.* Maximus Tyrius *ſerm. 38.* Curtius *lib. 8. cap. 9.* Plinius *lib. 12. Nat. Hiſt. cap. 1.* Tacitus *de Morib. Germ. cap. 9.* Hayto Armenus *in Hiſtor. Oriental. cap. 1. ubi de Cataya.* Moſes Maimonides *de Idololatr. cap. 6. §. 12.*

III. Præter cæteras autem quercus, quatuor ingentis magnitudinis hîc in Pruſſia quondam fuiſſe obſervavimus. In iis prima fuit QVERCUS ROMOVEANA, ſive quæ in urbe Romove, de qua infra, Deorum cultui erat deſtinata. Hujus diameter ad ſex omninò cubitos ſive Geometricos pedes duodenos protendebatur. In ſummitate fuit latiſſima & ramis mutuum inter ſe nexis adeò impervia, ut pluvia per ramos & folia nullo modo potuerit penetrare. Et quod majorem meretur admirationem in hieme quoq; viridis conſpiciebatur. Simon Grunovius *Tract. 2. Chron. Pruſſ.* Caſp. Henneb. *in Comment. ad Tab. Geogr. Pruſſ. p. 465.* Thom. Waiſſel. *fol. 17. b.* Caſp. Schuz. *in Chron. fol. 2. ſeq.* Eadem ferè referunt Scriptores Hiſtoriæ Svedicæ de illa arbore juxta templum Diis olim Gothorum dicata. De ea namq; ſic Scholiaſtes antiqvus Adami Bremenſis *ad p. 152. n. 91. Propè templum* (Upſalienſe) *eſt arbor maxima latè ramos extendens æſtate & hieme ſemper viridis.* Hunc ſequitur Albertus Cranzius: *Arbor*, inquiens, *juxta templum ſtabat ingens patulis diffuſa ramis, æſtate juxta & hieme virens, genus ejus nemo potuit edicere.* Hæc Cranzius *in Præfat. ad Hiſtor. Sveciæ.* Ex Cranzio hauſerunt ſua, quæ de arbore illa hàbent, Joannes & Olaus Magni, fratres, qui iisdem hæc ipſa referunt

ver-

verbis. Ne verò quis arbitretur, fuisse arborem illam ex eo genere, quæ semper virere solent, addit Olaus Magnus: *Non tamen de earum arborum genere fuit, quæ suapte natura, ut laurus, oliva, palma, & myrtus virere videntur: quin in aquilone nulla unquam oliva vel laurus, nisi in parvo frutice pro spectaculo Vastenis exsurgere visa est.* Hæc Olaus Magnus *lib. 3. Hist. Septentr. cap. 5.* Hoc verò Diabolica factum esse arte, certum habeo. Hic eam arborem semper virentem conservavit, Prussicam etiam illam pluviis impenetrabilem reddidit, ut aliquam divinitatis fidem miseris mortalibus faceret. Sed neque illud de QVERCU Romoveana omittendum est, à Scriptoribus quibusdam eam poni in RYKAJOTH, & his Rykajoth à Romove non differt. Henneb. *in lib. de Vet. Pruss. fol. 11. b. & fol. 13.* Alii distingvunt Rykajoth à Romove, quando dicunt, Deos minores fuisse cultos in Rykajoth, majores in Romove. Sic enim Auctor quidam Chronici Prussiæ Anonymus: **Die gemeine Stellen/da sie die gemeinen Abgötter ehreten / wurden Rykaioth genant. Aber die Stelle/ da die grosse Eyche war/ darinnen die drey Abgötter waren/ und der Hoheprieſter seine Wohnung hatte / die hiessen sie Romove nach Rom.** Hæc ad verbum descripsit Waisselius *Chron. Pruss. fol. 18. a.* Habet hæc etiam totidem ferè verbis Chronicon Wolffgangi Dietmari Elbingæ editum. Adhæc & illud observatione indignum non est, adeò religiosè quercum illam Romoveanam à Paganis Prusſis fuisse cultam, ut etiam existimarint, si homines vel pecudes arboris illius folia de collo suspensa gestarent, eos à casibus adversis & infortuniis præservari. Henneberg. *de Vet. pruss. fol. 12. a.* Tandem quercus illa simul cum Diis Prussicis majoribus à Boleslao I. Rege Poloniæ excisa esse dicitur. Simon Grunov. *in Chron. MS. Tract. 2. fol. 26.* Henneberg. *in Comment. ad Tab. Pruss. tit.* **Triefaltigkeit.** Attamen Thomas Treterus in Vita Johannis I. Episcopi Varmiensis dicit, hanc quercum usque ad modo laudati Episcopi tempora stetisse, à Prusisque veteribus clam fuisse cultam: Sed Episcopi hujus monitu à Magistro Winrico de Kniprode per Henningum Schindekopf excisam, quo in loco postea Petrus **Nagel de Sehr** monasterium SS. Trinitatis condidit. Sed fides sit penes auctorem.

IV. Ab

IV. Ab ista quercu celebritate secunda fuit, quæ propè oppidum Heiligenbeil à Prussis colebatur. Hæc Gurcho sive Curcho Deo, de quo infra, jam ab ipso Waidevvuto Rege Prutenorum dedicata esse fertur. *vid.* Henneberg. *in Comment. ad Tab. Pr. pag. 156.* Eodem illa modo, ut Quercus Romoveana, æstivis juxta & hibernis temporibus viruisse dicitur: *In eo loco*, ait Thomas Treterus, *ubi Heiligenbeil situm est, fuit ingens quercus, quæ non minùs æstate quàm hieme (operâ procul dubio Diaboli) assiduè virebat.* Hæc Treterus, vel potius Joannes Krezmerus, cujus ille in opusculum Germanicum in Latinam convertit lingvam, *in lib. de Episcopis Warmiensibus in Vita Anshelmi I.* Et hæc etiam causa est, quod quidam hanc quercum cum priore illa confuderunt. Videlicet ejusdem hæc fortasse cum priore erat magnitudinis, eodem modo operâ cacodæmonis in perpetuo conservabatur virore, divino denique cultui, non secùs atque prior illa erat dicata. Quomodo hæc quercus tandem ab Anshelmo primo Varmiensi Episcopo excisa fuerit, idem nos Thomas Treterus edocebit, quem jam ea de re loquentem audiamus: *Vocabatur*, inquit ille, *locus hic Swente Mesce i. e. sacer locus* (alii legunt Svvente Meste, quasi svviete miasto, i. e. sacra urbs) *contra hanc execrandam idololatriam Anshelmus multis & eruditis concionibus acriter invehebatur, quibus cum nihil apud duræ cervicis Prutenos proficeret & impiam hanc superstitionem in sua Diœcesi augeri molestissimè ferret, præcepit ad extremum, ut quercus illa exscinderetur. Cumq; ad rem deventum esset, & quidem arbori securim admovissent, illa repercussa converso ictu ferientem graviter in pede vulneravit, ut in terram illicò prosterneretur. Unde Christianis terror injectus, ut arborem attingere nemo auderet, infideles autem ista cum incredibili gaudio & voluptate spectabant. Quæ res cum Episcopum vehementer affligeret, plenus Spiritu & divini honoris zelo processit eo ipse met, ut accepta securi ingens foramen in quercu effecit. Cæteri autem Christiani, eo jubente, ignem subjicientes, eam totam combusserunt, & idolum ad nihilum redegerunt. Prutheni nihilominus cum securis illa diligenter conquisita ad manus illorum pervenisset, eam in eo loco, ubi nunc Heilgenbeil oppidum situm est, ab illaq; nomen retinet, pro insigni reliquia venerati in sacello adservabant.* Gemina his habent Henneberg. *in Comment. ad Tab. Pr. pag. 156.* & Casp. Schuz. *in Chron. fol. 4.* Alii tamen aliundè nomen illud oppidi Heiligenbeil deducunt, ut Schuzius loco citato testatur.

V. Tertia ingentis proceritatis quercus est illa, quam Cruciferi Prussiam ingressi, in modum castelli propugnaculis erectis juxta Vistulæ ripam muniverunt. Explodenda verò hîc illorum sententia est, qui Quercum hanc eo in loco ponunt, ubi Mariæburgum situm est, in quâ opinione fuit Æneas Sylvius *in Descript. Europæ c. 29.* quem sequitur Joannes Aubanus Bohemus *lib. 3. de Moribus, Legibus & Ritibus omnium gentium cap. 8.* In eundem lapidem, graviori insuper lapsu, incurrit Auctor Chronici Prusiæ Belgicâ lingvâ scripti, qui non tantùm quercum illam ad Mariæburgum ponit, sed etiam sub hâc ipsa antiquos illos tres majorum gentium Deos, Percunum, Pikollum, & Potrimpum, cultos fuisse arbitratur. *vid. Chronicon illud pag. 15.* Rectius sentiunt, qui cum antiquis Prusicarum rerum Scriptoribus eam sitam esse dicunt eo in loco, ubi vetus Thorunium olim jacuit, videlicet uno milliari ab hodierno Thorunio. Sic enim hâc de re Petrus Dusburgensis: *Fr. Hermannus Balk, Magister Pruschiæ aspirans ad negotium fidei prosequendum, assumpto sibi Duce prædicto & virtute exercitus sui transivit Wisselam & terram Culmensem, & in litore in descensu fluminis ædificavit An. Dn. 1231. castrum Thorun. Hæc ædificatio facta fuit in quadam arbore quercina, in qua propugnacula & mœnia fuerunt ordinata ad defensionem undiq; indaginibus se vallabant, non patebat nisi unus aditus ad castrum. Continuè hi septem fratres habebant naves circa se propter impetum Pruthenorum, ut possent navigio redire Nessoviam, si necessitatis articulus hoc svaderet. In successu verò temporis instituerunt circa castrum civitatem, quæ postea manente castro translata fuit propter continuam aquarum inundationem ad eum locum, ubi nunc sita sunt & castrum & Civitas Thorunienſis.* Hæc Dusburg. *part. 3. Chron. cap. 1.* Ex quibus verbis evidenter apparet, Thorunium in quercu illa conditum fuisse in terra Culmensi, & quidem non adeò procul à Nessovia, ut eò Cruciferi, si à Prussis premerentur, facilè confugere possent. Ast Mariæburgum, etiam antiqvum illud, quod Zantirium vocabatur, situm erat in Pomesania. Conf. Joannes Dlugossus *lib. 6. Annal. Polon. pag. 580.* Waisselius *in Chron. Pruss. fol. 48. b.* Ut itaque indè manifestum est, quercum illam perperam ad Mariæburgum poni; ita etiam inde non minùs elucet, tres illos Deos Prusicos ibidem non fuisse cultos. An verò alii Dii ibidem divinis honoribus fuerint affecti, dici vix poterit, cum altum sit apud Historicos eâ de re silentium.

VI.

VI. Quarta raræ, imò propemodùm inauditæ magnitudinis Quercus fuit ad oppidum Wolau & pagum Oppen in horto quodam. Hæc tanta fuit, ut cum excavata esset, eam eques ingredi, ibique equum suum in gyrum potuerit circumagere, quod adhuc superiore seculo expertus est Serenisl. Albertus, primus Dux Prussiæ, ut & filius ipsius Sereniss. Princeps Albertus Fridericus. Habuit truncus ejus in circumferentia 27. ulnas. Cujus rei testimonium à Magistratu Welavienſis oppidi sub sigillo accepisse se testatur Hennebergerus. Paulò namque antè ejus tempora jam conciderat, non tàm corrupta vetustate, quàm hominum ad eam accedentium culpâ. Quicunque enim ad eam visendam accesserat (erat autem maximus hominum, præcipuè exterorum, qui tantam in toto terrarum orbe posse arborem existere sibi persvadere non poterant, concursus) illicò nomen suum cortici incidebat, quo factum est, ut tandem arbor illa, post homines natos, ut Hennebergerus putat, maxima exaruerit. An & hic aliquis Deorum Prusicorum fuerit cultus, in defectu veterum monumentorum asserere non licet. Confirmari tamen aliquo modo posse videtur ex eo, quod & in aliis minoribus quercubus aut vetustate aut etiam operâ hominum idololatricum hunc cultum foventium excavatis, fœminæ solitæ sunt serpentes lacte nutrire, eosque ut Deos colere. Sed de hoc infra locus erit agendi. *vid.* Henneberg. *lib. de Vet. Pruss. fol. 12. a.*

VII. Non verò quercus tantùm, tametsi illæ præcipuè, fuerunt apud Veteres Prussos Deorum cultui dicatæ, sed & TILIAM fuisse Diis sacram comperimus. Ejusmodi tilia fuit adhuc tempore Hennebergeri non procul à pago Schakunico, qui in Schalavonienſi Provincia Rusio fluvio adjacet, ad quam Tiliam suo adhuc tempore rusticos, quamvis occultè & quidem non nisi noctu, confluere, ibique sacrificia Diis offerre solitos, testatur dictus Hennebergerus *in Comment. ad Tab. Pruss. Geogr. pag. 416.*

VIII. Porrò sub SAMBUCO etiam Deos habitare credidit cœca olim Prussorum gens. Sed & nostris temporibus quibusdam in locis vana hæc persvasio mentes hominum occupavit, ut credant, sub Sambuco morari homunculos illos subterraneos, BARSTUCCAS veteribus Prusis dictos, quod & mihi olim puero mulierculas aliquoties referre memini.

IX. Sed & totæ SYLVÆ variis in locis olim sacræ fuerunt, eò quod illas Dii habitare credebantur. Ejusmodi lucus Diis dicatus fuerat juxta pagum Pobeten in Sambia, ex quâ arborem exscindere, piaculum erat. *vid.* Henneberg. *in Comment. ad Tab. Pruss. tit. Pobeten. pag. 350.* De cultu Sylvarum Prussico videatur Erasmus Stella *loc. cit.* ut & Matthias Michovius *lib. IV. Chron. Polon. cap. 45.* Jodocus Willichius *in Comment. ad Taciti libellum de Morib. German. part. 1. cap. 14. pag. 476.* Habuerunt hoc ipsum commune Prussi cum antiquis Græcis & Romanis, apud quos secundum Poëtam:

Habitarunt Dî quoq; sylvæ.

Propterea Romani conlucare sive collucare solebant, cujus piaculi modum tradidit Cato *lib. de Re Rust. cap. 139.* Illius verba hic dabimus: *Lucum*, inquit, *collucare Romano more sic oportet. Porco piaculo facito. Sic verba concipito. Si Deus, si Dea, cujus illud sacrum est, uti tibi jus siet porco piaculo facere, illiusce sacri coërcendi ergo. Harumq; rerum ergo sive ego sive quis jussu meo fecerit, uti id rectè factum siet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, ut sies volens propitius mihi, domo, familiæq; meæ, liberisq; meis. Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando esto.* Verum & cum Gothis in Svedia habitantibus Prusi hoc habuerunt commune, de quibus Adamus Bremensis Sec. XI. Scriptor: *Corpora immolatorum*, inquit, *suspenduntur in lucum, qui proximus est templo. Is enim lucus tam sacer est gentilibus, ut singulæ arbores ejus ex morte & tabo immolatorum divinæ credantur.* Hæc Adamus *lib. de Situ Dan. & reliq. Septentr. Reg. cap. 94. (233.) pag. 153.* Chronicon vetus Sveticum non modò arbores ipsas, sed & ramos earum singulos apud Veteres Gothos tradit fuisse sacros, apud Joannem Schæferum *in Upsalia antiqua. cap. 4. pag. 33.* An ritus quidam in consecrandis lucis apud Gothos Prussosque fuerint adhibiti, vix determinari poterit, cum in tanta gentium simplicitate, literis id tradere potuerit nemo.

X. Et hæc dicta sunto de præcipua Deorum Prusicorum sede, nimirùm de arboribus. Sed & LACUS & FONTES quosdam Diis fuisse sacros, non est, quod dubitemus: *Usq; hodiè profectò inter illos, cum cætera omnia communia sint cum nostris solus prohibetur accessus lucorum & fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu.*

verba

verba sunt Helmoldi de Prusis veteribus agentis, *ex lib. 1. Chron. Slav. cap. 1.* Conf. Joannes Dlugossius *Tom. 1. Histor. Polon. lib. 2. ad An. 997.* Est in tractu Insterburgensi vicus cognomento *Narpiszken*, sive *Napirszken*, quem praeterlabitur fluvius Golba, cujus cultores olim monoculi reddebantur: & cui hoc contigerat, magnum divinae gratiae signum consecutus esse putabatur. Hennebergerus quando hoc ipsum *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 327.* recenset, testatur, paucis annis ante sua tempora monoculos ejus amnis cultores adhuc fuisse repertos. Conf. & D. Caelestinus Mislenta *in Praefatione ad Manuale Prutenicum non longè à princ.* Deindè non est etiam dubium, silentibus licet Annalibus nostris, quin illis in locis, ubi Dii colebantur, fontes sacrificiis destinati, ideoque sacri extiterint. Id genus enim fontes apud Romanos juxta ac Graecos fuisse, veterum testantur monumenta. De Gothis etiam hoc ipsum confirmari potest testimonio Scholiastis Adami Bremensis: *Ibi enim*, inquit ille, *ubi sacrificia paganorum solent exerceri & homo vivus immergi, qui dum immergitur, ratum erit votum populi.* Paulò clarius haec profert Albertus Cranzius in Praefatione ad Historiam Svedicam, dignus, qui super hac re audiatur: *Fons*, inquit, *scaturivit ad locum sacrificiorum. Sacrificaturi hominem hic immersêre vivum, qui si facile mergeretur, faustum renunciavêre votum.* Conf. & Joannes Magnus *lib. 1 Hist. Gothorum & Sveonum cap. ult.* Olaus Magnus *lib. 3. Histor. Septentr. cap. 6.* Arngrinius Jonae *lib. 1. cap. 7. Crymogeae* observat, fontes hujus generis apud veteres dictos *Blotkella*, à verbo *Blota*, quod priscis Svedis est sacrificare. Notat insuper laudatus modo Arngrinius, fontes ejus generis profundissimos fuisse. *vid.* Joan. Schaferus *in Upsalia c. 4. pag. 33.* Ad extremum in aedibus etiam privatorum SUB FORNACE, vel in ANGULO VAPORARII, Lares & Penates suos, de quibus agemus infra, cultu divino Prussi prosequebantur. Item IN OCCULTIS ÆDIUM LOCIS, ut & in CONGERIE LIGNORUM, ut auctor est Joannes Meletius Archypresbyter Lyccensis, *in Epistola ad Georg. Sabinum, quae est de Religione Veterum Borussorum.*

XI. Ad extremum paucissimis & quasi per saturam Deos, qui dictis in locis colebantur, in certos ordines digeremus, in subsequentibus de eo argumento fusius atque uberius acturi. Primò fuerunt,

Dii majorum gentium, iiq; numero tres, nimirum *Percunos*, *Picollos* & *Potrimpos*, qui in Quercu Romove sedem suam habuerunt. Deinde fuerunt tres alii Dii minorum gentium, nempè *Gurcho*, *Wurszkaito* & *Ischwambrato*. Ex his Gurcho Quercus Heiligenbeilensis fuerat dedicata. Reliqui reliquas quercus ex enumeratis fortasse habitarunt. Tertiò fuêre tertii Ordinis Dii, quos Prussi in solemnibus suis sacrificiis ordine solebant indigitare, ut fuerunt *Occopirnus*, *Antrimpus*, *Gardoëtes*, *Pilvitus*, *Pergubrius*, *Paschwitus*, aliique. In his etiam censebantur minutuli illi Dii, puta, *Barstuccæ*, *Marcopetæ*, *serpentes*, *insecta* alia, quæ partim in arboribus & sylvis, partim etiam in aliis supra à nobis enumeratis locis degebant.

XI. Antequam hinc abeamus, operæ precium nos facturos arbitramur, si quædam de urbe ROMOVE, in quâ primi Ordinis Dii sedem suam & domicilium habuerunt, adjiciamus. Multa enim dubia hîc occurrunt, quæ dilucidata, lucem non exiguam sequentibus affundent. Non unam autem ejus nominis urbem fuisse ex veterum cognoscimus monumentis. Nam aliam in Prussia, in Lithvania aliam fuisse deprehendas. De Prusfica Romove sic loquitur Dusburgensis: *Fuit autem in medio Nationis hujus perversæ, scilicet in Nadrovia, locus quidam dictus Romaw trahens nomen suum à Roma, in quo habitabat quidem dictus Crive, quem colebant pro Papa.* Hæc ille *Part. 3. cap. 5.* De Lithvanica autem Romove *Part. 3. Chron. Pruss. cap. 254.* hæc habet: *Ludovicus de Libencelle navale bellum multiplex habuit, unum versus Anstechiam terram Regis Lethovinorum, in qua villam dictam Romene* (Matthias Strykovvski & Kojalovvicz legunt Romove) *quæ secundum ritus eorum sacra fuit.* Auctor quidam Chronici Prusiæ Anonymus, qui ante tria plus minus vixit secula dicit non tantùm urbem illam Lithvanicam fuisse sacram, sed & ipsos ejus urbis incolas. Agnoscit etiam utramque hanc urbem Matth. Strykovvski, & qui eum ubique sequitur Kojalovvicz, ut ex collatione *lib. 1. pag. 21.* & *lib. 2. pag. 31. seq.* manifestum fit. Prætereo jam Stanislaum Sarnitium & alios, qui eadem tradunt. A quo urbes hæ sint conditæ dictu per quam difficile est. Prussicam Romovam Waidewuti opus esse statuit Kojalovicz *Part. I. lib. 1. pag. 21.* Lithvanicam autem Romovam ab Italis esse conditam scribit *lib. 2. pag. 31. seq. Itali*, inquiens, *circa Annum 924.* — *Vene-*

dico

dico sive Baltico mari per exigui freti angustias Curonensem, sinum invecti, litus legendo in Ostia Nemenis sive Chroni inciderunt, ubi is longo per Russiam, Lithvaniam & Prussiam cursu collectas aquas duodecim alveis exonerat. Adverso flumine interiora continentis ingressi ad ostium Dubissæ amnis loco commodo inter amœnam camporum planiciem prima coloniæ novæ fundamenta jecerunt. ROMANOVA tunc dicta est, à posteris ROMNOVE & ROMOVE, krive kirveiti postea sacrorum apud Lithvanos Præsidis sedes. Gedimino imperante ab equitibus Ordinis Teutonici funditùs exciſa. Alii Scriptores nostri Prusſicam Romovam itidem ab Italis conditam, & in memoriam veteris Romæ, Romam novam appellatam esse statuunt. Quod si ita est, conciliari vix poterunt ea, quæ ex Kojalovicio adduximus. Cum enim ille migrationem Italorum in Prusſiam Lithvaniamque aliquot seculis post Waidevvuti tempora contigisse statuat, non poterit unus utriusque urbis esse Conditor, quod tamen & Scriptores Prusſici & ipsa nomina evincere posse videntur. Qvamvis me non fugiat, aliam hic posse nominis hujus Romove proferri nomenclationem, quam subsequente Dissertatione dabimus. Adhæc de utraque illa Romove disceptatur, quonam in loco sita fuerit. De Prussica Romove sex omninò in medium adduci possunt opiniones. Primùm enim sunt, qui Romovam constituunt eo in loco, ubi hodiè est oppidum Heiligenbeil, quæ est sententia Alexandri Gvagvini (vel potius Matthiæ Strykovvski, cujus dubio procul sunt libri de Sarmatia Europæa scripti) *in Descript. Pruſſ.* Item Alberti Wijuk Kojalovicii *Part. I. Hist. Lithv. lib. 1. pag. 21.* Defendit eandem & Martinus Murinius *in Chronico Prussico, quod idiomate scripsit Polonico, cap. 1. pag. 2.* Sine dubio autem sententia hæc fluxit ex confusione cultûs illius, qui Deo Gurcho propè oppidum Heiligenbeil olim deferebatur, ut & trium Deorum, qui in urbe Romove à Prusſis colebantur. Cum enim Gurcho Deo propè oppidum supra memoratum non exiguos deferri honores multi animadverterent, crediderunt ipsos majorum gentium Deos ibidem fuisse cultos. Deindè alii urbem Romove ponunt in Galindia. *vid.* Caspar. Schuz. *lib. 1. Chronic. Pruſſ. fol. 3. b.* Verùm & hæc sententia nobis non probatur. Fluxit illa ex appellatione pagi cujusdam

dam Galindici, qui RUMI vocatur. In illa namque Tabula Prusiæ Geographica, quam Henricus Zellius, & quidem primus, ante Hennebergerum confecit, quamque Caspar Schuzius Editioni primæ Chronicorum suorum præfixit, in Gallindia notatur pagus, *Rom* dictus, quod cum legisset Schuzius, putavit ibidem urbem Romoveanam collocandam. Verùm quodsi ex id genus appellationibus pagorum quicquam liceret indubitatò de præsenti materia concludere, plures loci denominari possent, qui cum nomen illud **Rom/Romau/** habeant, facilè nobis fidem facerent, veterem urbem Romovam in locis sitam fuisse pluribus. Tertio Auctor quidam Anonymus, qui Belgicè Chronicon Prusiæ scripsit, cujus hæc est epigraphe: *Historie van t'land van Pruſſen.* existimat Romove illo in loco jacuisse, ubi nostra ætate Mariæburgum est. *vid. Chron. illud pag. 15.* Verùm & hæc erronea sententia est. Erroris undè sit origo, facile divinare licet. Nimirum quia nonnulli Scriptorum nostrorum quercum ibi ingentem Germanos communiviſſe produnt, ubi hodiè Mariæburgum jacet; existimavit dictus auctor, ipsissimam illam quercum Romoveanam fuisse. Quarto sunt etiam, qui in Nadrovia locum dictæ quercus invenisse se putant, in quibus est Dusburgensis noster *loco superiore numero citato.* Eum sequitur Auctor Chronici *Germanici antiqui in 4. fol. 14. b.* Quinto non desunt, qui in Natangia Romove urbem fuisse scribant, & quidem eo in loco, ubi hodiè monasterii **Trifaltigkeit** dicti, rudera reperiuntur. In hâc opinione sunt Simon Grunovius Tolkemitanus, Monachus Ordinis Prædicatorum, *Tract. 2. Chron. Pruſſ. cap. 5.* Caspar Hennebergerus *in Comment. ad Tab. Pruſſ. tit.* **Trifaltigkeit**, Thomas Waisselius *in Chron. Pruſſ. pag. 17.* & alii. Sextò denique sunt, qui hâc de re dubiè loqvuntur. Auctor Chronici Ordinis disertè scribit: **Auch hatten sie in diesen Landen Heidnische Pfaffen und einen sonderlichen Babst/ welchen sie für heilig hielten/ nach ihrer Heidnischen Weise. Derselbe Babst hatte allezeit seine Wohnung auf Samland und Nadrawen zu einem Dorff Romaw nach Rome genannt.** Hæc ille *in Hermanno de Salza fol. 8. b.* Quid hîc in tantâ sententiarum varietate tandem sentiendum? Scripseram alibi enumeratis his sententiis, primis etiam,

etiam, à Cruciferorum in Prusſiam ingreſſu, temporibus ignotum fuiſſe locum urbis Romoveanæ, idque ſingulari DEI providentiâ factum, ne Prusſi veteres ad idololatriam proni, etiam Ordine Teutonico Prusſiam tenente, ad locum illum, Deos ſuos adoraturi, confluerent. At hæc Amicorum nonnemo, optimo animo, nec deterioribus verbis, piè magis quam verè dici, notavit. Sed, quod pace ipſius dixerim, idem ille quod ego antehac ſcripſeram, ſentit. Dicit enim in ſequentibus, excisâ ſeculo decimo à Boleslao Primo Rege Poloniæ urbe & Quercu Romoveanâ, exciſum etiam ſimul eſſe & nomen dictæ urbis. Non mirum proinde eſſe, quod tempore Dusburgenſis, qui duobus ſeculis, & quod excurrit, à temporibus Boleslai Regis vixit, ne veſtigium quidem Quercûs ſive Romove repertum fuerit. Sed hæc meæ, quam tunc fovebam, ſententiæ, tantum abeſt, ut repugnent, ut inſuper eam mirificè confirment. Etenim ſi exciſis, Boleslao Rege, quercu & urbe, Crive ſive Pontifex Pruſſorum alium in locum ſedem ſuam transtulit, ſique tempore Dusburgii ne veſtigium quidem ejus cultus dicto in loco apparuit, conſequens eſt, non tantum piè, ſed & verè me dixiſſe, ordinante ſic divinâ providentiâ factum, quod ne locus quidem cultûs idololatrici fuerit eo tempore notus, ne Pruſſi eò confluerent. Cæterum etiamſi hæc Amici Animadverſio ſententiam meam nondum evertit, abjicio tamen ipſe ſententiam illam libens, dicoque, tempore Dusburgii omninò fuiſſe locum illum ſatis notum. Quod verò antea tantùm probabile mihi videri dicebam, illud jam audentior factus certum eſſe dico, Romovam non poſſe alibi locorum collocari, quam in Natangia, ubi hodiè monaſterium Sacro Sanctæ Trinitatis. Propterea namque Chriſtiani hunc locum Sacro Sanctæ Trinitati dicatum eſſe voluerunt, qui antea ſedes trium cacodæmonum fuerat. Accedit quod Romovam quidam appellant Rykajoth, ut ex Hennebergeri loco citato manifeſtum fit: jam verò in illo diſtrictu, ubi monaſterium Trifaltigkeit dictum jacet, reperiuntur pagi Kohmsdorff & Ryckgarben, qui & Romovæ & Rykajoth urbium nomina ſatis manifeſtè conſervant. Dusburgii verba, ſi diligentius expendas, nobis non adverſari facilè deprehendes.

Dicit quippè Romovam sitam fuisse in medio Nationis Prusicæ, quod falsum esset, si Nadroviæ terminus Australis esset Prigora, sive ut hodiè vocatur, Pregela amnis (quam Hennebergeri sententiam fuisse tabulæ Geographicæ, tàm vetus, quàm nova, indicant.) Hoc igitur ex citatis Dusburgii verbis elicitur, Nadroviam olim etiam cis Pregelam, sive ad ripam Pregelæ australem, fuisse extensam, ita ut & Romovam intra fines suos contineret, etiamsi hodiè vulgò in Natangia censeatur. Idem dicendum est de Auctore Chronici Ordinis. Videlicet, non fuerunt tunc termini Provinciarum Prusicarum adeò accuratè distincti, quo fit, ut Auctor ille, licet locum urbis Romovæ non ignoraverit, ignoraret tamen, utrum ad Sambiam an ad Nadraviam eum referre deberet. Et hæc de Prusicæ Romænovæ situ dicta sunto. Sed & de Lithvanica Romanova non adeò expedita res est, cum etiam de ea non una sit sententia. Stanislaus Sarnitius Anstechiam, in qua Romovam Lithvanicam fuisse Dusburgium audivimus referentem, Curoniæ Provinciam facit: *Romani*, inquiens, *ab urbe Roma veteri ad Romam novam ad litus Balticum sitam (sic enim portus ille Curlandicus ad imitationem comparationis Romæ Romuleæ cum Roma Constantinopolitana, quæ etiam νέα ῥώμη vocabatur, antiquitus nominatus est & ibidem Pontifex etiam gentilis, krivvei kriveto dictus sedem suam habuit primariam) huc advenerunt.* Hæc ille *lib. 6. Annal. fol. 286.* Et eodem libro *pag. 294.* Anstechiam vocat maritimam Provinciam. Sed Matthias Strykowski Ossostevicius eam collocat in Samogitia ad Dubissæ amnis ostia, ubi se in Memelam exonerat *lib. 3. Histor. Lithvan. pag. 74.* Eum sequitur & Albertus Wijuk Kojalovvicz *Part. I. Histor. Lithvan. lib. 2. pag. 31. & seq.* Et tantùm de Locis divino cultui destinatis.

DIS-

Dissertatio VII.

De

Tribus Veterum Prussorum Diis majoribus,

Percuno, Picollo & Potrimpo.

(1.) *Deum esse, gentes cognoverunt omnes. Prussorum Veterum simplicitas. Dii à Boleslao Rege combusti, initium apud veteres Prussos à Diis.* (2.) *An vera sit historia de tribus Diis majoribus Percuno, Picollo, Potrimpo. Alii Occopirnum primum Deorum Prussicorum faciunt; Alii Curchum. Quis primus Auctor historiæ de tribus Diis majorum gentium. Sol, Luna, Stellæ Dii fuere Prussorum.* (3.) *Ternarius Deorum apud Prussos numerus. Eum acceperunt à Gothis. Ordo inter tres dictos Deos. An fuerint statuæ Deorum. Quercus Romoveana undè nomen hoc habeat. M. Prætorius laudatur.* (4.) *Primus Deorum Percunus. Deus fuerat Fulminum. Ejus Prosopographia & Munia. An sit idem qui Gothorum Thor. An sit idem qui sol.* (5.) *Secundus Deus Prussorum, Pikollos, Deus inferorum, ejus descriptio. An sit idem qui Gothorum Wodanus sive Othinus. An per eum Luna sit repræsentata.* (6.) *Potrimpus tertius Deus describitur. Deus erat fertilitatis. Ejus etymon. An sit idem qui Gothorum Fricco. An idem quæ Venus. Venus Armata.*

I. NUlla gens tam fera, nemo omnium tam est immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio, ait Cicero *lib. 1. Tuscul. num. 30. pag. 171. Edit. Geneo.* Quibus gemina habet & Aristoteles *libr. 1. de Cœlo cap. 3. text. 22.* Documento nobis sunt Veteres

Prussi, qui, licet barbari, Deorum tamen notitiam omninò habuerunt, saltem in eo, quod Deum esse confessi sunt. Referunt quippe Scriptores nostri, Prussos ante Scandianorum, Waidevvuto & Pruteno Ducibus, adventum, cum adeò rudes essent, ut, quenquam per literas animi sui sensa posse alteri exprimere, non crederent; agnovisse nihilominus in ea simplicitate, mundum sine aliquo Numine non gubernari. Quinimò illos Deorum instar coluere, quos legendi scribendique peritos videbant, teste Hennebergero *lib. de Vet. Pruss. Conf. Waisselius & alii.* Verùm & hoc ex Scriptoribus nostris non minus certum est, primam apud Veteres illos Prussos fuisse Deorum curam. Quamobrem cum circa Ann. 1014. Boleslaus I. Chrabri Rex Poloniæ Prussiam vastasset, Romove quoque urbem Idololatriæ sedem cum Diis Prussicis in cinerem redegisset, Prussi contra Polonos moliri quidpiam non sunt ausi prius, quam cultum Deorum instaurassent, ut auctor est Matth. à Michovia *lib. 2. Chron. Polon. cap. 7.* Henneberg. *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 466.* Sic etiam, cum Prussus quidam Nobilis Ducem Masoviæ in adulterio deprehensum hastâ transfixisset, Masoviique vicissim Romoveanam urbem cum sacris omnibus incendio delevissent, defenderunt quidem sese Prussi contra vim illatam, in fugam tamen actos hostes prosequi prius non sunt ausi, quam sibi novum elegissent Pontificem sive sacrorum Præsidem, cultumque divinum instaurassent, si fides est Hennebergero, qui hæc ex Grunovii *Tract. 3. cap. 6.* tradit *in Comment. ad Tab. Prussicam pag. 466.*

II. Cæterum quos illi coluerint Deos, dubitari potest. Quodsi Simonem Grunovium consulamus, non pauca ille nobis enarrabit de tribus illis Diis Veterum Prussorum præcipuis: *Percuno, Picollo, Potrimpo*, cultumque illorum secundùm omnes circumstantias accuratissimè pleniss imèque nobis ob oculos ponet. Fidem etiam Grunovio habuisse deprehendemus plurimos; ex Polonicarum rerum Scriptoribus, Matthiam Strykovium Ossostevicium, & Alexandrum Gvagvinum; ex nostris Hennebergerum, Schüzium, Waisselium aliosque non paucos. Mihi verò hæc non rarò dubia visa sunt omnia, adeò ut etiam, tres illos Deos in Prussia fuisse cultos, prorsus negare sæpiùs in animum induxerim. Ratio præcipua, quâ tum nitebar, à silentio antiquorum historiæ Prussicæ conditorum

torum erat petita. Exstant siquidem adhuc multorumque teruntur manibus quamplurimi Scriptores tum Polonici, tum Prussici Grunovio antiquiores, qui etiamsi idololatriam Prussorum ex professo describunt, de tribus tamen illis Diis omninò nihil norunt. Ex Scriptoribus Polonicis adduci possunt Vincentius Kadlubkus, Joannes Dlugossus, Matthias à Michovia, Martinus Cromerus Episcopus Varmiensis in Prussia, Johannes Herburtus de Fulstin: Ex Scriptoribus Historiæ Prussicæ pertractant hanc materiam de Idololatria Veterum Prussorum, Petrus de Dusburg, Nicolaus Jeroschinus; Auctor Chronici, quod dicitur Chronicon Ordinis, vel Magistrorum; Erasmus Stella in Antiquitatibus Borusiæ; Paulus Pol, cujus Chronicon MS. Regiomonti in Bibliotheca curiæ Palæopolitanæ asservatur; & tamen horum nemo, ne unico quidem verbo, indicat, illos Deos unquam in Prussia exstitisse. Auget dubium & illud, quod quidem ex enumeratis Scriptoribus faciunt mentionem urbis Romove, & summi Prussorum Pontificis, Crive dicti, in Romove residentis, nihil tamen prorsus habent de ipsis illis majorum gentium Diis, minimè certè rem adeò notabilem silentio prætermissuri, si quicquam eorum ipsis innotuisset. Sed invalidum fortasse argumentum hoc à silentio Scriptorum petitum, censeri posset, nisi alia validiora restarent argumenta, quibus ea, quæ Grunovius tradit, convelli posse videntur. Contrarium, videlicet quidam Scriptores ejusdem ferè cum Grunovio ætatis asserunt, dum disertis indicant verbis, quis Deorum Prussicorum maximus fuerit olim habitus. Johannes certè Meletius, qui superiore seculo hunc sibi sumpsit laborem, ut ex professo Religionem Prussorum describeret, non dicit, Percunum, Picollumque & Potrimpum fuisse Deos maximos, præcipuoque cultu affectos; sed eos inter postremos recenset Deos: Maximum autem fuisse dicit OCCOPIRNUM, ut Deum cœli & terræ. Idem jam ante Meletium fecerant Georgius à Polenz & Paulus Speratus Episcopi Prussiæ Ducalis in Præfatione Agendæ, quam vocant, Ecclesiasticæ Anno 1530. conscriptæ, ut qui sequentem Prussicorum Deorum texunt catalogum: *Occopirnus*, *Svaixtix*, *Auxschautis*, *Autrympus*, *POTRYMPUS*, *Bardoayts*, *Polunytis*, *PARCUNS* (forsan *Percunos* legendum, cum ex MS.

exemplari, quod mihi se obtulit dijudicari non potuerit, quomodo Auctores ipsi hoc nomen scripserint) *PECOLLOS atque* (fortasse, *sive*) *PACOLS.* Accedit, quod in Privilegio Anno 1249. d. 7. Id. Febr. à Jacobo Archidiacono Leodiensi Pontificis Romani Legato Prussis Veteribus concesso, dicuntur Prussi abjurasse cultum CURCHI, aliorumque Deorum, qui non fecerunt cœlum & terram. Ex quo colligitur, cultum CURCHI (vel ut alii, quamvis minus rectè GURCHI) Dei fuisse apud Prussos eo tempore præcipuum. Ad extremum disertis etiam verbis Grunovio se videntur opponere antiquiores, qui uno ore referunt, à Prussis *SOLEM, LUNAM, STELLAS,* aliasque res creatas fuisse cultas. Addit insuper Erasmus Stella Prussos *TONITRUA FULGETRASQUE* coluisse; de tribus illis Diis altissimum ubique est silentium. Quare cum animadvertissem, ante Grunovium (qui Chronicon Prussiæ Ann. 1520. scripsit) cultum hunc trium Deorum, eumque adeò ordinatum, nobis descripsisse neminem, commenta hæc cerebri Grunoviani mihi visa sunt. E contrariò verò mihi se objiciebant summa cultus illius (prout à Grunovio aliisque Grunovium Ducem sequentibus describitur) cum cultu Deorum apud Veteres Gothos convenientia, quam Grunovius in tanta literarum in Prussia tunc nondum renascentium caligine, vix adeò affabrè confingere potuit. Idcircò quæ aliorum fidem subleslam reddere solet, hæc à Grunovii partibus tunc stetit, simplicitas. Magno tamen ipsius Chronici Grunoviani perlustrandi & excutiendi desiderio flagrabam, ut ex ipso cognoscere mihi liceret, utrum aliquos, ex quibus hæc hauserit, pro sua sententia citet Auctores. Tandem cum mihi Brunsbergæ à Dn. M. K. urbis illius Consule, Grunovii facta esset copia, reperi in ipsa Præfatione, Christianum primum Episcopum Culmensem Historiam Prussicam scripsisse, quam sic orsus est: *Liber filiorum Belial cum suis superstitionibus Brutiæ factionis incipit cum mœstitia cordis.* Jaroslaum quoque Plocensem in Masovia Præpositum, qui Christianum ætate præcurrit, Historiam Prussicam condidisse eique inscriptionem sequentem præfixisse in eâdem Grunovii Præfatione legi: *Liber Originis & furiarum gentis indomitæ Brutorum in sanguinem*

Chri-

Christianum. Ex his igitur antiquissimorum Scriptorum monumentis Grunovium sua omnia, quæ de Religione Veterum Frussorum posteritati tradidit, hausisse, videbam. Verum neque his acquiescere tum potui, neque nunc, ut verum fatear, acquiescere possum omninò. Quî enim hoc factum est, quod tam antiqua Historiæ Prussicæ monumenta, post trium demum seculorum decursum, cum antea nemini Prussorum aut Polonorum Scriptorum essent visa, ad manus solius Grunovii pervenerint? Et si quid ejus generis ad ipsum pervenit, quis nobis persvadere poterit, fuisse Scripta illa genuina, nec recentioribus temporibus ab otiosis ingeniis (non dico hic de Grunovio ipso, qui, si malâ fide agere voluit, facilè ea scripta procudere potuit, ut Historiæ suæ auctoritatem ex antiquitate conciliaret) subdolè conficta? Id verò cogitare eò facilius possis, si non silentium tantùm, sed & contraria vetustiorum Scriptorum testimonia perpendas. Ad extremum sic inter varias opiniones fluctuanti mihi, & omnia solicito animo circumspicienti, illa se probavit conciliatio. Prussi veteres temporibus Gothorum coluerunt tres illos Deos, *Percunum*, *Picollum*, *Potrimpum*, per eosque nihil aliud intellexerunt, nisi *Solem*, *Lunam & Stellas*, ut hæc in sequentibus ad oculum patebunt. Postea verò cum Dii illi à Polonis cum ingenti Quercu Romoveana essent combusti, Prussi dictis Diis, utpote qui semetipsos contra vim hostilem tutari non poterant, alios Deos præposuerunt, aut saltem, simulacris illis neglectis, Solem ipsum, Lunam & Stellas colere cœperunt, quo factum est, ut antiqui illi Prussorum Historici nulla simulacrorum facta mentione ipsa cœlestia luminaria pro Diis habita esse memorarent. Hæc igitur jam defendemus, meliora tamen docentibus cedere parati.

III. Ut autem sine ulteriori verborum circuitione & anfractu propiùs ad rem ipsam accedamus, primò hic omnium ea persequemur, quæ ad tres illos Deos generatim cognoscendos faciunt. Numerum Deorum ternarium fuisse, jam ex superioribus liquet. Idem verò & apud Gothos in Sveonia quondam habitantes observare licet, apud quos itidem tres Dii, nempe *Thor*, *Odhen* & *Frigga* fuere culti. *Vid.* Adamus Bremensis *in*

lib.

lib. de ſitu Daniæ & reliqv. Septentrional. Region. cap. 91. & ſeqqv. pag. 152. Joannes Magnus *lib. 1. Hiſtor. Gothor. Sveonumque cap. 9. ſeqqv.* Olaus Magnus *lib. 3. Hiſtor. Septentrion. cap. 3.* Johannes Scheferus *in Upſalia Antiqua cap. 5. ſeqqv. & in Lapponia cap. 7.* Innuunt hoc nonnulli Scriptorum Hiſtoriæ Prusſicæ recentiorum, Pruſſos illos, de quibus nobis ſermo, ſacros ritus omnemque religionem ſuam petiiſſe à Gothis, quando ſcribunt, Waidevvutum Alanorum Regem à Sudinis (per Sudinos autem intelligunt eos populos, qui tunc in hodiernâ Sudiniâ, ſive ut noſtri vulgò dicunt **im Sudawſchen Winckel**, ad mare Balticum in extremis Sambienſis Provinciæ oris habitabant. Sudinos autem alio in loco Pruſſiæ antiquitùs habitaſſe jam ſupra demonſtratum eſt) ſacra ſua accepiſſe. Jam autem antea oſtendimus, Sudiniam hodiernam, quæ eſt Sambiæ pars maritima, Gothos olim tenuiſſe. Ex quo jam elucet, Scriptores illos, dum à Sudinis petita eſſe ſacra referunt, à Gothis ea petita eſſe manifeſtè ſatis innuere. *Vid.* Eraſmus Stella *lib. 2. Antiqv. Boruſſ. non longè à principio.* Alii quoque, qui Waidevvutum Regem Scandinavicum ſive Gothicum, eundemque cultus divini apud Veteres Pruſſos auctorem faciunt, nihil aliud hoc ipſo intelligunt, quam hunc ipſum trium Deorum cultum à Gothis ad Pruſſos eſſe derivatum. Henneberg. *de Veter. Pruſſ.* Waiſſel. *in Chronic.* & alii. In ipſo trium Deorum Pruſſicorum ordine quandam apud Scriptores noſtros occurrere differentiam, notandum eſt. Alii ſiquidem Percuno Pikollum præponunt, ut facit Hennebergerus *in Commentario ad Tabulam Pruſſicam fol. 465.* Alii primô locô ponunt Percunum, ſecundô Potrimpum, & tertiô demum Pikollum, ut Matthias Strykovvski Oſſoſtevicius *in Sarmatia Europæa*, Waiſſelius *in Chronic. Pruſſ. fol. 17. b.* Nos exiſtimamus differentiam illam non aliunde ortam, quam quod Percuno, ut Deorum Pruſſicorum ſupremo medius adeòque honoratior locus fuerat attributus. Idcircò alii, dum Deos enumerant, incipiunt à medio, ut à maximo: Alii verò, qui ab alterutra parte, nimirum aut à dextra, aut à ſiniſtra numerant, illi non dignitatem Deorum, ſed collocationis in quercu Romoveana ordinem reſpiciunt. Adhæc de Diis Pruſſicis quæri poteſt, fuerintne ſta-

tuæ

tuæ ipsis effictæ, an verò imagines tantùm depictæ. Hic distinctè videtur respondendum. In quercu Romove statuas Deorum fuisse collocatas perquam est verisimile. Confirmant hoc descriptiones Deorum mox subjungendæ, item cultus CURCHI, cujus statuam quotannis Prussi confringere, novamque effingere solebant, ut postea dicemus. Habuisse tamen Waidevvutum, Regem Prussorum tres dictos Deos in insignibus suis depictos tradunt Hennebergerus, Waisselius aliique recentiores, qui etiam nobis has, quas alibi adjecimus obtrudere conantur Deorum effigies. Fuerunt autem statuæ illæ, ut conjicere licet, non adeò affabrè factæ. Nam si Lucanus *libr. 3. Pharsal.* de antiquarum gentium Diis dicere potuit:

- - - simulacraq; mœsta Deorum
Arte carent, cæsiq; extant informia truncis.

Multò magis id de Prussorum, qui multis aliis gentibus fuere simpliciores, Diis dici posse videtur. Illæ statuæ Deorum Prussicorum non fuerunt collocatæ in terra, sed inter ramos Quercus Romoveanæ. Hoc ut rectiùs intelligatur, notandum est, Quercum illam fuisse tripartitam, ut dicit Matthias Strykovvski Osiostevicius *in Sarmatia Europæa, ubi de Prussia.* Hennebergerus & Waisselius dicunt: **hat drey Zwelgen gehabt.** Clarissimus Vir M. M. Prætorius sic eam describit: Habuit Quercus Romoveana tres majores ramos ex uno caudice excrescentes, qui in suprema dictæ quercus parte coaluere, quamobrem etiam quercus illa dicitur *Romove* à Prussicâ vace *Romwu*, quæ in infinitivo habet *Ruomot*, id est, coalescere. Et hoc ipsum etiam Romoveanæ urbi laudatus Dominus Prætorius nomen dedisse arbitratur; confirmat insuper illud, quod de Quercu dixerat, aliis arboribus Prussorum idololatriæ destinatis. Fuit enim non ita pridem in Sylva Districtûs Insterburgensis abies, Ann. 1664. fulmine icta. Hæc erat arbor miræ proceritatis, cujus truncus itidem se dividebat in tres ramos majores, eosque enodes, qui in superiore parte itidem coaluerant. Appellarunt eam abietem Prussi, Lithvani, Samogitæque; contermini *Rommota* vel *Ruombota*, sacramq; habuerunt. Additi idem Vir Clarissimus in horto suo Nebud-

zenſi ejusmodi Pyrum trifidam reperiri, quæ etiam Pruſſis & Lithvanis vocatur *Rommota*, ut & *Rumbota Krauſis*, id eſt, pyrus coalita. Ejusdem formæ Romoveanam fuiſſe exiſtimat. Præterea referunt Scriptores noſtri, ita fuiſſe Deos in Quercu collocatos, ne à variis cœli tempeſtatibus corrumperentur. Excreſcebant nimirum ex tribus illis ramis majoribus, alii ramuli quamplurimi, qui idola ab externis tempeſtatum injuriis defendebant. Sed de his vide, quæ dicta ſunt ſuperiore Diſſertatione. Et hîc inſigne diſcrimen obſervo inter cultum Deorum apud Gothos & Pruſſos. Gothi namque numina ſua non ſub arbore, ut Pruſſi ſed in templo, magnificè eam ob cauſam exſtructo, collocata coluerunt. Notant autem Scriptores rerum Gothicarum, tres Deos Gothicos in templo ita ſuppedaneo ſive aræ inſtitiſſe, ut *Thor* cæteris altior emineret: Idem honoris fortaſſe Veteres Pruſſi *Percuno* ſuo, ut Deorum Principi, detulerunt, ut cæteris Diis ſublimior conſpiceretur: Sed tacentibus hic Pruſſorum monumentis, nihil temerè affirmaverim. *Vid.* Joannes Schæfferus *in Upſal. Antiq. cap. 5. pag. 38. ſeq.*

IV. Sed jam de ſingulis Diis ſpeciatim quædam nobis erunt addenda. Primus inter Deos Pruſſicos dicebatur PERCUNOS, perperam à Strykovio aliisque dictus PETUNO. Hic igneam prorſus & ira ardentem faciem præferebat, uti & caput flammis coronatum & criſpam innodemque nigri coloris barbam, ut eum deſcribit Thomas Clagius *lib. 1. Lindæ Marianæ, ſive de Virgine Lindenſi cap. 8. pag. 44.* Idem habet & Hennebergerus, qui omnia ſua, quæ de Religione Pruſſorum tradit, ex Grunovio deprompſit. Addit autem, Percunum vultu non niſi iram & minas ſpirante aſpexiſſe adverſum ſibi Potrimpum. Subſcribit prioribus & Schuzius, addit autem præterea, Percunum fuiſſe effictum in forma viri mediocris ætatis. *in Chronic. Pruſſico. fol. 2. b. fin. ſeq.* Credebatur Percunus Deus eſſe fulminum & tonitruum aliarumque tempeſtatum, undè hodièque Lithvanis *Percunos* idem eſt quod tonitru. *Vid.* Henneberger. *de Veterib. Pruſſ. fol. 11. a.* Schuzius ipſum in ignem imperium exercuiſſe putat: Utrique autem, Schuzio videlicet & Hennebergero videtur fuiſſe Mars, Deus bellorum. Heraque horum, quæ de Percuno dicta ſunt, conveniunt & *Thoroni* Sveonum Deo. Quod ad inſignia Thoronis attinet,

tinet, quandam certè hic similitudinem deprehendo. Quanquam enim Johannes Magnus aliique Thoroni coronam tribuunt; Stephanus tamen Stephanius in *Notis ad Saxonem* circumdat capiti Thoronis flammam, in modum Solis alicujus, eodem modo, quo pictores ora divorum exornare consueverunt. Præfectus etiam fuisse dicitur tonitrui & tempestatibus, non secus atque Percunus Prussorum: *Thor*, ait Adamus Bremensis, *præsidet in aëre, qui tonitrus & fulmina, ventos imbresq́, serena & fruges gubernat. in lib. de Situ Daniæ pag. 152.* Nomen proindè ipsum Thoronis à tonitru multi deducunt, ut Philippus Cluverus *lib. 1. German. Antiq. cap. 26.* & Gerhard. Johannes Vossius *lib. 2. de Idololatr. cap. 33.* Quamvis Johannes Schæfferus non à Tonitruis Thoronem, sed contra potiùs à Thorone tonitrua esse dicique arbitretur. *in Upsal. antiqv. cap. 6. pag. 50.* Tribuunt autem plura Thoroni suo Gothicarum rerum Scriptores, cum in manu sinistra duodecim stellas (alii stellas capiti Thoronis circumdant) in manu verò dextra Sceptrum, aut, prout alii volunt, malleum igneum pingunt. An verò hæc Percuno Prussorum tribui queant, dicere non habeo. Verisimile tamen est, si Percunus fuit eum in modum, ut nos eum descripsimus, ab antiquis effictus, manus etiam ejusdem fuisse insignibus quibusdam exornatas. Utrumque vero simulacrum, Thoronis videlicet & Percuni, Jovem veterum, sive ipsum SOLEM retulisse, probatu haut est difficile. *Nam quid aliud volunt stellæ in Thoronis manu, nisi Solis quoddam in eas regimen? quid duodenarius earum numerus, nisi menses duodecim, quibus absolvit suum cursum? aut si fuere septem (ut alii existimant) nisi tot per singulas hebdomadas dies, quibus redit ad initium? Sic profectò vetustissimi Theologi Phœnicum Solem μόνον θεῶν θεὸν vocarunt, planetas reliquaq́, sidera dixerunt nutum ejus observare, & Ægyptii dodecatemoria signiferi θεὰς βουλαίας seu consiliarios: planetas verò ῥαβδοφόρους seu lictores solis appellarunt, ut ex Scholiaste Apollonii observat Seldenus in Prolegomenis de Diis Syris cap. 3.* Ita de suo Thorone differit sæpè laudatus Schæferus *in Upsalia cap. 6. pag. 58.* Quamvis autem ea de Percuno Prussico affirmatè dici nequeant, cum ignoremus, num ei Prussi stellas attribuerint; illa tamen, quæ Prussici Scriptores

de Percuni capite flammis coronato referunt, huc apprimè faciunt. Quid enim hoc ipso voluerunt exprimere, nisi Solem undique radiis flammisque cinctum? Illa verò, quæ in subsequentibus de Thoronis cum sole convenientia scribit Schæfferus, ex asse Percuno Prussico tribui possunt. Pergit enim: *Sed & virtus amovendi tempestates, inducendi serenitatem, procurandi frugum copiam & ubertatem* (quæ videlicet Thoroni tribuitur) *convenit in Solem. Solis enim illa, post Deum, beneficia.* Nec nostræ huic sententiæ officit, quod Schuzio, Hennebergero, aliis, Percunus *Mars* fuisse putatur. Illi namque hoc non probant ex aliquo vetustiorum, aut etiam ex effectis Percuni. Et licet etiam hoc probassent, non deesset tamen nobis, quo assertionem nostram, vel illo ipso argumento comprobare possemus. Veteres enim Romani & Græci Jovi suo attribuerunt robur animi & audaciam, quidam etiam populi, ut Cares, Pontici, Cappadoces, colebant Jovem militarem. Quin etiam Jupiter ex secretiore Veterum Ethnicorum Theologia idem est, qui Mars, ut Gerhardus Johannes Vossius uberrimè demonstrat *in libb. de Idololatria.* Apud Svedos quoque viri animositate & fortitudine clari à Thorone Deo vocari solebant *Thurræ, Thorive*, id est, fortes audacesque, quod nobis indicio esse potest, apud Veteres Svecos *Thor* Deum non tonitruum tantum atque tempestatum, sed fortitudinis etiam, veluti Martem quendam, fuisse Præsidem. Neque nos igitur absurdi quidpiam statuemus, etiamsi dicamus, Percunum Prussorum fuisse Jovem & Martem. *Vid.* Johannes Schæfferus *in Upsalia antiqua cap. 6. pag. 58.*

V. Secundum Numen Veterum Prussorum fuit PICOLLOS sive PECOLLOS, ut vocatur à Schuzio, Hennebergero, aliisque. Quod autem Auctor Sarmatiæ Europææ ipsum appellat PATELO, probari non potest. Neque illi rectiùs sentiunt, qui ipsi nomen POTOLLOS tribuunt. Derivatur enim hoc nomen dubio procul à voce Sarmatica *pieklo*, quæ inferos, sive ut alii vocant, infernum, significat. Ex quo etiam vocis etymo illud deducitur, Picollum fuisse Deum inferorum. Erat ipsi cana barba, facies pallida & sursum prospectans; caput fasciâ candidâ redimitum, ut eum describit Hennebergerus *in Vet. Pruss. &*

in

in Commentario ad Tabulam Prussicam. Thomas Clagius addit, faciem Picolli & hominem & equum & simul bovem retulisse; sed cum nemo vetustiorum, quantum mihi quidem constat, tam monstrosi capitis faciat mentionem, in eam adducor opinionem, ut credam, Clagium confudisse effigiem ipsam Picolli, cum insignibus Picolli, quæ fuerant hominis mortui, equi & bovi capita, ut deinceps, de cultu Deorum apud Veteres Prussos acturi, docebimus. Sed quæ munia ipsius fuerint videamus. Hennebergerus existimat, eum fuisse Saturnum: sed minus rectè, ut ex paulò post dicendis manifestum fiet. Addit insuper Hennebergerus, Picollum in ædibus Nobilium aliorumque divitum sæpiùs apparuisse, & Sacrificia pro mortuis, si nulla fuerunt oblata, rigidius exegisse. Hoc denique notant Scriptores nostri, Picollum numen fuisse, quod non amari, sed metui volebat. *Vid.* Henneberger. *de Vet. Prussia fol. 10. b.* Illa omnia ferè conveniunt *Othino* seu *Wodano* Gothorum Deo, qui secundus à Thorone habebatur. Ut enim à Thorone bona omnia promanare putabant Gothi; ita è contrariò ab Othino mala omnia. Quamobrem eum Saxo Grammaticus *lib. 2.* vocat *horrendum Friggæ maritum.* Colebant igitur Odinum Gothi tantum eam ob causam, ut à malis abstineret, vel in aliorum capita eadem converteret. Idem fuerat & Prussorum de Picollo sensus. Deindè ut Prussi Picollo imperium in mortuos tribuebant; ita etiam Gothi Othino suo vitæ eripiendæ potestatem assignabant, docente Schæffero *in Upsalia antiqua cap. 7. pag. 70. seq.* Adde, quod etiam illa, quæ de apparitionibus Pikolli in ædibus divitum & Magnatum diximus, Gothicarum rerum Scriptores de suo Odino referunt. *Credebant* (Gothi) *magnates post mortem in Othini domicilia recipi, ibique variis frui deliciis, ac quo quis majorem stragem in vita ediderit, eo majori in æstimio ibi fore. Sperabant quoq; Heroes, se in aula Othini bibituros ex craniis eorum, quos occiderant.* ut habet Olaus Wormius *loc. cit.* Et Baazius *lib. 1. Histor. Eccles. cap. 2.* disertè: *Fecerunt*, inquit, *Sueci Deum Othinum etiam divitiarum Præsidem, ut hunc colerent homines divitiarum cupidi. Sic credebant antiqui Deum Othinum in domibus divitum habitare.* Notat etiam Schæfferus formulam imprecandi apud Svedos usitatam: **Far till Odens**, id est, vade ad Odinum,

pro quo Latinè dicitur : *Abi in malam rem , ad orcum.* Non secus etiam apud Prussos hodièque nomen Picolli pueris terriculamento esse solet. Quem autem ex Diis Romanorum Græcorumque huic Pikollo, vel etiam Gothorum Veterum Odino, dicemus fuisse similem ? Nullum certè nisi Plutonem , qui & mortuis & divitiis præerat. Sed & tria illa capita , nimirùm hominis , equi & bovis , Picollo consecrata, referre videntur Cerberum tricipitem, Ditis sive Plutonis canem, inferorum custodem. Eodem modo Gothi Odino suo canes ministros assignarunt , de quibus Olaus Wormius *in Lexico voce German. citante Schæffero.* Deindè & hoc fermè jam ex supradictis patet , faciem illam Picolli pallidam repræsentasse Prussis & *LUNAM* , quæ , cum proprio careat lumine , pallida Luna vocatur à Poëtis. Sed dices, quid Lunæ cum Plutone ? item si Picollos est Pluto quomodo poterit esse Luna? Sed respondere possumus, antiquis etiam Græcis juxta ac Romanis Plutonem fuisse Solem, sed inferum, cujus comes est nox , omnia tenebris involvens. Non inusitatum quoque est antiquis Lunam appellare Solem nocturnum , ut facit Plinius *lib. 2. Nat. Hist. cap. 32.* Sic etiam Picollus fuit Sol inferus , soli supero oppositus , id est , Luna. Videri possunt, quæ in hanc rem differit Johannes Schæfferus *loc. citat. pag. 93. seqv.*

VI. Sed veniamus ad tertium Prussorum Numen, quod appellabatur POTRIMPUS sive PATRIMPUS. Hic imberbi ac lætantium ridentiumque in morem liberaliter exporrectâ fronte referebat juvenem , caput viridante è spicis coronâ præcinctum. Ridebat enim Percuni torvum in se tuentis sive immanitatem , sive vanam sinè viribus iram , ut habet Thomas Clagius *loco citato.* Consentiunt Hennebergerus, Schuzius, Waisseilius, alii. In muniis autem Potrimpo competentibus variant ipsorum sententiæ. Hennebergerus ipsum putat fuisse Solem ; addit tamen à Prussis eum frugum atque bellorum Deum fuisse habitum. *in lib. de Vet. Pruss. fol. 11. b.* Schuzius in terra & aqua imperium exercuisse Potrimpum existimat, ut Percunum in igne , & Picollum in aëre. Martinus Murinius *in Chronico Prussico , quod Polonico scripsit idiomate , cap. 4. pag. 6.* Potrimpum existimat fuisse Larem,

sive

sive unum ex Diis Penatibus. Videtur autem hoc ex ipso vocis etymo probare velle, quando scribit, Potrimpum dictum esse quasi Polonicè diceres: *Bog Oyczyśtych.* Existimat ergò Patrimpum à voce Græca simul & Latina *Papas*, id est, *Pater*, derivari posse. Ex his nemo unquam colliget, cui Deorum antiquorum æquiparari possit Potrimpus. Tentabimus nos hoc ipsum ostendere, dummodò prius convenientiam ejus cum Frigga Gothorum Dea indicaverimus. Certè imberbi lætantique illa facie & capite spicis coronato manifestè Friggam Dothorum Deam refert. Et Gothi namque Friggam fingebant inberbem, ut fœminam; statuebant etiam, illam esse voluptatum omniumque deliciarum Deam; Frugibus insuper eandem fuisse præpositam, docent nos Erici Svedici Scriptoris verba: *Friggam*, inquit ille, *pro fertilitate & abundantia frugum & fructuum terræ, hominum jumentorumque honorabant & assidue venerabantur.* Quod etiam Hennebergerus de Potrimpo dixerat, bellis ipsum fuisse præpositum; idem de Frigga, testatur Paulus Warnefridi, addit tantùm, eam eo modo bellorum Deam fuisse, non ut bella moveret, sed ut eadem averteret, pacemque reduceret. *Vid.* Paulus Warnefrid. *lib. de Gest. Longobart. cap. 8.* Non alia ea de re tradidit Adamus Bremensis, quando *loc. cit.* dicit, eam pacem voluptatemque largiri mortalibus. *in lib. de Situ Daniæ.* Ex dictis jam elucet, Potrimpum Prussorum & Friggam Gothorum, fuisse *Frejam*, id est, *Venerem*, quæ Freja (à Svedis Frigga) dicebatur à Freyen Germanico vocabulo. Aliis etiam hæc Dea dicebatur *Hertha*, id est, die Erde mater omnium rerum, de qua videri potest Tacitus *in libr. de Morib. German.* Ab aliis etiam dicebatur *Luna.* Venus item aliquando non est alia quam *Bellona.* Idcirco Venerem Cytheræi habitu bellico coluisse feruntur. Cyprii quoque Venerem ἔγχειον, id est, hastatam finxerunt. Lacedæmone itidem Venerem armatam divino cultu affectam, testis est, præter Pausaniam *in Laconicis*, Ausonius *epigr. 41.* hoc versu:

Armatam vidit Venerem Lacedæmone Pallas.

Sed & Romæ Veneri Victrici templum fuisse dicatum, auctor est Plutarchus *in Pompejo.* Ex his jam constat, omnia ferè quæ de Potrim-

Potrimpo Prussorum dici verè possunt, posse etiam Veneri applicari, Solus sexus dubium alicui forsan movebit, qui in Potrimpo & Venere, ut & Gothorum Frigga, non est idem. Verum & hanc difficultatem nos superatorus speramus. Et quidem Frigga nobis negotium facessere nequit, cum non ignoremus, eam etiam ab Adamo Bremensi appellari, non Friggam Deam, sed Fricconem Deum. Sic enim ille: *Tertius est Fricco pacem voluptatemq; largiens mortalibus. Cujus etiam simulacrum fingunt ingenti Priapo.* Undè haut difficulter colligitur, Numen illud apud Veteres Gothos utriusque fuisse sexus. Idem de Venere dici potest, utpote quæ itidem utriusque sexus fuisse creditur. Notanda hic sunt Macrobii verba *ex lib. 3. Saturn. cap. 8.* de prompta, ubi de Venere ita loquitur: *Eandem affirmat* (Philochorus) *esse Lunam. Nam & ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili, quod eadem & mas existimatur & fœmina.* Et hæc est causa, cur Prussi Numen illud, quod alii formâ muliebri fingebant, finxerint formâ virili. Lucem his affundent, quæ habet Joan. Schæffer. *in Upsal. antiqv. cap. 8.* Gerhard. Joan. Vossius *Idololatr. cap. 27.*

DISSERTATIO IIX.

De

Diis secundi & tertii Ordinis.

(1.) *Inter plures Deos discrimen aliquod agnoverunt olim Romani, Gothi, Prussi. Tres Dii minorum gentium apud Veteres Prussos.* (2.) *Curcho primus inter Deos minores.* (3.) *Dicitur etiam Curche, Goreho, Gurcho. Ubi fuerit cultus. Ejus statua. Quibus præfuerit rebus.* (4.) *Worszkaitus & Ischwambratus antea Waidewutus & Prutenus. Hi pro populo se Diis manibus devoverunt. In Deos relati. Vorskaito, dubium Deusne an Sacerdos. Quod fuerit Worskaiti & Ischwambrati impe-*

imperium. (5.) *Dii tertii ordinis & eorum munia enumerantur. Difficultates quæ hic se offerunt enodantur. Viruncu-li domestici.* (6.) *Serpentes in Prussia & Lithvania culti.* (7.) *Alce pro Deo colitur à Prussicis Populis. Et alia animalia, item tonitrua, Sol, Luna, Stellæ, omnes penè res creatæ.* (8.) *An Prussi agnoverint discrimen inter Deos ipsos, & res Diis sacras. Homines Deorum loco culti.* (9.) *Non omnes Deos omnes Prussi coluere, sed quos sibi quævis gens speciatim elegerat.*

I. NUlla fortasse gens reperitur, quæ inter plures Deos, quos religioso prosequitur cultu, non agnoscat discrimen aliquod, ita ut alios ex iis faciat majorum, alios minorum gentium Deos. Romani certè, quos etiam supra in Prussiam venisse probavimus, primò habuere *Deos Consentes*, ut eos appellat Varro *libr. 1. de Re Rustica cap. 1.* Hos Ennius disticho sequenti comprehendit:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

His adjungebant alios, quos cum prioribus vocabant Selectos, ut fuere, præter dictos: *Janus, Saturnus, Sol, Bachus, &c.* Habebant denique alios adhuc minorum gentium Deos, quos *Indigetes* appellabant, puta, *Herculem, Faunum, Carmentam, Evandrum &c.* Aliarum gentium Deos & idololatriam hîc enarrare, nihil attinet. Facere tamen non possum, quin de Gothis, à quibus sacra sua Veteres Prussos habuisse perquam est verisimile, quædam saltem hic subjiciam. Habuerunt Gothi tres majorum gentium Deos, ut superiore Dissertatione luculenter à nobis demonstratum est. Habuerunt præter illos adhuc alios tres minorum gentium, nimirum *Methothin* (sive *Metodinum*) *Fro & Ollerum.* Tandem habuerunt etiam alios tertii Ordinis Deos, quorum nomina fuere *Vagnostus, Hadingus, Rostiephus, Rostarus. vid.* Joannes Magnus *libr. 1. Histor. Sveo Goth. cap. 10.* Olaus Magnus *libr. 3. Histor. Septentrion. cap. 4.* Johannes Schæfferus *in Upsalia Antiqua cap. 9.* Non secus etiam se res habuit apud Veteres

Prussos. Tres majorum gentium Deos jam superiore Dissertatione vidimus, progrediamur jam ad tres minores, videlicet CURCHUM, VURSKAITUM & ISCHWAMBRATUM.

II. Quod ad ordinem horum Deorum attinet, de eo, qualis fuerit, non satis constat. Scriptores siquidem nostri eum, planè negligunt, ideoque in eorum enumeratione parum pensi habent, quem Deorum præponant, quemve postponant. Hennebergerus, qui ubique Grunovium sequitur, sic eos enumerat: Vurskaito, Ischvvambrato & Gorcho. Non aliter Thomas Waisselius. Sed Schuzius Ischvvambratum Vorskaito præfert, ultimoque loco recenset Gorchum. Utrum data operâ, an verò casu hoc factum, parum compertum est. Ego putaverim Curchum reliquis esse præferendum. Ejus quippe in Privilegio Pruschis veteribus Ann. 1249. à Jacobo Archidiacono Leodiensi Legato Pontificis Romani concesso mentio fit, ut præcipui cujusdam Prussorum Dei. Adde quod ipsi ex præcipuis Quercubus una fuit dicata, quem honorem reliquis nusquam apud vetustiores, (quin nec apud juniores) fuisse exhibitum legas.

III. Primus ergò, nostrâ sententiâ, inter minores Deos fuit CURCHO, ut appellatur in Privilegio superiore numero citato. Eodem nomen hoc modo legit & Grunovius. Alii recentiores illud corruperunt scribentes GORCHO, ut Hennebergerus; vel GURCHO, ut Schuzius. Locus ubi colebatur, plerorumque Scriptorum confessione fuit Quercus juxta oppidum, tunc *Swentomest*, id est, Sancta Civitas, nunc verò Heiligenbeyl dictum. Consuli possunt eâ de re Hennebergerus *in Commentario ad Tabulam Prussicam Geogr. pag. 156.* Schuzius & Waisselius *in Chronicis.* Thom. Treterus *in Vitis Episcoporum Varmiensium sub Anshelmo.* Vide etiam supra *Dissert. IV. num. IV.* Aliter tamen sensisse videtur Hennebergerus antè conscriptos modò laudatos Commentarios, cum in libello de Veteri Prussia, sub quavis quercu tribus illis Diis minoribus Vurskaito, Ischvvambrato & Curcho sacrificia offerri potuisse scripserit. Sub dicta quercu Heiligenbeilensi collocata erat *statua* Curchi, quod colligi satis manifestè potest ex verbis supra citati Privilegii, quæ hîc dabimus: *Iddo* (Lege Idolo) *quod semel in anno collectis frugibus con-*

consueverunt confringere (in Germanica Privilegii dicti versione satis antiqua, ut ex Dialecto cognoscitur, quam versionem mecum communicavit Nobilissimus Vir, Dominus Gotofredus Zamelius, Consul Elbingensis dignissimus & meritissimus, non habet verbum zerbrechen, quod respondeat verbo confringere, sed verbum machen, id est, facere) *& pro Deo colere, cui nomen Curche imposuerunt, vel aliis Diis, qui non fecerunt cœlum & terram, quibuscunq; nominibus appellarentur de cætero non libabunt, sed in fide DOMINI nostri JESU CHRISTI & Ecclesiæ Catholicæ & obedientia & subjectione Romanæ Ecclesiæ firmi & stabiles permanebunt.* Observa hic, Curcho singulis novam statuam confractâ vetustiore fuisse positam, quod de cæterorum Deorum statuis, utrum dici queat, dubito. Imperium Curchi extendebat se in *esculenta & potulenta*, quod non tantùm auctoritas Scriptorum recentiorum comprobat, sed ex dicto etiam Privilegio non obscurè colligitur, cùm in eodem ex frugibus collectis sacrificia Curcho fuisse oblata legantur. A Masoviis vicinis Prussos hunc Deum accepisse, scripsit Grunovius, & ex eo Hennebergerus *in Commentario pag. 156.* Verum cum Polonici Scriptores Curchum inter Veteres gentis suæ Deos non recensеant, nec appareat, quâ Prussicorum annalium fide Grunovius hoc asserat, calculum nostrum his non addimus.

IV. Sub nominibus WORSKAITI & ISCHWAMBRATI, sive SCWEIBRATI, ut eum quidam appellant coluisse dicuntur Veteres Prussi WAIDEWUTUM & PRUTENUM primos gentis suæ Reges. Hi namque affectâ jam ætate pro suorum salute se Diis devoverunt, & quò facilius Deorum commercio jamjam fruituri, suorum saluti consulerent, ultrò se in pyram è quernis accensam lignis conjecerunt. Quamobrem à Prussis memorem beneficiorum animum declaraturis, in Deos sunt relati, ita ut Waidevvutus sub nomine Vorskaiti, Brutenus Schvveibrati vel Ischvvambrati colerentur. Hæc ex Grunovio Henneberger. *de Vet. Pruss. fol. 11. seq.* Thomas Clagius *loc. cit. pag. 52.* Nos quamvis Deos illos in Prussia fuisse cultos (de iis tamen in antiquioribus Historicis nec vola nec vestigium) præfractè non negaverimus, illud tamen, quod de Waidevvuto & Pruteno refer-

tur, commentum esse cerebri Grunoviani non ex vano arbitramur. Notandum est, Joannem Meletium, quem alii sequuntur, in hoc capite Ducem, Vorskaitum non referre inter Deos, sed statuere, nomen hoc fuisse Waidelottarum, id est, Prussicorum Sacerdotum. Undè haut difficulter colligas, aut Grunovium, nomen, quod Sacerdotibus omnibus erat commue, Deo huic tribuisse ut proprium; aut contra, Meletium nomen quod erat Dei proprium per errorem tribuere Sacerdotibus. Cum autem in rebus adeò vetustis nulla extent antiqua monumenta, ex quibus lis hæc componi queat, nihil hîc temerè statuendum esse putamus. Illud tamen virgulam censoriam meretur, quod Waisselius (qui & aliàs multa sine judicio, tametsi sibi sint contraria, corradere consvevit) & Deum Vurskaitum & Sacerdotes Vurskaitos agnoscat, ut ex collatione locorum evidens est. *vid. fol. 18. b. & fol. 19. b.* Ad extremum notandum est, Vurskaito imperium tribui in jumenta, puta, equos, boves, sues, oves, aliaque animalia quadrupedia: Ischvvambrato autem, in anseres, gallinas, anates, columbas, aliasque volucres. *Vid.* Henneberger. *de Vet. Pruss. fol. 11. b. sequ.* Waissel. *fol. 18. a.* Schuz. *fol. 3. b. sequ.*

V. Venio jam ad Deos tertii Ordinis. Thomas Waisselius in Chronico Prussiæ, cum jam Deos illos majorum minorumque gentium, de quibus hactenus egimus, enumerasset, subjicit Catalogum Deorum, quos Prussi calamitatibus pressi, ut & festis diebus, invocare soliti sunt. In illo Catalogo Dii recensentur sequentes: (1.) OCCOPIRNUS Deus cœli & terræ. (2.) SCHWEIXTIX Deus Lucis. (3.) AVSCHWEITUS (quem alii AVSCEVTUM vocant) Deus ægrotantium atque sanorum. (4.) ANTRIMPUS Deus maris magnorumque lacuum. (5.) POTRYMPUS Deus aquarum fluentium sive fluminum. (6.) PERDOYTUS Deus navium (alii GARDOÆTEN faciunt Nautarum Deum.) (7.) PERGUBRIUS (alii vocant PERGRIBRIUM, fortasse minus rectè) Deus plantarum omniumque germinum. (8.) PILVITUS (aliis PELVITUS) Deus divitiarum, (quod nomen cum Latino Plutus ferè convenit.) (9.) PERCUNUS Deus tonitruum & tempestatum.

pestatum. (10.) PECULLUS Deus inferorum & tenebrarum. (11.) POCULLUS Deus spirituum volantium sive Cacodæmonum. (12.) PUSCHKAITUS Deus terræ, sub sambuco habitans (alii Puschkaitum sive Puscætum, quem Martinus Murinius Paschvitum appellat, sacris lucis præfuisse memorant) (13.) BARSTUCCÆ (alii Marcopetas vocant) Dii subterranei, die kleinen Erdleute / ministri cæterorum fuerunt Deorum. Quamvis Martinus Murinius eos non nisi Paschvito Deo attribuat. Ex hoc Catalogo liquidò constat, miram apud Waisselium Deorum Prussicorum esse confusionem. Cum enim jam antea Deos majores, Percunum, Pecullum & Potrimpum, enumeraverit, quid opus fuerat, eosdem hic repetere, aliisque Diis minutioribus immiscere. Illi enim, quos hic quinto, nono & decimo loco enumeratos animadvertis, sunt Dii majores, de quibus superiore Dissertatione à nobis actum. Deindè perperàm quoque decimum ab undecimo distingvit, cum Pikollus, qui & Pokollus, sit Deus inferorum malorumque geniorum. Eadem quidem ratione Deos hos enumerat Joannes Meletius in Epistolâ de Religione Borussorum, sed hoc ipsi vitio verti nequit, cum ille discrimen inter Deos majores minoresque prorsus ignoret, eosque tantùm Deos enarret, quos Prussorum Veterum reliquiæ suo adhuc tempore in sacris invocare solebant. Waisselius autem, qui hoc discrimen probè noverat, debebat vel tribus saltem verbis indicare, ab aliis Scriptoribus Deos illos confundi, aut etiam Prussos ipsos postremis temporibus discrimen illud Deorum sustulisse. Et certè quoniam Meletius, cui multum defero, Prussos Veteres hoc ordine Numina sua in sacris invocasse testatur, venit non rarò in mentem cogitare, quod etiam superiore Dissertatione non dissimulavimus, apud Prussos postremis temporibus, postquam tres Dii majores à Boleslao I. Chrobry Rege Poloniæ fuere cum Quercu Romoveana Vulcano traditi, Deos illos non tantùm non refectos, sed discrimen etiam illud inter majora & minora Numina esse sublatum, quin etiam alia majoribus illis esse præposita, inter quæ primum obtinuit locum Occopirnus, tanquam Deus cœli & terræ. Accenset Johannes Meletius Diis Prussicis etiam eos, qui lingva Ruthenica COLTKI, Græcâ KOBALI (à κόβαλος,

quod Dæmonem quendam Dionysiacum asperum & immitem, significat) Germanicâ verò COBALDI nominantur. Nos eosdem illos esse putamus, quas Barstuccas & Marcopetas, licet eos Meletius distingvat. Apparebant ægrotis præsertim noctu-no tempore, lunâ lucente, credebantur etiam nutritoribus suis comportare frumentum ex ingratorum horreis & granariis ablatum. *Vid.* Martinus Murinius *in Chron. Pruss. cap. 5. pag. 9.* Ejus generis virunculos domesticos, qui domestica opera solebant obire, habuerunt etiam Gothi, ut ex Olai Magni *lib. 3. Hist. Septentr. cap. 10.* constat.

VI. Præter enumeratos jam Deos, solebant etiam Prussi veteres Deorum loco bruta animalia colere, & in his præcipuè SERPENTES. Horum cultus antiquissimus fuisse videtur, cum apud Ægyptios, Græcos, Romanos, Indos, Gothos, Samogitas, aliasque plurimas gentes etiam antiquissimis temporibus, eos, Deorum instar, cultos esse legamus, quo nihil acceptius contingere potuit Cacodæmoni, qui primos nostros parentes sub specie serpentis deceperat. Æsculapios verò hos Prussi non in quercubus solùm, sed etiam domi suæ consveverant fovere. Quam pertinax ille serpentum cultus fuerit, docet nos Sigismundus Liber Baro ab Herberstein, qui memorabile hujus rei de Lithvano quodam memorat exemplum: *Cum*, inquit, *priori ex Masovia itinere rediens in Troki* (oppidum est Lithvaniæ duobus à Vilna distans milliaribus) *venissem, referebat Hospes meus, ad quem forte diverteram, se eodem, quo ibi eram anno ab ejusmodi quodam serpentis cultore aliquot alvearia apum emisse, quem cum oratione sua ad verum Dei cultum adduxisset, utque serpentem, quem colebat, occideret, persvasisset; aliquanto post, cum ad viscendas apes suas eò reversus fuisset, hominem facie deformatum, ore aurium tenus miserabilem in modum deducto offendit. Tanti mali causam interrogatus, respondit: se, quod serpenti, Deo suo, manus nefarias injecisset, ad piaculum expiandum luendamque pœnam hâc calamitate puniri: multaque graviora, si ad priores ritus suos non rediret, se pati oportere.* Hæc Herberstein *in Commentario Rerum Moscovit. pag. 84.* Idem habet Alexander Gvagvinus, vel potiùs Matthias Strykowski Ossostevicius, *in Sarmatia Europæa.* Addit etiam

etiam quatuor à Vilna milliaribus in Villa quadam Regia, Lavariski dicta, serpentes à multis adhuc suo tempore cultos esse. *Vid. Descript. Reipubl. Polonicæ pag. 277.* Et, quod mireris, hodièque non in Lithvania tantùm & Samogitia, sed in Prussia quoque reliquias ejus idololatriæ invenias. Sunt enim, qui domi suæ serpentrs alunt, extrema, si ipsis aliquid adversi accidat, metuentes. Quin, relatum mihi est non rarò à viris fide dignis, permitti nonnunquam à Deo, ut, si ejus generis serpentes occidantur, greges & armenta Patrifamilias, miserè intereanr. De cultu Serpentum agunt etiam Julius Cæsar Scaliger, *in Subtilit. adversus Cardanum Exercit. 83. sect. 2.* & Gerhardus Johannes Vossius *lib. 4. de Orig. & Progressu Idololatr. cap. 63.*

VII. Inter feras Prussi Veteres inprimis ALCEM divino pro sequebantur honore, ut testis est Erasmus Stella *lib. 2. Antiq. Boruss. non longè à principio.* Nec dubium est, quin aliis quoque animalibus divini sint honores delati, cùm Petrus de Dusburg omnia animalia pedestria & volatilia hîc videatur comprehendere. Sic enim ille: *Et quia sic Deum non cognoverunt, ideò contigit, quod errando, omnem creaturam pro Deo coluerunt sive Solem, Lunam & stellas, tonitrua, volatilia, quadrupedia etiam usque ad bufonem. in Chron. Pruss. part. 3. cap. 5.* Gemina his habet Auctor Chronici Ordinis Teutonici, quod vulgò die Ordens-Chronick dicitur, *in Hermanno de Salza fol. 28. b.* Ex recentioribus Matthias Strykovvski Ossostevicius in Sarmatia Europæa: *Præterea,* inquit, *tonitruis, Lunæ, stellis, serpentibus, bubonibus* (in prima editione, quam suo nomini suppossuit Alexander Gvagvinus An. 1578. legitur bufonibus, & quidem rectiùs, cum verba hæc manifestè ex Petro de Dusburg & Chronico Ordinis, ubi bufonum fit mentio, deprompta sint. Quamvis neque bubones hinc excludat Strykovius, ut verba proximè sequentia docent) *& omnibus penè creaturis divinum honorem deferebant.*

IIX. Tametsi verò Strykovius omnibus penè rebus creatis divinos fuisse honores delatos testetur, tamen de quibusdam dubitari potest, sintne illæ pro Diis cultæ, an verò tantùm in Deorum, quibus erant cosecratæ, honorem sint religiosæ æstimatæ. Auctor Chronici Ordinis de cultu Deorum loquitur hunc in modum:

Ein

Ein iegliches von obbemeldten Landen zu Preussen hatte einen sonderlichen Abgott / den sie anbeteten / vor ihren Gott. Eins Theils beteten die Sonne an / etliche den Mond / etliche die Sterne. Item Leute / Thiere / Schlangen / Frösche / den Donner. Etliche hielten die Walde und Püsche heilig / etliche die Wasser. Quibus verbis illud indicare videtur, *homines, animalia, serpentes, bufones, tonitrua, solem, lunam, stellas,* Deos fuisse Prussorum. Sed *sylvas, virgulta*, ut & *aquas* tantùm fuisse religiosa, ut Diis consecrata. Idem de *Sylvis* confirmat & Matthias de Michovia; *In eam*, inquiens, *caliginem mentis Prussi prolapsi fuere, quod & sylvæ illæ & aves feræq; in illis consistentes sanctæ forent, quicquid in illas ingrederetur, ut sanctum censeri deberet, violanti quoq; nemus, feras & alites manus aut pedes Demonum arte curvabantur.* Hæc Matth. de Michovia *libr. 4. Chronic. Polon. cap. 45.* De fontibus & lacubus idem asserit Helmoldus, qui omnes jam citatos ætate præcurrit, *lib. 1. Chronic. Slav. cap. 1.* Non dicit enim, Lacus & fontes divino cultu affectos, sed Diis tantùm fuisse sacros, ita ut Christianorum accessu polluerentur. Quando verò D. Mislenta in Præfatione ad Corpus Doctrinæ Prutenicæ Adoratores fluvii Golba excœcari solitos ex Hennebergero refert, latiùs vocem adoratorum capiendam arbitror, quatenus & eos complectitur, qui juxta amnem illum, Deos in flumine degentes, adorant divinoque cultu prosequuntur. Non aliter etiam fortasse illud est accipiendum, quando Hennebergerus dicit, Prussos *Ignem* pro Deo coluisse, ut qui consumit omnia, hominesque vehementer affligit urendo. *in lib. de Vet. Pruss. fol. 12. a.* Idem enim Hennebergerus paulò antè dixerat, ignem fuisse Percuno sacrum. *fol. 11. a.* Sed in tanta gentis illius barbarie vix credi potest, Prussos ejusmodi discrimen facere potuisse; Proindè satiùs est, ut dicamus, quodvis ex enumeratis modo rebus, cumprimis verò ignem, divino cultu fuisse affectum. Quid Auctor Chronici Ordinis per homines pro Diis habitos intelligat, dubium est. Si intelligit homines Diis ministrantes, ut Sacerdotes, Vates, Burtos aliosque, certum est eos non fuisse Deos habitos, sed tantùm ob commercium, quod ipsis cum Diis intercedere credebatur, sacros & inviolabiles. Sic in urbe Lithvanica Romove,

move, qua de superiùs plusçula sunt dicta, Auctor Chronici antiqui MS. Germanici, in formâ ut vocant, quartâ, quod asservatur in Bibliothecâ Electorali Regiomontanâ, dicit, non urbem tantùm illam fuisse sacram, sed & incolas ipsos, idque ob præsentiam Deorum, qui in dicta urbe colebantur. *Conf.* Petrus de Dusburg. *Part. 3. Chronic. Pruss. cap. 254.* Quod si verò Auctor Chronici Ordinis per homines intelligit Waidevvutum & Brutenum, qui postquam rebus humanis sponte pro salute suorum excessissent, in Deorum numerum relati esse feruntur, tum concedendum est, Prussos etiam homines, videlicet post fata in numerum Deorum relatos, divino cultu affeciisse.

IX. Ad ultimum illud adhuc notandum esse ducimus, non omnes Prussiæ populos, hactenus à nobis enumeratos Deos adorasse, sed aliam Provinciam hos, alios aliam adorandos sibi elegisse. Comprobatur hoc ex verbis supra citatis, ubi dicebatur: **Ein iegliches von obbemeldten Landen zu Preussen hatte einen sonderlichen Abgott / den sie anbereten vor ihren Gott. Eins Theils beteten die Sonne an / etliche den Mond / etc.** Quæ observatio fortasse poterit inservire diversis illis Auctorum sententiis, de quibus num. I. Dissertationis hujus actum est, componendis & inter se conciliandis. Videlicet in quibusdam locis fortasse Deus nautaram vocabatur *Perdoytus*; in aliis *Gardoëtes*. In quibusdam locis culti sunt *Barstuccæ*, in aliis iidem sub nomine *Marcopetarum* honorabantur. Quædam fortasse gentes putarunt Marcopetas esse ministros Deorum omnium; Aliæ eos tantùm Paschvito Deo ministeria præstare credebant. Ut paucis reliqua complectar, quævis gens Deos sibi peculiares videtur in Patronos elegisse, quos calamitatibus pressa invocaret, cumprimis autem eos, quos rebus sibi necessariis præpositos esse sciebat. Quare accolæ maris Baltici invocabant inprimis Perdoytum sive Gardoëtem Deum nautarum: Accolæ fluminum colebant Potrympum: Accolæ lacuum Antympum. Agricolæ suum Pergubrium.

Alii alios.

DISSERTATIO IX.

De Sacerdotibus Veterum Prussorum.

(1.) *Prussorum Pontifex Crive dictus. Ab aliis vocatur Evarte, Evarto Crive, Evarto Crilbe, Ervarto Grille, Kyrille. Waisselius notatur. Crive Kyrvaito, Kyrie Kyrieyto. Quid Crive significet. M. Prætorius laudatur. Quid Lithvanis Kriwule.* (2.) *Auctoritas summi Pontificis apud Prussos. An in Romove Lithvanica etiam fuerit Crive. Nomina Pontificum apud Prussos Veteres à junioribus excogitata scriptoribus.* (3.) *Minores Sacerdotes dicti Waidelottæ. Vocis hujus etymon. Vurskaiti. Sigonottæ. Sigonottarum nomenclatio. An Sigonotæ ordinarii sint Sacerdotes.* (4.) *Sacerdotes utriusque sexus. Ubi habitarint. Munia Waidelottarum.* (5.) *Linguszones & Tilussones non fuere Waidelottis inferiores. Nomenclationes dictarum vocum.* (6.) *Inferiores sacrorum ministri eorumque munia. Burti sive Sortilegi.* (7.) *Electio Sacerdotum quomodo se habuerit apud veteres Prussos.*

I. ANtequam de Deorum Prussicorum cultu tractationem instituamus, operæ precium nos facturos arbitramur, si eos, per quos cultus ille divinus peragi solebat, nempè Sacerdotes, præmittamus. His quippe ignoratis, facilis est in iis, quæ in subsequentibus tradentur, lapsus. In Sacerdotum collegio supremum obtinebat locum SUMMUS PONTIFEX sive summus sacrorum Præses, quem suâ lingvâ vocarunt CRIVE. *Fuit*, inquit Dusburgensis, *in medio Nationis hujus perversæ, scilicet in Nadrovia locus quidam dictus Romow, trahens nomen suum à Roma, in quo habitabat quidam dictus Crive, quem colebant pro Papa. Quia*

sicut

ſicut Dominus Papa regit univerſalem Eccleſiam fidelium: ita adiſtius nutum ſeu mandatum gentes prædictæ — regebantur. Hæc Dusburg. *Part. 3. cap. 5.* Eodem nomine appellant hunc Pontificem Eraſmus Stella, & Paulus Pol. Cum quibus faciunt ex Polonicis Scriptoribus Joannes Dlugoſſus, Martinus Cromerus, Matthias à Michovia, qui omnes uno ore ipſum *Crive*, ſive *Krive* vocant. Alii recentioribus ſeculis hanc vocem variè corruperunt, quamvis jam apud ipſum Jeroſchinum Dusburgii interpretem quædam occurrat nominis hujus mutatio. Ille enim fortaſſe metri gratia ipſum appellat Evarte, quando ſcribit:

Der Oberſte Evarte
Nach Heidniſcher Arte
Crive was genannt ſin Nahm.

His Waiſſelius inductus Pontificem Pruſſorum dictum eſſe contendit *EVARTO KRYWE*, ſive *EVARTO KRILBE.* Sed Krilbe ex vitioſa dubio procul lectione fluxit. In antiquis namque Codicibus Germanicis litera w / ſcripta reperitur, ut lb, quemadmodum antiquos inſpicienti codices ignotum eſſe nequit. Majorem ille ipſe Waiſſelius errat errorem, quando ipſum *EVARTO GRILLE* ſive *ERVARTO GRILLE*, item *KYRILLE* nuncupat. *Vid.* Waiſſel. *in Chronic. Pruſſ. fol. 18. & 27. a.* Matthias Strykovvski Oſſoſtevicius in Sarmatia Europæa Pruſſicum Pontificem dictum fuiſſe ſcribit *Kyrie Kyrieito*, hoc autem rurſus alii, notante Martino Murinio *in Chron. Pruſſ. cap. 3. pag. 4.* corruperunt in Krive Kyrveito. Aliam à dictis fovet ſententiam Hennebergerus, qui Pontificem hunc à Maſoviis *Crive*, à Pruſſis *Kyrvaite* appellatum fuiſſe refert *in lib. de Vet. Pruſſ. fol. 13.* In plures ſcinduntur partes Scriptores noſtri circa nominis hujus interpretationem. Hennebergerus ex Grunovio dicit nomen illud ſignificare idem quod **unſer Herr / nechſt Gott / oder Gottes Mutter.** Alius Auctor Anonymus cujus Chronicon MS. exſtat, ſic illam exponit vocem: **Dieſer iſt unſer nechſt Gott / ohne ſeinen Willen wollen wir nichts thun / wir ſollen und wollen ihm folgen gleichſam unſern Göttern.** Eadem verba habet Waiſſelius *in Chron. Pruſſ. pag. 17.* Caſpar Schuzius

existimat Kyrvaite Prussorum lingvâ significare den Mund Gottes / *in Chron. Pruss. fol. 3. fin.* Dietmari Chronicon ita vocem illam interpretatur : **Glück unsern Göttern.** Thomas Clagius *libr. 1. Lindæ Marianæ cap. 8. pag. 44.* vocem Kyrvaite *Divûm mentem* denotare credit. Strykovius *in Sarmatia Europæa* sic super hâc re loquitur : *Nomen ei dignitatis inditum fuit Kirie Kirieyto, quasi dicas : proximus noster Dominus.* Alii qui Lithvanicam Prussicamque gentes ex Græcia deducunt, Græcam etiam nomini huic originem assignant, dicique eam volunt à κύριος. *Eum qui hoc magistratu deinceps fungeretur*, ait Kojalovvicz, *Krive Krivetto dici voluit. Nomen hoc à Græco sermone derivatum & sanctum sanctissimum significare, quidam autumant. Part. 1. Hist. Lithvan. lib. 1. pag. 21.* Nos existimamus, nomen hoc non aliter scribi, nec pronunciari debere, quam *Kriwe*, sive etiam, quamvis veterum auctoritas deficiat, *Kriwe Kriweito.* Est autem *Kriwe* vox Prussica, &, quemadmodum Vir Clarissimus M. Matth. Prætorius, amicus meus honorandus existimat, idem est, ac *judex*, vel *Sacerdos*, cui plena in rebus sacris juxta ac profanis est tradita potestas. Nam hodièque apud Prussos Lithvaniæ accolas *Kriwule* dicitur signum potestatis & jurisdictionis, ad quod omnes jurisdictioni illi obnoxii conveniunt. Itaque Krive est *judex* vel *Pontifex :* Et *Kriwe Kriweito* est Judex Judicum, videlicet in sacris, vel Pontifex Pontificum, sive Summus Pontifex. Ex quo colligitur, summos illos Sacerdotes in rebus quoque profanis non exiguâ gavisos esse potestate. Si vera essent, quæ de Waidevvuto & Pruteno vulgò feruntur, expedita hîc esset ratio, cur Sacerdos ille dictus sit judex. Regis enim & postea Sacerdotis munere functum volunt Waidevvutum Scriptores Prussici recentiores.

II. Magnæ autem fuit Pontifex ille non apud Prussos tantùm, sed vicinas etiam gentes auctoritatis. *Sicut Dominus Papa*, ait Dusburgensis, *regit universalem Ecclesiam fidelium : ita ad istius nutum seu mandatum non solum gentes prædictæ* (nimirum Prutenicæ, de quibus paulò ante egerat) *sed & Lethovini & aliæ nationes Livonicæ terræ regebantur. Tantæ fuit auctoritatis, quod non solum ipse vel aliquis de sanguine suo, verum & nuncios cum baculo*

suo

suo vel alio signo noto transiens terminos infidelium prædictorum, à Regibus & Nobilibus & communi populo in magna reverentia haberetur. Hæc Dusburg *Part. 3. Chron. pag. 5.* Idem ex Dusburgio hauserunt juniores omnes. Quando verò Lithvani Scriptores (in quibus maximè Kojalovvicz *Part. 1. lib. 2. pag. 32.*) in Lithvania Romovam conditam inque eâ Krivve Krivveyto, sive summum Pontificem constitutum referunt, qui inter Lithvanos Sacrorum esset Præses, intelligendum hoc esse videtur de primo gentis hujus in nostras oras invectæ instituto. Translatâ namque deinceps ex Lithvania gentis dictæ sede in Prussiam, summoque Pontifice in Romova Prussica constituto, videtur Lithvanico Pontifici potestas esse abrogata, aut saltem imminuta, ut & ipse Prussico Pontifici subesset. Nisi dicere malis, Lithvanos hæc in laudem gentis suæ scribere, ne cogantur concedere, Lithvaniam olim à Prussis sacra petiisse. Vanum autem hoc esse quivis videt, cum apud antiquioris ævi Scriptores fundamentum hujus rei appareat nullum. Nos Dusburgensis, ea scribentis, quæ suo tempore in recenti omnium adhuc dum hærebant memoriâ, fide nitimur. Tantæ super ea Pontifex hic credebatur esse sanctitatis, ut beatos miseri sese prædicarint homines, quibus vel semel per omnem vitam Pontificem videre contingeret. *Vid.* Henneberger. *in lib. de Vet. Pruss. fol. 13. a.* Catalogum Prussicorum Kryvveitarum texit nobis Hennebergerus *lib. cit. fol. 14. b.* ex Grunovii Præfatione, in quo sequentia ex ordine reperiuntur nomina: *Brudeno, Brudono, Deniges, Berausto, Marco, Merano, Gerüsso, Thywayto I. Brudeno, Napeiles I. Telleyno, Thwaito II. Nergenno, Cardhiwayto, Conis, Napeiles II. Jaygello, Narwasso, Grudewo, Austomo, Molleino, Taydo, Romois, Darsgaito. Mangalo, Bolloisus, Postwo I. Marango. Lawailes, Torreto, Nerges, Vibrotos, Barbaido, Barcando, Jargallo, Tippes, Leiso, Carkoyo, Pomoloys, Postwo II. Napeyles III. Tirsgaito, Nadrosso, Boitonor, Tormeiso, Kirbaydo. &c.* Horum Pontificum postremus fuisse dicitur nomine *Alleps*, cui Dii ipsi imperarunt, nomen ut Christo daret, cum ab ipsis contra Fratres Teutonicus auxilium sibi promittere posset nullum. Cæterum in eo Grunovii exemplari, cujus mihi Brunsbergæ copia facta est, hunc catalogum me reperire non memini, neque Grunovii

mihi jam copia datur. Fac verò illum in Grunovio, ejusque exemplaribus omnibus reperiri, quivis tamen, vel me tacente, conjecturâ poterit consequi, quid de eo sit sentiendum. Catalogus hîc texitur ab ipsis Waidevvuti & Brudeni fratrum temporibus, id est, quemadmodum ipsi ponunt, sed gratis, à Seculo IV. aut summùm quinto. Quâ verò Annalium fide hæc nituntur? Prussi iis de rebus nihil meminisse, certè nihil scribere potuerunt. Verbo dicam quod sentio; vana hæc sunt otiosorum ingeniorum commenta.

III. Minores in Prussia Sacerdotes variis insigniri solebant nominibus. Simon Grunovius eos vocat WAIDALOTTAS, quam vocem apud Veteres Historicos vix, at ne vix quidem, reperias. Est autem illa vox verè Prussica, à vocabulo *Waidin*, id est, scientia, deducta, ex quo fonte ipsum quoque Waidevvuti Regis nomen fluxisse dudum indicavimus. Sacerdotes igitur illi appellati sunt Waidelottæ, id est, viri prudentes, raræque in rebus ad divinum cultum pertinentibus scientiæ, quemadmodum exponit M. Matth. Prætorius *in Notatis ad Sacra Veterum Prussorum ad me transmissis.* Ab aliis hi ipsi Sacerdotes dicuntur VURSKAITI, ut à Joanne Meletio in Epistola ad Georgium Sabinum, qui nominis Waidelottarum non meminit. Habet Vurskaitus & Waisselius *in Chronic. Pruss. pag. 19.* Adhæc nomen quoque SIGONOTARUM Sacerdotibus Prussicis attributum fuisse, memorat Thomas Waisselius *in Chronic. fol. 21. b.* Quanquam verò hoc nomen apud alios Prussicos Scriptores non reperio, certum tamen est, fuisse hoc Prussicorum Sacerdotum nomen, utpotè quod vel exteris Historicis non fuit ignotum. Auctor quidam Anonymus, qui Secul. X. vitam S. Adalberti contexuit (quæ Cosmæ Pragensi à quibusdam tribuitur, sed perperam) cum recensuisset, quemadmodum S. Adalbertus Prussiam ingressus, sementem divini verbi facere cœperit, subjicit hæc verba: *Prosilit ex furibundo agmine igneus SIGGO & totis viribus ingens jaculum movens, transfigit ejus penetralia cordis. Ipse enim Sacerdos idolorum & Dux conjuratæ cohortis velut ex debito prima vulnera facit.* Quibus ex verbis suspicari licet, ipsum etiam Prussorum Pontificem hoc nomine vocari consveviſſe. Sed cum sint

verba

verba dubia, nihil hîc temerè statuendum. Possunt quippè & sic intelligi, quod Sacerdos ille, licet fuerit ex inferiorum Sacerdotum Ordine, illius tantùm conjuratæ cohortis, quæ in S. Adalbertum insurrexerat, Ducem se præbuerit. M. Prætorius Sigonotas dictos esse notat à Prussica voce *Sigas*, id est, Ordo, vultque ita dictos quasi ordinarios Waidelottas sive Sacerdotes. Cum enim non omnes Sacerdotes simul sacra in urbe Romove administraverint, verisimile ipsi est, per vices eos sacra peragere solitos. Quos igitur ordo tangebat, ut sacris interessent, illos ab ordine hoc dictos Sigonottas autumat. Attamen hanc conjecturam, etsi cæteræ deessent, illa saltem premeret difficultas, quod D. Adalbertus propè oppidum Fischhausen interfectus esse dicitur à Sigonotta, cum tamen ibidem locorum olim Romova, sacrorum Sedes, non fuerit sita, in quâ hic Sacerdos ordine in orbem redeunte potuerit officio suo fungi. Ex quo liquidò constat, & alios Sacerdotes extra urbem Romoveanam degentes hoc nomine vocatos.

IV. Inter Waidelottas, de quibus jam egimus, fuere non viri solùm, sed etiam fœminæ, viventes in cœlibatu omnes, jamque provectioris ætatis. Quod si contigisset, Waidelottam in adulterio deprehendi, ad ignem illicò raptabatur, ut auctor est Hennebergerus *de Vet. Pruss. fol. 15.* Illorum non pauci habitabant, Romovæ, in circuitu Quercus, Deorum præsentiâ celeberrimæ. Reliqui in pagis hinc atque inde dispersi vivebant, ut sacra aliis etiam in locis extra Romovam curarent. Et hæc loca extra Romoveanam urbem dicebantur, ex quorundam sententiâ, Rykajoth, ut jam supra monuimus. Id genus Waidelottas adhuc suo tempore fuisse in Prussia testatur Hennebergerus. Circa Ann. 1531. in Pobetensi Diœcesi (quæ in Sambia est) sibi ejus generis Waidelottam elegerunt Rustici ex pagis sex congregati, eo fine, ut suem consecratam Diis immolarent. Henneberger. *loc. cit.* Munia Waidelottarum D. Cœlestinus Mislenta in Præfatione ad Manuale Prutenicum sequentia recenset: (1.) Sacrificia Diis offerre. (2.) Populum in religione cultusque divini notitia informare. (3.) Modum rationemque, quomodo vita ex præscripto Deorum institui queat, populo præscribere. (4.) Orare

ut

ut Dii placati ad apparitiones, & colloquia cum sacrificulis nocturno tempore habenda promptiores redderentur. (5.) Populo benedicere, inque modo fausta precandi plebi præire. (6.) De dubiis & perplexis casibus v. g. in rebus amissis, responsa dare. Addi possunt & alia ex Hennebergero, ad quem Mislenta Lectorem remittit. Videlicet habebant super ea Waidelottæ rationem temporum, ita ut populo indicerent dies festos, tempora messis, aliarumque actionum. Illi, qui in pagis dispersi degebant, convocare solebant populum, si quid nomine Deorum fuerat denunciandum. Illud verò in primis est notandum, munia sacerdotalia si non in omnibus, plurimis tamen, casibus obiisse Waidelottas & viros & fœminas. v. g. Viri viris, & fœminæ fœminis responsa Deorum reddebant, ut hoc vel illud exemplum evincit, quod de Galindicis fœminis habet Dusburg. *Part. 3. Chron. cap. 4.* Conf. Henneberg. *de Vet. Prussica fol. 15.* & Cœlestin. Mislenta *loco citato.*

V. Inter ministros Sacrorum, Waidelottis & Sigonottis inferiores numerat Vir Clarissimus M. Prætorius LINGUSSONES & TILUSSONES. Sed vereor, ut possint huc referri. In Privilegio certè Prussis Veteribus jam propemodùm ab Ordine Teutonico subactis, Anno 1249. d. 7. Idus Febr. per Jacobum Leodiensem Archidiaconum Legatum Apostolicum concesso, hos solos Prussi Sacerdotes agnovisse non obscurè innuuntur, quod certè sacerdotum ultimæ sortis indicium non est. Verba Privilegii sunt: *Promiserunt etiam, quod inter se non habebunt de cætero Tilusones* (alia exemplaria habent Talissones) *& Linguschones* (qui in aliis exemplaribus dicuntur Lugastones) *homines videlicet mendacissimos histriones, qui quasi gentilium Sacerdotes in exequiis defunctorum in tormentorum infernalium pœna permerentur, dicentes malum bonum & laudantes mortuos de suis furtis & spoliis, immunditiis & rapinis ac aliis vitiis & peccatis, quæ dum viverent perpetrarunt ac erectis in cœlum luminibus clamantes mendaciter asserunt, se videre præsentem defunctum per medium cœli volantem in equo, armis fulgentibus decoratum * * in manu ferentem, & cum comitatu magno in aliud seculum procedentem. Talibus & assimilibus mendaciis populum seducentes & ad ritus gentilium revocantes. Hos,*

inquam,

inquam, promiserunt, se nunquam de cætero habituros. Tantùm igitur abest, ut Linguszones & Tilussones in postremis sacrorum ministris numerentur, ut solos potiùs Prussorum Sacerdotes illos fuisse ex verbis citatis colligi queat. Munia etiam, quæ ipsis in dicto Privilegio adscribuntur non sunt adeò vilia, ut non nisi infimis conveniant ministris. Petrus de Dusburg certè ea ipsi summo Pontifici tribuit *Part. 3. Chron. cap. 5.* his verbis: *Circa istos mortuos talis fuit illusio Diaboli, quia cum Parentes defuncti ad dictum Crive venirent, quærentes, utrum tali die vel nocte vidissent aliquem domum suam transire, ille Crive & dispositionem mortui in vestibus, armis, equis & familia sine hæsitatione aliqua ostendebat, & ad majorem certitudinem ait, quod in superliminari domus suæ talem figuram cum lancea vel instrumento aliquo dereliquit.* Hæc ille. Neque Etymon vocis Tilussones, vel etiam vocis Linguschones tale quidpiam, quod vult antea laudatus Vir, evincit. *Lingussones* enim deducit à Prussica voce *Linguot*, quod est passis alis volare. Jam si hæc derivatio rectè se habet, nomen illud propterea tantùm Wadelottis sive Sigonottis, de quibus numero superiore, attributum videtur, quod volantes in aëre defunctos se vidisse mentiebantur. *Tilussones*, ex ejusdem sententiâ, dicti sunt à Prussico vocabulo *Tilussut*, id est, mussitare, sine dubio propterea, quod in responsis Deorum populo denunciandis, precatiunculas quasdam submisè & cum murmure quodam recitabant, quæ omnia summis etiam Sacerdotibus indigna non sunt. Quocirca satiùs est, ut dicamus, Tilussones & Linguszones dictos esse aut ipsos Pontifices maximos, aut saltem præcipuos illos Sacerdotes, quos Waidelottas, Vurskaitos & Sigonottas appellatos, ex supra dictis intelleximus.

VI. Ad ultimum, inter inferiores Sacrorum ministros recenset idem ille Vir Clarissimus & SWALGONES, PUTTONES, WEIONES, PUSTONES, SEITONES, SWAKONES, BURTONES. De prioribus, quod dicam, non habeo. Ingenuè namque fateor, me nihil quicquam de ipsis, exceptis ultimis illis Burtonibus, in Prussorum monumentis observasse; quid? quod ne nomina quidem ipsorum aliàs me audire memini. Quapropter, quantùm conjecturâ consequi pos-

sum, & ex sequentibus colligitur, ex reliquiis Idololatriæ, quæ etiamnum inter hodiernos Prussos, Samogitis conterminos, ipsosque Samogitas & Lithvanos reperiuntur, hæc omnia deprompta sunt. Placet itaque audire, quid ille de singulis sentiat. SWALGONES ipsi sunt, ministri Sacrorum ad Sacra in nuptiis celebrandis adhibiti. Horum munia erant *Swalgaid*, id est præesse Nuptiis & sponsalibus nuptias præcedentibus. Judicabant etiam de pudicitia sponsi & sponsæ, deque futuro Neonymphorum prospero vel infelici statu. Et hos inter Prussos Lithvanis vicinos nonnunquam adhuc reperiri testatur. PUTTONES speciem quandam hydromantiæ exercebant, cum è spuma futura prædicebant. Id genus Vates etiamnum inter Lithvanos Prussicos testatur reperiri plurimos. WEIONES fuerunt, qui ex ventis eorumq; qualitatibus varia noverant divinare, ipsos etiam ventos arte quâdam magicâ, in quamcunque vellent partem poterant avertere. PUSTONES, qui afflatu sive spiritu suo vulnera aliosque morbos curare solebant. SEITONES, qui per amuleta ægrotis appensa morbos depellebant. SWAKONES fuerunt illi, qui ex luminis ardentis flammâ, ejusque fumo prospera atque adversa prædicere poterant. Eorum varia fuisse genera putat, cum etiamnum id genus hominum inter Prussos Lithvanorum vicinos non sit infrequens. De ultimo illo Sacerdotum vel vatum genere, videlicet de SORTILEGIS, qui Ruthenico vocabulo BURTY vocantur, habet etiam quædam Joannes Meletius *in Epist. ad Georg. Sabinum de Religione Veterum Borussorum.* Ceram illi aquæ infundebant atque ex signis & imaginibus in aqua inter fundendum effictis vaticinabantur, de quibuscunque rebus illi consulti fuerint. Meletius noviſse se dicit mulierculam, quæ cum diu reditum absentis filii frustra exspectasset (erat enim filius ex Borussia in Daniam profectus) consuluit sortilegum, à quo edocta est, illum jam naufragio periisse. Cera namque in aquam fusa exprimebat formam fractæ navis & resupini hominis effigiem juxta navem illam fluitantis. *Vid.* Meletius *in Epistola citata post med.* Ex quibus illud elicitur, Burtones non alios fuisse ab illis, quos supra Puttonas Dominus Prætorius vocabat. Sed alia, præter hæc, munia Burtonibus modò

lau-

laudatus Vir assignat, videlicet, eorum fuisse dicit controversias inter dissidentes per sortilegium dirimere. Horum etiam in Lithvania non exiguum reperiri hodièque numerum in sæpè citatis Annotatis scribit.

VII. Ante autem quam hinc abeamus, paucula quædam de electione Sacerdotum apud Veteres Prussos adjicere animus est. De Krivvaitarum, sive summorum Pontificum electione habent nonnulla recentiores Prussicarum rerum Scriptores, ex Simone Grunovio, quæ tamen ita sunt comparata, ut illa pro veris intrepidè venditare religio mihi sit. Perhibent illi multos Krivvaitas senio confectos semetipsos Diis patriis devovisse, quod his ritibus fieri solebat: Convocabatur primo populus per Waidelottas aliosve Sacerdotes inferiores in concionem. Tum Krive pyrâ conscensâ ad populum verba facere, eum adhortari, Deos patrios sincero candidoque pectore colat: peccata, quibus Deorum iram provocaverat, defleat, vitamque imposterum emendet. Populum dein pœnitentiam suam fletu atque lamentis contestantem Pontifex solari, Deorum gratiam promittere, se denique ipsum pro peccatis commissis Diis vel propriâ voluntariâque morte satisfacturum, profiteri. Sub hæc Pontifex pyrâ accensâ seipsum Diis obtulit. His peractis Sacerdotes inferiores alium Crive ex suo numero electum, sequente die coràm populo proclamabant, eum ad hanc dignitatem à Diis ipsis denominatum asserentes. Hennebergerus *in lib. de Vet. Prussia fol. 13. seqv.* Sed neque de inferiorum Sacerdotum electione quicquam certi in medium adducere possumus, tacentibus antiquis monumentis. Quodsi tamen conjecturæ aliquis locus est, perquam verisimile putamus, Waidelottas & Sigonottas utriusque sexus à Collegio Sacerdotum Romovensium electos, & in cæteras Provincias fuisse missos. Et hoc integris adhuc rebus Prussicis. Ubi verò cultus Romoveamus aliquoties destructus est à Regibus Polonicis, non absurdum etiam est dicere, ipsos urbium atque pagorum incolas sibi ejus generis Waidelottas sive Sigonottas elegisse, quod de recentissimis præsertim temporibus sub ordine Teutonico asseri potest, cum adhuc temporibus Alberti primis Prussiæ Ducis ejus consvetudinis quædam exstiterint reliquiæ. Etenim

Ann. 1531. in Parœcia Pobetensi, ut jam supra innuimus, Rustici senis convenientes ex pagis Waidelottam sibi ex suo numero elegerunt, qui suem patrio ritu Diis immolaret. *Vid.* Henneberger. *lib. de Vet. Pruss. fol. 15. b.* De cætero infimi illi sacrorum ministri non videntur fuisse Sacerdotes, à Collegio Waidelottarum, aut à populo, electi; sed prout eorum quisque in artibus illis magicis erat exercitatus, ita à misera plebe ad varia infortunia averruncanda adhibebatur.

DISSERTATIO X.

De

Cultu Deorum apud Veteres Prussos.

(1.) *Cultum Deorum Prussi à Gothis acceperunt. Ante Gothorum ingressum an fuerit aliquis in Prussia Deorum cultus. Nulla antiquis temporibus Deorum simulacra. In igne Deus colebatur. Preces ad Deos fusæ. Oblationes ex herbis & fructibus:* (2.) *Cultus tribus Diis communis. Nemo Christianus ad sacra Prussorum spectanda admittebatur. Nec omnes Prussi in conspectum Deorum admissi. Sacrarium Quercûs Romoveanæ solis Sacerdotibus intrare fas erat. Oblati Diis homines. Victima ex hostibus. Hostiæ consultoriæ apud Romanos, Celtas, Gothos. Dux hostiam solebat comburi. Modus comburendi. Equi, maximè albi Diis sacri. Equi immolabantur Diis. Præda in bello capta quomodo divisa. Diis majoribus non nisi Romovæ sacrificia offerebantur.* (3.) *Percuno perpetuus alebatur ignis lignis quernis appositis. Tonitru putabatur esse vox Percuni. Picollo mortuorum hominum & brutorum consecrabantur capita. Sebum in olla crematum. Apparitiones Picolli.*

Quomodo

Quomodo placari potuerit. Potrimpo serpens ollæ impositus alebatur. Olla manipulis frumenti tecta. Suffitus ex thure & cera. Infantes Potrimpo oblati. (4.) *Curcho singulis annis nova ponebatur statua. Igne perpetuò colebatur. Primitiæ frumenti & piscium ei offerri poterant quovis in loco. Perdoyti cultus ferè idem, qui & Curchi in oblatione primitiarum. Reliquorum Deorum cultus, inprimis serpentum. Sylvarum, Lacuum & fontium cultus.*

1. Vidimus Veterum Prussorum Deos, & Sacerdotes, nunc de ipso divino cultu per Sacerdotes institui solito nobis erit agendum. Et quidem quod ad originem cultus illius attinet, constat inter Scriptores nostros Waidevvutum Scandinavicum, sive Gothicum Principem fuisse apud Prussos cultus divini auctorem. Quanquam autem quidam in eâ sunt opinione, quod Waidevvutus fuerit Alanorum sive Lithvanorum Dux; concedunt tamen iidem, Waidevvutum, cum esset in Prussorum Regem electus, accersivisse Sacerdotes è Sudinia; (intelligunt per Sudinos Sambitas hodiernos, licet minùs rectè, cùm Sudini iis temporibus non in Sambia, sed propè Galindos habitarint, ut Dissertat. I. probatum dedimus) quam Sudiniam (ut hodiè appellatur) sive Sambiam jam ante Waidevvuti tempora tenuisse Gothos illi ipsi Scriptores largiuntur. Et sanè si cultum trium illorum Numinum in urbe Romove respiciamus, magnam ejus fuisse cum cultu Deorum apud Gothos convenientiam animadvertemus, adeò ut prorsus dubitari nequeat, quin Gothi in Prussia quondam habitantes ejus fuerint auctores. Verùm & ante fuisse, aliquem saltem, Deorum in Prussia cultum, quam Gothi Prussiam intrarunt, perquam verisimile est. Cum verò ille apud plurimas gentes primis à diluvio temporibus, fuerit simplicissimus, nulla, quantum quidem suspicor, simulacra Diis illo tempore erant posita; sed Deus colebatur *in igne*, eòque perpetuò conservato. Non alio namque modò gentes Asiaticas plerasque, à quibus Europæi trahunt originem, Deum coluisse in confesso est. Additæ his dubio procul fuerunt *preces*, quibus Prussi desideria sua Diis exponebant. Accesserunt fortasse & oblationes, sed

simplices, & non nisi in herbis aliisque sponte nascentibus consistentes, ut ab ultima ferè antiquitate fuisse ab omnibus gentibus observatum, probat Porphyrius Philosophus *lib. 2. de Abstinentia §. 5. & seqq. Edit. Lucæ Holstenii.*

II. Cum Gothi Prussiam ingressi tres illos Deos, Percunum, Picollum & Potrimpum fabricassent, quædam sacra omnibus illis Diis communia, quædam singulis peculiaria esse voluerunt. Ad cultum Deorum generatim consideratum referimus illud, quod ad sacra Prussorum Christiani non fuerint admissi, ut ea spectare possent. Et si aliquando contigisset, ut Christianus, vel alius aliquis extraneus, sacra illa conspiceret, non nisi sangvine illud expiari poterat, etiamsi ille effugisset. *Vid.* Caspar Schuz. *lib. 1. Chron. Pruss. fol. 3.* Testis ejus rei est & Helmoldus Sec. XII. Scriptor. *Usque hodie profectò*, inquiens, *inter illos cum cætera omnia communia sint cum nostris, solus prohibetur accessus lucorum & fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu.* Hæc Helmoldus *lib. 1. Chron. Slav. c. 1.* Sed neq; Prussis omnibus liber semper dabatur ad Deos accessus. Qui enim facinus aliquod patraverant, arcebantur ab illis locis, ubi Dii colebantur, ut auctor est Hennebergerus ex Grunovii *Tract. 3. cap. 3.* Similiter si quis ob maleficia patrata capite plectendus erat, procul à conspectu Deorum ex urbe Romove educebatur. Henneberger. *de Vet. Pruss. fol. 8. b.* In sacrarium Quercus Romoveanæ nemini Prussorum intrare fas erat, præter ipsorum Pontificem Crive & primarios Flamines, sive ut Prussorum verba utar, Waidolottas. Circa hanc Quercum fuerunt, ut dicitur, peripetasmata seu vela serica octo (secundum alios septem) ulnarum, in altitudinem extensa, quæ non removebantur per Waidelottas, nisi in celebrioribus sacris, vel etiam, si aliquis Prussorum extra ordinem Deos adorandi, iisdemque offerendi gratia, accesserat. *Vid.* Matthias Strykovvski Ossostevicius *in Sarmatia Europæa.* Inter victimas Diis his offerri solitas legimus etiam homines fuisse. Quamvis verò omnibus illis Diis humanæ offerrentur victimæ, maximè tamen his Picollo & Potrimpo litatum fuisse, notat Hennebergerus *de Vet. Pruss. fol. 11. b.* Videlicet, quando summus Pontifex vel alius quispiam se pro populo Diis Patriis devovebat, tum hoc in honorem omnium trium Deorum fieri consveviſse puto, quâ ratione Waidevvutus & Prutenus semet-

semetipsos Diis obtulisse feruntur: Quodsi ex hostibus capti Diis essent immolandi, probabile est, illos in honorem Picolli & Potrimpi tantum fuisse mactatos. Etenim Prussi veteres in bellum ituri hominem ex hostibus captum sequenti ritu mactare consveverant. Summus Pontifex, Crive dictus, hosti pectus primò transfodebat, tum si sangvis continuò torrentis instar prorumpebat, prosperè feliciterque Prussi sibi res eventuras arbitrabantur. Henneberg. *de Vet. Pruss. pag. 20. ex Grunovio.* Non procul hæc à veterum hostiis consultoriis abeunt, quibus divina voluntas per exta disquirebatur. Romanos jam prætereo. Apud Celtas olim id genus hostias in usu fuisse, auctor est Diodorus Siculus *lib. 5. Biblioth. c. 31.* Propiùs verò ad Prussicum hunc ritum accedunt, quæ de Cimbris veteribus, qui cum Gothis dubio procul eadem habuere sacra, refert Strabo *lib. 7. Geogr. fol. 294. Sequentibus eos*, inquit, *in bellum uxoribus Vates quædam comitabantur canæ albo vestitu, carbasinis supparis, desuper fibulis affixis, cinctu æreo, pedibus nudis: eæ per castra captivis occurrebant strictis gladiis prostratosq; ad craterem æneum adducebant, amphoras circiter. 20. capientem. Super eam pulpitum erat, quo conscenso vates sublimius singulis supra lebetem elevatis guttur incidebat. E sangvine in craterem fuso suam captabant quandam divinationem: reliquæ cadavera sic cæsorum scindebant, intestinisq; spectatis victoriam suis vaticinabantur.* Deindè solebant etiam Prussi Ducem hostium in bello captum, Diis suis immolare, quod contigisse legimus Gerhardo Rude Advocato sive Præfecto Sambiensi, teste Petro de Dusburg. *Part. 3. Chron. Pruss. cap. 333.* Sed verba ipsa Dusburgii dabimus, ut ritus hîc adhiberi solitos cognoscamus: *Fratrem etiam Gerhardum dictum Rude Advocatum Sambiensem indutum armis & depositum super dextrarium* (id est eqvum, quo antea in bello utebatur) *cremantes Diis suis pro victoria obtulerunt.* Nicolaus Jeroschinus Interpres Dusburgii, paulò dilucidiùs id ipsum proponit. Videlicet primò ipsum Prussi equo, cujus singuli pedes singulis palis erant alligati, imposuerunt, deindè lignis undiquaque congestis, adeò ut à circumstantibus conspici non posset amplius, more patrio combusserunt. Verba Jeroschini dedimus ad citatum caput Dusburgii. *Conf. Auctor Chronici Ordinis Teutonici fol. 110.* Quodsi plures erant captivi, sorte designabantur Diis immolandi. Expressa sunt eâ de re verba Dusburgii:

Post

Post hanc cædem, inquit, *Nattangi volentes victimam Diis offerre, miserunt sortem inter Teutonicos ibi captos, cediditq; duabus vicibus super quendam Nobilem & divitem dictum Hirshals, qui sic in angustia constitutus Henricum Monte* (Prutenus is fuit) *ut ad memoriam reduceret beneficia, quæ ipsi in civitate Megdeburg sæpiùs exhibuit, & eum ab hâc miseria liberaret. Quo audito Henricus* (id nominis adeptus erat in Baptismo, sed postea pristinam religionem resumpsit) *eidem compatiens ipsum duabus vicibus liberavit, sed dum tertio missa sors caderet iterum super eum, noluit redimi, sed sponte offerens se in bona confessione hostiam Deo, ligatus super equum suum, est crematus.* Hæc Dusburg. *Part. 3. Chronic. cap. 86.* Eâdem ratione Diis Prussicis immolati sunt, Heidenricus Eylinger, Wilhelmus de Coburg, & fortasse plures. Hauserunt hunc morem Prussi dubio procul à Gothis, apud quos idem obtinuisse, probat Schefferus *in Upsalia antiqua cap. 10. pag. 137. & 149. seqv.* Præterea solebant etiam Prussi Pagani Diis suis EQVOS ALBOS offerre, ut auctor est Hennebergerus *de Vet. Pruss. fol. 8. a. b.* Idcircò non licebat ulli Prussorum album eqvum ad usus domesticos alere, eodem Hennebergero teste. Exemplum ejus rei habet Petrus de Dusburg *Part. 3. Chronic. cap. 6.* dignum sanè, quod legatur. Restringit tamen hoc ipsum Dusburgius *Part. 3. cap. 5. in fin.* ubi hæc habentur: *Aliqui equos nigros, quidam albos, vel alterius coloris propter Deos suos non audebant aliqualiter equitare.* Ex quibus liquidò apparet, alios ab albis, à nigris alios, alios ab alterius coloris equis abstinuisse. Manubias in bello captas in quatuor partes fuisse divisas, quarum prima Diis, secunda summo Pontifici, tertia amicis & fœderatis, quarta ipsis Prussis, cederent, refert Hennebergerus. Sed Dusburgensis, cui, ut antiquiori fides est habenda: *Post victoriam*, inquit, *Diis suis victimam offerunt, & omnium eorum, quæ ratione victoriæ consecuti sunt, tertiam partem dicto Criwe præsentaverunt, qui combussit talia.* Tertiam proindè partem Prussi Diis immolabant, reliquas sibi reservantes. Addit posthæc Dusburgensis ritum in comburendis equis in bello captis observari solitum: *Nunc autem*, inquiens, *Lethovini & alii illarum partium infideles dictam victimam in aliquo loco sacro secundum eorum ritum comburunt, sed antequam equi comburantur, cursu fatigantur in tantum, quod vix possunt stare supra pedes suos.*

Sic

Sic ergò audivimus, homines Diis Prussicis fuisse partim mactatos, partim combustos. Cruore immolatorum Quercus illa in urbe Romove adeò fuit conspersa, ut horrorem aspicientibus incuteret. Terrorem augebant ipsi Dii, qui sæpiùs illô in loco tonitrua, pluvias variasque tempestates excitabant. Apparebant insuper hominibus sub specie serpentum, Draconum, ignis, aliarumque terrorem incutientium rerum. Schüz. *in Chron. Pruss. lib. 1. fol. 4. a.* In aliis item sylvis ejusmodi spectra spectantium se oculis ingerebant. Joannes Lasscius *in lib. de Diis Samogit. pag. 299.* Hoc verò & Gothis fuit in usu, ut arbores Diis dicatas cruore seu tabo immolatorum conspergerent, ut discimus ex Adami Bremensis *lib. de Situ Dan. cap. 94. (234.)* Uterque autem populus, videlicet & Gothi & Prussi, à Scythis hoc ipsum acceperunt, de quibus Lucanus *libr. 3. vers. 105.* dicit:

Omnis & humanis lustrata cruoribus arbor.

Super hæc ad cultum trium illorum Deorum generatim spectatum & hoc addendum est. Si quid populo Deorum nomine denunciandum erat, Waidelottæ Crive suum humeris sublatum supra struem lignorum collocabant. Eo in loco per aliquod tempus cum Diis collocutus, eorum jussa Waidelottis exponebat, ut hi vicissim populo circumstanti illa renunciarent. Simon Grunovius *Tract. 3. cap. 1.* & ex eo Hennebergerus *de Vet. Pruss. pag. 13. b.* Ad extremum, non licuit Prussis tribus hisce Diis extra urbem Romove sacrificia offerre, ut auctor est Henneberg. ex Grunovii *Tract. 3. cap. 3.*

III. Quod ad specialem singulorum Deorum cultum attinet, primò consideraturi sumus ordinaria Deorum insignia, & sub hæc alium cultum ipsis delatum. PERCUNO perpetuus alebatur ignis, quernis lignis subindè appositis, ne unquam extingveretur. Si contigisset Sacerdotum negligentiâ ignem extingvi, Waidelotta, cujus eo tempore officium erat ignis curam gerere, capitali supplicio afficiebatur, testibus Strykovio, Hennebergero & Waisselio. Erat hoc ipsum apud Lithvanos etiam in usu, qui itidem in Kierni Principis quondam sui honorem in edito colle ad Dzievvaltoviam, inter alia sacra perpetuum ignem quercu alebant, per certos, & ad hoc tantùm negotium electos Sacerdotes, *Vid.* Alb. Wijuk Kojalowicz.

Part. 1. Histor. Lithuan. lib. 2. pag. 45. Apud Gothos, quantum colligere licet, ignis perpetuus non alebatur in honorem unius alicujus Dei, sed Deorum omnium simul. Schæffer. *in Upsal. cap. 10. pag. 133. seqv.* Cœlo tonante putabant Prussi Crive sive Pontificem suum cum Deo Percuno loqui, quamobrem in terram provoluti, Percunum his verbis venerabantur: *Devus Percunos absolomus.* Hinc precabantur pluvias & serenam tempestatem ut sibi justo tempore largiretur. Henneberger. *de Vet. Pruss. pag. 11. a.* Johannes Lasscius Polonus aliam adhuc formulam precationis in medium adducit, quam Lithvanis, qui Prussis contermini, usitatam fuisse refert. Cœlo namque tonante rusticus detecto capite succidiam humeris per fundum suum portans, hisce Percunum alloquebatur verbis: *Percune Dowaite, nie muski und mana, diewu melsu tawi palti miessu.* id est: Cohibe te Percune, neve in meum agrum calamitatem immitte: ego verò tibi hanc succidiam dabo. Verum nimbo remittente, carnem domum referebat, & cum suis absumebat. *Vid.* Lassic. *in libello de Diis Samogitarum pag. 300.* PICOLLO secundo Prussorum Deo consecratum erat mortui hominis caput, ut habet Matthias Strykovius *in Sarmatia Europæa.* Hennebergerus dicit, potuisse etiam Picollo servari caput mortuæ pecudis. Huc fortasse referenda est Gothorum consvetudo, qui in honorem Othini sui, quem nos Veterum Prussorum Picollum fuisse supra probatum dedimus, ex craniis occisorum à se hominum potare solebant, ut ex variis Scriptoribus id probat Johannes Schæfferus *in Upsalia cap. 10. pag. 152.* Diebus festis, maximè majoribus, Picollo sebum cremabatur in olla. In ædibus *supanorum*, id est Nobilium & Magnatum homine mortuo apparebat Picollus: qui, nisi sacrificiis placaretur, mirè homines miseros divexabat. Si neque hoc curabant, tertiumque Deus reverteretur, non nisi sangvine crimen expiari poterat. Tum verò Waidelottam exorare solebant, qui vulnus in brachio fecespitâ sibi infligens, Numen sangvine suo placaret. Signum placati Dei erat sonus in Sacrario editus. Henneberger. *de Vet. Pruss fol. 10.* Waisselius *in Chron. Pruss.* POTRIMPO serpens in cultum perpetuum ollæ impositus conservabatur, & lacte, ut commodius viveret, alebatur. Olla ipsa manipulis frumenti semper

per tecta erat. Hennebergerus *ad Tabulam Prussicam pag. 465.* Si Potrimpo cultus divinus exhibendus erat, Waidelotta tribus diebus antè jejunans, non nisi in nuda terra prostratus jacebat, ut dignè se præpararet ad sacrificium offerendum. Henneberg. *de Vet. Pruss. fol. 11. b.* Suffitus Potrimpo fiebat ex thure & cerâ. Infantes etiam in honorem ejus immolabantur. Henneb. *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 465. fin.*

IV. Inter Deos minores primo loco collocavimus CURCHUM cibi potûsque Deum, qui propè oppidum Ducalis Prussiæ Heilgenbeil dictum colebatur. Huic singulis annis novum ponebatur simulacrum contracto priore, ut palam fit ex Privilegio à Jacobo Legato Pontificis Romani Ann. 1249. Prussis concesso, cujus verba jam supra dedimus. Deindè Curcho perpetuus etiam servabatur ignis. Suspicari itaque licet, cum Quercus Romove à Polonis esset combusta, urbsque ipsa Romoveana funditus deleta, Curcho maximum fuisse delatum honorem, ut & antea indicavimus. Inter sacrificia Curcho oblata fuerunt frugum & piscium primitiæ. Illas offerebant collectis jam frugibus, uti ex modo citato Privilegio liquido constat. Quamvis verò Curchus juxta oppidum dictum præcipuè fuerit cultus, aliis tamen etiam in locis eidem sacrificia offerebantur (secus atque majoribus illis Diis fieri solebat, ut supra in fin. num. II. diximus) ubicunque ad lacum ingens lapis reperiebatur. Ejusmodi lapidem inter Frauenburgum & Tolkemitam ad lacum recentem adhuc suo tempore extitisse testatur Henneberger-rus, qui etiam notat, lapidem illum vulgò sacrum lapidem fuisse vocatum. In ejus generis lapidibus solebant Piscatores piscium primitias in honorem dicti Dei comburere. Non absimilis fuerat in piscibus offerendis & PERDOITI Dei Nautarum Piscatorumque cultus, ut eum Waisselius delineat. Nisi dicere malis, Hennebergerum oblationem piscium, quæ Perdoyto fieri solebat, Curcho perperam adscripsisse. Verisimile namque est, Curcho non nisi in quercu Heiligenbeilensi, ut non infimo Deorum, cultum divinum fuisse exhibitum; quæ autem extrà hanc fiebant urbem aliis esse Diis tribuenda. Sed quid de Perdoyto senserint Prussi videamus. Credebant videlicet ingentis magni-

tudinis Angelum sive Deum in mari consistere, & quo se ille verteret, eo quoque ventos converti. Quodsi Deus ille adiram concitaretur, credebant miseri homines ipsum flatu suo pisces abigere imò enecare. Fuit hæc dubio procul aliarum quoque gentium opinio, cum neque ex recentioribus desint, qui Angelos ventorum Æolos esse statuant, inducti nonnullis S.S. Literarum malè intellectis testimoniis, ut Psalm. XVII. Apoc. VII. &c. *Vid.* Libertus Fromondus *libr. 4. Meteorologicorum cap. 1. artic. 3. pag. 178. seqv.* Sed ad rem. Cum igitur huic Deo sacrificium, Prussici Piscatores, exituri piscatum, offerre volebant, in horreum aliquod convenientes magnam piscium vim coctam in tabulis exponebant. Sub hæc ad pateras suas sive ad pocula dilapsi strenuè potabant, idolothytorumque reliquias comedebant. Ad extremum Sigonota consurgens ventos dividebat, indicabatque, quo die, quo loco sperari posset dives piscium captura. *Vid.* Waissel. *in Chron. fol. 20. b.* De Cultu VURSKAITI & ISCHWAMBRATI nihil certi constat, cum Scriptores nostri nihil de eo habeant, quod haut levi argumento esse posset Grunovium hæc numina confinxisse. Sed jam supra concedendum hic aliquid esse Grunovio diximus, proindè denuò hæc negare nolumus. PUSCÆTUM sacrorum Præsidem lucorum, qui sub Sambuco in terra habitare credebatur, non solum Prussi, sed etiam Samogitæ, Lithvani, Rutheni & Livones singulari coluere veneratione, ut auctor est Meletius *in Epistola ad Georgium Sabinum.* Litabant ei pane, cerevisiâ aliisque cibis sub Sambuco positis. In precibus suis eum precabantur, ut placatum sibi redderet Marcopolum Deum Supanorum, id est, Nobilium, ne graviore servitute à Dominis premerentur, item ut mitteret Barstuccas, qui in horrea ipsorum frumenta congererent congestumque servarent. BARSTUCCIS sive MARCOPETIS vesperi collocabant in horreo super mensam mappâ instratam, panem, caseum, butyrum & cerevisiam, invitantes eos ad epulum. Nec dubitabant de futuro fortunarum suarum augmento, si mane reperissent cibos illos absumptos; Quem verò cibum maximè reperiebant consumptum, eum in sequentibus consecrationibus cumulatiùs apponebant. Quodsi Dii illi cibum in mensa reliquerant

rant intactum, magna solicitudine angebantur, omnia improspera sibi eventura credentes Melet. *loc. cit.* Waissel. *fol. 20. 6.* Idololatricum hunc ritum adhuc superiore seculo fuisse superstitem, maximè in Sambia, & quod ego miror, propè Conitiam in Pomerellia, tradit Martinus Murinius *in Chron. Prussiæ cap. 5 pag. 7.* Quando Barstuccæ, sive etiam alii spiritus, qui dicebantur Coltky, alicubi habitare volebant, quâ ratione pronum in Patremfamilias animum declararint, verbis Meletii edisserere placet: *In domo*, ait ille, *congerunt noctu segmenta lignorum & mulctris lacte plenis imponunt varia animalium stercora. Quod ubi paterfamilias animadverterit, nec dissipaverit segmenta, nec stercora è mulctris ejecerit, sed de inquinato lacte cum familia sua comederit, tunc illi apparere & permanere dicuntur.* Præterea SERPENTUM illorum, qui sub fornace vel in angulo vaporarii fovebantur, cultus sic sese habebat: Certo anni tempore Waidelotta pretiunculis quibusdam idololatricis evocabat Serpentes ad mensam. Illi exeuntes ex latebris suis per candidum linteolum mensam conscendebant. Hic varia ipsis à Patrefamilias sunt apposita fercula, quorum singulis delibatis, eodem modò per dictum linteolum descendentes se tandem cavernis suis illatebrabant. A discessu serpentum Paterfamilias cum tota familia lætus ferculis prælibatis vescebatur, certo persvasus, illo anno cuncta sibi prospere eventura. Quodsi ad idololatricas Waidelottæ precatiunculas serpentes non prodibant, aut prodeuntes fercula sibi apposita non degustabant, magnam sibi homines illi agrisque suis calamitatem imminere credebant. Joannes Meletius *loco citato.* Illos autem SERPENTES, quos in cavis quercubus lacte nutritos jam anteà diximus, sequenti solebant modò colere mulieres. Conveniebant statо tempore illos adoraturæ, precabanturque, ut vires maritis suis suscipiendæ proli idoneas largirentur. Henneberg. *de Vet. Pruss. pag. 12. a.* Ad cultum LACUUM, quos Diis fuisse sacros à nobis dictum est, illud pertinet, quod in iis non licuerit piscari. Henneberg. *de Vet. Pruss. fol. 8. b. fin.* Idem de SYLVIS sive LUCIS Diis consecratis dicendum. Videlicet non licebat in iis arborem exscindere. Aves item feræque in sylvis illis inviolabiles censebantur, teste Matth. à Michovia *lib. 4.*

Chron. Polon. cap. 45. Verba ejus dedimus *Dissertat. IIX. num. 7.* Commune hoc habuerunt Prussi cum antiquis Romanis, de quibus Ovidius *lib. 3. Amor. Eleg. 1*

Stat vetus & multos incædua Sylva per annos
Credibile est illi Numen in esse loco.

Idem apud Gallos quondam fuisse observatum, auctor est Sulpitius Severus *in Vita S. Martini.* Prussi verò & Lithvani hoc ipsum accepisse videntur à Gothis. Nam & in Sveonia illud ipsum observatum esse & adhuc à quibusdam observari, probat Joannes Loccenius *lib. 1. Antiqv. Sveo-Goth. cap. 3.* ubi quoque memorabile nobis ea de re exemplum exhibet: *Diabolus*, inquiens, *adhuc quosdam in hâc re non intentatos relinquit: ut aliquid religionis ei rei inesse simplici vulgò persvadeat. Ante septennium enim in Sudermanniæ Paræcia Osterhanningensi propè prædium Wendelsöö, qvum famulus dictum prædium possidentis, juniperum in plano, amœno & rotundo loco, diversis arboribus cincto exstantem, pulcrosq; ramos latè diffundentem ad usus domesticos cædere conatus esset, vox audita est: Noli cædere juniperum. Ille comministrum ita joco clamare ratus, circumspectans, neminem tamen vidit. Mox redit ad succidendam eandem juniperum. Sublatâ securi minatus ictum, iterum audit priorem vocem. Edico tibi ne cædas juniperum. His verbis territus ab eâ cædenda supersedit, & alia juniperi virgulta circumstantia sine interpellatione cecidit.* Hoc Pastor loci Dominus Andreas Arvidi scripsit ad Collegium Antiquitatum. Hæc Loccenius *loc. cit. pag. 15. seqv. Edit. Anni 1676.* De cultu ALCIS item BUFONUM aliarumque rerum creatarum nihil certi constat. De cætero quomodò OCCOPIRNUS, PERGUBRIUS, SCHWAIXTIXTUS, aliique Dii, quos Dissertatione VI. num. V. recensuimus, fuerint culti, ex Dissertatione proximè sequenti cognoscere licebit.

V. Progrederemur jam ad festos Prussorum dies, nisi quædam adhuc essent addenda, de cultu Deorum in furtis detegendis adhibito. Videlicet cum alicui furto res aliqua erat ablata, arcessere continuò solebat Sigonottam sive Sortilegum (qui plerumque pauper, cœcus vel claudus erat. Interrogatus autem cur adeò

adeò pauper esset, respondebat, Deorum hanc esse voluntatem) Hic primùm invocabat Deum cœli Occopirnum, & Deum terræ Fuschkaitum, precabaturque ipsos ne furem aufugere paterentur. Tum acceptis duabus patinis, imponebat ille, cui aliquid furto ablatum erat, patinæ uni duos nummos, alteram pro se, alterum pro fure, fundebatque desuper cerevisiam. Posthæc Sigonota cretâ quidpiam depingens in patinâ, illam concutiebat. In quâ tunc patinæ parte nummus furis reperiebatur, in eam mundi plagam contulisse se fur existimabatur. His finitis in alteram patinam in terra collocatam Sigonotta cerevisiam infundebat, & in cœlum suspiciens hæc pronunciabat verba: *Benigne Deus cœli & terræ & stellarum per tuam potentiam jube tuos servos ne honor tuus tibi, eripiatur ne fur qui hanc rem* (nominabat eam) *abstulit, quiescat, donec reversus, rem quam furto abstulit, reddiderit.* Tum attollebat patinam inquisiturus, utrum bulla aliqua in cerevisia reperiretur. Si hanc conspiciebat, persvadebat sibi, se voti sui compotem esse factum. Nullâ verò bullâ repertâ, cerevisiam exhauriebat infundebatque recentem, idque eousque iterabat, donec aliquod signum precum non frustrà fusarum animadverteret. Hæc Waidelius. Chronicon Dietmari addit insuper, Sigonottam conspecto dicto signo, cæremonias suas illis verbis finiisse: *In nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Amen.* Et hoc suo adhuc tempore fuisse frequentatum cum à Germanis Prussiam inhabitantibus, tùm præcipuè à Prussis veteribus, idque non solùm in Sudinia, sed etiam aliis in locis, testatur Waisselius *in Chronic. Pruss. fol. 22.* Simile quid antiquitùs apud Romanos in usu fuisse deprehendo, apud quos furtum per lancem & licium perquiri & concipi solebat, de quo ritu optimè Petrus Pithœus

lib. 1. Adversariorum cap. 2.

Dis-

DISSERTATIO XI.

De

Festis Veterum Prussorum diebus.

(1.) *Annorum dierumque distinctio apud Veteres Prussos ferè nulla, ut antiquitùs apud Romanos, Saxones, Danos aliosque Germanos. Ratio computandi tempora per noctes. Computatio annorum per sementes & messes Gothis usitata.* (2.) *Festi dies in honorem Pergubrii & Curchi instituti, Pergubria, die 22. Martii celebrata. Pocula Prussorum. Precatiunculæ ad Pergubrium directæ. Qui Dii his in solennibus invocati.* (3.) *Festus dies, Zazinek dictus, ante messem celebratus. Convivia. Ritus messem inchoandi.* (4.) *Festus dies Ozinek dictus, messe finitâ celebratus. Sacrificia in eo oblata. Ziemiennik idem qui Pergubrius. Convivia.* (5.) *Curchus idem fortasse, qui Pergubrius.* (6.) *Consecratio capri. Superiori Seculo idololatræ in Sambia,* die Bockheiliger / *vocati.* (7.) *Ritus in consecrando capro adhibiti. Grunovii periculum.* (8.) *Consecratio Suis. Reliquiæ cultus idololatrici etiamnum in Prussia Lithvaniæ contermina reperiuntur.*

I. VBeriorem illis, quæ superiore Dissertatione de cultu Deorum apud veteres Prussos tradidimus, fœnerabimur lucem, si & Festos dies Prussorum perlustraverimus. Ante autem quam de ipsis Festis diebus agamus, lubet quædam de ratione temporis præmittere. Primùm constat, rudibus illis gentibus ignotam fuisse temporum distinctionem in hebdomadas, menses, annos &c. quod Dusburgensis noster *Part. 3. Chron. cap. 5. in fine*, docet his verbis: *Distinctionem dierum non habuerunt, aut distinctionem noctium*

noctium. *Undè contingit, quando inter se vel ipsi cum alienis aliquod placitum & parlamentum volunt servare, datur certus numerus dierum, quo facto, quilibet eorum prima die facit unum signum in aliquo ligno & nodum in corrigia aut zona. Secunda die addit iterum secundum signum & sic de singulis, quousq; perveniat ad illum diem, quo tractatus hujus modus est habendus.* Simpliciſſimam hanc temporum obſervationem antiquiſſimis temporibus & apud Romanos fuiſſe in uſu, diſcimus ex illo ritu, quo ſingulis annis Dictator clavum, annorum indicem, Capitolio infigebat de quo Livius *lib. 7. Hiſt. Rom. cap. 3.* Sed & Veteres Germanos, nominatim Saxones, ſimile quid obſervaſſe, tradit Richardus Vorſtega in Antiquitatibus Anglicis, ubi ex verſione Olai Wormii: *Solebant*, inquit, *Saxones baculo pedali circiter, quandoque majori, quandoque minori curſum lunæ totius anni incidere &c.* Deindè Veteres Germanos ſpacia temporum non per dies, ſed per noctes computaſſe, tradit Tacitus *libr. de Moribus German.* Idem de Germanis habet & Julius Cæſar *lib. 6. de Bello Gallico*, cujus verba hic legi merentur: *Spacia*, inquit, *omnis temporis non numero dierum, ſed noctium definiunt; & dies natales & menſium & annorum initia ſic obſervant, ut noctem dies ſubſequatur.* Idem obſervaſſe & Danos confirmat Johannes Loccenius *lib. 1. Antiqu. Sveo-Goth. cap. 4. ex cap. 50. & 53. Legum Indicarum.* Quoniam igitur & quosdam Pruſſorum Veterum, qui in Sambia aliisque Pruſſiæ partibus Septentrionalibus habitarunt, à Germanis & ſpeciatim à Gothis originem traxiſſe dudum probavimus, idem de ipſis etiam aſſerendum eſſe videtur. Poſtremò de diſtinctione temporum generatim conſiderata notandum etiam eſt, Gothos annum per ſementes aut meſſes, per hiemem aut æſtatem computaſſe, quod itidem de Pruſſis veteribus, illis minimum, qui originis erant Gothicæ, fortaſſe dicendum erit.

II. Maximæ veterum Pruſſorum Solennitates in honorem PERGUBRII, qui Deus germinum atque frugum omnium habebatur, & CURCHI, qui cibo potuique præerat, agebantur. Primus Pruſſorum feſtus dies d. 22. Martii celebrabatur, in quo Pergubrio ſacrificium offerri ſolebat. Feriæ ipſæ appellabantur PERGUBRI. Ad has ritè celebrandas ruſtici conve-

niebant in aliqua domo, ubi illos cereviſiæ, aut etiam alterius generis potûs (cereviſiæ namque coquendæ rationem à Cruciferis demum didicerunt) dolium unum atque alterum expectabat. Hic Sacrificulus ceremonias ſuas exorſus, obbam ſive pateram dextrâ apprehendens cereviſiâ implevit, invocansque ſubindè Pergubrii nomen, laudes illius decantabat. Initium earum precum dat nobis Martinus Murinius: *O weſzpocie Dewe muſu Pergubrios* &c. id eſt, *O Domine Deus noſter Pergubrios.* (Obiter hic notari poteſt, formulam hanc non tam Pruſſicam, quam Lithvanicam eſſe.) In ſequentibus eum Johannes Meletius *in Epiſtola citata non longè à principio*, hæc verba pronunciaſſe refert: *Tu abigis hyemem, tu reducis amœnitatem veris: per te agri & horti virent: per te nemora & ſylvæ frondent.* (ex quibus munia Pergubrii cognoſcere licet) Preculis his finitis, dentibus apprehendens pateram Sacrificulus ſive Wurskaitus, cereviſiam ebibebant nullo manuum adjumento adhibito, & hoc facto pateram evacuatam, retro ſupra caput jaciebat. Hæc cum è terra ſublata, iterumque eſſet impleta, precabatur Sacrificulus Percunum Deum tonitruum, ut pluviam juſto tempore largiretur, Picollumque cum aliis Diis nocentibus, ipſi ſubjectis, abigeret; precibus finitis eodem modò cereviſiâ exhauſtâ pateram retro rejiciebat. Poſthæc Vurskaitus Schvvayxtixtum Deum invocabat, ut juſto tempore gramina, pecora, hominesque lumine ſuo colluſtraret foveretque. Quarto Pilvitum Deum orabat, ut largiretur gramina, & meſſem uberem. Sub hæc alios etiam Deos ordinè nominabat, ita ut in ſingulorum honorem pateram cereviſiæ ſine manuum adjumento, ut ſupra diximus, exhauriret. His ita peractis omnes Pruſſi, quotquot aderant, bibebant ordine ex pateris canebantque hymnum in Pergubrii laudem. Reliqvum diei conviviis, compotationibus, choreisque impendebant, ut Thomas Waiſſelius refert. Johannes autem Meletius cultûs aliorum Deorum, præter Pergubrii, in hoc ſacro non meminit. Ex quo colligere in proclivi eſt, non eosdem ritus apud diverſas Pruſſorum gentes fuiſſe obſervatos. Quin etiam illud indè patet, apud Lithvanos eandem ſolennitatem pergubrii fuiſſe celebratam. Etenim precatio illa, quam commemorat Martinius Murinius:

rinius : *O weſzpocie Dewe muſu Pergubrios*, non eſt Prusſica, ſed Lithvanica, quam Pruſſus eo modò redderet : *O reykis Deiwas nuſon Pergubrios &c.*

III. Secundum ſolenne ſacrum celebrabant Pruſſi pagani menſe Auguſto, cum jam meſſis avidas colonorum manus exſpectaret. Congregabantur tunc Ruſtici in agris ad ſacrum, quod lingva Ruthenica dicebatur *Zazinek*, id eſt, initium meſſis. Congregatos ruſticos, ſi dives ipſis obtigerat meſſis, adhortabatur Sacrificulus ad gratiarum actionem, quo & impoſterum Deorum beneficio æquè uberem conſequerentur meſſem. Finiebatur hoc ſacrum exhauſtâ paterâ cereviſiæ. Quod ſi fruges uredine, pluviis continuis, aut alio aliquo modô corruptæ modicam gracilemque meſſem dederant, invocabat Sacrificulus Auſchvveitum, ut oraret Pergubrium, Percunum, Schvvaixtixtum, Pelvitum aliosque Deos, ne ſubſequentibus ſaltem annis largam agricolis denegarent meſſem. Interea temporis ruſtici peccata ſua, quibus Deos ad iram & vindictam exercendam provocaverant, deplorabant atque deteſtabantur, emendationem vitæ promittentes. Sub hæc ſinguli pro facultatibus ſuis conferebant frumentum & cereviſiam : Fœminæ panem afferebant ex primitiis frugum coctum. Exigebatur quoque mulcta ab iis, qui facinus aliquod admiſerant, quo aut Dii aut homines læſi credebantur. Pecunia illa in commune collata ad convivium inſtruendum impendebatur, quod eo usque durabat, donec cereviſia, jam exhauſta ruſticis abitum imperaret. Thomas Waiſſelius *in Chronic. fol. 20.* Epulis finitis unus aliquis ex convivis, cui id negotii à cæteris datum erat, meſſem auſpicabatur ſolenni ritu manipulumque demeſſum ſecum domum deferebat. Poſtridiè primò domeſtici ejus, qui meſſis initium fecerat, dein cæteri omnes quibuscunque placebat, meſſem faciebant. *Vid.* Johannes Meletius *in Epiſt. de Reliqv. Boruſſ.*

IV. Finita meſſe frugibusque jam collectis ſub finem menſis Octobris itidem ſolenne ſacrum agebatur, quod Ruthenicâ lingva *Ozinek*, id eſt, conſummatio meſſis (Polonis adhuc *żać*, unde zazinek & ozinek deducuntur, idem eſt quod *metere*) vocabatur. Videlicet ruſtici ex uno pago, aliquando etiam plu-

pluribus, coacti, mensæ primò fœnum, deindè panem & in utraque mensæ ora binas pateras cerevisiâ plenas reponebant. Post hæc Wurskaites sive Waidelotta quædam utriusque sexus animalia adducta, nempè porcum & porcam, gallum & gallinam, anseres & vitulos binos diversi sexus (addit Murinius ovem & arietem, caprum & capram) sequenti ritu mactabat. Idololatricis quibusdam precatiunculis dictis, animalis, quod offerendum erat, caput & cætera membra fuste feriebat. Sequebatur eum reliqua rusticorum turba, ictus pecudi ingeminans, & sequentia verba proferens: *Hæc tibi o ziemenik Deus* (hoc dubio procul Pergubrio nomen erat Lingvâ Lithvanicâ, vel etiam, quod verisimilius Lingvâ Ruthenicâ utentibus) *gratias agentes offerimus, quod nos hoc anno conservasti incolumes, & omnia nobis abunde dedisti: idem ut & imposterum facias, precamur.* Peracto sacrificio, antequam ad epulas digrederentur, singuli ex rusticis congregatis (ut vult Matthias Strykovius in Sarmatia Europæa) vel Sacerdos sive Waidelotta (ut asserit Murinius) ferculi portiunculam abciflam in omnes ædium angulos jactabant, hæc verba proferentes: *Accipe o ziemiennik grato animo sacrificium, atque lætus comede.* (Et hæc erant ablegmina sive prosiciæ, quæ neque Romanis quondam ignotæ.) Tum demum Prussi ipsi lautè epulabantur. Hæc sacrificia suâ adhuc memoriâ in nonnullis Lithvaniæ atque Prussiæ oris fuisse frequentata, testatur Joannes Lasicius Polonus *loco citat. pag. 306.* Murinius, vel ille potiùs, cujus Chronicon Murinius ex Germanica in Polonicam convertit lingvam, addit super ea, suo tempore hoc Curlandis & Livonibus in usu fuisse, Sambitis etiam in Prussia, nec non plurimis Insterburgensis & Ragnitensis districtuum hominibus. *Vid.* Martin. Murin. *in Chron. Pruss. cap. 5. pag. 8.* Consvetudinem in honorem Deorum bibendi, quæ & Prussis erat familiaris, Gothicam fuisse susè probat Joannes Loccenius *lib. 11. Antiqv. cap. 21.* Conf. & Johannes Schæfferus *in Upsal. cap. 10. pag. 143.* Pateras autem apud antiquos Gothos, ut supra & de Prussis diximus, fuisse adhibitas nonnulli concludunt ex eo, quod Paulus Diaconus de Longobardis, quos itidem ut Gothos ex Scanzia oriundos esse volunt, hoc ipsum asserit: *Quod genus poculi*, ait Paulus Diaconus,

nus, *apud eos Schala dicitur, lingvâ veteri latinâ patera vocitatur. lib. de gestis Longobard. cap. 27.* Sanè qui res Prussicas literis consignavere, id genus poculi Prussici in libationibus adhibiti eine Schaale vocant. Verò proindè non est absimile, Gothos ejus generis pocula in Prussiam invexisse.

V. Verùm hic nobis opponi posset illud, quod jam ante ex Privilegio Prussis veteribus à Jacobo Legato Pontificis concesso produximus. Videlicet dicitur ibidem, finitâ messe sacrum quoddam fuisse à Prussis celebratum in honorem CURCHI Dei. Quæ in eo celebrando fuerint adhibitæ ceremoniæ, vel quæ sacrificia Deo fuerint oblata, in dicto quidem Privilegio non exprimitur, illud tamen disertis verbis asseritur, Curcho Deo singulis annis statuam novam, confractâ vetustiori, fuisse positam. Si quid conjecturis dandum, dici posset, non fuisse has ferias in Curchi honorem institutas, à prioribus, quæ ozinek dicebantur, diversas. Quin & hoc non absurdum esse videtur, si quis statuat, in his feriis Curchi, sacrificium capri, de quo numero proximè sequente sumus acturi, fuisse Curcho oblatum. Ut hæc statui posse existimemus non una est causa. Quod enim ad prius illud membrum attinet, Curcho & Pergubrios Dii non videntur fuisse diversi, ut ex iis primò rebus, quibus præerant, non obscurè colligitur. Pergubrius quippè frugibus, Curcho cibo potuique præfectus fuisse dicebatur. Deindè eodem tempore dictæ feriæ celebrabantur, quod indicio esse potest, in unius Dei honorem illas fuisse institutas. Illud tantùm discriminis fortasse intererit, quod Deus ille à Lithvanis, Ruthenis, Livonibus & Prussis illis, qui Lithvanorum sunt vicini, appellatus est Pergubrios: à reliquis verò Prussis Curcho. Accedit, quod Meletius, qui fusè de feriis Pergubrii agit, nullam mentionem Curchi facit, quod certè aliam ob causam factum esse non videtur, quam quod Pergubrios idem Johanni Meletio, qui Curchus. Neque turbabit quempiam, quod supra Curchum inter Deos medii, Pergubrium verò inter Deos ultimi ordinis retulimus. Illa namque distinctio Deorum in tres ordines non nisi eo tempore, quo Gothi Prussiam tenuere, obtinuit, & paulo post ea tempora. Diis verò majoribus à Regibus Poloniæ combustis, discrimen illud sub-

latum esse videtur, adeò ut tempore Ordinis Teutonici unus tantum Deorum fuerit ordo, quemadmodum ex Meletio liquido constat. *Vid. quæ super hâc materiâ disseruimus in Dissertat. de Diis Prussorum secundi & tertii Ordinis.* Posterius illud, quod de sacrificio capri diximus, probatu non est difficile. Etenim caper immolabatur finita messe, eodem videlicet tempore, quo & Feriæ in Pergubrii sive Curchi honorem institutæ agebantur. Deindè disertis etiam verbis superiore num. dictum est, in honorem Pergubrii caprum fuisse immolatum, quod iis dubio procul ceremoniis factum est, prout mox eas explicabimus. Adde, quod Thomas Waisselius *in Chronico suo* hoc, quod intendimus, satis manifestè indicat. Cum enim duo priora Sacra, videlicet quod in Martio, & quod ante messem celebratur, enumerasset, pro eo, quod de Sacro Pergubrii tertio, finita messe celebrari solito, debuerat agere, proximè subjicit ceremonias, quas in immolando capro adhibebant Prussi; quo ipso indicat, in Sacro Pergubrii celeberrimum illud Prussorum Sacrificium fuisse oblatum.

VI. Sacrificium illud, quo CAPER, vel, ut alii habent, HIRCUS (quæ voces & Virgilio unum idemque notant, qui *lib. 2. Georg.* mox caprum, mox hircum oblatum fuisse Baccho refert. *Vid. vers. 380. & vers. 395.*) consecrabatur immolabaturque finita messe diutissimè inter Prussos duravit. Superiore namque adhuc seculo plurimi de eo conqueruntur, quod Prussi, præcipuè Sambiam incolentes, illud sacrum, prohibente licet durissimasque pœnas idololatris intentante Magistratu, per Waidelottas suos ad id muneris delectos peragant. Georgius à Polenz & Paulus Speratus Episcopi Prutenici in Præfatione Agendæ Ecclesiasticæ Anno 1530. conscriptæ: *In hoc*, inquiunt, *angulo Prutenico, quamlibet exiguo* (de Sambia loqvuntur) *rudiores adhuc plerosque non parum multos tum Pastores, tum oviculas habemus, Germanos, Brutenos, Ruthenos, Polonos, Masovitas, Lithvanos, atque Livonios, qui veluti alteri aborigenes in hoc Latio sedes sibi jam olim posuerunt: Referemus etiam rem miram. Est adhuc in Bruthenis nostris Sambiensibus Sudorum quidam manipulus (ut reliquam abominationem superstitionum, reliquias gentilitatis taceamus) Hirco etiamnum furtim nonnunquam faciens, ac instar olim Samaritanorum,*

Ad Dissertationem XI. num. VI.



gemein-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliothecam partim nonnunquam faciens, ac instar olim Samaritano-

rum, una cum vero Deo vana prisci erroris numina tremens. *Vid.* D. Cœlestinus Mislenta *in Præfation. ad Manuale Prutenicum Lit. A. 6. b.* Georgius Sabinus, primus Academiæ Regiomontanæ Rector, *lib. 5. Eleg 5.* hunc in modum de Alberto Duce canit:

Utq; bonis studiis, ita moribus excolit urbes
Imbuit ac vera Relligione DEI.
Namq; ferox hominum genus est & agreste sub Arcto
Notitiam nondum quod pietatis habet.
Cæruleos instar sed adorat Numinis angues
Mactatoque litat sacra nefanda CAPRO.

Valentinus Serekius *in Carmine Gratulatorio, quod scripsit in Ducis Alberti Senioris felicem è castris Anno 1563. reditum,* sic eadem de re scribit:

Impia relligio, vanis agitata sub aris
Cessit, & hoc cepit sub Duce pulsa fugam.
Nam populus quondam qui Numina vana colebat
Auxilii quibus & nil rationis erat
Pars Satyros Faunosq; leves venerata: litabat
Fumida supposítis ignibus exta CAPRI.

Johannes Funccius in Commentario ad Chronologiam suam, *lib. 10.* ad Annum CHRISTI 1217. *Populus,* inquit, *agrestis & Dæmoniorum cultui deditus in ea terra habitabat. Quod reliquiæ in hodiernum diem testantur, Religio summa cum Mosis institutione de sacrando & immolando HIRCO in Festo propitiationis in multis conveniebat. Quem sacrificandi hirci morem Sudavii — — ad hunc diem (licet manifestè non ausint prohibente eorum nefas pio Principe Alberto) observare dicuntur.* Centum ab hinc annis Anno videlicet 1577. edidit Albertus Fridericus secundus Dux Borussiæ Statuta Provincialia die Lands-Ordnung dicta, in quibus *fol. 3. b.* extat caput von Zauberey und Bockheiligung. ubi verba Statuti sic sese habent: Nach dem Zauberey in unserm Lande gemein-

gemein / und auch die Bockheiligung bey den Sudawen (intelligitur hic extrema pars Sambiæ ad mare Balticum) noch in Ubung seyn mag / wollen wir allen unsern Ambtleuten / auch von Adel / den Räthen und Elterleuten in Städten und Dörffern befohlen haben / fleißig darauf zu sehen / und wo iemands befunden / es sey Mann oder Weib / so Zauberey treibt oder dem Bockheiligen und dergleichen Dingen anhängig ist / soll es uns angezeiget werden. etc. Recusa sunt eadem Statuta Anno 1640. ubi caput idem de consecratione hirci reperitur. Ob eandem quoque causam Sambienses dicebantur die Bockheiliger / id est hircorum cultores, ut testatur Jodocus Willichius, cujus verba Dissertatione II. num. 7. dedimus.

VII. Ceremonias in hoc sacro peragendo observari solitas fusè prosequitur Simon Grunovius, qui circa Ann. 1520. Chronicon Prussiæ scripsit. Has vero ceremonias non ex alterius relatione habet, sed oculis suis eas vidisse se testatur. Refert enim aliquando fortè fortuna intrasse se domum quandam rusticam, in qua multi clam, cum palàm non liceret, congregati fuerant agricolæ. Hi simulac Grunovium conspiciunt, certatim ipsum adoriuntur omnes; mortem ipsi præsentissimam minantes. Grunovius in tanto se periculo constitutum cernens, fu-entes rusticos Prussicâ alloquitur lingvâ mortemque deprecatur. Rustici audita Prussicâ lingvâ præ gaudio exultare clamareque: *Sta nussen Rikie, nussen Rikis*, id est: Hic noster Dominus, noster Dominus. Posthæc jurejurando Grunovium obstringunt (quod in nomine Percuni præstare coactus est) ne unquam hoc ipsum Episcopo, in cujus diœcesi habitabant, indicaret. Ritus verò in sacrificando hirco sequentes observabantur: Conveniebant rustici ex duobus, tribus, aliquando etiam pluribus pagis in horreum quoddam, ibique ignem lignis in longitudinem dispositis construebant. Viri hircum adducebant ad locum sacrificio destinatum, fœminæ farinam triticeam (ex Meletii sententia siligineam) adferebant, eamque postea subigebant. Omnibus ita præparatis, Waidelotta, Grunovio teste, sublimi solio insidens, ad rusticos verba faciebat de ipsorum origine rebusque antiquitus gestis,

stis, item de præceptis Deorum, quid illi ab hominibus fieri velint. Posthæc Waidelotta hirco in medium introducto utrâque manu impositâ, indigitabat ordine Deos supra jam enumeratos, nimirum Occopirnum, Antrimpum aliosque. Tum singuli rustici conscientiam peccatis contra Deos commissis inquinatam publicâ confessione expiabant. Sub hæc omnes, quotquot in horreo præsentes aderant, (Martinus Murinius eorum quindecim numerat *cap. 5. pag. 8. seqq.*) hircum manibus sublatum, sublimem tantisper tenebant, dum hymnus decantaretur. Eo finito rursus demittebant hircum in terram. Tum sacrificulus hortabatur circumfusam multitudinem, ut solenne hoc sacrificium à majoribus piè institutum summâ cum reverentiâ in Deos, facerent, ejusque memoriam ad posteros religiosè propagarent. Concione illâ ad populum habitâ, caprum vel hircum ipse Waidelotta mactabat, sangvinemque patinâ exceptum dispergebat, teste Johanne Meletio. Verùm Grunovius vidisse se refert, Waidelottam capro caput præcidentem, rusticos autem adstantes sangvinem effluentem simpulis, sive vasibus in hunc finem eo allatis excipientes, pecorique suo bibendum postmodum præbentes. Waisselius addit, summâ curâ Prussos cavisse, ne sangvis in terram effluëret, eoque postea domum reversos omnia pecora sua fortunasque omnes conspersisse, quod verisimilius est, quam quod Grunovium audivimus asserentem. Mactati hirci carnem pelle nudatam rustici secabant in partes, tabulisque impositam, in furno assabant, ut auctor est Grunovius testis oculatus. Meletius autem, ut & Waisselius, dicunt carnes fuisse coctas. Sed utrumque in diversis Prussiæ locis, vel etiam in uno eodemque pago, præsertim postremis temporibus sub ordine Teutonico, fortasse obtinuit. Cum enim ex his epulum apparatum fuisse dicatur, non assas tantùm, sed elixas etiam carnes ipsos habuisse perquam est verisimile. Interea temporis dum carnes assabantur coquebanturque, rustici singuli coram Waidelotta, morem Christianorum imitantes, flexis poplitibus peccata sua confitebantur, quæ verberibus etiam à Waidelotta acceptis expiabant. Sed mox contra rustici simul omnes in Waidelottam irruentes, caput ipsius miserè vellicabant. Posthæc mulieres quoque docebantur, quo-

modo vitam suam instituere ipsas oporteret, si Deorum gratiam promereri vellent, teste Grunovio. His peractis viri ignem illum, quem in longitudinem lignis dispositis excitatum fuisse diximus, circumstabant (ut refert Meletius) vel circumsidebant (ut habet Waisselius;) mulieres autem è farina siliginea, ut ex Meletio jam audivimus, placentas sive liba conficiebant, quamvis Waisselius farinam illam triticeam fuisse asserat. Has placentas non imponebant mulieres in furnum: sed viri ignem dictum, circumstantes, vel circumsistentes hinc atque illinc per flammam eas jaciebant, & jactatas excipiebant, donec flammâ indurarentur coquerenturque. Postremo rustici ad epulas se conferentes potabant ex cornibus strenuè toto die & nocte. Summo mane, ut adhuc erant ebrii, extra villam progressi, reliquias ciborum certo in loco terrâ injectâ operiebant, ne ab avibus vel feris diriperentur. Omnibus his peractis, suam quisque domum repetebat. Legi de his possunt Grunovius, Meletius, Hennebergerus, Schuzius, Murinius, Waisselius, aliaque MSS. Chronica recentiora. Illum morem ex cornibus bibendi fuisse omnium olim septentrionalium gentium ex Plinio constat, qui consuli potest *lib. XI. Nat. Histor. cap. 37.* Dabitur & infra de re agendi locus.

IIX. Ad consecrationem hirci referimus etiam consecrationem SUIS, quam rustici in diœcesi Pobetensi in Samlandia An. 1531. instituerunt. Ibi enim in præsentia utriusque sexus hominum per sacrificulum certis ritibus ex medio sui ad id negotii delectum cum recitatione precum idololatricarum & invocatione Cacodæmonum sus mactabatur fausti ominis ergò cujus caro à sacrificantibus omnibus frustatim concisa & assa devorabatur, epulis usque in septimum diem protractis. Ossa verò Suis, ut & residuæ particulæ igne cremabantur extra domum, teste Hennebergero *de Vet. Pruss.* Conf. & D. Cœlestinus Mislenta *in Præfat. ad Manuale Pruten.* Tradit etiam Mislenta ante annos aliquot certo & stato tempore Rusticos sub noctem omnis generis edulia præparasse, primitias quoque certis preculis consecrasse. Ad quarum absumptionem cacodæmone invocato, conclave illud obseraſe, ut malus iste genius solus relinqueretur. Omnibus tunc

dome-

domesticis sub extremo vitæ discrimine in conclave illud eo tempore interdicebatur ingressus. Credebatur hoc pacto cacodæmon placari, ne noxam aliquam pecori vel frugibus inferret. Quamplurima alia in Districtu Insterburgensi & Tilsensi se observasse mihi retulit Vir Clarissimus Dn. M. Prætorius, quæ etiam dubio procul in Chronico Prussiæ, quod parat, nobiscum communicabit. Sed & nos in sequentibus Dissertationibus, ubi dabitur occasio, plurima de idololatricis id genus ritibus & ceremoniis dabimus. Hæc verò de festis Veterum Prussorum diebus sufficiant.

Dissertatio XII.

De

Nuptiis Veterum Prussorum.

(1.) *Venedi habuerunt conjugia non promiscua & vaga, sed certa. Idem de Gothis & Prussis, quos Ordo Teutonicus domuit, asseritur.* (2.) *Numerus uxorum apud Prussos.* (3.) *Gradus Consangvinitatis & affintatis an fuerint observati. Novercas licebat uxores ducere. Inter plures una uxor erat præcipua, inprimis si esset ex genere Gothico.* (4.) *Rapiebantur non ducebantur uxores. Emebantur à Parentibus. Servarum instar habebantur. Apud Scythas & Gothos uxores erant indotatæ.* (5.) *Pœna adulterii. Pœna uxori inobedienti irrogari solita. Tempus luctus defunctâ uxore. Vidua quomodo fieri potuerit Waidelotta. Expositio Liberorum.* (6.) *Ritus nuptiales.*

I. PRimos Prussiæ nostræ incolas VENEDOS antiquissimis etiam temporibus legitima habuisse connubia, non absurdè statuitur. Etsi enim Scythæ, quibus & Venedi sunt annumerandi, more multa-

rum gentium barbararum, puta Troglodytarum, Nasamonum, Agathyrsorum, Massagetarum, vagâ ac promiscuâ libidine incertisque connubiis usi fuisse dicuntur, ut vult Alexander ab Alexandro *lib. 4. Gen. Dier. cap. 1.* Non de omnibus tamen hoc Scythis intelligendum esse, docet Trogi Epitomater Justinus, qui *lib. 2. Histor. cap. 2.* de Scythis agens: *Uxores*, inquit, *liberosque secum in plaustris vehunt.* quibus verbis disertè Scythis legitimas propriasque fuisse uxores affirmat. Multò potiori jure id, quod de Scythis universè dixit Justinus, nos de Venedis asserere possumus, quos proximè ad Germanorum mores accessisse, auctor est Tacitus. Cum enim *in libr. de Morib. German. sub calcem* Venedos, Peucinosque & Bastarnas cæteris gentibus Sarmaticis esse moratiores dixisset, adeò ut ipsi dubium videretur, Sarmatisne an Germanis eos annumerare deberet, addit de Bastarnis: *Procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur.* Ex hâc igitur causa Bastarnas propiùs ad Sarmatas accedere colligit. De Venedis autem tale quidpiam non habet, sed eos potiùs ab fœditate eximit. Quanquam enim illis verbis proximè subjicit: *Venedi multum ex moribus* (Sarmatarum) *traxerunt. Nam &c.* In Conjugiis tamen diversum quodpiam à Germanis habuisse notat. Circa Sec. VIII. & IX. à CHRISTI nati temporibus, Venedos connubii jura sanctè coluisse, argumento est, quod apud eos laudabilis mulier esse judicabatur, quæ propriâ manu sibi mortem inferebat, ut in una strue pariter arderet cum viro suo, ut habet Bonifacius Episcopus Moguntinus *in Epistolâ*, citante Theodoro Zwingero *Volum. 19. Theatr. Vitæ humanæ pag. 3596. col. 1.* Deindè GOTHOS etiam, qui olim Prussiam coluere, legitimas habuisse conjuges, ex eo cognoscimus, quod fuerunt Germani, quorum severa matrimonia deprædicat Tacitus *in lib. de moribus German. cap. 18.* Sed neqve de illis populis, qui sub ipsum Cruciferorum in Prussiam ingressum, hanc terram tenuerunt, dubitare fas est, quin certa inter ipsos fuerint connubia, cum hoc ex jamjam dicendis satis superque constare possit.

II. Quanquam autem Prussi proprias habebant uxores, in aliis tamen ad legitimum honestumq; conjugium pertinentibus fœdam ipsorum barbariem facilè deprehendas. Ut hîc ordine justo pro-

progrediamur, de numero Uxorum primo loco nobis agendum erit. Sunt, qui Prussis tres uxores ducere licuisse referunt, ut Hennebergerus habet ex Grunovii *Tract. 2. cap. 3.* Alii antiquissimis temporibus finitum uxorum numerum apud Veteres Prussos fuisse negant, totque ipsis uxores ducere licuisse tradunt, quot emere atque sustentare potuerunt. Et hanc sententiam fovent Polonici Scriptores omnes. *Vid.* Æneas Sylvius *in Descript. Pruss. in Corpore Histor. Polon. I.* Johannes Dlugossus *lib. 2. Annal. ad annum 997. pag. 115.* Matthias à Michovia *lib. 2. Chron. Polon. cap. 8. pag. 26.* Cromerus *lib. 3. pag. 443.* Idem habet ex nostris Scriptoribus & Schuzius *lib. 1. Chron. fol. 3. b.* Alii denique monogamiam à Waidevvuto Prutenorum Rege institutam fuisse referunt in quibus sunt, Martinus Murinius *in Chronic. Pruss. cap. 2. pag. 3. fin.* Albertus Wijuk Kojalovvicz *Part. 1. Histor. Lithuan. lib. 1.* Nos existimamus, illam Hennebergeri de ternario uxorum numero sententiam explodendam esse, cum nullum in monumentis vetustioribus habeat fundamentum: Posteriores autem duas conciliari posse manifestum est. Videlicet Venedi antiquitùs nullum habuerunt certum uxorum numerum, sed tot ipsis licebat, quot libebat, & quot facultates permittebant uxores habere. Gothi autem, ut Germani, una uxore contenti & ipsi fuerunt, & alios eadem lege constringere voluerunt. Sed cum essent aliis gentilibus hîc locorum habitantibus potentiâ minores, ipsi tandem earum, assumpsisse mores videntur, cum usque ad ipsa Cruciferorum tempora Prussi plures habuisse uxores memorentur. Manifestum hujus rei documentum depromi potest ex Privilegio Prussis veteribus Ann. 1249. à Legato Pontificis Romani concesso, in quo hæc leguntur verba: *Item promiserunt* (Prussi) *quod duas vel plures uxores simul de cætero non habebunt, sed unâ solâ contenti cum ipsa contrahent unusquisque sub testimonio competenti & matrimonium illud in Ecclesia statutis temporibus solemnitate debitâ publicabitur.* Gothos autem monogamiam in Prussiam introducere voluisse, testantur Scriptores illi, qui primum legis hujus, de una uxore ducenda, auctorem faciunt Waidevvutum, Scandianorum sive Gothorum Principem, quem à morationibus

gentibus profectum, feros Prussorum mores emolliisse atque cultiores reddidisse ferunt. *Vid.* Albertus Wijuk Kojalovvicz *loc. citat.*

III. Deindè si gradus consangvinitatis atque affinitatis respiciamus, nullum hîc discrimen admisisse videntur Prussi, nisi fortè solam excipias matrem. Cum novercis certè licitum ipsis fuisse matrimonium contrahere, idem, quod supra laudavimus, Privilegium nos edocebit, cujus verba sunt: *Inter illos* (Prussos) *talis consvetudo, sicut intelleximus, inolevit, qualis nec inter gentes, ut videlicet uxorem Patris sui aliquis habeat. Cum enim Pater aliquam uxorem de pecunia communi sibi & filio emerat, hactenus servaverunt; ut mortuo patre uxor ejus ad filium devolveretur, sicut alia hæreditas de bonis communibus comparata. Et ne quis hâc de causa novercam suam possit sibi vendicare ulterius in uxorem, uxores nec vendere nec emere promiserunt.* Et post pauca: *Unde promiserunt dicti neophyti, quod nullus ex his quacunque de ccusa novercam suam de cætero ducet in uxorem, vel uxorem fratris sui, vel etiam sibi in 1. 2. 3. & 4. consangvinitatis vel affinitatis gradu attinentem absq; summi Pontificis dispensatione. &c.* Ex quibus liquet, Prussos parùm pensi habuisse, an uxores ipsos aliquo consangvinitatis gradu contingerent nec ne. Sed & apud Lithvanos, qui cum Prussis eandem agnoscunt originem, hoc obtinuisse, ut novercam uxorem ducere liceret, testatur Matthias à Michovia *lib. 4. Chron. Polon. cap. 45.*

IV. Sed nec modus uxores ducendi legitimus erat. Si enim Johanni Meletio fides est, & non tam ducebantur illæ quondam quam rapiebantur, veteri Lacedæmoniorum more à Lycurgo instituto; idque non sponsus ipse, sed duo sponsi faciebant consangvinei. Postquam autem jam essent raptæ, tum primum requisito parentum consensu matrimonium contrahebatur. *Vid.* Johann. Melet. *in Epistolâ de Religione Borussor. ad Georgium Sabinum.* Et quidem non solebat Socer genero dotem cum filia dare, ut nunc moris est in Europa, sed contra sponsus dotem dabat Socero suo, quod ipsum sine dubio Prussi habuerunt à Scythis & Gethis, de quibus Horatius *lib. 3. Carm. Od. 24.*

Nec

Nec dotata regit virum
Conjux, nec nitido fidit adultero.
Dos est magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas.

Idem & de Gothis, quos eosdem ac Gethas multi volunt, refert Johannes Loccenius *lib. 1. Antiqv. Sveo-Goth. cap. 1. & lib. 2. cap. 24.* De Tartaris sive Scythis Asiaticis, qui hunc ipsum morem receperunt, *vid.* Marcus Paulus Venetus *lib. 1. de Regionibus Orientalib. cap. 55. & 62.* Cæterùm præter hæc aliud quidpiam, hic observamus, quod Prussis cum Gothica gente non videtur fuisse commune. Hoc enim quod à genero dabatur socero, erat precium, quo ille sibi uxorem, non secus atque aliam servam emebat. Quapropter etiam eam non ut liberam, sibique parem, sed ut servam, habebat, adeò ut uxor hospitibus & domesticis pedes lavare, omniaque servilia opera suscipere cogeretur. Quid, quod ne mensæ quidem suæ Prussi suas uxores faciebant consortes. Habemus horum omnium luculenta satisque idonea in antiquis monumentis testimonia. Dusburgensis certè noster disertè: *Secundum antiquam*, inquit, *consvetudinem hoc habent Pruteni in usu adhuc, quod uxores suas emant pro certa pecuniæ summa. Unde servat eam sicut ancillam, nec cum eo comedit in mensa, & singulis diebus domesticorum & hospitum lavat pedes.* Hæc Dusburg. *Part. 3. Chron. cap. 5.* Plura ea de re habet Privilegium supra jam aliquoties citatum, in quo illud maximè observandum, apud veteres illos Prussos moris fuisse, ut mortuo parente, uxores etiam ejus ad filios simul cum alia hæreditate devolverentur: Verba Privilegii dedimus num. III. quibus addimus & hæc: *Promiserunt etiam* (Prussi) *quod nullus eorum de cætero filiam suam vendet alteri matrimonio copulandam, & quod nullus uxorem filio suo emet vel sibi.* Sed & hoc notant Scriptores nonnulli Prussos sibi uxores emere solitos, aut pecuniâ, (quod ego de ultimis temporibus, quibus ipsis usus pecuniæ jam innotuerat, interpretor) aut frumento, aut pecore, aut etiam aliis rebus, in quibus divitias suas antiquitus Prussi ponebant. *Vid.* Thomas Waisselius *in Chron. fol. 24.*

V. Inter

V. Inter plures illas uxores una honoratior habebatur, præsertim si esset Gothici sangvinis, quod Hennebergero facilè credimus etiam injurato; illud verò, quod, Grunovium suum secutus, asserit, Prussos suis uxoribus alternatim sive per vices usos, & quidem vel in publico, fidem apud nos non meretur, cum nullâ veterum monumentorum auctoritate sit firmatum. *Vid.* Henneberg. *de Vet. Pruss. fol. 16. sequ.* Conjugia ipsa Prussos inter fuere satis casta. Siquidem adulteros comburere mos erat, & quidem procul à conspectu Deorum, id est, extra urbem Romovam aliaque loca Diis sacra: Cineres etiam ipsorum in publicam spargebantur viam; Liberi denique ex adulterio procreati ad sacerdotia non poterant admitti. Henneberg. *fol. 17. b. ex Grunov. Tractat. 2. cap. 5.* Ne autem viris ansa præberetur, illicitos amores quærendi, illud severissimè ab uxoribus exigebatur, ne viris debitum conjugale denegarent, alioqui poterant ad rogum condemnari. Et, quod mireris, etiam sorores hujus uxoris omnibus despectui atque ludibrio erant, quod sororem non docuerant quemadmodum obedientiam Deo maritoque præstare deberet. Henneberg. *loc. citato.* Uxorem mortuam, non nisi octiduo maritus lugebat: Postero autem die adducebatur ipsi ancilla, quam deindè tori faciebat consortem, nisi aliæ quædam intervenirent causæ, quæ matrimonium impedirent. Uxor verò, si maritus obiisset, nullâ prole susceptâ, eousque juvenibus copiam sui faciebat, donec aut filium aut filiam peperisset; quo facto, in sacrum recipiebatur ordinem, vocabaturque Waidelotta. Henneb. *loc. cit. ex Grunovio.* Quod ad liberos ex conjugiis ejus generis susceptos attine, illos Parentibus licebat aut alere, aut exponere, aut etiam prorsus enecare. Colligo id ex Privilegio supra citato, cujus verba sunt: *Et quod nullus filium suum vel filiam quacunq; de causa per se vel per alium abjiciet, vel occidet, de cætero publice vel occultè vel ab alio talia quocunq; modo fieri consentiet vel permittet.* Hæc enim Christiani non prohibuissent, nisi talia Veteribus illis Prussis in more fuisse cognovissent. Comprobat sententiam meam immane factum Galindorum, qui fœmellas omnes in lucem editas interfici jusserunt, servatis masculis bello idoneis. *vid.* Dusburg. *Part. 3. Chron. cap. 4.* Ex quibus etiam colligitur,

masculos

masculos potiores ipsis fuisse, quam fœmellas. Ex quâ etiam ratione mulieres eousque habebantur virgines, donec peperissent masculam sobolem, ut ex mox dicendis apparebit.

VI. Ante autem quam materiam hanc de Connubiis Veterum Prussorum obsignemus, operæ precium nos facturos arbitramur, si quædam de ritibus in Nuptiis celebrandis observari solitis addiderimus. Videlicet Sponsa priusquam à sponso domum duceretur, consangvineos suos omnes ad convivium invitabat. Cum illi convenissent, à cœna ipsos rogabat, ut secum virginitatem eousque conservatam deflerent: Annuentibus illis, sponsa sic lamentationes ordiebatur: *O hue, o hue, o hue, quis? quis patri & matri meæ lectum postea sternet? quis ipsorum pedes lavabit? quis ignem servabit? Charissime catelle, charissima gallinula, succula &c. quis vobis deinceps pabulum præbebit?* Finitis his, deducebant eam cognati ad focum, ubi lamentationem suam denuò repetebat his ferè verbis: *O hue, o hue, o hue, moy mily Swenty Ponike*, id est: *mi chare sancte ignis, quis in posterum ad te alendum ligna portabit, ut pater, ut mater membra sua exsangvia queant calore fovere? quis te imposterum conservabit?* Similes lamentationes ingeminabant consangvinei; solabantur tamen subinde sponsam, ne nimium luctui indulgeret. Cum deinde Sponsa deducenda erat ad Sponsum, mittebatur ei obviam currus, cui illa insidens ad Sponsum vehebatur. Appropinquanti ad ædes Sponsi, effuso cursu aliquis obviam procurrebat, alterâ manu torrem sive lignum accensum, alterâ vas aliquod cervisiâ plenum tenens, sicque lymphatico more ter circum currum cursitabat, hæc clarâ voce ingeminans: *Quemadmodum ignem apud parentes tuos conservasti, sic etiam in domo Sponsi tui facias.* His dictis cervisiam Sponsæ tradebat ebibendam. Agitator, qui currui insidebat, eleganter vestitus, dicebaturque Prussicâ lingvâ *kelleweſe*. Simulac ille ad fores ædium Sponsi pervenerat, quam citissimè poterat, eqvum vel currum deserebat, acclamantibus hospitibus in Sponsi domo consistentibus: *kelleweſe periothe, kelleweſe periothe*, id est: *Auriga venit, auriga venit*, ut hæc exponuntur in Chronico Dietmari. Ille inter hæc relicto curru atque equis in domum sponsi irrumpebat, sellamque in

hunc finem jam paratam, & pulvinari, cui mantile impositum erat, ornatam, occupare nitebatur. Quodsi primo saltu in sella se collocare non poterat, pugnis exceptus per alias fores ab hospitibus domo ejiciebatur: Sin primo saltu sellam occupaverat, mantile in præmium laboris accipiebat. Sponsæ verò ab hospitibus exceptæ, in eâdemque sellâ collocatæ Patera cerevisiæ plena propinabatur, quo facto sublata Sponsa deducebatur ab iisdem ad focum, agitatore dictam sellam portante. Ad focum iterum sellæ Sponsa imponebatur, sedentique pedes abluebantur. Sub hæc eâdem aquâ conspergi solebant hospites, lectus genialis, greges & armenta, & tota domestica suppellex. Tum Sponsæ oculi, more gentium multarum, obnubebantur flammeo, osque melle oblinebatur. Velatis dein oculis deducebatur ad singulas ædium fores, quas dextro contingere ac pulsare pede jubebatur his verbis: *Trauke, Trauke*, id est: pulsa, pulsa. Ad singulas januas conspergebatur tritico, siligine, avenâ, hordeô, fabis, pisis & papavere. Siquidem semper sequebatur Sponsam, qui saccum omni genere frumenti plenum portabat, ipsamque conspergens dicebat, nihil horum sponsæ defuturum, si religionem piè cultura, remque domesticam eâ quâ decet, diligentiâ esset curatura. His ita peractis removebatur Sponsæ flammeum ab oculis, conviviumque instruebatur. Noctu cum Sponsa deducenda erat ad thalamum, ex consangvineis unus ei capillos præcidebat. Tum fœminæ præsentes sertum (Prussorum lingvâ *abgloyte* dictum) Sponsæ imponebant niveo linteolo adornatum, hæc acclamantes verba: *Filia est caro de carne tua, hoc igitur sertum gestabis tantisper, dum filium pepereris; hoc simulac fuerit factum, virginitas tua finem habebit.* Posthæc ad thalamum Sponsa deducebatur, in quem nonnisi miserè pulsata & fustibus excepta conjiciebatur, sicque in sponsi concedebat potestatem. Hic loco bellariorum testiculi caprini, vel ursini apponebantur, quibus ipso nuptiarum die manducatis conjuges credebantur fœcundæ reddi. Eadem de causâ nullum animal castratum in nuptiis mactabatur. Ad extremum honestissimæ quæque matronæ Sponsam instruebant, quomodo se erga maritum gerere deberet. Proximo die repotia celebrabantur, ita ut antequam neonymphis alii cibi appo-

apponerentur, reliquias dictorum bellariorum comederent. *Vid.* Johann. Melet. *post med.* & Thomas Waissel. *fol 24.* Ex his quæ hactenus enumeravimus, multa etiam Ordine Teutonico Prussiam administrante à Prussis veteribus observabantur, quin & hodiè in magno Ducatu Lithvaniæ lamentationes dictæ non sunt, infrequentes: adeò difficulter consvetudines, quæ semel inoleverunt, exolescunt.

Dissertatio XIII.

De

Funeribus Veterum Prussorum.

(1.) *Prussi ægrotos servos, Infantes, Parentes item proprios è medio tollebant.* (2.) *Ægrotum visitantes amici strenuè potabant. Defunctis ablutis inq; sellâ erecto corpore collocatis cerevisiam propinabant. Lessus funebris. Munera defuncto data.* (3.) *Ritus, quibus funus efferrebatur.* (4.) *Utrum cadavera fuerint combusta, an verò humata. Urnæ ossibus semiustis plenæ in Prussiâ multis in locis inveniuntur. Gothi ab Odino habent ritum cadavera comburendi. Apud Gothos & Romanos & humandi & comburendi ritus obtinebant.* (5.) *Loca sepulturæ Prussicæ. Tumuli, qui etiam nunc visuntur. An alii eminentiores, alii depressiores?* (6.) *In rogum imponebatur cadaver, deinde vestes preciosæ, canes venatici, equi, servi. Uxores etiam seipsas in rogum præcipitabant. Cibus & potus, ut & pecunia sepulcris illata usque ad tempora Alberti. Conciones funebres an fuerint olim in usu. Eadem omnia Gothis Svedicis non ignota.* (7.) *Luctus post funerationem. Convivia funebria & compotationes apud Prussos, Gothos, Scythas.* (8.) *Immortalitatem animæ crediderunt Prussi. An*

& resurrectionem carnis? Quæ hic Lithvanorum sententia. Transmigrationem animarum Pythagoricam credidere Getæ sive Gothi, Germani, Prussi.

I. A Thalamo descendimus ad tumulum, ut & hîc, qui antiquitus in Prussiâ nostrâ obtinuerint ritus, videamus. Veteres illi Prussi non semper exspectabant, donec homo naturali morte decessisset, ut ipsum sepulcro inferrent; Sed non rarò violentas ægrotis inferebant manus, quò citiùs morerentur. Ut enim nihil nunc dicam de eo, quod superiore dissertatione jam demonstratum est, licuisse Prussis infantes recens natos aut educare aut etiam è medio tollere; illud certè barbariem redolet immanem, quod servos claudos, cœcos, morbo vel senio confectos soliti sint ex arboribus suspendere, ne gratis ipsis de victu & amictu prospicere cogerentur. Caspar. Schütz. *lib. 1. Chronic. fol. 3. b.* Martinus Murinius *in Chronic. Pruss. pag. 22.* Qvid, quod Parentes etiam, ex instituto, ut ferunt, Waidevvuti, ob ætatem aut morbum labori jam impares strangulatione è vivis expungebant, ut sese & domum impensis inutilibus expedirent. Albert. Wijuk Kojalovvicz *Part. 1. Histor. Lithvan. lib. 1. pag. 18.* Sed & aliàs ægrotos infantes, ut & alios homines debiles Diis immolare atque comburere apud Prussos non erat infrequens. Hennebergerus *de Vet. Pruss. fol. 22. seqv.* Adhæc ditiores potentioresque non erant ab hoc periculo exempti. Illi enim lecto affixi, Waidelottam sive Sacerdotem ad se arcessebant, qui officii sui memor ægrotos consolabatur, subinde ipsis in memoriam revocans gaudia, quibus, corporeis vinculis soluti, posthanc vitam cum Diis essent fruituri. Exactis mensibus quatuor, si morbus nihil remittebat, vota Diis, jubente Sacerdote, nuncupabant ægroti, ut pristinæ restituerentur sanitati. Si neque dum ægroti convalescebant, cineres ex foco Diis consecrato allati, ritibus idololatricis adhibitis, ad morbum curandum adhibebantur. Sed neque hoc medicamento quicquam ad ægroti sanitatem recuperandam conferente, Sacerdos, volentibus id cognatis liberisque omnibus,

bus, decumbentem injecto pulvinari suffocabat. Henneberger. *loc. cit. pag. 123.*

II. Cæterum alii Prussi tenuioris fortunæ lethali morbo decumbentes, convocatis cognatis suis omnibusque incolis illius pagi, ad mortem se præparabant. Congregati vicini, aliique proqinquâ moribundum cognatione contingentes, strenuè potabant, mox defunctum amicum deploraturi. Simulacque igitur animam efflasset, cadaver ablutum aquâ calidâ, vestibus albis & calceis indutum collocabant in sellâ, & quidem erectum. Tùm assidentes cerevisiam ex recenti dolio mactræ infusam, paterâque haustam defuncto propinabant, his verbis adjectis: *Kayles mause gygynethe*, id est: *ego tibi propino.* Epotâ cerevisiâ lessum funebrem sequenti modo ordiebantur: *Heu! heu! quare mortuus es? num tibi deerat cibus aut potus? quare ergo mortuus es? Heu, heu! annon habuisti formosam conjugem? quare ergo mortuus es?* Hoc modò lamentantes enumerabant ordine fortunas defuncti omnes, puta, liberos, consangvineos, oves, boves, equos, anseres, gallinas &c. & ad hæc singula respondentes occinebant hanc næniam: *Cur mortuus es, qui hæc habebas?* Finitis his, iterum defuncto propinabant, & discedentem ex hâc in aliam vitam valere jubebant, rogantes, ut in futurâ vitâ parentes, cognatos, amicos ipsorum salutaret: votis etiam conceptis precabantur, ut defunctus in illis locis, quæ esset aditurus, feliciter ageret. Tùm dabantur munuscula defunctis, nimirum mulieribus filum cum acu, ut, si quid in itinere discinderetur vel laceraretur, resarcire possent. Virorum autem lateri gladius accingebatur. Adhæc linteo oblongo collum solebat obvolvi, cui aliquot nummi erant implicati in viaticum defuncto dati. *Vid.* Johann. Melet. *in Epistola de Religione Boruss.* Waisselius, Hennebergerus, alii. Ex his lessus ille funebris, de quo paulo ante, etiam nunc in Lithvaniâ & Samogitiâ frequentissimus est.

III. Deindè in deductione funeris, qui ritus fuerint observati, docendum est. Quando funus efferebatur, plerique omnes cognati equis vecti, currum, cui cadaver impositum erat, comitabantur, districtisque ensibus aëra diverberabant, vociferantes: *Geygeythe, Begaythe, Pekelle*, id est: *fugite Cacodæmones ad*

inferos. Mulieres funus non nisi ad limites pagi solebant comitari, ubi palus erat terræ infixus, eique nummus impositus, ad quem decurrebant equis insidentes cognati. Qui primus nummum illum è palo sublatum omnibus ostenderat, præcipuæ felicitatis atque fortitudinis gloriam reportabat: cæteri autem conspecto nummo, ad cadaver effuso cursu contendebant, eductisque gladiis vel fustibus auras diverberabant, identidem ingeminantes: *Begaythe, Pokulle,* id est: *Fugite ad inferos.* Ad locum sepulturæ ubi venerunt, ter currum, cui cadaver erat impositum, circumeuntes lessum illum iterabant: *Halele, lele, y procz ty umarl? y y za ty nie miel szto jesty, albo pity, y procz ty umarl? Halele, lele, y za ty nie miel kraſi mlodzice, y procz ty umarl?* id est: *Heu, heu, quare mortuus es? num tibi deerant cibus & potus, quare ergo mortuus es? Heu, heu, nonne habuisti formosam conjugem, cur ergo mortuus es? Vide* Joh. Meletium & Thom. Waisselium *fol. 26.*

IV. Quod ad ipsum sepeliendi mortuos ritum attinet, quæri primo loco potest, utrum apud ipsos corpora humo condita, an verò igni combusta fuerint? Posterius, nempe, cremata esse corpora, negari non potest, cum hoc ipsum etiam nunc urnæ non rarò effossâ terrâ passim erutæ testentur. Inventæ sunt ejus generis urnæ juxta Gedanum urbem in monte, fortasse ab Idololatriâ Ethnicorum Heydenberg dicto, ut Auctor est Caspar. Schütz. *lib. 1. Chronic. fol. 9. b.* Non procul ab urbe Thorunienſi tales urnæ non ità pridem etiam inventæ sunt, quarum unam servat Vir inter Primores urbis non postremus. Testantur idem Viri fide digni de Insulâ, *Czartowy ostrow* dictâ, quæ est in lacu Sudiniæ Veteris, *Spirding* vocato. Testari id ego quoque ipse possum de campis ad pagum Plewißken ad Pregelam amnem in Samlandia situm, ubi ante aliquot annos eruditi quidam commorantes, tumulos in campis passim deditâ operâ, non frustra quondam aggestâ terrâ factos rati, acceptis à Magnifico atque Generoso Domino Melchiore à Rippen, Capitaneo Liccensi, qui ibidem locorum prædia sua habet, aliquot fossoribus, unoque tumulo aperto aliquot repererunt urnas cineribus & semiustis ossibus plenas, quarum una Regiomontum allata in Electorali Bibliotheca servatur.

tur. Locum etiam, ex quo sunt urnæ illæ erutæ, ipse lustravi, pluresque id genus tumulos aperiri curassem, nisi continuis imbribus fuissem impeditus. Itaque de cadaverum combustione apud priscos illos Prussos res in aprico posita est. Sed de humatione cadaverum apud veteres Prussos ante Ordinis Teutonici adventum res est explicatu difficilior. Asserit quidem Thomas Waisselius disertis verbis, Prussos etiam cadavera suorum terrâ operuisse non combusta; sed hoc ipsum intelligi potest de recentioribus temporibus, quibus Ordo Teutonicus morem cadavera comburendi jam sustulerat. Verò tamen non est absimile, & ante Ordinis Teutonici tempora morem hunc à quibusdam saltem fuisse observatum, ut corpora non combusta humarentur. Elici hoc ipsum posse videtur ex Privilegio Prussis illis à Legato Pontificis Romani, Anno 1249. concesso, in quo Legatus: *Deo ac Romanæ*, inquit, *Ecclesiæ ac Fratribus supra dictis voluntate spontaneâ firmiter ac fideliter promiserunt, quod ipsi & hæredes eorum in mortuis comburendis vel subterrandis non servabunt. &c.* Si etiam respiciamus gentium illarum, à quibus suam Prussi trahunt originem, consvetudines, utrumque morem apud eas obtinuisse deprehendemus. Gothicarum equidem rerum Scriptores notant, ritum cadavera comburendi primùm instituisse odinum, quo ipso non obscurè innuunt, ante Odini tempora ritum illum in usu non fuisse. Sed & posteà consvetudinem cremandi cadavera cœpit abolere Froerus vel Frejerus, tertius ab Odino Svediæ Princeps, dum in colle propè Upsaliam sepeliri voluit; humanius fortasse ratus, corpus molli matris suæ terræ gremio committi, quàm sævis flammis depascendum tradi. Quod non pauci posteà sunt imitati; licet, qui vellent, cremandi mortuos ritum retinerent. Videatur Johan. Loccenius *lib. 2. Antiq. Sveo-Goth. cap. ult.* Quid apud Romanos obtinuerit, ex Plinii *lib. 7. Nat. Histor. cap. 54.* cognoscere licet: *Ipsum cremare*, inquit ille, *apud Romanos non fuit veteris instituti; terrâ condebantur. Ast postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum. Et tamen multifariè priscos servavere ritus: sicut in Corneliâ domo nemo ante Syllam in Dictatorem traditur esse crematus. Idque eum voluisse, veritum talionem, eruto C. Marii cadavere.*

Sic

Sic etiam dicere non est absonum, cum Noachidarum coloniis huc primùm commigrantibus ritum humandi mortuos, quem & posteà Scythæ retinuerunt, sicut Auctor est Herodotus *lib. 4.* ex DEI & Patriarcharum instituto fuisse invectum: posteà verò à Gothis aliisve gentibus crematione m institutam, ita tamen, ut alii, quibus volupe erat, antiqvum humandi modum retinerent.

V. Ante autem, quàm ipsos comburendi ritus exponamus, quædam in anteccssum de sepulturæ locis ipsisque tumulis præmittenda nobis sunt. De locis notandum est, priscos illos Prussos in patentibus campis tumulos excitasse, idque juxta vias plerumque publicas, ut ità monumenta defunctorum magis obvia, iter facientibus ac prætereuntibus eò faciliùs memoriam fragilitatis humanæ refricarent. Illud autem, quod Henneberge-rus asserit, Magnates etiam in villis & castris suis aliquando conditos, vix probari poterit, cum hic deficiant Veterum Scriptorum testimonia. Non abnuo tamen, etiam longè à viis publicis ejus generis monumenta reperiri, præsertim, ubi terra in colles clementer assurgit, ità ut & eminus ejusmodi monumenta conspici possint. Aperui ego non procul à villâ *Kuglak* in Samlandiâ ad Pregelam sitâ tumulum talem, longiùs à viâ publicâ recedentem, in editiori loco situm, in quo licet urnam invenerim nullam, duos tamen ingentis magnitudinis lapides deprehendi, qui quasi arte lapicidariâ erant ex parte interiore conquadrati, sibique ità oppositi, ut in medio urnæ commodè possent collocari, quod manifesto satis est Argumento, jam anteà urnas inde erutas. Non semper verò veteres Prussi in propriis agris tumulos ejusmodi habebant, cum uno in loco plura reperiantur id genus monumenta. Hoc tamen asseri tutò potest, habuisse singulas familias singula eaque propria monumenta, cum in uno tumulo plures reperiantur urnæ. Tumuli ipsi, qui Prussis, teste Waisselio, dicebantur *Caperneur*, solo pulvere ac cespite strati sunt, solaque graminis sponte suâ crescentis eos pulchritudo venustat. Habuere hoc Prussi commune cum Gothis, omnibusque Germanis, de quibus Tacitus *in lib. de Moribus German. cap. 27. Funerum*, inquit, *nulla ambitio: Illud solùm observatur, ut corpora claro-*

clarorum virorum certis lignis crementur. Sepulcrum cespes erigit: Monumentorum arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis aspernantur. Hæc etiam de Gothis habent Johannes Loccenius *loc. cit.* & Johannes Schæfferus *in Upsaliâ cap. 18.* An verò pro conditione hominum alii tumuli fuerint eminentiores, alii depressiores, dicere non habeo. Est in iisdem Sambiæ oris propè villam Kuglak jam supra memoratam ad viam publicam mons accuratè rotundus, non naturâ, ut cuivis aspicienti manifestum est, sed arte factus, in cujus summitate maxima conspicitur planities. Hunc ego non alium ob finem, quàm, ut Principis alicujus Prussici monumentum foret, congestum esse existimavi: sed in aliorum indiciorum, ex quibus hoc evidentiùs probari posset, defectu, nemini meam hanc opinionem obtrudere velim. Fidem tamen huic rei facere posset, quod de Scythis antiquis memorat Herodotus: *Principum*, inquiens, *virorum tumulis injiciunt omnes humum certatim & avidè cupientes tumulos quàm maximos efficere.* Gemina his habet & Lucanus *lib. 7.* Pharsaliæ, ità canens:

Et Regum cineres exstructo monte quiescant.

Quare, cum Prussi illi, quos Ordo Teutonicus domuit, itidem ex Scythiâ fuerint oriundi, à vero non abludit, & apud eos hunc ipsum obtinuisse morem.

VI. Cum denique defunctus erat tumulo inferendus, primò pyræ impositus comburebatur, deinde optimæ quoque vestes rogo injiciebantur, ut & canes venatici, equi, arma, aliaque defuncto, dum viveret, acceptissima. Si fœmina erat, igne cremanda, colus, insigne sexûs fœminei, solebat simul comburi. Fideliſſimi quoque servi seipsos in funerationibus Magnatum in rogum conjiciebant, singulare fidei suæ in Dominos suos edituri documentum, sicut apparet ex Chronico Ordinis *fol. 13.* Johanne Dlugosso *lib. 2. Annal. Polon. ad Annum 997. pag. 115.* Dusburg. *Part. 3. cap. 5. lit. g.* Quin etiam in funerationibus Magnatum Conjugem Defuncti, ut & Waidelottæ, defuncto quondam dilectissimi, sese cum ipso in flammas præcipites dabant, teste Hennebergero *de Vet. Pruss. fol. 23. b.* Post-

hæc omnes, qui funus illud efferebant, nummos injiciebant sepulcro, tanquam viatico mortuum donantes. *Vid.* Waisselius *fol. 26.* Injiciebant quoq; annulos æreos, ut & armillas æreas, præsertim, si defunctus Christianorum Sacra susceperat. Collocabant etiam postremis temporibus, cum jam defunctos obruere terrâ mos esset, panem & lagenam cerevisiâ plenam ad caput cadaveris in sepulcrum illati, ne anima sitiret vel esuriret, quemadmodum non solùm Johannes Meletius seculo superiore testatus est, sed nostrâ quoque memoriâ Sacerdotes, maximè in Sambiâ fidem faciunt, qui suis se oculis id genus lagenas è sepulcris erutas vidisse perhibent. Quod certè vix fidem mereretur, nisi tot tamque luculenta exstarent documenta, quæ hoc ipsum evincerent. Quis enim à se queat impetrare, ut credat, tantam fuisse quondam Sacerdotum Prussicorum, ipsiusque adeò Magistratûs, in promovendâ religione Christianâ negligentiam, ut hæc talia palàm factitare permitteret. Et nihilominus usque ad tempora Ducis Alberti hunc Idololatricum ritum fuisse frequentatum, discimus ex Erasmo Stellâ, qui paulò ante tempora Ducis Alberti libros suos de Antiquitatibus Borussorum conscripsit. Hic enim postquam nonnulla de Institutis Waidevvuti præmisisset: *Exutos*, inquit, *spiritu, armatos vestitosque ac magnâ suppellectilis parte circumposita humârunt.* QVO MORE VSQVE NUNC SEPELIUNTUR, ADDITO ETIAM POTU MELLEO, AUT EX FRUMENTIS FACTO IN TESTACEIS VASIS. IN FUNEBRI EPULO PARTEM OBSONII POTUSQVE VITA DEFUNCTI MANIBUS LIBARUNT, HODIEQVE LIBANT, *pudendo illic Christianorum Præsulum dedecore.* Hæc ille. Prohibuerat quidem jam ante aliquot secula detestandos hos ritus Jacobus Leodiensis Archidiaconus in Privilegio Prussis dato, in quo hæc leguntur verba: *Promiserunt* (Prussi veteres) *quod ipsi & heredes eorum in mortuis comburendis, vel subterrandis cum equis, sive hominibus, vel cum armis, seu vestibus, vel quibuscunq; aliis rebus pre-*

ciosis,

cioſis, vel etiam in aliis quibuscunque ritus gentilium de cætero non ſervabunt, ſed mortuos ſuos juxta morem Chriſtianorum in cœmiteriis ſepelient. Sed poſterioribus ſeculis, Ordine Teutonico magis de regione quàm de religione ſolicito, hoc fuit neglectum, quemadmodum jam ſupra de Pruſſorum Sacris agentes oſtendimus. In ejuſmodi funerationibus, præſertim Magnatum, concionem quoque funebrem à Waidelottâ aliquo fuiſſe habitam, perqvam eſt veriſimile. Huc enim pertinere videntur verba Privilegii Pruſſis veteribus à Legato Pontificis Romani conceſſi: *Promiſerunt etiam, quod inter ſe non habebunt de cætero Tiluſſones vel Linguſchones, homines videlicet mendaciſſimos, hiſtriones, qui quaſi gentilium Sacerdotes in exequiis defunctorum in tormentorum infernalium pœnâ promerèntur, dicentes, malum bonum, & laudantes mortuos de ſuis furtis & ſpoliis immunditiis & rapinis & aliis vitiis ac peccatis, quæ, dum viverent, perpetrârunt, ac erectis in cœlum luminibus clamantes mendaciter aſſerunt, ſe videre præſentem defunctum per mediam cœli volantem, in equo, armis fulgentibus decoratum, *** in manu ferentem, & cum comitatu magno in aliud ſeculum procedentem.* Quamvis non neſciam, Dusburgium ſcribere hæc Sacerdotes ab amicis vel conſangvineis defuncti conſultos ſemper reſpondiſſe. *vid.* Dusburg. *Part. 3. cap. 5.* Singula hæc, quæ hactenus de Pruſſis veteribus expoſuimus, Gothis etiam aliisque Germanis fuerunt in uſu. Quod enim primò de precioſis rebus combuſtis aut ſepulcro illatis diximus, illud Svecos itidem factitaſſe comprobat Johannes Schefferus, qui *in Upſaliâ cap. 18. pag. 306.* ſcribit, tempore Guſtavi Adolphi Regis maximi prope Upſaliam cum precioſis rebus multis, aurea quoque vaſa cum nummis, fodientes accolæ invenerint. Plura etiam fortaſſis eruipotuiſſe, niſi Rex religioſiſſimus ſpe lucelli cujuscunque quietem defunctorum interpellare vetaſſet. *Confer.* Scholiaſtes Adami Bremenſis *ad libr. de Situ Daniæ, num. 97. pag. 154.* Deinde convivia defunctis apud Gothos eſſe parata, teſtatur Schefferus *loc. cit. pag 362.* Orationes denique funebres in laudem defunctorum apud Gothos habitas refert idem Schefferus ex Sturleſonio *loc. cit. pag. 361. ſeqv.*

VII. Combusto cadavere, cineribusque tumulo illatis, uxor defuncti mariti luctum continuabat diebus triginta, ità, ut singulis diebus sub ortum & occasum solis exstincti conjugis tumulo insidens, vel toto corpore incumbens orbitatem suam defleret. Johannes Meletius *loc. cit.* Hennebergerus dicit, conduci solitas Præficas, quæ quatuor hebdomadis mortuum deflerent. *lib. de Vet. Pruss. fol. 23. b.* Maritus autem, ut jam superiore dissertatione probavimus, non nisi octiduo defunctam uxorem lugebat. Cognatis autem apparabantur convivia funebria tertio, sexto, nono & quadragesimo die ab elato funere, in quibus, ut Waisselius *fol. 26. b.* viri accumbebant seorsum, fœminæ itidem seorsum. Accumbebant autem taciti primò, non secus, acsi essent muti planè, atque elingves, nec quisquam cultrum expediebat. Ad mensam duæ mulieres ministrabant, quæ hospitibus cibum jam antea in partes scissum itidem non adhibitis cultris distribuerent. Sub hæc anima defuncti ante januam, ut putabant, consistens ad epulas invitabatur. Singuli quoque convivæ de singulis cibis aliquam particulam sub mensam projiciebant potumque effundebant, ut his proficiis atque ablegminibus anima vesceretur. Si quid fortè de mensâ decidebat in terram, id non tollebatur, sed orphanis (ut ipsi loquebantur) animabus relinquebatur, quod nullos haberent cognatos amicosve, â quibus convivio exciperentur. Peractâ cœnâ sacrificulus surgens de mensâ, domo purgatâ, scopis mortuorum animas ejiciebat tanquam pulices, utque exirent, his eas compellabat verbis: *Jely pily Duszyce. Nuwen, nuwen.* i. e. *edistis, bibistis animulæ, ite foras ite foras.* Posthæc silentio soluto poculis hospites certabant. Mulieres viris propinabant, & vicissim viri mulieribus, seque mutuò osculabantur. Hæc ferè omnia Johannes Meletius *in Epistola citatâ in fin.* Alii rerum Prussicarum Scriptores hilariter exsequias celebratas memorant: *Statuit*, inquit, Erasmus Stella de Waidevvuto Rege *& dies natalitios & funera pari modo celebranda, mutuis scilicet compotationibus, tum lusu & cantu absque mœrore cum summâ hilaritate & gaudio.* Hæc ille, habuerunt hoc Prussi cum Gothis

this commune, qui eâdem ratione exsequiis celebratis festa instituebant convivia, idque contra consvetudinem multarum gentium, quæ in luctu à conviviis abstinebant. Hauserunt hunc convivia celebrandi morem & Prussi & Gothi dubio procul à Scythis, de quibus Herodotus: *Aliàs Scythas*, inquit, *cum decesserunt proximi quique in plaustris collocatos ad amicos circumferunt, eos singuli amicorum excipientes epulum cadaver comitantibus præbent tam propinquis, quàm cæteris. lib. 4. Hist. Confer.* Pomponius Mela *libr. 2. de Situ Orb. cap. 1.* Valerius Maximus *lib. 2. cap. 1.* Julius Solinus *in Polyhist. cap. XV.* Confer. Johannes Schæfferus *in Upsaliâ Antiquâ cap. XVIII. pag. 363. seqvent.*

VIII. Ex his jam satis liquidò constat, Prussos illos antiquos in tanta barbarie rerumque omnium ignoratione sapientiores fuisse multis, iisque magni nominis Philosophis, qui immortalitatem animi negarunt, in quibus Democritus & Epicurus, sicut Plutarchus *libr. IV. de Plac. Philosoph. cap. VII.* scribit. Item Dicæarchus atque Panætius, de quibus Cicero *lib. I. Tuscul. Quæst. num. 31. & seqv.* Plinius denique, naturæ scrutator solertissimus, ut ex ipsius *lib. VII. Natur. Hist. cap. 55.* constat. Cæterum, quem animæ adeòque totius hominis post mortem statum fore crediderint, inquirendum nobis est. Dusburgensis noster exsertè scribit: *Prutenos resurrectionem carnis credidisse, non tamen, ut debuerint.* Addit his: *Credebant enim, si quis Nobilis vel Ignobilis, dives vel pauper, potens vel impotens esset in hâc vitâ, ità post RESURRECTIONEM in vitâ futurâ. Unde contingebat, quod cum Nobilibus mortuis, arma, equi, servi, & ancillæ, vestes, canes venatici, aves rapaces, & alia, quæ spectant ad militiam urerentur. Cum Ignobilibus comburebatur id, quod ad officium suum spectabat. Credebant, quod res exustæ cum eis RESURGERENT & servirent eis, sicut prius.* Hæc ille. Firmat hanc sententiam, quod Albertus Wijuk Kojalovvicz de Lithvanis suis, qui eandem cum Prussis habent originem, idem asserit. Verba ejus, cum egregiè hæc, quæ dicta sunt, illustrent, licet pluscula, non pigrabimur abscribere: *His ità*, inquit, *peractis, Principis*

(Swintorogi) defuncti corpus militari habitu à Proceribus ad regum elatum est; editiore pyræ loco, haud longè à Principe, locata arma, quibus à tirocinio usque militari usus fuerat, gladius, hasta, pharetra cum arcu & sagittis: inferiore loco falcones, paria bina canum venaticorum, servus & equus, qui viventi maximè in deliciis: hæc universa, cum subjectus ignis corrupisset; tum sublatâ simul comploratione, proceres ursorum & pantherarum resectos ungues extremi obsequii vice in flammas jactare. Nam de alterâ vitâ, quam habituri à morte essent mortales, redituque animarum ad sua corpora, cum DEUS quispiam, illis ignotus, ad jus dicendum in altissimum montem universum mortale genus evocaturus è tumulis esset apud Veteres illos Lithvanos, rerum divinarum penitus rudes, quanquam barbarè & superstitiosè, tamen aliquid credebatur. Hæc Kojalovvicz *Part. I. Histor. Lithvan. lib. V. pag. 140.* Accedit his consensus Prussicorum Scriptorum, sed recentiorum, qui uno ore testantur omnes, Prussos credidisse, quod animæ migrent in aliam vitam, ibi eundem statum, quem hic habuerunt, consecuturæ. Sed vix credi potest, Prussis in tantâ rerum divinarum ignoratione, fœdâque barbarie versantibus, caput hoc fidei de carnis resurrectione, quod omnibus Ethnicis omnium absurdissimum videbatur, fuisse cognitum receptumque. Duas igitur hic alias opiniones animadverto, quæ mihi videntur probabiliores. Altera est Vincentii Kadlubkonis, qui seculo duodecimo jussu Casimiri dusti Ducis Poloniæ historiam rerum Polonicarum scribens Prussis nostris Pythagoricam sententiam de animarum transmigratione tribuit: *Est*, inquit, *omnium Getarum* (per Getas perpetuò Prussos intelligit, ut alibi ostensum) *communis dementia exutas corpore animas nascituris denuò infundi corporibus. Quasdam etiam brutorum assumptione corporum brutescere.* Hæc Vincentius Kadlubko *lib. IV. Chron. Polon. cap. 19. pag. 512.* Altera est eorum, qui Prussos illos credidisse existimant, animas à morte in aliam quidem vitam, camposque quosdam Elysios migrare, nunquam tamen ad corpora sua redituras. Propterea quoque Prussos cadavera defunctorum cremasse, ut ita per ignem à sordibus corporeis anima purgata,

purgata, citiùs & expeditiùs ad locum beatarum mentium evolaret. Canes verò, equos, servos esse simul Vulcano traditos, non, ut hæc animalia ad corpora sua reversa Domino inservirent, sed ut animæ illorum itidem non nisi Domini sui animæ ministeria præstarent, ut antea præstiterant cum corpore conjuncta. Hæ, inquam, sententiæ sunt probabiliores, possuntque facillimo negotio concilari, ne adversâ fronte inter se pugnent. Videlicet, non ignotum nobis est, Gothos, ut gentem Germanicam, transmigrationem animarum in alia corpora credidisse cum aliis Germanis, de quibus Diodorus Siculus *lib. V. Biblioth. Histor. num. 28.* *Pythagoræ*, inquit, *apud illos opinio invaluit, quod animæ hominum immortales in aliud ingressæ corpus definito tempore denuò vitam capessant.* Et Cæsar. *lib. 6. de bello Gallico* supra medium de istis Germanis agens: *Imprimis*, inquit, *hoc volunt persvadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios.* Et quidem, quantùm suspicari licet, Germani hanc sententiam hauserunt à Gothis. Getæ namque, qui iidem sunt ac Gothi, (sicut non tantùm Veterum non pauci scripserunt, sed etiam plurimis Argumentis non ità pridem evincere conatus est Johannes Loccenius *lib. I. Antiqv. Sveo-Goth. cap. I.*) hanc sententiam acceperunt à Zamolxe Pythagoræ discipulo, & à Getis alii Germani. De Germanis jam supra Diodorum Siculum audivimus loqventem, nunc Herodotum de Getis audiamus: *Getæ*, inquit ille, *fortissimi Thracum atque justissimi mori se non putant, sed eum, qui defunctus est, meare ad zamolxin, quem nonnulli eorum opinantur eundem esse Gebeleizn — zamolxis hic homo fuit, Samiq; servitutem servivit Pythagoræ Mnesarchi filio. Illinc nactus libertatem, cum multum pecuniæ comparasset, in patriam rediit, qui, cum animadverteret Thraces malè viventes & insciè, ipse edoctus Jonicum vivendi genus & mores liberaliores quàm Thracum, ut quo conversatus esset cum Græcis, cumque Pythagorâ non infirmissimo inter Græcos Sophistâ, domicilium exstruxit, in quod primos quosque popularium in convivium accipiebat & inter convivandum docebat, neque suos convivas, neque se, neque illos, qui illic assiduè gignerentur, interire, sed in eum locum ire, ubi superstites omnium*

omnium bonorum compotes essent. Hæc Herodotus *lib. IV. in med.* Alii Scriptores diversas fuisse harum gentium de statu animæ post mortem sententias referunt. Sic enim Pomponius Mela *lib. II. cap. 2.* de Thracibus: *Alii redituras putant animas obeuntium, alii, etsi non redeant, non exstingvi tamen, sed ad beatiora transire.* Et Julius Solinus de iisdem Thracibus *in Polyhistor. cap. XVI.* sic scribit: *Nonnulli eorum putant obeuntium animas reverti; alii non exstingvi; sed beatas fieri magis.* Cum igitur & inter Gothos non una fuerit de statu animarum à morte sententia, adeò, ut alii Metempsychosin illam Pythagoricam, alii abitum ad zamolxin defenderint, mirum nobis videri non debet, & inter Prussos varias hâc de re fuisse sententias. Vel, si hoc non placet, proximum est, ut dicamus, Prussos Gothici sangvinis, quos Septentrionalem Prussiam tenuisse probavimus, transmigrationem animarum in alia corpora; alios verò reliquam Prussiam habitantes, migrationem animarum in alia feliciora loca, ubi tamen idem status earum futurus esset, qui antea fuerat in hâc vitâ, credidisse.

DIS-

DISSERTATIO XIV.

De

Originibus Religionis Christianæ in Prussia.

1. *Andreas Apostolus in Sarmatia Europæa munere suo fungitur. S. Thadæus & Bartholomæus an fuerint in Moscovia.* 2. *Cyrillus & Methodius. Russi miraculo conversi.* 3. *S. Adelbertus an fuerit Gnesnensis Archiepiscopus.* 4. *S. Adelberti Martyrium. S. Brunonis Episcopi martyrium in Prussia.* 6. *Dani in convertendis Prussis laborasse videntur.* 7. *Boleslai Reges & Duces Poloniæ Religionem Christianam in Prussiam introducere sæpe conati sunt.* 8. *Apostoli Prussis ex aliis oris missi.* 9. *Christianus Episcopus Prussorum, qui Duci Masoviæ Conrado auctor est ut instituat Equites Dobrinenses & tandem ut evocet contra Prussos Teutonicum Ordinem.* 10. *Prussorum pertinacia & apostasiæ.* 11. *Prussia dividitur in quatuor Episcopatus Episcopi illi enumerantur. Diœceses ipsorum quomodo fuerint divisæ.* 12. *Episcoporum Prussicorum & ordinis Teutonici studium in condendis templis, monasteriis, arcibus. Monasterium SS. Trinitatis. Monasterium Monialium Regiomonti. Polplinum, Oliva, Sukovia. Templum Gedanense B. Virginis. Templum Mariæ Insulanum.* 13. *Peregrinationes ad loca Sanctorum. Virgo Lindensis. Quedenau, S. Albrecht, Arnau, Mulhusia. Quercus S. Jodoci, S. Barbara, Culmsea, Insula Mariana, Judenkirch.* 14. *Negligentia in Ethnicismo exstirpando.* 15. *Contemptus Cleri.* 16. *Sectæ in Prussia. Fratrum in albis, Monachorum Thoruniensium.* 17. *Waldenses, D. Leander Wallenrodii tempore, Bona ordini Teutonico adimuntur in Bohemia, Novæ urbes.* 18. *D. Leandri dogmata, confidentia, obitus.* 19. *Major nobilitas in Prussia favet Hussitis, deinde etiam minor, & infima plebs. Dogmata Wiclevitarum. Henricus Plavenius Magister Wiclefitæ.* 20. *Tilmannus Hussita Gedani docet, cui consul Gerhardus Bek*

& Commendator arcis Rudolphus ab Eilenstein favent. Sternbergii interdicta. Chronica Prussica conquiruntur. 21. Sub Paulo Bellizero Hussitæ in Prussia. D. Andreas Pfaffendorff, docet Thorunii & Gedani. Dogmata Pfaffendorffii, ejus fastus, obitus. 22. Tauleristæ. 23. Sub Friderico Magistro Secta mirabilis. 24. Monachi S. Antonii Warmia. 25. Doctrina per D. Lutherum repurgata in Prussiam Ducalem introducitur. Primi ejus Doctrinæ Doctores à Luthero missi D. Brismannus & Amandus. Constitutiones, sive, ut vocant, Agendæ Ecclesiasticæ. Corpus Doctrinæ. Repetitio ejus. Pædagogium Regiomontanum. Academia Regiomontana. 26. Gedani primus eandem Doctrinam disseminat Jacobus Finkenblok. Privilegium Religionis à Sigismundo Augusto. Gymnasium Gedanense. 27. Thorunienses Privilegium impetrant Religionis liberè exercendæ à Sig. Aug. Gymnasium Thorunienſe. Elbingenses à Sig. Aug. eandem obtinent libertatem. Gymnasium Elbingense, Mevensis, Mariæburgensis. Rex Sigismundus Aug. & multi Episcopi faverunt Religioni per Lutherum disseminatæ. 28. Fratres Bohemici in Prussia Ducali. 29. Iidem in Prussia Regia, speciatim Thorunii. 30. Fratres Bohemici quomodo ex Prussia excesserint. Consensus Sendomirienſis quid damni intulerit Ecclesiis Augustanæ Confessioni addictis. Quando Thorunii Reformati cœperint Vocationes Lutheranas acceptare. 31. De Reformatorum in Prussia incrementis.

I.

FUndamenta Religionis Christianæ in Russia, Polonia, atque adeò universa Sarmatia Europæa, in qua Prussiam quoque nostram censemus, jecisse jam ipsum ANDREAM APOSTOLUM existimat Stanislaus Lubienscius Episcopus quondam Plocensis *in Proëm. ad Vitas Episcoporum Plocensium pag. 301. Operum.* Argumentum pro hac opinione petit non solùm ex Andreæ Apostoli Vita, in qua Andreas ex Achaja progressus, Istro transmisso Sarmatiam Europæam ingressus, revelatæ à Christo Servatore nostro veritatis lumen in Russiam, cui Polonia & Prussia ab antiquis usque temporibus fuit contermina, aliasque regiones intulisse memoratur: sed etiam ex Tertulliani *libro advers. Jud.* ubi

suo

uo tempore, puta, circa An. Chr. 195. Christianum nomen in Sarmatia Europæa viguisse testatur. Citat insuper Lubienscius Pagninum Tertulliani Commentatorem, qui eadem comprobat. Confer. & Gabriel. Bisciola *in Epit. Annal. Ecclesiast. Cæsaris Baronii ad An. 965.* Stephanus Damalevvicz *in Vitis Episcoporum Vladislaviensium cap. 1. pag. 15.* Quod si hæc vera sunt (minus probabilia certe esse non possunt) & in Prussia nostra lumen Evangelii fuisse accensum asserere non est absonum. Firmabimur in ea sententia magis, si respiciamus ad itinera S. Andreæ, quæ nobis describit Matthias Strykovvski Ossostevicius *in Sarmatia Europæa, quam nomini suo supposuit Alexander Gvagvinus.* Dicit enim ille S. Andream ex Græcia per Pontum Euxinum ad ostia Boristhenis fluvii, Dniepr dicti, appulisse, & inde Kioviam, tunc temporis Russiæ metropolim adverso flumine pervenisse, ibidemque omnem Russiæ terram baptizasse: Ex Kiovia ad fontes Boristhenis Dneprisko dictos contendisse, indeque in Novogardiam magnam, & hinc ad mare Balticum, & per hoc prætervecta Germania, Gallia, Hispania Romam pervenisse. Damalevicius, cum eandem ex Alexandro Gvagvino, quem *Sarmatiæ Europææ* auctorem esse putat, recenset historiam, addit in hoc itinere S. Andream Scythis, Moscis, Livonibus, Samogitis & Prutenis Evangelium prædicasse. Quod si quis ex illo S. Andreæ itinere, quod Prussi tunc sint conversi, probari posse neget, non adeò refragabimur, multò minus pro aris & focis pugnabimus; tamen sonum Evangelii per S. Andream prædicati huc usque, ut in regionem conterminam fuisse tunc delatum, negari nequit. Ne tamen quid dissimulem, non nescio Russos ipsos inter se non consentire, quis primus iis in oris semen verbi divini sparserit. Quanquam enim Strykovvski citato loco ad fidem Annalium Rusticorum provocet, sunt tamen ex Rusis, qui fidem Christi à S. Thadæo & Bartholomæo accepisse se dicunt, ut auctor est Damalevvicius *loc. cit.*

II. Primis à S. Andreæ Apostoli discessu temporibus an ad Ecclesiam Christi his in oris vel conservandam fovendamque, vel etiam primò plantandam aliqui fuerint missi, deficientibus eorum temporum monumentis, asserere non habeo. Per PONTICOS quidem POPULOS, quos Ovidius ad Canubium collocat, lumen

Evangelium, postquam â discessu S. Andreæ fuerat extinctum, denuò fuisse accensum probant Russorum Annales. Item sunt, qui per orientales Græcos Cyrillum & Methodium Constantinopoli missos sub Nicolao I. & Adriano II. Pontificibus Romanis, id est circa An. 867. à Michaele III. & Basilio Macedone Impp. Constantinopolitanis fidem Christianam in Poloniam esse invectam scribunt. Vid. Paulus piasecius *in Chronico pag. 48.* (40.) Cæsar Baron. *Tom. X. annal. ad ann. 867.* Occasionem hanc esse perhibet Zonaras. Rusi bello ab Imperatore afflicti pacem petierunt, quam eis ea lege concesit, ut doctrinam Christi amplecterentur. Quod cum promisissent, Episcopum, (alii duos illos, Cyrillum & Methodium nominant) ad eos misit. Is primùm docet eos de Christo, ejusq; miraculis, quibus doctrinam Evangelii confirmatam ajebat. Verùm illi negant posse se novum dogma amplecti, nisi Christus etiam sibi signum ederet. Episcopus jubet eos signum postulare, quod velint. Petunt illi, ut librum, in quo doctrina scripta esset, in ignem conjiciat, ac si contra vim flammarum eum integrum præstet Jesus, se in ipsum credituros promittunt. Rogus ergo accenditur, Episcopus librum in ignem mittit. Glorifica, inquiens, nomen tuum Christe Deus. Flamma Codici parcit, extrahitur illæsus, obstupescunt barbari & verbo fidem habent, baptismoque initiantur, ut ex Zonaræ *Tom. 3.* habent Centuriatores Magdeburgenses *Centur. 9. cap. 2. col. 14.* Eosdem Russorum Apostolos, Cyrillum & Methodium in Poloniam quoque penetrasse scribunt non pauci. Vid. Funccius *in Chronolog. ad Ann. 861.* Æneas Sylvius *lib. 1. Hist. Bohem. cap. 13.* Et quidem lingvâ populari sacra peragi in templis illi voluerunt, ut probant Centuriatores *dicto loco col. 18.* An verò in Prussia quoque, ut regione Russiæ Poloniæque contermina, dicti Russorum Apostoli, aut etiam alii occidentalis Ecclesiæ Antistites, verbi divini semen sparserint, dicto illo tempore, antiqua non determinant monumenta.

III. Seculo à reparata Salute decimo ADALBERTUS (Slavis dictus Woyciechus i. e. exercituum consolator) sive, ut ipsum vocant alii, ALBERTUS in Prussiam venit, gentem ethnicam, utpote post S. Andreæ Apostoli tempora in idololatriam relapsam Christo lucraturus. Hunc Adalbertum Bohemici & Germanici Scripto-

Scriptores Bohemiæ sive Pragensem Episcopum fuisse scribunt. Sic Auctor Vitæ S. Adalberti, Scriptor σύγχρονος. Adamus Bremensis *in lib. de Situ Daniæ cap. 77. pag. 147.* Helmoldus *lib. 1. Chron. Slav. cap. 1.* Theodorus Engelhusius *in Ottone III. pag. 187. Edit. Joannis Maderi.* Anonymus quidam *in Compilatione, ut vocat, Chronologica ad an. 994. quæ adjecta est Gervasio Tilberiensi Edit. Maderi pag. 126.* Paulus Langius Monachus *in Chron. Citicensi pag. 761.* Martinus Borek *in Boleslao Pio pag. 57. & seqq.* Hos omnes aliosque sequitur & D. Cœlestinus Mislenta *in præfat. ad Corpus doctrinæ Prutenicæ*, dictumque Adalbertum non aliter, quam Pragensem Episcopum nominat. Polonici Scriptores hanc laudem genti suæ vindicaturi, non negant quidem Adalbertum Pragensem in Bohemia fuisse Episcopum, addunt tamen, ipsum cum ex Bohemia in Poloniam venisset, à Boleslao Chrabri Rege Polonorum Gnesensi Archiepiscopatui præfectum, indè verò in Prussiam esse transgressum. Vid. Martinus Cromerus, Salomon Neugebauer aliique Scriptores Polonici, *ubi de Boleslao Chrabri Rege Polon. agunt.* Inprimis autem consuli potest Thomas Clagius *in Linda Mariana*, qui vehementer in D. Cœlestinum Mislentam ea propter invehitur. Verùm non est, quod Clagius propterea Mislentæ succenseat cum vix videatur verisimile, S. Adalbertum, qui bis antehac Episcopatu Pragensi vel suorum improbitate exagitatus, vel vitæ monasticæ amore, vel etiam paganorum convertendorum studio, abierat, fuisse Gnesnensem Archiepiscopatum susceperturum, etiamsi ipsi à Boleslao Chrabri Rege Poloniæ fuisset oblatus. Manifestum etiam hoc est ex eo, quod Veteres Polonici Scriptores de Archiepiscopatu Adalberto in Polonia collato nihil habeant. Apud Vincentium certè Kadlubkonem altum est ea de re silentium. Primus, qui Adalbertum à Boleslao Rege Gnesnensem Archiepiscopum fuisse creatum prodidit, est Johannes Dlugossius, qui quinque propemodum seculis Adalberto fuit inferior. Ut taceam adhuc in dubio esse, fuerit ne tunc temporis Archiepiscopatus ille jam institutus. Quodsi namque Dithmarum Mersburgensem audimus, Archiepiscopatus ille demum erectus est post Adalberti tempora, cum Otto III. Imperator sepulcrum hujus Martyris invisurus Poloniam intrasset. Vid. Diethmarus Mersburg. lib. 4.

lib. 4. Chron. pag, 84. Idem quoque ex Baskone antiquo Scriptore Polonico probari posse, docuimus *lib. 2. de Republ. Polon. cap. 3. n. 2.* Satius igitur fortassis erit, si dicamus, Adalbertum Pragensem fuisse Episcopum, cum verò pertinax illa in cultu Idolorum gens Evangelium aspernaretur, ipsum, impetratâ à Pontifice Romano veniâ, vitam suam omnem Ethnicis convertendis consecrasse, sicque à Bohemis ad Hungaros, ab Hungaris ad Polonos, qui paulò ante Christiana sacra susceperant, à Polonis denique ad Prussos contendisse, non ut Episcopatui alicui præficeretur, sed ut conversioni Ethnicorum operam & sangvinem suum impenderet.

IV. S. Adalbertus Prussiam ingressus, Ossam amnem, in Culmensi tractu, cymba tranavit; cumque quo portitori naulum solveret, non haberet, remô miserè vapulavit, quemadmodum recentiores Historici nostri, sine dubio Simonem Grunovium secuti referunt. Scriptor Vitæ S. Adalberti, ipsi Adalberto σύγχρονος ejus rei non meminit, sed Adalbertum cymbâ ad urbem Gedaniæ, inde verò naviculâ conscensâ ad interiores Prussiæ partes, per quas dubio procul Sembiam Prussiæ Provinciam septentrionalem intelligit, delatum esse tradit. Hic Adalbertus pagos vicosque obeundo Barbaris viam salutis monstrat, atque præcipua fidei Christianæ capita enarrat. Sed Flamines Prussici rem illam ægrè ferentes in eum populum concitant, insidiis ipsum petunt, sacris denique operantem juxta oppidum ad lacum recentem in Sambia situm, quod Fischhausen postmodum Germani vocarunt, lanceis confossum, contrucidant. Factum id esse perhibetur An. 997. d. 23. Mensis Aprilis, ut ex Dlugosso & Skarga refert Stephanus Damalevicius *in Vitis Episcoporum Gnesnensium pag. 64.* Eundem annum signat & Lambertus Schafnaburgensis. Sed Marianus Scotus habet An. 995. Fabulas de particulis corporis S. Adalberti in unum coalescentibus, quas Simon Grunovius aliique referunt, cumulare hîc non attinet. Puduit certè harum Damalevicium, qui eas in Vita S. Adalberti omisit. Neque quidquam de illis habent Albertus Ines *in Lechiade part. 2. in Boleslao 1.* & Andreas Mlodzianovvski *in Elogiis*, etiamsi plurima alia de Alberto habeant. Sed neque illud fidem omninò meretur, quod omnes Scriptores Polonici recentiores asserunt, Boleslaum Regem, dilatâ in tempus commodius ultione,

ultione, cum Pruſſis ita pepigiſſe, ut Pruſſis tantùm auri, aut, ut alii referunt, argenti daretur, quantum corporis pondus adæquaret. Sed poſtea appenſo in ſtaterâ corpori divinâ, ut creditum eſt, virtute id efficiente pondus perexiguum fuiſſe. Hinc Andreas Mlodzianovvski:

Impoſito libræ Præſul cum veniit auro,
Lanx oſtendit onus Lipſana ſacra leve.
Albertus cœlum, terras repetebat at aurum
Quæſivit centrum pondus utrumque ſuum.

Gemina his ante Mlodzianovium ſcripſerat Albertus Ines in Elogio Boleslai Chrobri Regis. Hæc & alia commatis ejusdem uberius enarrata vide apud D. Cœleſtinum Mislentam *in Prolegomen. ad Manuale Prutenicum. Lit. b.* Mihi certe illud non fit veriſimile, Pruſſos, quos aurum argentumque nihili æſtimaſſe ſcribunt Adamus Bremenſis & Helmoldus, ut ſuo loco probavimus, tunc auri adeò cupidos fuiſſe, ut corpus S. Adalberti, niſi tanto precio redemptum, reddere noluerint. Sed miſſis his pergamus ad veriſimiliora. Boleslaus Rex compoſitis bellis Bohemicis, Saxonicis & Ruſſicis totâ vi Pruſſis incubuit, qui tandem bello fracti conditionibus his pacem impetrarunt, ut & Polonis tributum penderent, & Chriſtianam Religionem ſuſciperent. Et ne Pruſſis ad idolorum cultum ulla relinqueretur occaſio, Quercum Romoveanam, ut habent Pruſſici Scriptores recentiores, cum tribus Diis majoribus, Percuno, Picollo, Potrimpo combuſſit. Verum ſimul ac Boleslaus receſſiſſet, receſſit etiam Pruſſorum timor, adeò ut eadem facilitate Chriſtiana ſacra rejicerent, quâ antehac ſuſceperant. Vid. Joan. Dlugoſius *Tom. 1. Hiſtor. Polon. lib. 2. ad an. 1015. pag. 152. ſeq.* Cromer. *lib. 3. de Ortu & Reb. geſt. Polon. pag. 442. ſeq.* Caſp. Schuz *in Chron. Pruſſ. lib. 1. fol. 8. b.* Caſp. Henneberg. *de Vet. Pruſſ. fol. 10. ſeqq.*

V. Iisdem Boleslai I. Regis Poloniæ temporibus venit in Pruſſiam BRUNO Epiſcopus cum aliquot ſociis, ut Pruſſos idololatras in Religione Chriſtiana erudiret. Sed neque ille meliora laboris impenſi præmia retulit à Pruſſis. Audiamus de ipſo Dithmarum Mersburgenſem, qui dictum Brunonem proximâ contingebat cognatione: *In duodecimo*, inquit Dithmarus, *converſionis ac incly-*

inclytæ conversationis suæ anno ad Prussiam pergens steriles hos ægros semine divino studuit fœcundare: sed spinis pullulantibus horrida non potuit facile mollire. Tunc in confinio prædictæ regionis & Russiæ cum prædicaret, primo ab incolis prohibetur, & plus evangelizans capitur, denique amore Christi, qui Ecclesiæ caput est XVI. Cal. Mart. mitis ut agnus decollatur cum suis XIIX. Corpora tot martyrum insepulta jacuerunt, quoad Bolislaus id comperiens, eadem mercatur, ac domui suæ futurum acquisivit solatium. Hæc Dithmar. Mersburg. *lib. 4. Chron. pag. 176.* Eadem habet Abbas Urspergensis ad An. 1008. *pag. 164.* quando dicit, Brunonem hunc à Prucis multis affectum suppliciis & manibus abscissis, postremò capite esse plexum. Compilatio Chronologica Auctoris incerti Gervasio Tilberiensi à Joachimo Johanne Madero subjuncta ad Anno 1008. *pag. 127.* hæc quoque habet: *S. Bruno de Quervorde patitur.* Non addit verò locum, ubi sit passus. Chronicon Stederburgense Anonymi cujusdam, quod Henricus Meibomius in suis opusculis edidit ad An. 1012 *pag. 271.* de S. Brunone sic loquitur: *Bruno Episcopus à Prucis multis suppliciis affectus cœlos petiit.* Albertus denique Cranzius *in Metropoli lib. 4. cap. 3.* de eodem Brunone agens: *Bruno Episcopus,* inquit, *devotionis gratia in Prussos profectus, ut illis Christum evangelizaret in ea gente coronatur martyrio.* Tot igitur tantique Scriptores cum de Brunone Episcopo in Prussia martyrii coronam adepto testentur, mirari satis nequeo, cur neque Polonici neque Prussici Scriptores quidquam de eo memoriæ prodiderint. Invenio quidem in Historia Prussica, Brunonem Olomucensem huc in Prussiam venisse; sed hic cum illo confundi non debet. Ille namque fuit Episcopus Querfurdensis, hic Olomucensis; ille ad exitum vergente Seculo X. in Prussiam venit, hic medio Seculo XIII. Ille sangvinem in Prussia pro Christo fudit, hic maximo cum honore in Patriam suam reversus est. *Confer. ea quæ in Animadversionibus nostris de eo Brunone diximus ad Petr. de Dusburg. part. 3. cap. 27. ubi de urbe Brunsberga.*

VI. Circa eadem tempora & ex Dania videntur huc viri sancti transiisse, atque agro Domini excolendo non sine fructu insudasse. Hoc ut credamus, movet nos auctoritas Adami Bremensis, qui *lib. 2. Hist. Eccles. cap. 43. (96.)* de Olao Rege, qui circa An. 1020.

1020. à fratre suo Canuto Rege Daniæ occisus est, ita loquitur: *Cujus* (videlicet Olai, quem ille Olaph nominat) *passionis festivitas agitur IV. Calend. Augusti omnibus septentrionalis Oceani populis Sveonum, Gothorum, SEMBORVM, Danorum atque Slavorum æterno cultu memorabilis.* Ex quibus duo possunt elici. Primum enim hoc inde colligitur, operâ Olai hujus Prussis fuisse verbum Dei prædicatum, cum ille ad Gothos, Sveones, Sembos, Danos, Slavos, studio proferendæ religionis Christianæ, Doctores & verbi divini præcones emitteret, quod nisi fuisset factum, memoria Regis hujus non fuisset apud Prussos dicto modo celebrata. Deinde & hoc ex verbis Adami sponte suâ fluit, fuisse apud Prussos in Sambia aliquot Ecclesias constitutas templaque excitata; alioqui dicere non potuisset, Sembos quoque festum hunc diem Olao sacrum celebrasse. Sed neque tunc Religio Christiana potuit radices agere, cum ex subsequentium temporum Historia satis eluceat, Reges Poloniæ subsequentibus quoque seculis parum aut nihil in hoc negotio profeciſſe, etiamsi viribus omnibus illud egerint, ut pertinacem hunc in religione sua populum salutari doctrinâ imbuerent.

VII. Post Boleslai I. Regis Pol. fata tres alii Boleslai in Prussia ad Christum convertenda desudasse leguntur. Cum enim Miecislao II. (Boleslai filio) Rege Prussi imperata facere detrectassent, neque ab eo successore neque ejus Casimiro ad officium essent revocati, ut habet Schuz *lib. 1. Chron. Pruss. fol. 8.* Boleslaus Audax Poloniæ Rex Prussis bellum fecit, eoque, vario Marte gesto, ad extremum ipsis jugum cum religione Christiana imposuit. Joan. Dlugossius *lib. 6. ad an. 1064. fol. 234. seq.* Casp. Schuz. *lib 1. fol. 9. b.* Tolerarunt id jussum Prussi metu Boleslai tempore non exiguo. Sed eo è regno pulso, meliorem sibi magisque faventem fortunam polliciti, Polonis rebellant, & quo majore vi Poloniæ incumbant, fœdus cum Pomeranis pangunt, libertatem suam contra Polonos asserturi. Non successit tamen ipsis ille conatus. Attritis quippe non parum viribus ad obsequium rediere. Dlugoss. *lib. 4. ad an. 1092. pag. 291. seqq. & ad an. 1093. pag. 294.* Neugebaur. *lib. 3. Histor. Polon. pag. 71. seqq.* Post hæc videlicet Sec. XII. BOLESLAUS III. cognomento Crivoustus, à distorto ore ita dictus, Princeps immortalitate dignissimus, cum Prussi Masoviam infestis agminibus depo-

pulari cœpissent, denuo ipsos adortus est, fractosque non uno prælio imperium Polonicum & simul Christiana sacra reducere coegit, non meliore tamen successu, atque à Decessoribus ejus factum. Eo siquidem è vivis sublato, ad pristinos errores suos redierunt. Vid. Dlugosius *lib. 4. passim.* Non tamen unquam religionis Christianæ per Prussiam propagandæ major spes affulsit, quam circa medium Seculi XII. BOLESLAO IV. CRISPO Regnum Polonicum administrante. Tunc enim Prussi metu adacti loca cultui Deorum destinata jam profanare, certatim Christo nomina dare, liberos suæ Christianis ritibus imbuere. Sed mox ad ingenium redeũtes Polonicum exercitum in uliginosa loca dolis pertractum, cecederunt. Vid. Vincent. Kadlubko *lib. 3. Chron. Polon. epist. 31. pag. 374. seqq.* Salom. Neugebauer. *lib. 3. Histor. Polon. pag. 107. seq.*

VIII. Sub initium Sec. XIII. distracto in plures partes Poloniæ Regno, Principes Polonici omnem Prussorum convertendorum curam ac solicitudinem planè abjecerunt. Alias tamen interea gentes de Prussorum salute fuisse solicitas legimus. Etenim Auctor Chronici Montis Sereni, quod Joachimus I. Maderus edidit, notat ad An. 1209. Primos genti Prutenorum Prædicatores fuisse missos. *Vid. Chron. citatum pag. 87.* Quod tamen ita simpliciter accipiendum non est, ut non ex hactenus dictis tantùm, sed etiam ex hoc ipso, de quo agimus Chronico palàm fit. Agnoscit quippe modò laudatus Auctor *ad An. 1215. pag. 109.* Sancti Adalberti Martyrium, quod jam Sec. X. in Prusia contigit. Fortassis igitur illa verba hoc modo intelligenda sunt, ex quadam Germaniæ parte primos tunc Doctores Evangelii missos in Prussiam. Sed cum aliorum Scriptorum monumenta de his Doctoribus prorsus nihil habeant, quid hic statui debeat, difficile dictu est.

IX. Paucis post annis, videlicet circa An. 1215. fuit in Prussia Monachus quidam Ordinis Cistercienſis, nomine CHRISTIANVS, qui magna sedulitate verbi divini semen in Prusia sparsit, quod tamen initio non nisi in spinas & sentes cecidit. Hunc Christianum alii monachum cœnobii Olivensis, quod juxta Gedanum est, fuisse, ejusque Conventûs auctoritate ad Prussos convertendos accinxisse se tradunt: Alii autẽ ipsum à Pontifice Rom. ad hoc negotium huc ut Prussiæ Episcopum missum dicunt, licet nulla tunc adhuc

huc Prusſiæ pars Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſet. Poſterior hæc ſententia, utantiquorum Scriptorum auctoritatibus ſatis confirmata, priori præferenda eſt. Fovet enim eam Nicolaus Jeroſchinus antiquus Dusburgii Interpres, item alius Chronici Prusſiæ Germanico idiomate ſcripti auctor antiquus, quem ego Paulo Bellizero Magiſtro generali imperante vixiſſe puto. Neqve abit ab illa ſententia Chronici Montis ſereni Scriptor Anonymus : *Chriſtianus*, inquiens, *primus poſt beatum Adalbertum genti Prutenorum Epiſcopus conſecratus eſt.* Hæc ille *ad an. 1215. pag. 109.* Quæ verba ſatis indicant apertè, duos illos S. Adalbertum & Chriſtianum hunc, de quo jam agimus, publica Romani Pontificis auctoritate huc ut Epiſcopos Prusſiæ miſſos. Concedit quidem laudatus auctor & alios poſt Adalbertum & ante Chriſtianum & alios huc fuiſſe miſſos verbi divini Præcones, ut numero ſuperiore diximus, quos tamen, quod cum tanta poteſtate non acceſſerant, minusque in hoc negotio inter Pruſſos præſtiterant, omittit, ita ut dicat Chriſtianum primum poſt Adalbertum genti Prutenorum Epiſcopum eſſe conſecratum. Hic Chriſtianus in Prusſiam delatus omnes nervos in id contendit, ut pervicacem hanc gentem ad ritus Chriſtianos pertraheret. Itaque primùm Prusſiam, maximè verò Culmenſem Provinciam, peragravit, rudem populum docendo & myſteria ſacra fideliter adminiſtrando. Sed hoc modo nihil agere ſe cernens, auctor fuit Conrado Maſoviæ Duci, ut Equites de Dobrin, de quibus in Animadverſionibus ad Petr. de Dusburg à nobis actum, inſtitueret, Prusſisque Maſoviam longè latèque vaſtantibus obji-ceret, ut Pruſſos non tantum à devaſtationibus illis prohiberent, ſed etiam Chriſtianæ Religionis negotium ibidem locorum pro virili promoverent. Sed fruſtra. Cæſi à Prusſis Equites de Dobrin, ſpes Conradi Ducis & Chriſtiani Epiſcopi Prusſiæ planè non impleverunt. Quæſiti ſunt ſub hæc alii Pruſſorum convertendorum modi, nullusque Chriſtiano commodior viſus (quoniam omnes modi mitiores in gente hac admodum pertinaci nullo plane ſucceſſu ſunt adhibiti) quam ut Equites Ord. Teut. quorum tunc fama per omnes Europæ partes celebrabatur, arceſſerentur. Placuit conſiliũ Conrado, qui ſine mora nuncios ad ipſos mittit, Culmenſem tractum ipſis offert, loca idonea caſtellis communiturum ſe, & auxilio

contra Prussos futurum promittit. *Vid. Animadversiones nostr. ad Dusburg. part. 2. cap. 5.* His allectus Hermannus de Salza IV. Ordinis Teutonici Magister certa Pacta An. 1226. cum Conrado Duce iniit, inde An. 1230. misso in Prussiam Hermanno de Balke Primo Prussiæ Provisore, vel ut postea successores ejus vocabantur, Magistro Prussiæ Provinciali, Prussos aggressus est, quos tamen non nisi 53. annis domuit, simulque ad sacra Christiana recipienda compulit. Quæ primæ Ecclesiæ fuerint à Prussis erectæ, discere licet ex Privilegio Prussis veteribus à Jacobo Legato Pontificis Anno 1249. concesso, quod consulatur.

X. Cæterùm non poterant statim Cruciferi Iolium hoc errorum Ethnicorum funditus exstirpare, quin identidem repullularet, majorique etiam cum impetu aliquando prorumperet. Etenim Prussi, quibus nova religio non suspecta tantùm, sed etiam perniciosa videbantur, aliquoties ad Ethnicismum relapsi leguntur. Cum autem de rebellionibus Prussorum Dusburgensis noster egerit satis copiosè, leviter tantùm illas attigisse sufficerit. Prima contigit An. 1240. auctore Sventopelco Duce Pomeraniæ, duravitque triennium. Vid. Dusburg. *part. 3. Chron. Pruss. cap. 31.* Secunda An. 1260. in qua sibi quæque gens Ducem exercitus elegerat, duravit 15. annis. Dusburg. *part. 3. cap. 84. & 167.* Tertia ex quorundam sententia incidit in tempora Hannonis de Sangerhausen Magistri Generalis, duravitque septennium totum usque ad tempora Hartmanni de Heldrungen, ut habet Cœlestinus Mislenta *in Prolegomon. ad Manuale Prutenicum.* Dusburgensis autem hanc rebellionem & à Christiana Religione secessionem totam refert contigisse Hartmanno de Heldrungen imperante *part. 3. Chron. cap. 184.* Quarta contigit An. 1286. duravitque annum unum, de qua Dusburg. *part. 3. cap. 222.* Quinta denique refertur ad Ann. 1295. Vid. idem Dusburg. *cap. 255.*

XI. Ut autem eò nobis evidentius appareat, quis Ecclesiæ Christianæ status à primo Teutonici Ordinis in hanc regionem ingressu fuerit, paulò quædam altius nobis erunt repetenda. Anno à reparata salute 1242. nondum totâ Prussiâ per Teutonicum Ordinem domitâ, cum Innocentius IV. Pontifex Romanus de Christianæ religionis in Prussia factus esset certior, misit huc Wilhelmum Mutinen-

Mutinensem Episcopum, qui posthæc ad Pontificatum evectus, nomen Alexandri IV. sibi sumpsit. Hic omnem Prussiam in quatuor divisit Episcopatus, ut jam in Animadversionibus nostris ad Dusburgensem *part. 3. cap. 33.* docuimus, latiusque ex ipsis Diplomatibus, Pontificis, Legati, ipsiusque Imperatoris, qui hæc ipsa confirmavit, elucebit. Hic autem dictarum Ecclesiarum Antistites erunt enumerandi.

IN WARMIA FUERUNT EPISCOPI SEQUENTES.

ANSHELMUS, natione Misnicus, Ordinis Teutonici Frater, ut eum disertis verbis appellat Dusburgensis noster, quin & ipse Anshelmus in Privilegio hujus Episcopatus vocat se Fratrem Anshelmum Ordinis Hospitalis S. Mariæ Hierosolymitanæ. Alii Ordinis Franciscanorum Fratrem ipsum fuisse, cumque aliis ejus Ordinis Fratribus ab Innocentio IV. Pontifice ad Prussos convertendos missum asserunt. Sedes ejus fuit Brunsberga, ubi Ecclesiam sub nomine S. Andreæ, item sedecim Canonicos & quatuor Prælatos constituit. Quercum, cultu Curcho Deo à Prussis Veteribus præstari solito celebrem, juxta oppidum Heiligenbeil, evertit. Postremò cum à Prussis Barbaris Brunsberga urbs esset combusta, concessit Elbingam, ubi tandem senio confectus vitam cum morte commutavit, inque Arce in sacello S. Andreæ honorificè sepultus est.

HENRICUS I. Decanus antea Brunsbergensis, Brunsbergam in eum in quo nunc sita est locum transtulit. Wormditi & Gutstadii aliquot ædificia excitavit. Frauenburgum condidit. Ejus quippe temporibus vixit Soupna ex antiqua Nobilitate Prussica oriunda, quæ ad Christianam fidem conversa, cum nullos haberet liberos, hæredem ex asse bonorum scripsit Henricum Episcopum, qui in ejus fœminæ memoriam oppido Prauenburgi nomen dedit, eodemque Ecclesiam transtulit Cathedralem, quæ etiam nunc Warmia vocatur.

EBERHARDUS ex Canonico Episcopus legitimè à Capitulo, ut vocant, sive à Collegio Canonicorum consveto tunc more

electus. Condidit Wormditam, Gutstadium & Heilsbergam. Ejus tempore, ut habet Thom. Treterus, Ordo Teutonicus Bartensteinium & Schippenbeiliam ad Episcopatum Warmiensem pertinentes urbes, sibi usurpare cœpit, cumque Ordo ea oppida restituere nollet, delatâ re ad Pontificem, controversia hunc in modum est composita. Ordo redderet Episcopo dictas urbes: contra verò Episcopus ex Cruciferis generalem Episcopatus Advocatum (Landvogd) constitueret, quæ lex obtinuit usque ad Franciscum Kubeschmalz Episcopum, de quo postea. Sed quid ea de re sit sentiendum in Animadversionibus nostris ad Dusburgensem dictum est. Schippenbeiliæ certè initia Hennebergerus refert ad An. 1319. quo tempore Conditor urbis fuit omnibus notus, nisi dicas, de ipso condendæ urbis loco fuisse tunc certatum, donec controversia dicto modo determinaretur. Obiit Episcopus, sepultusque est Warmiæ Anno 1326. d. 8. Junii, cum jam esset senio confectus.

JORDANUS ex Canonicis concordibus suffragiis electus affectâ jam ætate, duos tantum annos & sex insuper menses Warmiensi præfuit Ecclesiæ, obiit Heilsbergæ & sepultus in Ecclesia Warmiensi An. 1328. d. 6. Kal. Xbris.

HENRICUS II. cognomine Wagenachs, Regiomonti natus in Prussia, ex Canonico Episcopus à Collegio Canonicorum creatus. Sepultus est in Ecclesia Warmiensi.

HERMANNUS de Praga Dominus in Libenstein in Moravia Joannis I. Regis Bohemiæ Orator & à Consiliis, in Prussiam, volente sic Canonicorum conventu, à Pontifice Romano missus, ut esset, qui contra Cruciferorum impotentiam Episcopatus hujus jura defenderet. Hic Episcopus Bona ita divisit, ut Episcopo duæ cederent partes, Capitulo una. Condidit Seburgum, Bischteinium, novamque Civitatem Brunsbergensem. Obiit An. 1350. Sepultus in Ecclesia Warmiensi.

JOANNES I. natione Misnicus, antea Decanus Warmiensis à Canonicorum Collegio, nequicquam reclamante Ordine Teutonico electus, obtinuisse dicitur, ut Ecclesia Warmiensis soli Sedi Apostolicæ esset subjecta, quod nec Ordini Teutonico,

nec

nec Archiepiscopo Rigensi placuit. Ejus tempore Quercus Romoveana excisa esse à quibusdam, licet perperam, memoratur. Erroris occasio non est alia, quam quod hujus Episcopi tempore in eo loco ubi olim Quercus dicta steterat, monasterium S. S. Trinitatis conditum sit. Erexit hic Episcopus Heilsbergensem & Sehburgensem arces, Ecclesiam quoque Frauenburgensem magnificè exstruxit. Obiit An. 1355.

JOANNES II. Streifrok dictus, Lipsiensis patriâ, ex Canonico Frauenburgensi Episcopus electus, Magistro Teutonici Ordinis frustra reluctante, aliumque Episcopum Capitulo obtrudere volente. Condidit Wartenburgum oppidum. Ejus quoque tempore Bartensteinium, Rastenburgum & Schippenbeilium, missis ab utraque parte Inquisitoribus, Ordini adjudicata sunt, quæ controversia tamen deinde resuscitata, neque ab ipso Pontifice Romano potuit sopiri.

HENRICUS III. Elbingensis, Sorenbaum dictus, Caroli IV. Imperatoris à Secretis, à Gregorio X. ad Episcopatum Warmiensium missus, cessit jure suo quod omnes ante se Episcopi in Bartensteinium Schippenbeilium & Rastenburgum, ut & adjuncta territoria prætendebant. Brunsbergenses rebellantes ad obsequium revocavit. Wartenburgum & Bischteinium oppida muris cinxit. Aliquot insuper collegiatas, quas vocant, Ecclesias, ut Bischteinensem & Guistadiensem erexit. Obiit An. 1401. d. 13. Jan. sepultus in templo Warmiensi.

HENRICUS IV. dictus Heilsberg de Vogelsang J. U. D. & Canonicus Warmiensis. Cum Wladislaus Jagello Rex Poloniæ & Vitoldus M. Dux Lithv. victoriâ de Cruciferis A. 1410. reportatâ latè per Prussiam victricia circũferret arma, Episcopus, ut ab Episcopatu suo vastitatem prohiberet, ingenti pecuniæ summâ oblatâ Warmiens. terram præstitit incolumem. Sed eapropter ab Henrico Plavenio Magistro proditionis postulatus, ægrè habitu mendici sumto evasit. Inde quadriennio exacto, à Sigismundo Imperatore restitutus est. Decessit ex hac vita non sine suspicione veneni An. 1415. Mense Junio, sepultusque est Warmiæ.

JOANNES III. Abziher dictus, Patriâ Thorunienſis J. U. D. Præpositus

positus & Canonicus Frauenburgensis. Auditor Rotæ in Concilio Constantiensi. Martini V. Pontificis Camerarius Apostolicus concordibus Canonicorum Frauenburgensium suffragiis electus, & in Constantiensi concilio ab Archiepiscopo Rigensi Episcopus consecratus. Primò Teutonico Ordini addictior, sed postea variis terræ Varmiensi illatis injuriis exacerbatus, actionem Ordini sine dubio intendisset in Aula Pontificis & Imperatoris, nisi variis promissis à Magistro ex itinere fuisset retractus. Heilsbergæ vitâ functus, Frauenburgi An. 1424. d. 11. Febr. sepultus est.

FRANCISCUS KUESCHMALZ Reselliensis Fabri ferrarii filius, Præpositus & Canonicus Frauenburgensis à Capitulo electus. Cum contagiosa lue in terra Varmiensi jumenta Colonis essent exstincta propemodum omnia, Episcopus magnis ex Svedia, Dania locisque aliis coemit armenta sumtibus, colonisque suis distribuit. Interfuit Concilio Constantiensi nomine Prussici cleri. Reversus inde Cruciferorum rebus plus justo favere visus est. Ejus tempore Ludovicus ab Erlichshausen Magister â Nicolao V. obtinuit, ut duos Ordinis Teutonici Fratres in Collegium Canonicorum Warmiensium cooptare posset. Sed hoc ipsum deindè Pontifex irritum reddidit, ut in Animadversionibus ad Dusburgensem probavimus. Obtinuit insuper hic Episcopus ab Ordine Teutonico, ut ipse ex Nobilibus Warmiensibus, quem vellet Advocatum Terræ Varmiensis constitueret, secus atque ab Eberhardo Episcopo ad sua usque tempora fiebat. Propter hujus Episcopi cum Joanne de Bayssen lites, Ordines Prussiæ fœdus percusserunt, & tandem etiam Regibus Poloniæ sese dediderunt. Episcopus Ordinis Teutonici nomine Legationem cum apud Imperatorem obiisset, inque Episcopatum reverti vellet, ab Ordinibus Prussicis est exclusus. Hinc varia perpessus Wratislaviam concessit, ubi An. 1457. d. 10. Junii mortuus & postea in templo S. Joannis sepultus est.

SCHISMA IN EPISCOPATU WARMIENSI.

In bello tredecennali cum Canonici varia in loca essent sparsi, post

post Franciſci obitum aliis alium ſibi elegerunt Epiſcop. Qui Gedanum conceſſerant, elegerunt Jo. Linckonem Decanum Gneſnenſem: Qui Regiom. degebant Arnoldum de Venrade Cantorem & Canon. Warmienſem: Qui denique Glogoviæ in Sileſia commorabantur Epiſcopalem dignitatem detulerunt ad Æneam Sylvium gente Piccolomineum S. R. E. tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem.

ÆNEAS SYLVIUS ex enumeratis illis à Pontifice tandem confirmatus eſt in Epiſcopatu Warmienſi, quem tamen nonniſi per procuratores adminiſtravit, bellis inteſtinis Pruſſia fumante. Sed Anno 1458. in Pontificatu Romano Calixto III. ſuffectus nomen Pii II. ſibi ſumſit. Et ſic Epiſcopatum Warmienſem, quem nondum adierat, aliis ſucceſſoribus reliquit.

PAULUS de LEGENDORF, Nobilis Prutenus Canonicus Warmienſis & Protonotarius Apoſtolicus à Pio II. Epiſcopus Warmienſis eſt conſtitutus, qui etiam An. 1464. Epiſcopatum hunc obtinuit. Hic deinde An. 1466. bello Pruſſico confecto dedit ſe in clientelam Regis Poloniæ Caſimiri Jagellonidis. Ad extremum à Magiſtro Bartenſteinium ad colloquium evocatus, à tibicine veneno accepto in morbum lethalem incidit, & Brunsbergæ mortuus ſepultusque eſt. Alii An. 1467. contagione ipſum exſtinctum ferunt.

SCHISMA IN EPISCOPATU WARMIENSI.

Exſtincto Paulo de Legendorff Vincentius Kielbaſſa Epiſcopus Culmenſis & Adminiſtrator Pomezanienſis à Rege Caſimiro ſuffectus eſt. Sed à Canonicis Varmienſibus interea temporis eligitur legitimè Nicolaus à Tungen à pago diſtrictus Wormditenſis ita denominatus, Canonicus Warmienſis apud Paulum II. Pont. Rom. Brevium Apoſtolicorum Scriptor, isque à Pontifice in Epiſcopatu confirmatur, qui tamen morbo graviſſimo præpeditus, Eccleſiam ſibi concreditam adire longo tempore non potuit. Vincentius Kielbaſſa cum ſe ſpe Epiſcopatus fruſtratum animadverteret, & Canonicis & incolis terræ Warmienſis gravis eſſe cœpit, quo ipſo animos omniũ ita in ſe concitavit, ut Caſimirus Rex alium, nempe Albertum Opporovium Secretarium ſuum Kielbaſſæ ſubſtituere, ut exacerbatos Warmienſium animos demulceret, adactus ſit. Sed & huic nominatione Procuratores Nicolai vehementiſſimè reſtiterunt. Accedit deinde viribus recuperatis Nicolaus

in Prussiam. Controversia in aula Regis aliquandiu agitata, postremò ad aulam Pontificis defertur. Inter hæc Opporovius armata manu Episcopatum occupare nititur. Sed repulsus ab incepto destitit. Nicolaus quoque cum in odium Ordinum Prussiæ ob exclusum Michaelem Erdmannum Consulem Gedanensem, cui cura Episcopatus Warmiensis erat demandata, incurrisset, societatem cum Martino Truchsessio Magistro Teutonici Ordinis contra Polonos init bellumque Polonis infert. Sed variis cladibus utrinque acceptis, tandem

NICOLAUS de TUNGEN An. 1479. ad d. 5. Joannis Petricoviam, cum Magistro Ordinis Teutonici venit, ibique paucis post diebus jurejurando præstito à Rege in gratiam receptus in Episcopatu Warmiensi confirmatus est. Excessit tandem è vivis An. 1489. d. 14. Febr. sepultusque est Frauenburgi.

LUCAS WEISSELROD, aliàs dictus de ALLEN Thorunienſis, J. U. D. Canonicus Warmiensis à Canonicis electus & à Pontifice confirmatus est, ægre illud ferente Rege, quod inscio ipso fuerit ad hanc dignitatem evectus. Ordini Teutonico fuit infensissimus prohibuitque, ne eidem Prussiæ totius administratio pro annua quinquaginta millium florenorum pensione concederetur. Evocatus inde ab ArchiEpiscopo Rigensi comparere noluit, libertatem Ecclesiæ suæ ab auctoritate Metropolitica prætendens. Obiit Thorunii delatusque Warmiam, An. 1512. Dominica Jubilate sepultus est.

FABIANUS ex Nobili familia LUSINIANORUM, quæ in tractu Reselienſi erat ortus, J. U. D. & Canonicus Varmiensis, vir doctus sed effeminatior, utpote qui de consilio matris omnia gerebat. Jurisdictionem sacram, quam in Ordinis Teutonici ditionibus habebat, amisit. Incolis enim Ordini Teutonico subjectis jam agmine facto doctrinam per D. Lutherum reductam amplectentibus, adeò non restitit, ut etiam eam doctrinam apertè satis probaret. Morbo Gallico, ut refert Thomas Treterus, correptus, obiit An. 1523. Heilsbergæ.

MAURITIUS FERBER Dantiscanus J. U. D. propè sexagenarius electus est à Capitulo in Episcopum Warmiensem. Antea fuerat Leonis X. Pontificis Camerarius & Notarius Apostolicus. Inde Custos & Canonicus Warmiensis, Lubecensis, Revalienſis, Derptenſis, & Perœcus Gedanensis ac Melsacensis. Tandem verò

An. 1523.

An. 1523. Episcopus Warmiensis. Hic aulam Episcopalem Warmiæ ad templum cathedrale magnificè exstruxit. Lutheranos, ut vocant ex Episcopatu suo ejecit. Mortuus An. 1537. sepultusque in Ecclesia Warmiensi.

JOANNES à CURIIS, vulgò Flachsbinder. Dictus etiam DANTISCUS, quoniam erat Dantisci natus. J. U. D. Poëta Laureatus, Alexandri, Joannis Alberti & Sigismundi I. Regum Poloniæ Secretarius, ad Maximilianum I. Carolum V. Ferdinandum Bohemiæ Regem, & ad Venetos eorundem Regum Orator. Ex Canonico Warmiensi primo Culmensis, & deinde Warmiensis Episcopus. Mortuus an. 1548. Heilsbergæ. Sepultus in Ecclesia Cathedrali Warmiensi anno ætatis 64. demptis quatuor diebus. Paulò ante mortem hæc duo sibi scripsit Epitaphia:

I.

Jam sexaginta coeunt & tres simul anni
Hactenus à superis quod mihi vita datur.
Quam climactericum contingere sentio tempus
Ultimus hoc multis terminus esse solet.
Intra quod si fortè Deus migrare jubebit
Qui fuerim paucis ista notata dabunt.
Aula diu tenuit me Regia, misit ad Orbis
Primores, erat hinc infula dupla mihi.
Corpus habet tandem nunc terra, quiete fruatur
Spiritus ætheriæ, quæ sine fine beat.
Hoc qvisqvis transis mihi quæso precare viator
Ut tibi posteritas inde precetur idem.

II.

Terra tegat carnem, sit vermibus illius esca,
In cineres abeat, quod fuit ante cinis.
Ad te summe Deus contendit Spiritus, illum
Reddo tibi. Redeat venerat unde prius.
Ambitio, spes, cura, labor, luxus, dolor, & mens
Rebus in humanis irrequieta Vale.

Solvor ab his, in bis denâ trieteride & unâ
Illecebris duris, quæ mihi carcer erant.
Vivimus incerti postquam procul esse putabis
Et minimè rerum fata venire solent.
Tu qui securus vis vivere mortuus esto
Mundo, & in hoc vivere turbine, vive Deo.

TIDEMANNUS GISE Gedanensis, Custos & Canonicus Warmiensis & Parœcus Gedanensis. Deinde electus est Episcopus Culmensis, & tandem An. 1549. Warmiensis. Lutheranis favit impensius. Mortuus An. 1550. die 24. Octobr. anno ætatis 70. & mense quinto. In Cathedrali Ecclesia sepultus quiescit.

STANISLAUS HOSIUS patre Ulrico Hosio ex Anna Conjunge Nobili, quæ ex Marchionatu Badensi prodiit, natus Cracoviæ An. Dn. 1504. d. 5. Maji. In Italia lauream in utroque jure adeptus est. In Polonia primò Secretarius Regis, deinde Canonicus Cracoviensis, tum Episcopus Culmensis. Ad extremum Anno 1551. d. 21. Julii Warmiensis est Episcopus consecratus. Jesuitas primus in Poloniam introduxit, quibus etiam Brunsbergense Collegium, Hosianum à suo nomine dictum, excitavit. Scripsit non pauca opera Polemica. Anno 1561. d. 26. Febr. creatus est à Pio IV Pontifice Romano Cardinalis. Migravit ex hac vita An. 1579. d. 5. Aug. anno ætatis 76. Corpus ejus Romæ marmoreo tumulo conditum est.

MARTINUS CROMERUS è civitate Biecensi oriundus J. U. D. Canonicus Cracoviensis, Cantor Varmiensis S. R. M. à Secretis, Historiæ Polonicæ Scriptor luculentissimus. A Sigismundo Augusto Rege ad Paulum III. Pontificem Romanum Legatus. Cum Hosius Cardinalis abesset, constitutus ab eodem generalis Episcopatûs Warmiensis Administrator, deinde, permissu Regis, Adjutor, quo munere per novem functus est annos. Mortuo tandem Hosio in Comitiis Warsaviensibus, ab Archiepiscopo Gnesnensi d. 6. Decembr. an. 1579. consecratus est in Episcopum. Hinc An. 1585. Adjutorem sibi in Episcopatu adscivit Andream Bathoreum de Somlio Cardinalem. Obiit An. 1589. d. 23. Martii. Sepultus in Ecclesia Cathedrali Warmiensi.

ANDRE-

ANDREAS BATHOREUS de SOMLIO, Ecclesiæ Romanæ tituli S. Angeli in foro piscario Diaconus Cardinalis, Stephani Regis Fratris filius. Cromero in Episcopatu successit. Anno autem 1599. ultrò cedente Sigismundo Transylvaniæ Principe Princeps Transylvaniæ factus contra Imperatorem & Michaelem Palatinum Valachiæ, quem in suas Imperator traxerat partes, arma corripuit. Sed prælio victus, & dum per devia oberrat, à satellitibus Michaelis deprehensus capite truncatur. Caput præcisum hastæque infixum Michaeli affertur, qui illud Malaspinæ Legato Pontificio transmisit. Vid. Paulus Piasecius *ad An. 1599. pag. 175. (206.)*

PETRUS TILICKI Pro-Cancellarius Regni, sublato Bathoreo in Episcopatu Warmiensi An. 1599. suffectus est. Inde An. 1604. ad Wladislaviensem & denique An. 1606. ad Cracoviensem evectus est Episcopatum. Vid. Piasec. *in Chron. pag. 158. 188. 236.* & Stephanus Damalevicius *in Vitis Episcoporum Vladislaviensium pag. 427.*

SIMON RUDNICKI Secretarius Major Regni An. 1604. Tylicio successit in Episcopatu Varmiensi. Interfuit multis negotiis ad Prussiam Ducalem pertinentibus ut ex Privilegiis Ducalis Prussiæ patet. E vivis excessit An. 1624. Paulus piasecius *pag. 262. (220)* & *438. (368.)*

JOANNES ALBERTUS filius Sigismundi III. Regis Poloniæ duodecim annos natus post obitum Rudnicii designatus est Episcopus Varmiensis. An. 1633. collatus est ipsi Episcopatus Cracoviensis cum Cardinalitia dignitate. Obiit Patavii in Italia, quò mutato habitu ad visendas Italicas urbes excurrerat, anno ætatis vigesimo tertio. Vid. Piasec. *ad An. 1612. pag. 336. (281.) ad An. 1624. pag. 438. (368.) ad An. 1633. pag. 549. (460.) ad An. 1634. p. 477.*

NICOLAUS SZYSZKOWSKI.

VLADISLAUS LESZCZINSKI.

JOANNES STEPHANUS WIDZGA. Antea fuit Episcopus Luceorienſis. An. 1678. factus est Archiepiscopus Gnesnensis.

N. RADZIEIOWSKI An. 1678. in locum Joannis Stephani Widzgæ suffectus est.

II. *IN CULMENSI ECCLESIA SEQUENTES FUERUNT EPISCOPI.*

CHRISTIANUS Ordinis Cistercienſis Monachus, de quo jam supra

num. IX. egimus. Huic Nobilis quidam Pruſſus in Baptiſmo Paulus appellatus An. 1214. Lobovienſem Provinciam, & alius Warpoda nomine, qui ſacro fonte ablutus Philippi nomen accepit, eodem Anno Luſaniam donavit. Addiderunt his An. 1222. Conradus Dux Maſoviæ & Epiſcopus Plocenſis omnia Bona, quæ in Terra Culmenſi habuere; Chriſtianus autem eadem illa Bona devolvit poſtmodùm ad Ordinem Teutonicum.

HEIDENRICUS ſive HENRICUS Ordinis Prædicatorum Monachus ſucceſſit Chriſtiano. Fit ejus mentio in Privilegio Elbingenſi Anno 1246. dato, & in Privilegio Primo Pruſſis veteribus recens converſis An. 1249. à Jacobo Legato Pontificio conceſſo. Hic, ut ſcribit Matthias à Michovia Culmenſem Eccleſiam mutavit primum in Regularem Canonicorum Regularium S. Auguſtini: Deinde verò in Cruciferorum Ordinem, idque ad inſtantiam Magiſtri & Ordinis totius, conſentiente Anshelmo Epiſcopo Warmienſi Apoſtolicæ Sedis Legato. Matth. à Michov. *ad An. 1264. lib. 3. cap. 56.* Obiit An. 1254. d. 1. Julii.

EPISCOPATUS VACAT DECEM ANNOS.

FRIDERICUS natione Haſſus, Ordinis Teutonici Frater. Obiit Anno 1274. d. 28. Martii.

WERNERUS Decanus Mariæ Inſulanus Frater Ordinis Teutonici. Obiit An. 1291. die 20. Octobr.

HENRICUS Decanus Culmenſis. Obiit Anno 1301. die 25. Novembr.

HERMANNUS qui arcem Freidek muro cingere cœpit. Mortuus eſt An. 1311. die 13. Julii.

EPISCOPATUS VACAT NOVEM ANNOS.

NICOLAUS MONACHUS ORDINIS Prædicatorum. Vitam cum morte commutavit Anno 1323. die 28. Septembr. Eſt Culmæ in templo Ordinis Prædicatorum ante altare lapis ſepulcralis, qui tamen antea alio in loco fuerat; in quo exciſus eſt Epiſcopus ex Ordine Prædicatorum Inſcriptio vetuſtate jam detrita eſt. Legi nihilominus poteſt Annus MCCCIX. Hic lapis, ut mihi videtur, poſitus eſt huic Nicolao, aut etiam Hermanno, quem ex communi ſententia An. 1311 obiiſſe diximus.

OTTO Secularis fuit. Deceſſit An. 1349. die 19. Junii.

JOAN-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

JOANNES Schadenland Ordinis Prædicatorum S. Theol. Magister. Factus est posthæc Episcopus Hildesheimensis.

WIGBOLDUS deseruit Episcopatum, mortuusque est in exilio Coloniæ An. 1400.

REINHARDUS de Zeitz. Obiit An. 1390.

NICOLAUS à BUK, aliàs Schippenbeil, Ordinis Teutonici Frater. Posthæc creatus est Episcopus Caminensis in Pomerania.

JOANNES DUX OPPOLIENSIS cui postea Episcopatus Vladislaviensis est collatus, administravit autem simul & Episcopatum Culmensem.

ARNOLDUS. Obiit Loboviæ. An. 1416.

JOANNES MARGENAU, tempore Belli Polonici Thorunium concessit, ubi etiam fato functus, & Anno 1462. sepultus est. Sic Schüzius. Sed in anno sine dubio errat. Nam in Actis Publicis Thorunienſibus An. 1457. Thorunii mortuus & Culmseæ sepultus esse dicitur.

BARTHOLDUS ex Canonico Colmseensi Episcopus electus An. 1457. ut est in Actis Thorunienſibus fol. III. a. Omittit hunc Schuzius, ut & Hennebergerus. Sed perperam.

VINCENTIUS KIELBASSA nomen sibi tribuebat Culmensis, Varmiensis & Pomesanienſis Episcopi. Obiit An. 1480.

STEPHANUS de HEIDEBURG, Obiit An. 1495 sepultus Culmseæ.

NICOLAUS CRAPIZ Thorunienſis. Dimisit Episcopatum Anno 1509. Obiit Loboviæ Anno 1514. ibique in Monasterio humatus est.

JOANNES à KONOPAT. Electus An. 1512. d. 29. Martii ut habent Acta Thorunienſia. Obiit Loboviæ An. 1530. Sepultus in Ecclesia Parochiali.

JOANNES de CURIIS aliàs Flachsbinder & Dantiscus appellatus. Factus est An. 1537. Episcopus Varmienſis. Vide supra Seriem Episcoporum Varmienſium.

TIDEMANNUS GISE Dantiscanus, cui postmodum, videlicet Anno 1549. collatus est Episcopatus Warmienſis.

STANISLAUS HOSIUS Cardinalis, de quo itidem in Serie Episcoporum Varmenſium actum jam est.

JOANNES LUBODZIESKI Nobilis Prussus electus in Episcopum A. 1551. Obiit An. 1562. Stargardiæ die ult. April. sepultus Culmseæ.

STA-

STANISLAUS à SISLAW Nobilis Pruſſus, antea Abbas Pölplinenſis. Obiit Loboviæ An. 1571.

PAULUS KOSTKA de STARENBERG Nobilis Pruſſus An. 1574. ab Henrico Rege eſt denominatus Culmenſis Epiſcopus.

PETRUS TILICKI, de quo ſupra in Serie Epiſcoporum Varmienſium.

LAURENTIUS GEMBICKI. An. 1599. factus eſt Epiſcopus Culmenſis. Collatum ipſi eſt deinde munus ProCancellarii. Anno 1610. evectus eſt ad Epiſcopatum Vladislavienſem, & tandem An. 1616. ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem. Obiit An. 1624. Vid. Steph. Damalevitius, *in Vitis Epiſcoporum Vladislavienſium & in Serie Archiepiſcoporum Gneſnenſium.*

N. KONOPACKI Palatinus antea Chelmenſis, tunc amiſſa conjuge viduus An. 1610. ſurrogatus eſt Gembicio.

JOANNES KUCZBORSKI. Obiit An. 1624. jam denominatus Epiſcopus Plocenſis.

JACOBUS ZADZIK An. 1624. Kuczborſcio ſuccedit. Inde An. 1634. Epiſcopatum Cracovienſem adeptus eſt.

JOANNES LIPSKI Referendarius antea Regni in locum Jacobi Zadzik ſubſtitutus. Sed An. 1638. factus eſt Archiepiſcopus Gneſnenſis.

Caſpar Dzialynski obiit Epiſcopus Culmenſis.

N. Konopacki nominatus Epiſcopus Culmenſis; Epiſcopatum tamen non adiit.

ANDREAS LESZCZINSKI An. 1647. evectus eſt ad dignitatem Epiſcopalem. Functus etiam eſt ProCancellariatu Regni.

JOANNES GEMBICKI. An. 1659. factus eſt Epiſcopus Plocenſis.

ADAMUS KOSS, obiit in Epiſcopatu Culmenſi.

ANDREAS OLSZOWSKI ex Referendario Regni An. 1661. factus eſt Epiſcopus Culmenſis. ProCancellarius Regni. Poſtea An. 1674. Epiſcopatu Culmenſi & ProCancellariatu dimiſſo adiit Archi Epiſcopatum Gneſnenſem. Obiit Gedani An. 1677.

JOANNES MALACHOWSKI Ex Referendario Regni Epiſcopus Culmenſis. Hic Culmenſem urbem jam propè collapſam inſtauraturus & amplificaturus, Germanos ad eam inhabitandam & excolendam benigniſſimè invitat. Promittit etiam ipſis immunitates non paucas, quarum præcipuè ſunt illæ: Uſus privilegiorum, quæ certe non pauca neque exigui ſunt momenti, inviolabilis: immu-

immunitas ab omnibus omnino oneribus in quatuor annos: Liberum Religionis exercitium in ædibus privatis, si Germani illi fuerint diversæ à Romanâ religionis. Datum est Diploma An. 1678. d. 13. Martii, affixumque Curiæ Culmensi.

Quod si hunc Catalogum, cujus principium desumpsimus ex Schutzio, conferamus cum Indice Episcoporum Culmensium, quem texit Grunovius & ex eo Hennebergerus *pag. 263.* non exiguam differentiam deprehendemus. Nam I. inter Christianum Primum Prussiæ Episcopum & Heidenricum Grunovius interserit alium nomine JOANNEM Ordinis Prædicatorum, patriâ Plocensem, qui in Dedicatione Sacelli Thorunensis à Prussis interfectus est. II. Non meminit Grunovius eorum temporum, quibus sedes Episcopalis vacavit. III. Non agnoscit Hermannum, qui arcem Freidek, muro cingere cœpit. Neque habet ejus Successorem Nicolaum Monachum Ordinis Prædicatorum. IV. Wigboldum præponit Joanni Schadeland. V. Inter Reinhardum, quem ille Reymerum vocat, & Nicolaum à Buk ponit Martinum Archidiaconum Culmseensem. VI. Omittit Joannem Dantiscum. Sed sine dubio hic, quem nos dedimus, præferendus est Catalogus. Episcopus enim ille, qui in Dedicatione sacelli Thorunensis à Prussis est interfectus, non est Joannes (ut vult ex Grunovio Hennebergerus) sed ipse Heidenricus, ut refert Dusburg. *part. 3. Chron. cap. 156.* Nicolaum quoque omitti non debuisse, fortassis ex lapide sepulcrali Culmensi probari poterit. Joannes Dantiscus ab Hennebergero (ille enim Episcopus post tempora Grunovii vixit) perperam omittitur, ut ex Episcoporum Warmiensium serie palam fit. De aliis quanquam quod dicam non habeo, ipse tamen Grunovius victas dare videtur manus, cum annos ubique omittit, quod manifesto est documento, non observari ab eo accurate Ordinem Episcoporum.

III. EPISCOPI POMESANIENSES sive RISENBURGENSES FUERE SEQUENTES.

ERNESTUS Ordinis Prædicat. Torgaviensis. Administravit Episcopatum 22. annis. Obiit An. 1269.

ALBERTUS vom Adel cum Marchione Misniæ venit in Prussiam. Obiit An. 1284. d. 26. Septembr.

HENRICUS vom Sund. Mortuus An. 1302. d. 20. April.

CHRISTIANUS Doctor, Syndicus Ordinis & Canonicus Mariæ Insulanus. Mortuus est An. 1305. die 14. Decembr.

LUTHO de BALDERSHEIM (Lütcke vocat eum Schuzius) vir facundus. Synodo convocatâ, reperit in suâ Diœcesi 450. parœcos, 175. Vicarios & Diaconos. Commutavit vitam cum morte Anno 1322. die 22. Augusti.

RUDOLPHUS ELBINGENSIS An. 1333.

FABIANUS, electus quidem, Episcopatum tamen non adiit. Quapropter ipsum etiam Schuzius omittit.

BARTHOLDUS Decanus Mariæ Insulanus. In Castro Veteri (Althauß) in carcere exstinctus An. 1446. die 20. Novembr.

ARNOLDUS Magistri Ordinis Teutonici à Sacris Confessionibus. Obiit An. 1364. die 29. Januarii.

NICOLAUS I. Obiit An. 1376. d. 28. Octobr.

JOANNES LINDENBLAT, Officialis Risenburgensis. Scripsit Historiam Prussicam, de qua in Dissertatione Proœmiali, quæ est de Scriptoribus Historiæ Prussicæ, egimus. Obiit An. 1409. d. 7. Martii.

JOANNES VORARMIT (Kinmann vocatur à Schuzio) vixit tempore Tannebergici prælii, quod An. 1410. commissum. Obiit Anno 1417. d. 4. Septembr.

GERHARDUS Frater Ordinis Teutonici patriâ Regiomontanus. Obiit An. 1427.

JOANNES III. Canonicus Regiomontanus. Mortuus An. 1440.

CASPAR LINKE cognatus Pauli Rusdorfii Magistri Ord. Teut. Obiit An. 1463. d. 24. Octobr.

NICOLAUS Canonicus Regiomontanus, non adiit Episcopatum, qui in bello Polonico, quod magnum vocatur, vacavit 7. annis. Animam efflavit Regiomonti 1471. die 29. Aprilis.

VINCENTIUS KIELBASSA Polonus, Administrator hujus Episcopatus.

JOANNES IV. Ordinis Teutonici Procurator erat Romæ. Obiit Anno 1501. die 10. April.

JOBUS à DOBENEK, qui urbi Mariæ Insulanæ Privilegium renovavit. Auctor fuit Erasmo Stellæ, ut Antiquitates Prussicas scriberet, ut ipse Stella testatur in Præfatione Antiquitatum. Dicebatur hic Episcopus der eiserne Bischoff/ quoniam libentissime toto corpore armatus equo vehebatur.

ACHILLES, Cardinalis Bononiensis.

ER-

ERHARDUS QVEIS, non erat Sacerdos. Renascenti Doctrinæ Evangelicæ addictus. Mortuus An. 1529. cum ex Comitiis Regiomontanis domum repeteret.

PAULUS SPERATUS Nobilis Svevus, Viennâ in Moraviam venit, cumque Iglaviæ substitisset, in vincula ob religionem puriorem amplexam conjicitur. Inde liberatus à D. Luthero Alberto Duci Prussiæ commendatur, fitque Pomesanienſis Episcopus.

JOANNES AURIFABER Theol. Doctor.

JOANNES DRACONITES cum integrum Episcopatum obtinere non posset, Lipsiam concessit, ubi etiam fato functus est.

GEORGIUS VENETUS Theol. Doctor, Nobilis Prussus, non ineruditus. Habitavit Libemülii. Obiit An. 1575.

JOANNES WIGANDUS Theol. Doctor. Anno 1573. Theologiæ Professor in Academia Regiomontana & An. 1575. Episcopus Pomesanienſis est creatus. Inter alia ejus Scripta exstat etiam Historia Succini Prussici. Item liber de Alce Prussica, & liber de Herbis in Prussia nascentibus. Obiit An. 1587. die 21. Octobr. Libomülii. Estqve ultimus Episcopus Pomesanienſis.

IV. *EPISCOPI SAMBIENSES SUNT SEQVENTES.*

HENRICUS von Brun cum Rege Bohemiæ Ottocaro in Prussiam venit.

CHRISTIANUS natione Silesius, Canonicus Regiomontanus. Hic oppidum & arcem Fischhausem excitavit, sediqve suæ destinavit.

SEIFRIDUS cognatus Conradi Tyrenbergii junioris Magistri Prussiæ Provincialis. Hic Episcopus cum Collegio Canonicorum Ordinis Teutonici vestem ac regulam recepit.

JOANNES, condidit in Sambia ad mare Balticum ædem sacram, eamque dedicavit S. Adalberto Prussorum Apostolo.

JACOBUS CULMENSIS. Hic templum Cathedrale, quod antea in veteri urbe Regiomontana, in platea S. Spiritûs fuerat, transtulit in eum locum ubi nunc in urbe Kniphoviana visitur.

BARTHOLOMÆUS Præpositus Capituli Regiomontani Hic adjutore Ludero Duce Brunsvicenſi Ordinis Teutonici Magistri generalis templum illud Cathedrale, quod Jacobus Episcopus cœperat, perfecit.

THEODORICUS I. Decanus, Marpurgenſis Haſſus.

HENRICUS II. KUHWALD, tempore Kniprodii, abiit Epiſcopatu, factus Chrorepiſcopus Rigenſis.

HENRICUS III. Seefelt, ſedit Conrado de Jungingen Pruſſiam tenente.

JOHANNES II. SCHAUENBURGENSIS, quem alii non agnoſcunt, ſicut ex Schuzio liquet.

HENRICUS IV. tempore Sternbergii Magiſtri vixit, Hempel dictus, non fuit ſacris initiatus. Ebrietati maximè deditus.

HENRICUS V. Salfelt, nomina à Deceſſore ſuo contracta exſolvere coactus eſt.

MICHAEL JUNG, Pruſſus, ſub Paulo de Rusdorff vixit.

NICOLAUS I. à SCHÖNEK Schlotterkopff dictus, eò quod ex morbo ipſi caput inſtabili pondere nutabat. Vixit tempore belli magni.

THEODORICUS II. de CUBA, Miſnicus Pontif. Rom. Referendarius, tempore Richtenbergii in Tapiavienſi carcere fame enectus, quod pecuniam in Jubilæo coactam ex Pruſſia Romam efferre conabatur.

JOANNES III. Rehewinckel/ Stargardenſis, Præpoſitus Capituli Regiomontani. Obiit An. 1497. d. 1. Aug. Fiſchhuſii.

PAULUS WATH J. U. D. Friderici Imperatoris Cancellarius.

NICOLAUS II. Canonicus Regiomontanus. Ebrietati maximè deditus.

GUNTHERUS à BUHNAU, Miſnicus, Decanus Mersburgenſis, magnâ pecuniæ ſummâ collectâ in Germaniam abitum parabat: ſed Albertus Marchio Brandeburgicus Magiſt. Ord. Teut. eam ipſi adimi juſſit.

GEORGIUS à POLENTZ Juris Licentiatus, primus puriori Religioni addictus, ductâ uxore Balgam habitatum conceſſit.

JOANNES BRISMANNUS Theologiæ Doctor. Vocabatur Vice-Epiſcopus. Obiit An. 1549. d. 1. Octobr. Epitaphium ejus viſitur in templo Cathedrali, Regiomonti.

JOANNES AURIFABER Theol. Doctor. Præſidentis titulo gaudebat, ad extremum exilio multatus.

JOANNES MORLINUS Theol. Doctor. Epiſcopus. Rebus humanis exceſſit An. 1571.

TILEMANNUS HESHUSIUS Theol. Doctor. Epiſcopus Sambienſis An.

sis An. 1573. electus. Post hujus in Germaniam discessum, qui An. 1577. contigit, nemo in Episcopatu dicto amplius surrogatus est Antistes.

De enumeratis hucusq; Episcopatibus illud adhuc dicendum erit, quousq; se ipsorum extendant Diœceses. Maxima ex his fuit Episcopi Warmiensis. Complectebatur enim præter Warmiensem terram, cujus ipse Episcopus erat dominus etiam Natangiam, Bartoniam, Pogesaniam, Gudiniam & magnam Galindiæ partem. Culmensis Episcopus jurisdictionem sacram exercuit in Culmensi & Lobovienſi Provinciis. Episcopi Cujavienses sive Uladislavienſis, licet jam inter Prussicos Episcopos non censeantur, habent tamen jurisdictionem Episcopalem in Pomerellicam Provinciam, & Neringiam, ut vocant Gedanensem. Abstraxerat quidem circa An. 1360. Episcopus Pomesanienſis, nomine Arnoldus à Cujavienſium Episcoporum jurisdictione, Bonensack/ Schönbaum/ Niclaswalde &c. sed tandem ipsis omnia sunt restituta. Henneberg. *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 399.* Seriem Episcoporum Uladislavienſium texit Stephanus Damalevicius, qui consuli potest. Deindè notandum, duos Episcopatus, qui in Ducali fuerant Prussia jam superiore Seculo esse sublatos. Egerunt quidem non rarò Prussiæ Ducalis Ordines de horum Episcoporum instauratione, sed nihil hucusque effectum est.

XII. Ex his, qui primi dictis Episcopatibus præfuerunt, sine ullo dubio omni virium contentione laborarunt, ut religionem Christianam in his oris longè lateque propagarent. Hinc non solùm ipsi multa templa & monasteria condiderunt: sed Magistri quoque aliique Ordinis Teutonici Præceptores, eorum pietate moti nullis pepercerunt sumtibus, ut tantùm rem Christianam amplificarent exornarentque. Inter Monasteria non postremum obtinebat locum MONASTERIUM SS. TRINITATIS (Trifaltigkeit) in Natangia. Hoc primò condidit Henricus Schindekop Marschalcus tempore Winrici Kniprodii. Cum autem antea locus ille cultui trium Prussicorũ idolorum fuerit dicatus, piâ metamorphosi SS. Triadi voluit esse sacrum, sicut Hennebergerus auctor est *in Commentar. ad Tab. Pruss. pag. 464.* Sed Thomas Treterus alium Monasterii hujus facit conditorem. Dicit enim Winricum de Kniprode Magistrum generalem precibus Episcopi Warmiensis Joannis I. inductum per Henricum Schindekop Marschalcum Quercum Romoveanam, quam ad illa usque tempora stetisse putat, excidisse.

cidisse, illoque postea in loco Petrum Nagel de Sohr ope atque auxilio Episcopi monasterium dictum excitasse. Vid. Th. Treterus *in vita Jo. I. Episcop. Warmiensis.* Huc etiam referendum est ditissimum illud MONIALIUM COENOBIUM, quod Regiomonti in Löbenico est. Conditum illud eodem fermè, quo prius, tempore. Videlicet cum An. 1349. Henricus Dusnerus Magister generalis exercitum adversus Kinstutum, Olgerdum & Nomandum Lithvaniæ Duces, eosdemque Fratres eduxisset, Votum B. Virgini nuncupavit, si ejus ope victoriam de Lithvanis esset reportaturus, cœnobium se sanctimonialium conditurum. Voti reus, id quod voverat dubio procul exsolvisset, nisi paulò post insecuta mors conatum ejus elusisset. Itaque successor ejus Winricus à Kniprode monasterium laudatum excitavit, multisque prædiis dotavit, quæ ut & alia à Kniprodii successoribus addita, enumerat Hennebergerus *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 238.* OLIVENSE & PÖLPLINENSE monasteria longè ditissima huc referri vix poterunt, cum non ab Ordine Teutonico, sed à Pomerelliæ Ducibus sint erecta. Et quidem OLIVA, ex quorundam sententia condita est An. 1170. à Subislao, qui Ducum Pomeraniæ primus Christianæ religione nomen dedit. Alii Samborium Pomeraniæ Ducem An. 1178. monasterium hoc condidisse ferunt. Vid. Henneb. *in Comment. ad Tab. Pruss. p. 338.* Priori tamen sententiæ, cui & monasterii Olivensis monumenta favent, calculus est adjiciendus. Vid. Schuz. *in Chron. lib. 1. fol. 10. seqq.* PÖLPLINUM condidit aut Mestwinus Sventopelci magni filius An. 1274. aut Samborius Swendopelci Magni frater, aut Ann. 1174. Subislaus, quam postremam sententiam amplectitur Wolffgangus Justus apud Henneberg. *pag. 353.* Monasterium in CARTHAUS, quod itidem in Pomerellia est, erexit An. 1381. d. 8. Augusti Nobilis quidam, cui nomen à Jo. Ruschizin. Henneberg. *p. 44.* Monasterii SUKOVIENSIS in Pomerellia meminit etiam Schuzius *lib. 1. Chron. fol. 11. a.* Inter monasteria etiam possunt numerari omnes ARCES Prussiæ, in quibus Ordinis Teutonici Fratres domicilia, templa, conventus, habuere. Et quidem in Prussia Regia eminet præ cæteris arx Mariæburgensis, sedes olim Magistrorum Ordinis Teutonici: In Prussia ducali Regiomontana, Tapiaviensis, Ragnetana, Tilsensis, Angerburgensis, Ortelsburgensis, aliæ. TEMPLA, quæ hic magnificè sunt exstructa, longum esset enumerare; quædam tamen præ cæteris eminentia strictim breviterque commemorabimus. De templis Thorunensibus jam egimus *in Animad-*

nimadversionib. nostris ad Dusburg. Part. 3. cap. 1. adeò ut hic non sit necesse quidquam de illis addere. Omnibus autem templis Prussicis facilè palmam præripit ædes Gedanensis B. Virgini dicata. Primus lapis positus est An. 1343. feria sexta post Dominicam Lætare, quo tempore Ludolphus König Magister Ordinis Teutonici Prussiæ præerat, sicut hoc probari potest ex vetusta inscriptione, quæ in templo illo etiamnum visitur. Vid. Schuz. *in Chron. fol. 71. a.* Est penes me descriptio hujus templi An. 1626. à quopiam consignata, quam tecum, Lector Benevole, libens communicabo. Ea verò sic se habet:

Die Kirche ist biß an dieses 1626. Jahr alt — — 283. Jahr.
Und ist darüber gebaut — — — — 57. Jahr.
Der Thurm ist hoch — — — 311. Stuffen.
Die Höhe des Gewölbes — — — — 53. Ellen.
Die Länge — — — — — 179. Ellen.
Die Breite derselben — — — 109. Ellen.
Hat Altär — — 48.
Hat Fenster — — — 3722.
Hat Thürme — — 11.

Die Tauffe kostet 24000. Jochimsthaler/ist zu Antwerpen gegossen.

Ab hoc Gedanensi templo magnitudine secundum est templum Cathedrale Mariæ-Insulanum, quod in modum castelli communitum est. A quo autem & quo anno sit conditum, dicere non habeo. Vide quæ à nobis Dicta sunt *in Animadvers. ad Dusburgii part. 3. cap. 10.*

XIII. Cæterùm quanquam hoc ipsorum studium maximè laudabile est, multæ tamen corruptelæ fuerunt simul in Prussiam invectæ. In his non immeritò numerantur PEREGRINATIONES ad Sanctorum fana quondam institui solitæ. Fuerunt autem loca peregrinationibus his inclyta non pauca. In his facilè Principem locum sibi jam olim vindicabat TILIA B. Virgini sacra inter urbem Reseliam & pagum Beislak, (zur H. Linden) ad quam Albertus ipse Marchio Brandeburgensis cum adhuc Magistri Ordinis Teutonici munere fungeretur, ex urbe Regiomontana nudis pedibus peregrinationem suscepisse memoratur. Sed & hodiè ex variis Poloniæ Prussiæque locis magna vis hominum eò religionis ergò confluit. De origine & Progressu cultûs B. Virginis in hoc loco egit Thomas Clagius Jesuita, in Libro, quem inscripsit:

Virgo

Virgo Lindenſis, ſive *Linda Mariana*. Deinde eſt pagus in Sambia uno milliari diſtans ab urbe Regiomontana, qui vulgo vocatur Judenkirch. Habet ædem B. Virgini Mariæ dicatum, ut Caſp. Henneberg *in Comment. ad T. P. pag. 164.* & D. Cœleſtinus Mislenta *in Prolegom. ad Manual. Pruten.* exiſtimant. Ego autem exiſtimo, non fuiſſe illud templum B. Mariæ Virgini, ſed S. Jutæ (de qua vide *in Animadverſionibus noſtris ad part. 3. Dusburgii cap. 227.*) conſecratum, inde etiam pagum illum olim Jutenkirch / non ut hodie dicimus Judenkirch dictum fuiſſe, verò perquam eſt ſimile. Cum fama hujus fani longè latèque percrebuiſſet, tempore Conradi de Jungingen peregrinationem ad illud ſuſcepit Geldriæ Dux (Albertus Cranzius vocat eum Wilhelmum *lib. 9. Wandaliæ cap. 23.*) quatuor millium armatorum ſtipatus manu, voti ſolvendi gratia. Ante autem quam Pruſſiam attingeret, in Pomerania captus eſt. Crucigeri hoc ægrè ferentes armatâ manu, in loco Falkenburg dicto, ipſum libertati reſtituunt, invito tamen ipſo Duce capto. Itaque reſtitutus hoſtibus Dux, alio deinde modo liberatus, in Pruſſiam condendit, peractisque in dictâ æde ſacris, in Geldriam revertit. Grunov. *Tract. 13. cap. 14.* Henneb. *in Comment. pag. 164.* Mislenta *loc. cit.* Ibidem in Sambia eſt pagus QUEDENAU, in eoque ædes S. Jacobo ſacra. Ad hanc cùm alii navigantes, tum inprimis nautæ vota faciebant, eorumque deinde rei, donaria S. Sacobo Liberatori ſuo offerebant, teſte Henneberg. *in Comment. pag. 288.* In extremis Sambiæ oris ad mare Balticum eſt ædes S. ADALBERTO Pruſſorum quondam Apoſtolo dicata. Pagus etiam ipſe hodie vocatur S. Albrecht. Eo Crucigerorum Magiſtri generales & Epiſcopi Fiſchhauſenſes ſive Sambienſes magno ſtipatos comitatu ſingulis annis circa Michaëlia indulgentiarum impetrandarum gratia ſe recipere ſolitos, tradit D. Cœleſtinus Mislenta *loc. cit. Lit. c. 1.* probatque hoc ipſum ex Hiſtoria Ludovici Erlichshuſii Pruſſiæ Magiſtri generalis. Verum hoc dubium alicui videri poſſet. Hennebergerus certè, ex quo ſua hauſit Mislenta, recenſet quidem Ludovicum Erlichshuſium Magiſtrum ad S. Alberti cum Epiſcopo Sambienſi peregrinationem ſuſcepiſſe, non memorat tamen, quotannis illud Magiſtros factitaſſe. Vid. Henneb. *in Comment. pag. 19.* De Epiſcopis Sambienſibus hoc non abnuerem, ſi daretur certior Scriptoris antiquioris auctoritas. Dum autem de S. Adalberti æde ago, præterire non poſſum ſingularem caſum, qui ſub Henrico de Richtenberg Magiſtro contigit: Erhardus de Reiſenſtein Commendator Regiomontanus quatuor-

tuordecim integros annos telum chalybeum, vel potius ejus fragmentum, in pugna ab hoste impactum gestavit in capite, donec tandem per palatum putrefactum viam sibi aperuisset. Hoc telum deinde laudatus Commendator unà cum lamina argenteâ veritatem rei confirmante catenulæ argenteæ appensum S. Adalberto in perpetuam rei memoriam consecravit. Non ita pridem hoc teli fragmentum ex æde Albertina Regiomontum est translatum, ubi etiam in Bibliotheca Electorali hodieque visitur. Celebris ob eandem causam olim fuit Samlandiæ pagus ad Pregelam situs, cui nomen Arnau. Habuit ædem S. Catharinæ sacram, peregrinationibus id genus celebrem. In vico Natangiæ Mulhausen templum est S. Annæ dedicatum, cui Daniel à Kunheim Anno 192. indulgentias à Cardinalium Collegio, Pontifice ipso tum temporis Innocentio VIII. ex lethargo laborante', impetravit. Sed postea corruptelis Pontificiorum in religione deprehensis, Kunheimius ille filiam B. Lutheri, nomine Margaretham, duxit uxorem, quæ deinde fatis functa cum quinq; liberis Mulhusii est sepulta, ubi in templo adhuc ejus visitur sepulcrum. Vid. Henneberg. *loc. cit. pag. 322.* Mislenta *l. c.* De QUERCU quadam S. Jodoco dicata Mislentam audiamus: *Propè castellum*, inquit, Labiau/ *viret adhuc Quercus, ad quam præternavigantes Lithvani & Poloni Papicolæ sinuato poplite S. Jodoco litare, uti olim solebant, ita hodiernis temporibus ex antiqua consvetudine solent gratitudinis ergò ac sacrificii loco denarium unum atque alterum in cavam quercus partem injicientes: id quod sæpius observans quidam colonus Labiavienſis quodam tempore depositum inde eruit ad 40. Marcas, referente Domino Capitaneo Labiavienſi moderno Generoso Joanne* von Wallenrodt. Hæc ille. Non procul ab urbe Thorunienſi est in sylva ædes S. BARBARÆ dicata, ad quam singulis annis ex ipsa urbe Thorunienſi homines Romanæ Religioni addicti ultimo Pentecostalium feriarum die supplicationes instituunt, idque quantâ maxima fieri potest pompâ. Quæ, præter dictas, peregrinationes aliæ in Prussia fuerint usitatæ, Grunovius nos docere potest, qui Principem quendam Lithvaniæ adiisse refert S. Jutam CULMSEÆ, S. Dorotheam in INSULA MARIANA, S. Catharinam BRANDEBURGI, & B. Virginem in Judenkirch *Tract. 14. cap. 3. fol. 276. pr.* Celebrantur insuper eo nomine Neoburgum in tractu Pomerellico, Gutstadium in Varmiensi Episcopatu, aliaque loca, de quibus passim Caspar Hennebergerus. Conf. & Cœlestinus Mislenta *loc. cit.*

XIV. Adhæc Episcopos aliosque Sacerdotes Prussicos domitis jam Prussis occupavit torpor nescio quis, ut rudem adhuc & nondum satis in religione Christiana confirmatum populum Prussicum negligerent, neque residuum pravarum opinionum lolium eradicarent. Quo factum est, ut Prussi veteres plurimos ritus ethnicos, nemine interpellante retinerent. Deploravit hoc jam olim Henricus Borringerus Monachus Ordinis Cistercienſis in Epistola, quam An. 1428. ad Paulum Bellizerum Magistrum scripsit, apud Auctorem Chronici Ordinis Teutonici, ex quo eam habet Thomas Waisselius *fol. 162. seqq.* Ibi inter alia; Es ist ins gemein groß Gebrechen / wie man in Christen Landen schwerlich erfähret/da die zehen Geboth Gottes weniger gehalten werden/ denn in Preussen Land. Hie geschiehet noch gemeiniglich Abgötterey von den Preussen und die H. Feyer wird nicht gehalten. Vid. Waissel. fol. 165. b. Taulerus quoque, quem Simon Grunovius Ordinis Teutonici Fratrem & Custodem Francofurtanum fuisse perhibet, conquestus est, quod Ordo Teutonicus Prussis idololatriam permittat, dummodo pecuniam obtineat. Grunov. *Tract. 15. cap. 18. fol. 363.* Similiter quoque Erasmus Stella cum varios Veterum Prussorum idololatricos ritus recensuisset, subjicit: *In funebri epulo partem obsonii potusque vitâ functi Manibus libarunt, hodieque libant, pudendo illic Christianorum Præsulum dedecore.* Fidem huic rei facit, quod, cum magna Prussiæ pars in pagis non nisi Prussicâ lingvâ sit usa, nunquam constituti sint miseris illis hominibus Sacerdotes, qui eos illâ, quam intelligebant, lingvâ erudirent. Primus eum in finem superiore Seculo Catechismum, prima fidei elementa complexum, in lingvam Prussicam converti, atque Prussis prælegi jussit Albertus Dux Prussiæ, ut ex Catechismi lingvâ Prussicâ jussu Alberti Ducis scripti Præfatione discimus. In quibusdam etiam Sambiæ locis, ordinante sic Alberto Duce, verba Sacerdotis pro concione Germanicè prolata, alius ex colonis lingvæ Prussicæ simul & Germanicæ peritus interpretabatur populo Prussico, ita ut singulis periodis suam iuterponeret interpretationem, quod de Schacensi Diœcesi testatur Lucas Osiander *in Notis ad cap. 2. Actorum.* Non fugit quidem me, Ordinem Teutonicum, atque Episcopos illos antiquos consultò datâque operâ Veteribus Prussis Sacerdotes tales dare noluisse, qui Prutenicâ lingvâ ipsi Christianæ fidei capita traderent, idque eo fine, ut barbaram lingvam illam, aliosque mores, ut simul cum ipsis pristinæ libertatis desiderium radicitus exstirparent. Sed nemo non intelligit,

telligit, hunc finem tanti non fuisse, ut ad eum obtinendum tot gentium æterna salus posset negligi. Conferantur ea, quæ de summo Ducis Alberti hanc gentem convertendi studio, supra à nobis dicta sunt *in Dissertatione de Festis Veterum Prussorum diebus num. VI.*

XV. Non minor fuit & ipsorum Ordinis Teutonici Magistrorum in propaganda re Christiana negligentia, cum illi magis potentiæ suæ, quam religioni Christianæ stabiliendæ fuerint intenti. Quin etiam eò jam insolentiæ processerant, ut & Pontificis Romani edicta, Constitutiones, fulmina denique & exsecrationes susque deque haberint. Præclarissimum hujus rei nobis exemplum præbet Conradus à Jungingen Magister Prussiæ generalis. Cum Urbanus V. Papa Legatum quendam in Prussiam decimarum colligendarum gratia misisset, Magister pensionem denegavit. Pontifex de eo certior factus, Ordini in Prussia ad 14. annos sacris interdixit. Quid hic Magister? Fulmina hæc non tantum contemptim habuit, sed etiam Legatum probris ac sannis excepit. Quo factum est, ut Carolus IV. Imperator à Papa concitatus Ordini minaretur extrema, intulisset que ipsi arma, nisi Ordo, intercedentibus multis Germanicis Principibus, Imperatorem, & simul etiam Pontificem Romanum muneribus oblatis placasset. Cœlestinus Mislenta *loc. cit.* Expertus id ipsum est & Sixtus IV. cujus decretis Henricus Richtenberger Prussiæ Magister adeò non paruit, ut etiam Theodoricum de Cuba à Pontifice contra jura & immunitates Ecclesiæ Sambiensis obtrusum, deinde constructâ coacervatâque ingenti pecuniæ summâ ex Prussia excedere volentem in vincula conjecerit, & fame Anno 1474. in arce Tapiavienſi exstinxerit, id quod resciscens Pontifex, dolore victus, in hæc prorupit verba: *Deleatur pessima ista crux: Maledictus enim Ordo, ubi Laicus regit Clerum.* Vid. Waissel. *in Chron. fol. 247. b. seq.* Indulgentias insuper Papales aliquoties contempsisse Magistri Ordinis leguntur. Conradus à Jungingen sanè promulgato interdicto Peregrinationes ad Neoburgense templum aliasque inhibuit, ut auctor est Hennebergerus *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 334.* Idem Conradus à Jungingen cum An. 1397. Gedanenses Indulgentias Papales ludibrio haberent, consultissimum putavit, ut illæ prohiberentur, ut Hennebergerus habet *loc. cit. pag. 67.* ex Simone Grunov. *Tract. 14. cap. 2.* Quodsi autem ipsius Pontificis auctoritas adeò evilverat, quid de Cleri Prussici auctoritate sentiendum sit, facilè conjecturâ possumus asse qui. Testatur id satis superque exemplo suo Theodoricus de Cuba Episco-

pus Sambiensis, de quo paulò antè. Quanto studio Magistri Teutonici Ordinis Varmienses Episcopos subjicere sibi laborarint, vel ex jam supradictis luculentissimè apparet. Conf. & Th. Waisselius *in Conrado de Jungingen fol. 130. a. b.*

XVI. Excitare voluit somnolentiam hanc Deus immissis aliquot sectis, de quibus jam nobis erit agendum uberiùs. D. Cœlestinus Mislenta Primam sectam hic in Prussia fuisse dicit FRATRUM IN ALBIS tempore Werneri ab Urseln Magistri generalis, qui sub initium Sec. XIV. Prussiæ præfuit. Exstitit enim tunc temporis genus quoddam hominum albis palliis indutum, intertextâ S. Andreæ cruce, eâque viridi. Jactitabant revelationes enthusiasticas, præsertim de recuperanda Palæstina. Multi in Germania ipsis assensum dabant, impensasque haut parcè conferebant. Idem ut faceret generalis Prussiæ Magister jam à multis Germaniæ Principibus solicitabatur. Sed surdo narrabatur fabula Non multò post detecta fuit fraus horum impostorum, sicque vesanus hic Ordo disparuit. Verum vix Mislenta ex Prusicis Scriptoribus probare poterit, Ordinem hunc in Prussiam usque fuisse delatum, id circò dubito, an eum inter Prusicas Sectas referre liceat. Primum autem sine dubio est Schisma MONACHORUM THORUNIENSIUM. Horum quidam Ordinis S. Bernhardi asserere non dubitabat: Christum non fuisse in utero B. Virginis gestatum, sed in corde. Huic contradicebat ex Dominicanis quispiam in monasterio S. Nicolai. Obortis ea propter variis turbis, omnes Monachi Dominicani ex urbe sunt submoti. Ipsorum tamen partes tuente Commendatore Provinciali, ab Henrico Dusnero paulò post restituti sunt An. 1345. ut habet Henneberg. *in Comment. ad Tab. Pruss.* ex Grunov. *Tract. 12. cap. 13.* Ego tale quidpiam legere me in Grunovio non memini, neque jam ejus copia mihi datur.

XVII. Sed majora Ecclesiæ Romanæ damna intulerunt ad finem vergente Seculo quartodecimo WALDENSES sive ALBIGENSES. Videlicet venit huc in Prussiam circa An. 1390. ex Gallia Leander quidam Albigensium sectæ addictus, quem Conradus Wallenrodius, antequam in Magistrum esset electus, benignè accepit, eumque frequenter de rebus sacris differentem audivit. Ad summam deinde Dignitatem in Ordine Teutonico evectus ei favit impensius, sive quod religionem ipse neglectim habebat, sive etiam quod profanos Sacerdotum mores exosus hunc Leandrum, vera docere credebat. Digna sunt de eo verba

Gruno-

Grunovii, quæ hic legantur, cum aliquid in receſſu occultare videantur: Cunrad Wallenrodt/ inquit ille, war es angebohren/ das er Vernunft mit Gewald brauchte. Lange zuvor ehe er ins Ampt kam / hielt er einen Doctorem der war ein Arzt und ein Mathematicus D. Leander von Sanctimonio aus Franckreich ein Albaniſcher Ketzer / darum wolt man ihn tödten/ aber er entgieng und ward dieſes Hohmeiſters Engel. *Tract. XIII. cap. 15.* Hæc verba ſatis manifeſtè nos non tantùm de ingenio Wallenrodii, ſed etiam Sacerdotum moribus edocent. Videlicet Wallenrodius variis Monachorum commentis fidem habebat nullam: hi autem ferro & igni ſæviebant in eos, qui ipſis vel in minimo capite contradicebant. Cum igitur contra Wallenrodium nihil obtinere poſſent, poſt obitum demum infinita in ipſum convitia jactabant, non ſecus ac ſi peſſimus omnium foret mortalium; optimus fortaſſe futurus, ſi Clerum tantùm ſuo vivere more permiſiſſet. Non ſolum autem Magiſtrum, ſed & multas alias in Pruſſia D. Leandro faviſſe certum eſt. Hanc enim ob cauſam Wenceslaus Imperator An. 1399. Ordini Teutonico, Bona, quæ in Bohemia habuerat, ut Dragovviz & alia planè ademit, quod Sectam Wiclephitarum in ipſa herba non exſtinxerat, teſte Simone Grunovio *Tract. 13. cap. 14.* Ex quibus etiam elucet, quid ſit reponendum ad Schuzii dubium, quod proponit ſub calcem *lib. 2. Chron. fol. 89. b. med.* Videlicet Magiſter hic Pruſſiæ non favit Huſſitis, qui poſt ipſius demum mortem ſunt orti, ſed Albigenſibus, qui ex Gallia prodierant; ideoque Wenceslaus Bona illa Ordinis invaſerat, ut Magiſtrum ab hac ſecta abduceret. Non aliam ob cauſam Ordo Teutonicus cum Pruſſico Clero Synodum egiſſe dicitur, quam ut huic rei quæreret remedia. Multi tunc jam mortui hæreſeos Wiclephitarum, ut eam vocabant, poſtulati, ex ſepulcris eruti, & canum inſtar jactati ſunt, in campos, aliaque loca minus honeſta, quemadmodum idem ſcribit Grunovius *Tract. 13. cap. 16. fol. 266* Sed & totas urbes præſertim majores Leandri doctrinam amplexas innuit modò laudatus Auctor, quando memoriæ prodit, propterea novas Civitates Thorunii, Elbingæ, Regiomonti, Gedani eſſe conditas poſt Wallenrodii tempora, ut hæ urbes hæreſi Patricellorum infectæ deprimerentur. *Tract. 14. cap. 3.* Quanquam autem contrarium à nobis de Novis urbibus jam dudum probatum eſt, (quibus hîc addimus, Novam Civitatem Thorunienſem jam An. 1347. miſiſſe Præconſulem ſuum cum tribus aliis Conſulibus Mariæburgum, ad componendas controverſias quasdam, quæ ſibi cum veteri

Civitate Thorunienſi intercedebant. Quemadmodum ex Actis Publicis ejus urbis nunc demum didici,) adeò ut hic Grunovius non ſit audiendus; hoc tamen ex eo luculentisſimè apparet, Wiclephitarum dogmata per totam Prusſiam tunc longè latêque fuiſſe diſſeminata.

XVIII. Quod ad opiniones & dogmata D. Leandri attinet, illa, quæ fuerint, vix poterimus certò cognoſcere, cum ipſius Leandri ſcripta nulla exſtent. Conſignavit quidem ea circa initium ſeculi ſuperioris Simon Grunovius, ita tamen, ut manifeſtum in Leandrum odium, prodiderit. Sunt autem capita ſequentia ex Germanico à nobis in Latinum idioma converſa:

1. Qui Monachos & Moniales ſuſtentant, damnantur, eò quod homines otioſos, deſides, neminique utiles alunt, contra expreſſum Dei mandatum, qui poſt lapſum homines non otiari, ſed laborare voluit.

2. Reges & Principes, qui ſumtibus ſuis monaſteria, quæ nihil ſunt aliud, quam flagitioſiſſimorum hominum aſyla, condiderunt, vitam æternam conſequi non poſſunt. Sed neque illi ſalvari poſſunt, qui adhuc iſta impietatis domicilia approbant & defendunt.

3. Omnes ſacerdotes & monachi ſunt hæretici nomine Chriſtianorum indigni, utpote qui votum Deo factum violant. Item ea vovent, quæ præſtare non poſſunt. Ea denique præcipiunt aliis, quæ ipſi non faciunt.

4. Qui conjugium prohibent cœlibatumque injungunt, Diaboli ſunt mancipia, cum Deus in ſtatu integritatis ad conſervationem humani generis conjugium inſtituerit.

5. Apud Deum nullum eſt diſcrimen perſonarum, nec maximus Clericorum ullam habet coram Deo prærogativam præ minio mendico.

6. Miſſæ, Jejunia, Feriæ, Cantiones, Confeſſiones auriculares &c. ſunt hominum commenta ad vitam æternam conſequendam inutilia.

7. Non datur damnatorum rogus, niſi pro iis, qui cupiditatibus ſuis non indulgent.

8. Qui Papæ Romano, ejusque indulgentiis, execrationibus &c. quidquam deferunt, vitæ æternæ non erunt participes.

9. Uxores, quæ maritis; & contra mariti, qui uxoribus debitum conjugale denegant, damnantur.

Eadem de Leandro tradit Caſp. Schuzius *lib. 2. Chron. Pruſſ. fol. 88. b. ſeq.*

seq. Omittit tamen tria postrema capita, indicans tantùm plura id genus à Leandro contra Romanam Ecclesiam fuisse proposita. Addit insuper ad illud, quod sexto commemoravimus loco, Missas, jejunia, &c. ad salutem æternam EX OPERE OPERATO nihil conferre, quod in Grunovio additum non reperitur. Et sanè ita hoc Leandrum intellexisse, ex Viclephi ejusque Sectatorum dogmatibus probari potest. Illud etiam, quod num. VII. à Grunovio positum atque ab Hennebergero *in Comment. ad Tab. Prussic. pag. 297.* recoctum est, apud me fidem nullam meretur. Contrariatur enim aliis capitibus, præcipuè secundo, ubi manifestè Leander invehitur in homines flagitiosos. Quod si conjecturæ hic aliquis dandus est locus, dicere possemus, Leandrum docuisse, Bonis operibus nostris vitam æternam nos consequi non posse, sed eam dari credentibus & meritum Christi sibi applicantibus; Fidem tamen illam non debere esse sterilem, sed per charitatem aliaque Bona Opera efficacem. Ad hæc Leander adeò certus fidei suæ fuisse memoratur, ut etiam totum Clerum Prussicum in arenam provocare non dubitârit, proposito insuper igne & ferro ei, qui hæreseos convinceretur. Sic enim Grunovius: im ersten Jahr (Conrad Wallrads) Hoemeisterey schrieb sein Doctor ins gantze Land zu disputiren umbs Fewer dieses Stuck ꝛc. De obitu Leandri Mislenta: *Provocatus*, inquit, *ad Colloquium Marienwerderense cum monachis instituendum, eoque contendens, incidit in lacunam argillaceam solito profundiorem aquâ repletam; in qua etiam suffocatus interiit.* Hausit hæc Mislenta ex Hennebergeri Commentariis *pag. 310.* Hennebergerus autem, ut pleraque omnia, ex Grunovio. Ego autem & hæc à malevolis esse conficta existimo.

XIX. Exstincto Wallenrodio & Leandro, tantùm abest, ut secta Wiclefitarum hic in Prussia extingveretur, ut etiam majora subinde caperet incrementa. Circa An 1414. ortæ sunt inter majorem minoremque Nobilitatem variæ contentiones, quas quidem primùm excitaverat honorum cupido, ut minori quoque Nobilitati dignitates conferrentur; auxit tamen eas nimium quantùm diversitas Religionis. Siquidem major nobilitas, dubio procul Wallenrodii Magistri & postea Wilhelmi Comitis de Cazzenellenbogen, qvi Wiclefitis erant addicti, auctoritatem secuta, favebat nobis his opinionibus impensiùs. Minor autem Nobilitas exsecrabatur easdem. Sed procedente tempore factum est, ut & Minor Nobilitas doctrinam Wiclefi amplecteretur, infimæqve insuper plebi hac in re suo præiret exemplo. Sed & Clerus ipse

jam

jam nutabat. Qvippe Monachi passim claustra sua derelinqventes, uxores ducebant, connivente ad id Henrico Plavenio Magistro, eo dubio procul fine, qvemadmodum vult Grunovius, ut incolæ Prussiæ multiplicarentur, essentqve qvos hostibus posset opponere. Potissima vero causa cur hæc Plavenius Magister permiserit non est alia, qvam qvod ipse ab hac religione non erat alienus. Inter crimina certè, quæ ipsi à Clero objiciebantur, est hoc longè maximum, quod esset Wiclefita hæreticus, cum omni aula sua, sicut hæc omnia candidè recenset Grunovius *Tract. 15. cap. 4. 5. 6. & 7.* Utinam eodem ubique candore usus fuisset in enumerandis Wiclefitarum in Prussia degentium opinionibus. Dicit autem earum hæc fuisse capita:

1. Sacramentum post mutationem manet panis, ut ante fuerat, non secus atque ille, qui ex servo fit Dominus, manet idem homo, qui ante fuerat.

2. Sacramenta dependent ex dignitate Sacerdotis, ita ut si ille sit peccator sacramentum sit nullum.

3. Missa excogitata est à Monachis avaris & Sacerdotibus ad homines decipiendos.

4. Malè Christus fecit, quod in deserto lapides non mutaverit in panes, cum Deus Pater jusserit, ut per miracula Diaboli & homines converterentur.

5. Quem pœnitet peccatorum suorum, ille non habet opus ea Sacerdoti confiteri: sed Deo peccata sua confessus à Sacerdote petat absolutionem.

6. Papa, qui in peccato est mortali, potestatem in Christianos nullam habet, potest tamen Imperator injungere, ut Papæ præstetur obedientia.

7. Omnia Romanæ Ecclesiæ decreta post Urbanum VI. sunt à Diabolo, cui se Pontifices & Cardinales dediderunt, ut essent Domini.

8. Non licet per Evangelium Monachis aliisque Clericis possidere Bona immobilia.

9. Exsecrationes & interdicta Romanæ Ecclesiæ sunt signa hæreseos.

10. Omnis Christianus potest Evangelium prædicare, prout Spiritus Dei per arcanas revelationes eum edocet. Et qui hoc prohibet, hæreticus est.

11. Ma-

11. Magistratus secularis potestatem habet in corpus & fortunas secularium juxta atque Ecclesiasticum incolarum sibi subditorum.

12. Qui decimas exigunt, fures sunt igne digni.

13. Preces cum omnes tum illæ præcipuè, quæ pro aliis funduntur, nullam habent efficaciam.

14. Monachis mendicantibus nihil est dandum. Dominicus & Franciscus condemnati sunt, quod doctrinam introduxerunt, quæ est contra expressum Dei verbum: crescite & multiplicamini.

15. Qui castitatem vovent, Proditores Christi sunt.

16. Sacerdotes, qui pecuniam sumunt pro celebratione missæ, vigiliarum, dierum festorum &c. sunt proditores Christi.

17. Qui vult salutem æternam consequi, vivat ut libet.

18. De iis quæ in terris fiunt, nihil novit Deus, nulla quoque est providentia divina, sed omnia casu fiunt.

19. Sacramenta, Sacerdotia, unctionem extremam & Christianam excogitarunt Sacerdotes.

20. Honores Academici titulique Doctorum, Magistrorum aliorumque sunt à Cacodæmone excogitati ad homines infatuandos.

21. Qui condiderunt monasteria, eaque dotarunt, sunt volantes cacodæmones.

22. Monachi Ordinis Prædicatorum & minorum sunt Antichristi Præcursores, quia, quod alios docent, ipsi non faciunt.

23. Papa Romanus, Patriarchæ ipsius, Cardinales, Episcopi, sunt Synagoga Satanæ.

24. Credere, quod Papa sit supra omnes Christianos, est contra fidem Jesu.

25. Indulgentiæ sunt à Romanis inventæ ad emulgendas pecuniâ crumenas & exinaniendas.

26. Qui alteri jurejurando aliquid promittit, & promissa exsolvit, peccat contra Evangelium.

27. Nisi Monachi & Moniales monasteriis relictis conjugia contrahant, & suarum manuum operibus sese sustentent, salvari non possunt.

28. Vicarius Christi in terra est Cæsar, Reges & Principes, qui his obedientiam negat damnabitur.

Hæc capita recenset Simon Grunovius *Tract 15. cap. 4.* Ex quibus tamen nemo non intelligit, quædam istis hominibus tribui, quæ ipsis ne in mentem quidem fortasse venerunt; quædam etiam aliter ab ipsis in-

tellecta in sententiam deteriorem detorqueri. Ad prius genus pertinent num. IV. & 18. Ad posterius num. 17. & 26. Non negaverim tamen fanaticos quosdam homines & id genus hæreses per Prussiam spargentes sub specie Wiclefitarum latitasse ac venenum suum longè latèque insidiosiùs diffudisse, quos tamen Wiclefitæ & Hussitæ pro suis nunquam agnoverunt. Fidem facit huic rei Grunovius ipse, qui Henricum Plavenium Magistrum generalem Wiclefitarum sectæ fuisse addictissimum testatur *Tract. 15. cap. 5. & 7.* concedit tamen eundem Magistrum multos ob fanaticas quasdam opiniones Prussiâ expulisse *loc. cit. cap. 5.* Non omnia igitur possunt Wiclefitis tribui, quæ tunc temporis passim per Prussiam spargebantur.

XX. Sub imperio Michaelis Kuchmeister à Sternberg, videlicet An. 1414. vixit Gedani Guntherus Tilman (Tidemannum eum vocat Schuzius) in templo cathedrali Pastor, cujus soror nupserat PræConsuli, Consuli Gedanensi nomine Gert von der Beck. Hic Tilmannus cum esset Discipulus Hieronymi Pragensis, ut Grunovius habet, vel Hussi, ut Schuzius docet, vel etiam utriusque, diligenter etiam dogmata Hussitarum Commendatore Arcis Rudolpho ab Eilenstein, Gerhardo Bekio Consule, & Monachis Urbis, promoventibus, disseminabat. Soli Dominicani se Tidmanno sive Tilmanno opponebant. Parum tamen tunc efficere potuerunt Hussitarum Patroni, cum paulò post Commendator Arcis (Consulem quoque addit Grunovius, sed perperam. Vid. Schuz. *fol. 10.*) & Tidmannus essent una hebdomade non sine suspicione veneni exstincti. Grunov. *Tract. 15. cap. 9. fol. 330. seqq.* Aliis quoque in locis Hussitarum conatibus acribus obviam itum. Magister enim Michael Sternbergius in Generali Ordinis Conventu Brunsbergæ Anno 1416. die Circumcisionis Domini habito lege promulgatâ sanxit, ut qui in hac hæresi moreretur, sepulturâ honestâ careret. Et si quis talem hominem sepelire ausus fuerit, 30. marcis gravis æris mulctaretur. Grunov. *Tract. 15. cap. 8.* Neque hic substitit Sternbergius, sed alia insuper tentavit. Cum enim animadvertisset, Chronica Prussiæ illis temporibus conscripta Wiclefitis & Hussitis favere, jussit ea conquiri. Sed multi Prussorum, id quod erat suspicantes, Chronica illa partim occultè servabant, partim etiam muris includebant, ne in manus Cruciferorum pervenirent, disertis id verbis attestante Grunovio *Tract. 15. cap. 8. fol. 326 seq.* Quod si illi libri adhuc superessent, longè plura de Hussitis eorumque dogmatis cognoscere liceret. Jam ea, quæ de ipsis novimus, non nisi ex Hussitarum hostibus infensissimis novimus. XXI.

XXI. Paulo Bellizero de Rusdorff Pruſſiam adminiſtrante, non minùs hìc Wicleſitæ & Huſſitæ floruere. Regiomonti ipſos circa annum 1423. docuiſſe, auctor eſt Grunovius *Tract. 15. cap. 13. fol. 340.* Anno 1431 fuit Thorunii Doctor Andreas Pfaffendorff Hieronymi Pragenſis diſcipulus, qui in templo D. Joannis Huſſi doctrinam propugnando eo rem deduxit, ut Monachi Ordinis Prædicatorum ex æde D. Nicolao ſacra ejicerentur. Et cum eſſet Ordinis Teutonici Sacerdos, cauſam ejus contra Monachos defendit Commendator. Recepti quidem ſunt poſtea Monachi, ſed non niſi jure jurando interpoſito, ne inpoſterum Doctori Pfaffendorffio moleſti eſſent. Impetravit deinde Pfaffendorffius à Paulo Bellizero literas, quibus ipſi libera dabatur poteſtas, ubicunque locorum in Pruſſia vellet, docendi. Cæterum contentiones ordinum Pruſſiæ impedimento fuere, ne, quod ſibi propoſuerat, per totam Pruſſiam dogmata ſua diſſeminaret; progreſſus tamen eſt Gedanum, ubi promotore Gerhardo de Bek Conſule, de quo paulò antè diximus, & Commendatore Gedanenſis arcis monachos in arenam provocavit, de controverſis fidei capitibus cum illis diſputaturus. Quæ ſub hæc Gedani turbæ ſint exortæ, copioſiùs enarrat Schuzius, ita tamen, ut hæc omnia non ad Annum 1431. ut Grunovius, ſed ad Annum 1415. referat. Vid. Schuz. *lib. 3. fol. 110.* Dogmata hujus Pfaffendorffii ſequentibus Grunovius complexus eſt capitibus:

1. Quilibet in fide ſua poteſt ſalutem æternam conſequi.

2. Petrus non peccavit cum abnegaret Chriſtum, quia hoc ipſum Deus ita præordinaverat.

3. Qui Prælatus ſubditos ſibi homines aliquid jubet, quod eſt contra Evangelium, Proditor eſt ipſorum, nec ei obedientia præſtanda.

4. David non peccavit cum interfecto Uriâ Bethſabam uxorem duxit. Domino namque licet ſuis uti quemadmodum ipſi placet.

5. Urias damnatus eſt, quia uxori non cohabitavit. Eademque ratione damnabuntur omnes, qui conjugium prohibent.

6. Qui cibum, candelas aliaque offerunt & ſacrificant, fidem ſuam commaculant, quod imagines colunt contra Dei mandatum.

7. Jejunia non ſunt licita, præſertim conjugibus, quibus opus eſt viribus ad ſolvendum conjugi debitum conjugale.

8. Qui diebus Dominicis in Monaſteriis aliisque templis monachos audiunt concionantes, ut Sacramentis indigni è grege Eccleſiaſtico ſunt proſcribendi.

9. Papa vel alii Episcopi non habent potestatem, quemquam, è cœtu Ecclesiastico ejiciendi, nisi hoc Princeps illius terræ admiserit.

10. Confessio peccatorum bona est; sed monacho peccata confiteri, impium est.

11. Qui ad imaginem procumbit, idololatra est.

12. Quod ad externum templorum cultum impenditur, tanti damnationem accelerat.

13. Sacerdotes à Dominis suis investiti semper apti sunt ad preces fundendas, etiamsi una nocte cum decem mulieribus concumbant. De superbia Doctoris hujus & fastu itidem nonnulla notavit Grunovius. Dicit enim, cum Gedani Monachos ad disputationem provocasset, illique comparuissent, Pfaffendorfium cum ipsis disputare noluisse, quod nullum inter se haberent Doctorem Theologiæ, qui Pfaffendorffio esset æqualis. Dicit insuper Pfaffendorffium ad Concilium misisse libellum, quem ita inscripsit: *Doctor Andreas de Villa, Presbyter favente Deo Ordinis Divæ Mariæ, Patriæ lumen, Domûs Teutonicæ numen, Monachorum Dumen &c.* Ad extremum, ut Grunovius refert, cecinit παλινῳδίαν Doctor Andreas atque in fide Catholica obdormivit. Hæc omnia Grunovius in Chron. MS. Germanico *Tract. 15. fol. 347. seqq.* Schuzius de Palinodia nihil habet, sed dicit, tumultu Gedani oborto, magistrum Ordinis Teutonici Husitarum dogmata prohibuisse: Doctorem autem Andream in itinere, cum Thorunium redire vellet, obiisse. Vid. Schuz. *lib. 3. Chron. fol. 110.*

XXII. Hæc erat facies Ecclesiæ in Prussia ante bellum Polonicum, quod vocatur magnum. Eo tamen adhuc referri potest secta TAULERISTARUM, Joannis Tauleri doctrinam profitentium, tempore Pauli de Rusdorff generalis in Prussia Teutonici Ordinis Magistri. Tales fuisse perhibentur duo deviginti Fratres ex Ordine Cruciferorum. Hi à Magistro poscebant villam Grunhoffin Samlandia, unà cum quatuor adjacentibus pagis, sibi concedi, quo facilius regulas Tauleri, quæ passim in Concionibus ipsius occurrunt, observare possent. Sed nihil tale à Magistro potuerunt obtinere, neq; tamen vinculum illud propterea dissolverunt. Vid. Henneb. *in Comment. pag. 143.* & Cœlestin. Mislenta *loc. cit.* In ipso bello magno multæ sunt in Prussiam expeditiones ab Husitis ex Bohemia susceptæ, sed an sectam suam latius propagarint, difficile dictu est. Crediderim immanitatem Bohemorum, quam hic non rarò experti sunt Prussi, multos à secta Husitica abduxisse. Cum enim

enim ante bellum tota propemodùm Prusſia dogmata Husſitarum approbaſſet, ut auctor eſt Grunovius *Tract. 15. cap. 21. fol. 375.* deindè confecto bello Polonico ſine ulla notabili reformatione Prusſi opiniones Husſitarum dimiſerunt, adeò ut rara, imò penè nulla ſint ipſorum veſtigia relicta.

XXIII. Friderico Miſniæ Marchione Magiſtro, concesſit in Prusſiam ex Batavia mirabile genus hominum ex artificibus ſellulariis aliisque otio indulgentibus nebulonibus. Hi electo ſibi Duce Italo quodam Clerico, totam Prusſiam peragrabant, veſtes habebant candidas; incedebant nudis pedibus & aperto capite ſive æſtivo ſive brumali tempore: Portabant ligneam crucem eamque brachiis impoſitam. Cibus erant fructus arborum & plantarum, nimirum poma, pyra, ceraſa, nuces &c. carnes vero animalium, ut & piſces vel attingere, nedum comedere, piaculum erat. A veſtitu nomen ſortiebantur, ita ut dicerentur STOLATI, vel Germanicè Küttelbrüder. Singularem præ ſe ferebant pietatis ſpeciem, qua multorum hominum liberalitatem erga ſe provocabant. In defectu rerum omnium, nihil defuit tamen. Quo ſe vertebant, parata fuerunt omnia. Regiomontum delati, liberaliter in foro Veteroppidano communi (im Altſtät. ſchen Gemeingarten) ſunt accepti. Hinc agmine facto in Lithvaniam contendunt, inde in Tartariam & Turciam progreſſuri. Sed deficiente commeatu, pars in itinere ſubſtitere, pars ab hominibus harum rerum ignaris cæſi periere. Vid, Caſp. Schuz. *lib. 9. Chron. Pruſſ. fol. 403.* D. Cœleſtinus Mislenta *in Prolegomen. ad Corp. Doctr. Prut. Lit. d.*

XXIV. Sub initium Seculi ſuperioris condidit Lucas Epiſcopus Varmienſis Warmiæ ſive Frauenburgi Monaſterium S. Antonio dicatum, in eoque aliquot monachos ſanctitate conſpicuos collocavit. Ordo hic magnam ſibi ſanctitatis opinionem acquiſivit, ita ut multi eſſent, qui prolixâ ipſum munificentiâ proſequerentur, ſuſtentarentq;. Cæterum procedente tempore ſucceſſerunt his alii Fratres, prioribus diſſimiles, qui ventrem quam ſacra curabant impenſius. Perſvadebant enim miſeris hominibus S. Antonium Patronum ſuum in cœlo Dominum eſſe ignis: ſe quoque non eſſe monachos; Sed S. Antonii Dominos: Si quis S. Antonio porcum aliamve ſtipem offerret, eum nulla damna in jumentis ſubiturum: Item ſi quis Fratrum horum porcis, qui campanulam auribus appenſam habebant, ut ab aliorum porcis facilè diſcernerentur, modium frumenti offerret, eum pro ſingulis modiis 5. annorum

indulgentias habiturum. Hiberno tempore domos obibant, pro S. Antonii porco dimidiam hordei mensuram exigentes. Qui autem in societatem recipiebantur, eos mensuram integram pendere oportebat. His aliisque rebus adeò inter rusticos etiam eviluere, ut vulgo porcorum Papæ, vel Porcini Episcopi vocarentur. Ad extremum Fabianus Episcopus Warmiensis eos non ferendos amplius censens, ea omnia, quæ ipsis fuerant à Luca Episcopo attributa, planè ademit. Quare Monachi loco & Nosocomio relicto, recesserunt. Vid. Thom. Treterus *in Vita Lucæ Episcopi Warmiensis XVI.*

XXV. Postremò progredimur ad Alberti Marchionis Brandeburgici, ultimi Ordinis Teutonici Magistri & deinde primi Prussiæ Ducis tempora; quibus doctrina Evangelica per D. Lutherum à variis corruptelis repurgata, in hanc terram invecta est. Electus est Albertus in Magistrum Ordinis Teutonici An. 1511. Proximo autem, nimirum An. 1512. d. 22 Novembr. in Prussiam venit quadringentorum Equitum comitatu stipatus. Prima ejus cura fuit jugum Polonicum excutere, quapropter in verba Regis Poloniæ jurare detrectans An. 1518. in Conventu Berolinensi cum Imperii Principibus de Prussia liberanda consilia contulit. Reversus in Prussiam An. 1519. die Veneris ante medium jejunii Quadragesimalis instituta est Regiomonti ultima supplicatio, sive ut vulgò vocant, Processio, pompam hanc condecorantibus Alberto Magistro, Wilhelmo Marchione Brandeburgico, Erico Duce Brunsvicensi, item Jacobo von Dobeneck & Georgio de Polentz, illo Pomesanienſi, hoc Sambiensi Episcopis. Neque posthæc aliam in Prussia Ducali Supplicationem iis ritibus peractam esse, certum est. Eodem anno cum Rex Poloniæ Sigismundus I. Alberti Marchionis molimina animadvertisset, melius esse rato prævenire quam præveniri, bellum Prussiæ d. 28. Decembr. denunciat, quod etiam deinceps per aliquot annos est gestum. Inter medios bellorum strepitus tubarumque clangores sonus Evangelii totam Prussiam, maximè verò illam partem, quam Ordo Teutonicus possidebat, excitavit. Etenim An. 1520. Georgius à Polentz J. U. Licentiatus Sambiensis & Erhardus Queis Pomesanienſis Episcopi doctrinam Evangelii puriorem sunt amplexi. Ipse Dux Albertus Noribergam proficiscens Lutherum in Saxonia salutavit jamque cum ipso de regimine Prussico in melius commutando consilia contulit, quod etiam Luthero præbuit ansam, ut Epistolam ad Equites Ordinis Teutonici scriberet, eosque ad conjugia contrahenda invitaret. Habe-

tur

tur dicta Epistola *Tom. 2. Jenens. German. fol. 192. seq.* Anno 1523. misit Lutherus, postulante Alberto duos in Prussiam Theologos D. Brismannum & Amandum. Ille primam Evangelicam habuit concionem in templo Cathedrali, quod in insula Kniphoviana est die 27. Septembr. Hic verò in templo Veteris urbis primum pro Cathedra Ecclesiastica verba fecit Dominicâ Primâ Adventus ejusdem Anni: sed postmodùm à Senatu Veteris urbis ob conciones acriores loco submotus est. Hinc An. 1524. Paulus Speratus in Prussiam missus, imagines à pueris & ultimâ hominum fæce ex templo Kniphoviano deturbari passus est. Factum id est eodem anno die Martis post dominicam Invocavit. Deinde illo ipso anno feria tertia Paschatos Monachi sive Fratres Bullati ex Cœnobio, sumptibus Claræ Joannis Schonbergii viduæ An. 1517. fundato, profugientes, aliò se contulerunt. Ad extremum An. 1525. Albertus Magister ab omnibus Principibus Germanici Imperii derelictus in clientelam se Sigismundo I. Regi Poloniæ dedit, simulque positis Ordinis Teutonici Insignibus, habitu & nomine primus Prussiæ Dux creatus est. Hoc facto religionem quoque Pontificiam penitus ex Prussia sibi subjecta proscripsit. Conscripta est eodem Anno Agenda Ecclesiastica, auctoribus Georgio à Polentz & Erhardo Queis Episcopis. Ut autem Albertus introductam recens religionem à quavis corruptelâ deinde tueretur, perpetuamque redderet, salutaribus eidem prospexit Constitutionibus. Præter Agendam enim illam Ecclesiasticam, de qua paulò ante, celebrata est An. 1530. Synodus Provincialis, jam laudatis Episcopis Præsidibus, in qua præscripta est certa vivendi formula. His ritualibus libellis additum est deinde Corpus Doctrinæ Prutenicæ. Posthæc, videlicet An. 1544. edita est ab Alberto alia Agenda Ecclesiastica. Cum verò eâ de causâ variæ inter Theologos essent exortæ controversiæ, Albertus, ut Ordinibus Prussiæ satisfaceret, conscribi jussit An. 1558. tertiam Agendam per Johannem Aurifabrum, vel alium quendam Theologum. Sed cum & huic An. 1566. in Conventu Prussiæ Provinciali contradiceretur; Albertus, ut exacerbatos multorum animos deliniret, evocavit ex Germania Johannem Morlinum & Martinum Chemnitium, qui Anno 1567. in Prussiam venientes non solùm novam Agendam, ut vocant, Ecclesiasticam (Kirchen-Ordnung Germani vocant) sed etiam repetitionem Corporis Prutenici conscripserunt. Impressa est dicta Agenda An. 1567. & An. 1568. quæ editiones etiam hoc Seculo, nimirum An. 1609. à Sereniss. Johanne Sigismundo Electore & Duce Prussiæ con-

confirmatæ sunt. Repetitio autem Corporis Doctrinæ Prutenicæ impressa est An. 1567. d 9. Julii & 1570. bis, cum confirmatione Ducis Alberti. Vid. D. Cœlestinus Mislenta *in Dissertat. Proœmiali ad Corp. Pruten. Lit. d.* Neque hic substitit Alberti pietas. Cum enim post Reformationem in Prussia viri docti deficerent, ut hunc suppleret defectum, accedentibus præsertim Ordinum Prussiæ sollicitationibus, instituit An. 1541. d. 24. Octobr. Gymnasium Regiomontanum, in eoque doceri jussit non lingvas tantùm Latinam, Græcam & Hebraicam, sed Theologiam etiam, Jurisprudentiam & Medicinam aliasque liberales artes. Promisit super ea se hoc Gymnasium (das Particular vocatur in Constitutione) majoribus Privilegiis auctурum & in Universitatem sive Academiam transmutaturum. Neque intra verba solum stetit hæc promissio. Nam An. 1544. Academia Regiomontana erecta est; ita tamen, ut simul etiam Pædagogium ei esset adjunctum. Primæ Constitutiones Academicæ & Pædagogii conditæ sunt An. 1546. Constituitur in iis præter Professores in Academia, etiam Archipædagogus & quatuor Lectores seu Hypodidascali, qui juventutem in Pædagogio bonis literis imbuerent. Vide Statuta Pædagogii An. 1611. typis impressa. Tandem An. 1619. d. 3. & 4. Octobr. per Commissarios à Principe missos dictum Pædagogium abrogatum est, quæ abrogatio eodem anno ab Alberto Duce est rata habita d. 17. Octobr. Constitutiones autem Academicæ, quas An. 1546. latas esse diximus, renovatæ sunt An. 1554. quas itidem Albertus Dux confirmavit. Privilegia Academiæ dedit idem Albertus An. 1557. quæ deinde An. 1560. d. 8. Martii Sigismundus Augustus Rex Poloniæ auctoritate suâ roboravit, Privilegia insuper Cracovienſis Academiæ eidem adjecit. Hæc Privilegia promulgata sunt simul cum Regia Confirmatione magna cum pompa in templo Cathedrali Anno 1561. d. 30. Septembr. præsente aula & Magistratibus trium urbium Regiomontanarum. *Hæc ex Actis Academiæ Regiomontanæ deprompta sunt omnia.*

XXVI. Sed & Prussiam Regiam nunc ingrediamur, quæ fuerint in ea Religionis per D. Lutherum pristino restitutæ nitori Origines investigaturi. Et quidem de Gedanensi urbe nobis primo loco erit agendum. Anno Christi 1522. erat in Veteri urbe Sacerdos, cui nomen Jacobus Finkenblok. Hic dicto anno d. 13. Julii die S. Margarethæ in monte, Hagelsberg dicto, primam Lutheranam habuit concionem maximo cum omnium Auditorum applausu, qui eum postea ad S. Gertrudis deduxere,

duxere, ubi subtilia suggestu exstructo Dominicis festisque diebus verba ad populum faciebat. Imminente verò hyeme in templo Corporis Christi conciones habebat, ingenti hominum multitudine undique confluente. Cum hoc ipsum Sigismundus I. Rex Poloniæ crebris certisque nunciis intellexisset, frequentibus edictis An. 1523. nimirum in Januario, Februario, Augusto, Septembri, Novembri & Decembri missis severè mutationem omnem in Religione prohibuit. Itaque Jacobus Finkenblok Wittebergam abiit, unde nihilominus paulo post à Cive quodam Gedanensi opulentissimo von Pelcken aliisque revocatus est. Proximè subsequente anno (1524.) Episcopus Cujavienſis cum Archiepiscopo Gnesnensi Dantiscum veniens, inquisivit in Sacerdotum doctrinam & mores, cumque aliquem, cui nomen Paulus, ad D. Joannis Luthero addictum deprehendisset, in vincula ipsum conjecit. Populus autem Gedanensis cum in urbe, quid ageretur, percrebuisset, palam concursare, fremere, hospitium Episcopi circumsistere, liberationem denique Pauli minus etiam intentatis postulare. Hîc Episcopus cum concitatæ plebis furori resistere se non posse cerneret, reddidit ipsi Sacerdotem. Nihilominus neque eo modo securitati suæ satis prospectum animadvertens, clam se ex urbe, infectâ re, subduxit. Non cessavit tamen postea variis fulminare interdictis. Plebs autem hæc nihil morata, postquam semel, quantum in viribus suis esset, didicerat, jam palàm Sacerdotibus Pontificiis illudere & obloqui. Exemplo est quidam Bernhardus ab Eyden/ qui D. Alexandrum Ord. Francisci Minoritam An. 1525. die Dominico ante Conversionem Pauli horis matutinis cathedram conscensurum maledictis incessere non dubitavit. Et cum propterea in carcerem esset à Magistratu conjectus, orta est in populo seditio, quæ à meridie demùm in nervum erupit. Cum enim in templo B. Virginis Jacobus Schwarze concionem haberet, Johannes Schulz/ non unus ex Magistratu, ut vult Paulus Piasecius *in Chron. pag. 48. (41.)* sed nauta, ad altare S. Annæ tumultum excitavit, quô concitatus atque inflammatus populus convolare, portas cardinibus suis dimovere, Magistratum Veterem deturbare, novumque creare. Hos tumultus ut componeret Sigismundus I. Rex primò Gedanenses dicto anno mense Decembri in aulam citat, facti rationes reddituros. Illis autem non comparentibus, ipse Rex itineri se accingit, venitque An. 1526. d. 8. Martii Mariæburgum: inde d. 17. April. Gedanum ingreditur, ubi in quisitione institutâ Joannem Schulzium, cum tredecim aliis, qui tumultus

illius anteſignani & coryphæi habebantur, capite plecti jubet, Magiſtratum veterem reſtituit, aliaque multa ſucceſſu temporis (quatuordecim enim hebdomadis Gedani commoratus eſt) mutat. Repreſſus tunc purioris defæcatiorisque doctrinæ curſus, eò validiùs poſthæc refractis obicibus prorupit totumque ferè Gedanum fœcundavit. Siquidem An. 1536. Pancratius Klein omnium Ordinum conſenſione incorruptam juſſus eſt docere fidem; nondum tamen auſus eſt quisquam ſacramenta more Lutheranorum adminiſtrare. Quin & ipſam verbi divini puram & ex præſcripto Chriſti & Apoſtolorum inſtitutam prædicationem inhibere conati ſunt plurimi. Nam An. 1544. Gedanum venientes Samuel Maciejowki Plocenſis, Nicolaus Dzierzkovvski Cujavienſis & Tidemannus Giſe Culmenſis Epiſcopi, ſtatim Pancratium ad ſe, ut doctrinæ ſuæ rationem reddat, citant, cumque ille ſeſe ſiſteret intrepidus, parum abfuit, quin ex urbe abductus fuiſſet: ſed vigilantiâ populi Gedanenſis periculis, ſubductus eſt innocens. Poſthæc Anno 1552. venit Sigismundus Auguſtus Gedanum, inſtinctuque Epiſcoporum Lutheri Sectatoribus interdixit, ne ſuas opiniones diſſeminare auderent; ſed placatus poſtmodum liberum religionis exercitium indulſit. Hinc An. 1555. (ex quorundam ſententia 1556.) in templo D. Jacobi ſub utraque ſpecie Sacramentum cœnæ Dominicæ adminiſtrari cœpit, quod exemplum deinde Sacerdotes in aliis templis ſunt ſecuti, fremente bus quibusdam Epiſcopis Polonicis. Ad extremum An. 1557. Magiſtratus Gedanenſis à Sigismundo Auguſto Vilnæ Fer. 2. poſt Feſtum Viſitationis Mariæ obtinuit Privilegium, ſacramentum cœnæ Domini ſub utraque ſpecie adminiſtrandi. Sed & de Gymnaſio Gedanenſi quædam ſtrictim nobis erunt commemoranda. Anno 1555. d. 22. Septembr. templum SS. Trinitatis cum monaſterio adjuncto Senatui obtulit Johannes Rollau, qui ex monachis erat ſuperſtes, ubi paulò poſt Schola inſtituta eſt, in qua An. 1558. primùm docere cœpit Johannes Hoppius Rector. Sed cum Profeſſoribus exigua eſſent attributa ſalaria, vix quisquam Doctorum ibi ſubſiſtere potuit, quæ etiam cauſa eſt cur Gymnaſium illud ingeniis eo tempore non efflorverit. Acceſſit dehinc Bellum Polonicum Anno 1577. geſtum, quo durante ſtudia planè jacuerunt. Confecto demùm bello, liberaliora conſtituta ſunt ſtipendia vocatique ad Gymnaſium D. Jacobus Schmidius Arnoldi Schmidii Senatoris filius, & Lucas Loſſius, quibus ſucceſſu temporis alii ſunt additi liberalium artium Profeſſores. Vid. de his David Chytræus *in Continuatione Schu-*

Schützii fol. 505. Henneberg. *in Comment. ad Tab. Pruff. pag. 91. seqq.* Anonymus quidam in libro An. 1651. edito quem inscripsit: Historischer Auszug von Veränderung der Religion in Danzig. Stephanus Damalevicius *in Vitis Episcoporum Wladislaviensium.* Reinholdus Curike *in Chronico Gedanensi lib. 4.*

XXVII. Quod autem ad alias Urbes Prussicas attinet, explicatu difficile est, per quos illæ primùm conversæ sint verbi divini præcones. Ex usu tamen fore putamus, si breviter indicaverimus, quando ipsis liber Augustanæ Confessionis usus sit concessus. Et quidem THORUNIENSIBUS Privilegium Religionis per D. Lutherum repurgatæ (jamque ab anno 1525. Thorunii per nonnullos spargi cœptæ, ut disertis verbis testantur Acta publica ad An. 1526.) liberè exercendæ dedit Sigismundus Augustus Rex An. 1557. d. 25. Martii, teste Benedicto Morgenstern *in lib. de Ecclesiap. 81.* Ejus rei memoria recolitur quotannis eodem illo die 25. Martii in quem incidit Festum Annunciationis Mariæ. Habuerunt autem indè nostri cum Romanæ Confessionis hominibus templa communia, donec tandem inter utramque partem ita conventum est, ut Romanæ Religionis homines retinerent templum Parochiale D. Johannis: nostrates verò templum D. Mariæ. A quo Gymnasium Thorunienſe sit conditum in Animadversionib. nostris *ad part. 3. Chron. Dusburg. cap. 1.* diximus. ELBINGENSI Urbi Privilegium Religionis per D. Lutherum reductæ dedit Sigismundus Augustus An. 1558. Petricoviæ die. 22. Decembr. Cujus rei memoria quotannis Dominica Oculi solenniter celebratur. Gymnasium Elbingense institutum est An. 1598. M. Johanne Sprengel à Röbern Cos. M. Alberto Isendorf Cos. M. Andrea Neandro Senatore, Scholarchis. Primus dicti Gymnasii Rector fuit M. Johannes Mylius Iglavienſis. MARIÆBURGENSIBUS super hac re Privilegium ab eodem Sigismundo Augusto An. 1569. d. 24. April. Proximè subsequente Anno, videlicet 1570. MEVENSIS CIVITAS Privilegium, quo ipsi libertas Religionis concessa est, à Sigismundo Augusto obtinuit. Præcipua ex duarum posteriorum Civitatum Privilegiis verba citat Scriptor Anonymus von Veränderung der Religion in Danzig. *ad An. 1570. & sub calcem libri.* Idem sine dubio Sigismundus Augustus Privilegia super libero Religionis exercitio reliquis etiam Civitatibus Prussicis dedit. Cur autem Sigismundus adeò promptus fuerit in his Privilegiis concedendis, ex verbis Pauli Piasecii Episcopi Præmislienſis palàm discimus, quæ sic se habent: *Si-*

gismundo Augusto Sigismundi I. filio succedente in Regnum gravius laboravit tota Polonia pro Religione Catholica ab hæresibus defendenda. Rex enim ipse inter manus alienigenarum enutritus, ad eos eorumque institutum fuit propensior, & licentiosiorem vitam agens in Catholica pietate colenda remissior. Quod autem deterius, inclinatior erat ad scientias curiosas, in eisque utebatur operâ Germanorum hæreticorum, qui familiaritate Regis securi, liberius errores suos divulgabant, ut non pauci ex Regiis (mos est aulicorum) non inviti nec segniores Ecclesiastici Regis in exemplum concederent. Plurimi etiam Germani Origine quæsitis domiciliis & cognationibus in Polonia opibus & potentiâ sub illud tempus successerant, Germanicâ suâ proclivitate, ut Æthiops pelle nec in Nepotibus immutata. Hæc Piasecius *in Chron. pag. 48.* (41.) Quod autem in Prussia Lutheri discipuli tantos fecerint in disseminanda doctrina sua progressus, ejus culpam Piasecius conjicere videtur in quosdam Wladislavienses sive Cujavienses & Culmenses Episcopos: *Immò,* inquiens, *& isti* (Senatores Ecclesiastici) *nutare cœperant. Titelmannus Episcopus Culmensis & postea Varmiensis, strictiori familiaritate Erasmo Roterodamo conjunctus ejus opiniones & dogmata palàm celebrabat. Joannes Dantiscus ejus successor in utroque illo Pontificatu perpetuas amicitias & prophanarum literarum commercia cum præstantioribus Scholarum hæreticarum Magistris habuit —— — Joanne Drojowski Episcopo Wladislavienſi spectante palàm & connivente Gedanum introducta fuit hæresis.* Et sic etiam Prussia Regia, excepto Varmiensi Episcopatu, (ex quo Lutheranos ejecit Mauritius Ferber Episcopus Varmiensis, ut supra diximus) & Magnâ parte Culmensis & Lobavensis Provinciarum, Religionem dictam amplexa est; ita tamen, ut in plurimis locis Romano-Catholici sua retinuerint templa, quæ etiamnum tenent, licet Auditores habeant paucos, quibusdam etiam in locis fermè nullos, id quod in Insula majore non uno in loco animadvertas. Cautum etiam est satis superque Prussis de Religione recens amplexa non solùm in Confœderationibus Regni generalibus, post obitum Sigismundi Augusti, sequentiumque ex ordine Regum, initis; sed etiam in jurejurando Regio, ubi verba notanda: *Pacem quoque & tranquillitatem inter Dissidentes de Religione Christiana tuebor, manutenebo, nec ullo modo vel Jurisdictione nostra vel officialium nostrorum & Statuum quorumvis auctoritate quemquam affici opprimique causâ religionis permittam, nec ipse afficiam ac opprimam.*

XXVIII.

XXVIII. Egimus hactenus de Ecclesia puriore, quæ vulgò Lutherana vocatur, quomodo illa in Prussia cœperit, creverit & adoleverit; jam facere non possumus, quin etiam de FRATRIBUS BOHEMICIS, qui FRATRES UNITATIS vocabantur, opponebanturque in Bohemia Calixtinis, quædam carptim, eaq; qua fieri potest, brevitate subjiciamus. Quamquam enim hodiè Fratres illi in Prussia non reperiuntur, tamen Alberti Prussiæ Ducis temporibus huc ex Bohemiâ comigrârant non pauci. Occasionem hanc fuisse perhibet Adrianus Regenvolscius. Anno 1525. circiter Cal. Febr. decretum fuit in Comitiis Pragensibus, ut templorum propriorum usus Fratribus dictis adimeretur, neque iis potestas fieret publicè conciones habendi, idque sub hoc prætextu, quod Fratrum Religio sola Bohemorum cum Romana Ecclesia reconciliationi obstaret. Occlusa igitur sunt Fratrum templa. Sed cum An. 1526. Ludovicus Hungariæ & Bohemiæ Rex in pugna contra Solimannum Turcarum Imperatorem commissâ occubuisset, perturbatis undiquaque rebus, Fratres commodam templorum occupandorum occasionem nacti sunt. Deinde An. 1547. Ferdinandus Rex edicto publicato omnia Fratrum templa signatoriis annulis adhibitis claudi jubet. Obtulerunt illi quidem Ferdinando Regi, ut & Carolo Imperatori supplicem libellum, crimina, quæ ipsis objiciebantur, diluentes, sed frustra fuere. Itaque cum plurimis ex Bohemia esset demigrandum, præmiserunt ad Albertum Ducem Prussiæ (qui hoc officii genus antea ipsis ultrò obtulerat) Wilhelmum Krzinecium Baronem de Ronow, ut locum expulsis Fratribus præpararet. Sequuti sunt deinde aliquot centeni per Poloniam, ex quibus multi in Polonia consederunt, alii Prussiam petentes Thorunium primò delati sunt. Cæterum cum ibi opiniones suas spargere cœpissent, jussu Regis urbe excluſi, relicto unico sectæ suæ Concionatore in Prussiam ducalem commigrarunt. Nec minor hîc initiò difficultas deprehensa est. Fuerunt enim qui Alberto ipsos reddere suspectos conabantur. Igitur ad examen Regiomonti An. 1548. die 27. & 28. Decembr. admissi, parùm, ut vult Regenvolscius, ab Augustana confessione discrepare visi sunt. Proinde Anno 1549. d. 13. Jan. Quidzini sive Mariæwerderæ diplomate ab Alberto muniti in templum, cujus pars, in qua suo idiomate Bohemi sacra tunc temporis administrarunt, etiamnum templum Bohemicum dicitur, introducuntur. Consederunt etiam aliis in locis Prussiæ Ducalis, ut Neidenburgi, Gardæ, Holstini, Regiomontio, Dambrownæ sive Gilgenburgi & Soldaviæ. Præ-

cipui doctores Bohemici in Prussia fuere Matthias Sionius, Georgius Israel, Petrus Studenius, Joannes Laurentius. Ad memoratum illud Examen Regiomontanum non rarò provocarunt superiore seculo Fratres Bohemici, ac si in illo veram & sinceram, parumque ac nihil ab Augustana confessione differentem se profiteri doctrinam Theologis Prussicis probarint. Verum è contrario Benedictus Morgenstern Pastor primùm Dantiscanus, deinde Thorunienſis, postremo Grudentius longè alia de examine hoc Regiomontano refert. Existimat enim nihil unquam Bohemis magis obesse posse, quam hoc ipsum Examen & Testimonium super hoc ipso eis datum à Collegio Regiomontano, quod Paulus Speratus Episcopus Pomesanienſis nomine Illustrissimi Ducis Alberti, & Collegæ sui D. Georgii à Polentz Episcopi Sambienſis sub„scripsit & subsignavit sicque An. 1549. d. 19. Martii edidit. Etsi enim, „ inquit Morgenstern, Præsules Prutenici in Procœmio Confessionis An„no 1538. Vitebergæ editæ & ore tenus factæ suam laudem Fratribus „ tribuunt, cum dicunt: *Advenas Bohemos rectè sentire nihilque docere „ hæreticum: illorum Confessionem cum Scriptura S. & interpretatione „ Veteris Ecclesiæ congruere.* Faciunt tamen hoc ipsum ideo, ut ratio„nem infirmorum habeant, nec statim initio adventûs eos intempesti„vâ reprehensione offendant, quia non ignota illis erat supra posita „ censura Lutheri. Imò secundùm illam eos tractant, tanquam linum „ fumigans, & Dominus Paulus Speratus jam ante An. 1522. de illis cum „ adhuc in Moravia doceret cum Luthero contulerat. Ne ergò testi„monio Episcoporum Bohemi abuterentur ; Præsules subjiciunt hæc „ verba: *Si tamen revera sentiunt, quod solus Deus novit, ut sint palam „ professi.* Quod autem confessionem illam anni 38. attinet, Præsules „ (ne videantur eam probare) noluerunt, ut juxta eam Bohemi doce„rent: Sed ut Augustana Confessio esset norma doctrinæ in Prutenicis „ Ecclesiis. Ideo quinque in ordine Decreta Episcoporum Prutenico„rum doctrinam præcipuè spectant. Primum Decretum Fratres cum „ eorum Confessione ter ad Augustanam confesſionem adstringit. Et „ tertio sic inquit: Si quis ergo dogmata illa, quæ Augustana Confessio „ improbat, ausus fuerit vel clam vel palàm in templo profiteri atque „ docere, is ut hæreticus extra Ecclesiam nostram nisi revocaverit ex„ communicatus ejici debebit. Secundum Decretum schisma eorum „ taxat ac prohibet. Tertium auscultationem mutuam mandat, ut Po„lonicus observet Bohemicum Concionatorem, & contra, & addit:

Causa

„ *Causa autem hujus mutuæ auscultationis est, ut doceant consentaneam* „ *Augustanæ confessioni.* Idem repetitur in Quarto. In Quinto manda- „ tur ut Bohemi Aug. Confessionē convertant in Bohemicam lingvam. „ Sextum Ordinationem ministrorum ipsis adimit. Septimum Bohemo- „ rum ministros subjicit nostris Pastoribus. In octavo & sequentibus de „ cæremoniis agitur, & ne in diebus, quibus confessiones fiunt, in cantu, „ in baptismo infantium, in officio erga parturientes, in obligationibus, „ quibus Bohemici ministri obstringunt Compatres, in Confessione mi- „ nistro facienda: in cœna sacra administranda, in stipendiis ministro- „ rum & scholis ullum scandalum præbeatur. Vigesimum primum & „ ultimum Decretum repetit mandatum, ut Bohemorum quilibet Ec- „ clesiasticus minister debeat parere ejus loci ordinario Pastori, atque „ strictè singula observentur, nihilque innovetur, præter voluntatem „ Episcopi. Hæc Benedictus Morgenstern, *in lib de Ecclesia An. 1598. Francofurti ad Mœnum edito pag. 167. seqq.* Adrianus Regenvolscius agnoscit, quædam in Decretis illis fuisse Fratribus Bohemicis adversa, sed ea dicit à Friderico Staphylo Westphalo, qui posthæc ad Pontificios defecit, contra Ducis promissionem fuisse inserta. *lib. 2. Hist. Eccl. Slavon. Provinc. cap. 11. pag. 196.*

XXIX. In Prusia Regia quos progressus Bohemici Fratres habuerint etiam nobis erit explicandum. Cum dicto supra modo ex Bohemia essent submoti, concesserunt in Poloniam. Inde An. 1548. jussu Sigismundi Augusti Regis pulsi Thorunium veniunt, ibique per aliquot menses commorantes non paucos suæ Religionis sibi parant. Verum & hic à Romanæ Religionis Doctoribus infestantur, tandemque ejusdem Sigismundi Augusti Regis jussu pulsi, relicto novellæ Ecclesiæ concionatore in Prusiam Ducalem perrexerunt. Inter præcipuos antagonistas habuerunt quendam Sacerdotem Samuelis Maciejovii Episc. Cracovienſis Cancellarium. Vid. Regenvolsc. *lib. 2. cap. 11. pag. 195.* Interea reliquiæ Bohemorum clam nocturnos conventus agebant, omnesque, qui Religioni Romanæ nuncium miserant eorum ministerio utebantur, quia Doctores alios non habebant, neque ut antea fieri consveverat, in vicinas urbes ad sacra peragenda proficisci à Sacerdotibus Pontificiis permittebantur. Tandem ut Senatus occultis his conventibus obviam iret salutique simul suæ consuleret, impetravit An. 1557. d. 25. Martii liberum cœnæ Dominicæ sub utraque specie usum, pauloque post ad repurgationem & gubernationem Ecclesiæ, secundùm Privilegium sibi indul-

indultum, Doctores Augustanæ Confessionis vocavit, & in his etiam Benedictum Morgenstern, qui statum Ecclesiæ Thorunienſis sub ea tempora optimè exponit in libro supra citato. Videlicet invenit Morgensternius Thorunii varias sectas. Pars Romanam Religionem sequebantur: Multi Swenkfeldianismo laborabant. Plurimi Bohemicis fratribus adhærebant. Gaudebat igitur Morgensternius cum in Ecclesia Thorunienſi non paucos inveniſſet, qui disciplinæ fratrum Bohemicorum essent assuefacti. Fore namque sperabat, ut non tantùm accuratâ verbi divini tractatione conscientiæ à Romanæ Religionis corruptelis expedirentur, verum etiam ipsorum exemplo ad debitam reverentiam & obedientiam erga ministerium Augustanæ Confessionis auditores invitarentur. Etenim cum antea Rectoris adhuc scholæ Risenburgensis munere fungeretur Morgensternius, inierat cum ipso familiaritatem D. Joannes Laurentius Ecclesiæ fratrum Bohemicorum minister, qui isthac ad visitandas Ecclesias Bohemicas in Prussia Ducali sæpe transire solebat, ac deprecatione disciplinæ Fratrum ita ipsum in admirationem traxit, ut de fratribus honorificè sentiret. Sed aliter ac putarat Morgensternius, res cecidit. Quanquam enim Thorunii Schwenckfeldianos ad saniorem reduxerat mentem, multosque Romanæ Religionis homines converterat; Bohemici tamen Fratres ejus spem omninò fefellerunt. Audiebant illi quidem conciones diligentissimè, nihilominus in Sacræ Synaxeos usu ab Augustanæ confessionis ministerio se abstrahebant. Morgensternius hoc molestissimè ferens, multos cives Bohemicæ Confessioni addictos hortatur, ne ministerium vili pendant, Ecclesiamque turbent, ostendant denique, si qua emendatione digna in Ecclesia Augustanæ confessionis existimant. Illi verò rogant, exspectet proximas Nundinas, tunc adventuros Bohemicæ Ecclesiæ ministros, cum quibus his de rebus agi posset. Dilata deinde res in alias Nundinas. An. 1561. d. 5. Jan. missus ex Polonia Joannes Laurentius, ad cognoscendum Ecclesiarum Bohemicarum per Prussiam statum, Thorunium venit. Interrogatus à Morgensternio quamobrem Fratres, qui doctrinam augustanâ Confessione comprehensam probarent, nihilominus suos retraherent, ne in Ecclesia ministerio ejusdem Professionis concionatorum uterentur. Respondit is causam ejus rei præcipuam esse neglectum apud Sectatores Augustanæ Confessionis & quidem tum in illa urbe legitimi Ordinis & disciplinæ Ecclesiasticæ. Deliberaturos tamen super hac re Fratres, quibus eam simul ac domum reverteretur esset relaturus.

Tandem

Tandem Fratres in eam iverunt sententiam, ut Auditores, quos habebant Thorunii operâ Concionatorum loci illius in ministerio Christi uterentur ac ipsorum curæ subjecti essent, ut vel ipse Regenvolscius fatetur. Sed res caruit optato eventu. Auditores enim & Doctores antiquum obtinebant. Nam, ut refert Morgensternius, à conjunctione dictâ Joannes Laurentius magis Auditores suos avocabat, quam ad eam hortabatur. Dixerat enim: *Si qui putant sibi non satis prospectum nostra cura pastorali, aut meliora apud istos inventuros se, nec eadem omnia apud nos habere, & bonâ conscientiâ apud istos communicare possunt, per nos licebit.* His autem illi non acquiescentes in Schismate suo perseverabant. Deinde An. 1563. die 8. Septembr. habitum est Thorunii Colloquium inter Theologos Augustanæ & Bohemicæ Confessionis, præsentibus Joanne de Sluzevvo Palatino Brzestensi, Joanne de Krotoschin Palatino Inovladislaviensi, Rephaele Leszczinski, Stanislao Ostrorog Castellano Miedzirzecensi, Andrea Kaczkovvski, & aliis. In hoc Colloquio victos Fratres Bohemicos cessisse scribit Morgenstern: *Tanta*, inquit, *fuit Fratrum pertinacia ut dimoveri se ab hoc Schismate passi non fuerint, priusquam in publico Colloquio schismatis & multorum errorum convincerentur.* Hæc ille *loc. cit. pag. 95. seq.* Contra Regensvolscius scribit Fratres Bohemicos primùm in Colloquio de injuria sibi à Concionatoribus Thorunienſibus, præsertim Morgensternio, illata conquestos esse, deinde doctrinam suam, quam profitebantur tam claris argumentis defendisse, ut omnium sanæ mentis Auditorum judicio & testimonio puritas doctrinæ atque in omnibus innocentia apparuerit. His tamen transactis, pacis studio Fratres in eo consessu solenniter Auditores suos, quos Thorunii habebant, Pastoribus ejus loci commendasse. Vid. Regensvolsc. *lib. 2. cap. 11. fol. 196.*

XXX. Ad extremum quo modo Bohemici Fratres ex Prussia excesserint audiamus. Regensvolscius *loc. cit. pag. 97* sic eam rem exsequitur. Cum Albertus Dux Prussiæ 20. Martii An. 1568. æt 78. fatis concessisset privati sunt Fratres per novi Ducis Theologos facultate utendi ministris Bohemicis, atque suis ceremoniis & Corpori Doctrinæ subscribere sunt jussi. Quare An. 1574. eorum quidam in Patriam, alii in Poloniam, pauciſſimis in Prussia (fortasse Regiam intelligit) relictis, recesserunt. At verò Benedictus Morgenstern in citato libro testatur, Bohemos adhuc Alberti Senioris Prussiæ Ducis tempore de abitu cogitasse. Cum enim adeò severè ad Augustanam Confessionem in De-

cretis supra num. XXVIII. commemoratis essent alligati, jugum hoc diu ferre non potuerunt, sed maxima eorum pars sensim se ex Prussia subduxit: Testatur processus Visitationis Gardeensis An. 1576. habitæ, Bohemos subiisse in oppido domos, suosque clam in angulis docuisse, & sacramenta dispensasse. Hoc quia plenum scandalis fuit in Prutenicis Ecclesiis severissime ab Illustrissimo Principe & Episcopis prohibitum est, sicut totidem ferè verbis tradit Morgenstern. *loc. cit pag. 170. seq.* In Prusia Regia, cum ultra Thorunium non sint progressi Fratres Bohemici, jam propemodum ex iis, quæ supra dicta sunt, elucet, quomodo nomen Fratrum Bohemicorum sit abolitum. Nimirum ab An. 1563. ministerio Nostratium Presbyterorum in omnibus casibus cœperunt uti, suas tamen opiniones, quas à Doctoribus Bohemicis hauserant, mordicus defendebant. His cum nondum acquiesceret Morgensternius, à Senatu munere, quo fungebatur, privatus est. Regensvolsc. *pag. 196.* Non ita multò post, videlicet An. 1570. convenerunt in Polonia Sendomiriæ Doctores Augustanæ, Helveticæ & Bohemicæ Confessionum ex universa Polonia, Lithvania & Russia, ibique certum Consensum in Religione constituerunt. Quoniam autem caput illud fidei Christianæ, de Cœna Domini, maximam disidii inter dictarum Confessionum Theologos præbere materiam videbatur, satis speciosè to-
„tam illam controversiam determinarunt. Sic enim illi: *Deinde verò,*
„ *quantùm ad infœlix illud dissidium de cœna Domini attinet convenimus*
„ *in sententia verborum Domini nostri Jesu Christi, ut illa orthodoxè in-*
„ *telecta sunt à Patribus, ac inprimis Irenæo, qui duabus rebus, scilicet*
„ *terrenâ & cœlesti, hoc mysterium constare dixit: Neque elementa signa-*
„ *ve nuda & vacua illa esse asserimus, sed simul reipsa credentibus exhibe-*
„ *re & præstare Fide, quod significant. Denique, ut expressius clariusque*
„ *loquamur, convenimus, ut credamus & confiteamur substantialem pra-*
„ *sentiam Christi non significari duntaxat, sed verè in Cœna eo vescenti-*
„ *bus, repræsentari, distribui & exhiberi Corpus & sangvinem Domini,*
„ *symbolis adjectis ipsi rei minimè nudis, secundum sacramentorum natu-*
„ *ram. Ne vero diversitas formularum loquendi contentionem aliquam*
„ *pariat, placuit præter articulum, qui est insertus nostræ Confessioni mu-*
„ *tuo consensu adscribere Articulum Confessionis Saxonicarum Ecclesia-*
„ *rum de Cœna Domini ad Tridentinum Concilium Anno Domini MDLI.*
„ *missæ: Quem etiam pium agnoscimus & recipimus. Cujus Confessionis*
„ *hæc sunt verba:* Et Baptismus & Cœna Domini sunt pignora & testi-

monia

monia gratiæ, ut antea dictum est, quæ de Promissione & tota redemp-" tione nos commonefaciunt & ostendunt beneficia Evangelii ad sin-" gulos pertinere qui his ritibus utuntur. *Item*: Nec admittuntur illi ad " Communionem, nisi prius à Pastore aut Collegis ejus auditi sint & " absoluti. In hac exploratione interrogantur & erudiuntur rudiores de " tota doctrina & deindè absolutio promulgatur. Docentur etiam ho-" mines, Sacramenta esse actiones divinitùs institutas, & extra usum in-" stitutum, res ipsas non habere rationem Sacramenti: sed in usu institu-" to in hac communione verè & substantialiter adesse Christum & verè " exhiberi sumentibus corpus & sangvinem Christi. Testari Chri-" stum, quod sit in eis & faciat eos sibi membra & quod abluerit eos san-" gvine suo &c. *Omnia hujus articuli verba integra.* Hæc Consensus il-" le, cui præter aliquot Regni Polonici Proceres, Doctoresque Helveticæ & Bohemicæ Confessionis subscripsit etiam Nicolaus Glicznerus Ecclesiarum in Majori Polonia Confessionis Augustanæ Superattendens suo & aliorum Fratrum nomine. Non substiterunt autem hîc Fratres illi Polonici. Eodem enim anno 1570. d. 14. Aprilis in Conventu Posnanienſi aliquot capita conscripserunt, quæ partim Confusionem dictarum trium Confessionum, partim etiam manifestam Calviniſmi, ut vocant, Professionem introducunt. Nam num. 3. sic loqvuntur: *Si in loco aliquo fuerint duo utriusque cœtus Ministri, velsi casu aliquo alter alterum convenerit fueritve vocatus, debent absque ulla offensionis suspicione & conciones & sacramenta administrare, eodem & quidem puro & candido animo gloriam Dei promoventes.* Et num. 18. *Ceremonias & ritus Papisticos sensim auferendos & omnino rejiciendos esse censemus, ut Exorcismum, imagines idololatricas, Sanctorum reliquias, usum superstitiosum candelarum, consecrationem herbarum, vexilla, cruces aureas & argenteas, ac his similia, ne per illa verbum Dei profanetur & ne Antichristo patrocinari videamur.* Confirmatus hic consensus Sendomirienſis est in Synodo Cracovienſi An. 1573. d. 29. Septembr. Petricovienſi An. 1578. d. 1. 2. & 3. Junii, Wladislavienſi An. 1583. d. 19. Junii. Thorunienſi An. 1595. Editæ verò sunt Confessiones dictæ simul omnes, sive Consensus hujus Decreta omnia Heidelbergæ An. 1605. Quo circa sensim in Polonia Reformati, ut appellari volunt, cum essent cæteris potentiores, cæteras Ecclesias in suas partes traxerunt, sicque sensim nomen Fratrum Bohemicorum & Lutheranorum aboleri cœpit. Quo factum est, ut in Polonia plures quam centum Ecclesiæ Augustanæ Con-

fessioni addictæ ad Reformatos transierint, id quod non tantùm ex articulo ultimo Synodi Gostinensis An. 1565. d. 15. Junii à Doctoribus Augustanæ Confessionis celebratæ, sed etiam ex Epistola Stanislai ab Ostrorog Castellani Miedzirzecensis ad Philippum Melanchthonem scriptâ probari potest. Conf. & Benedictus Morgenstern. *loc. cit. pag. 67.* Idem sine dubio contigit Fratribus Bohemicis Thorunii degentibus. Illi, cum se dicto modo Bohemicæ & Helveticæ Confessionis Ecclesiæ in Polonia conjunxerunt, communi nomine Evangelicorum & Reformatorum gaudebant, ita tamen ut à nostratium ministerio non abhorrerent. Contigit quoque aliquoties, ut ex Polonia Pastores Polonici huc vocati licet essent Reformatæ, aut Bohemicæ religionis, in vocationibus autem secundùm Augustanam Confessionem docere juberentur, Vocationes tamen illas, ut conjunctio Ecclesiarum Polonicarum requirebat, acceptarent. Quanquam illud ad hoc tantum Seculum sit restringendum. Cum enim An. 1595. mense Augusto Evangelici ex universa Polonia Lithvaniaque & Russia Synodum Generalem Thorunii celebrarent, sacra quidem in æde B. Virginis peragebant, nemo tamen Presbyterorum Thorunensium Consensui Sendomirienſi vel Actis Synodi Thorunensis subscripsit, quod certè non intermisissent, si jam tum Reformatæ Religioni addicti in Ministerio Thorunensi fuissent reperti. Sed nec Benedictus Morgenstern, qui ad exitum vergente Seculo superiore librum suum de Ecclesia conscripsit, Thorunensibus quidquam tale objicit, aliàs id non omissurus, si tale quidpiam ibidem observasset. Contrarium potiùs ipse testatur, quando Bohemicos Fratres ab An. 1563. nostratium uti Ministerio, palàm scribit *loco supra citato.*

XXXI. His omnibus ita pertractatis, essent adhuc quædam adjicienda de Reformatorum in Prussia originibus & incrementis, sed hanc materiam aliis tractandam relinquimus. Quæ fuerint ipsorum incrementa Thorunii, jam ex dictis quodammodo colligi potest. De Reformatis Gedanensibus multis agit Auctor libelli Germanici von Veränderung der Religion in Danzig. De incrementis eorundem in Prussia Ducali, habet quædam D. Cœlestinus Mislenta in Prolegomenis ad Corp. Doctrinæ Prutenicæ. Reperiuntur etiam de re eadem multa in Privilegiis Prussiæ Ducalis aliisque Actis Publicis. Nos hic subsistimus, ad alia progressuri.

DIS-

DISSERTATIO XV.

De

Re Oeconomica Veterum Prussorum.

(1.) *An Prussi olim habuerint domos, pagos, castella, urbes?* (2.) *Victus Prussorum tenuis, an elixarum carnium apud Prussos ullus fuerit usus? Herbæ, Lac, Pisces.* (3.) *Potus aqua, lac, melicratum, an & sanguis equinus? Cerevisia, quando invaluerit?* (4.) *Prussor. hospitalitas. Mendici in Prussia nulli. Comportationes. Balneæ inter delicias Prussorum.* (5.) *Pocula Prussorum, pateræ, cornua. Cornu Danicum.* (6.) *Vestes Prussorum. Lecti.* (7.) *Modi acquirendi victum & amictum. Agricultura. Pastum armentorum & gregum. Venationes. Aucupium. Piscatura. Lacus quot sint in Prussia.* (8.) *Modi acquirendi artificiales. Permutationes mercium. Nummularia. Navigationes.* (9.) *Instrumenta Oeconomiæ, uxores, liberi, servi, jumenta, quæ ad œconomiæ finem obtinendum erant inepta, non alebant Prussi.* (10.) *Historia succini Prussici.* (11.) *Quæ sit natura Succini Prussici. Succinum est gemma.*

I.

CUm de re Oeconomica Veterum Prussorum pluscula in Animadversionibus nostris ad Dusburgensem occurrant, potuissemus facilè jam hoc labore supersedere. Ne tamen quidpiam hic deesse videatur, nec mutilum ac mancum quidquam appareat, ex usu fore putavimus, si non tantùm ea, quæ in dictis animadversionibus sparsim tradita reperiuntur, in unum fasciculum colligeremus; sed etiam uberiùs & explicatiùs hoc loco omnia, quæ omissa sunt persequeremur. Primùm autem nobis dispiciendum est, utrum Prussi veteres domos habuerint, sine quibus Oeconomia aut prorsus nulla, aut adhuc valde rudis? Antiquissimis temporibus gentes, quæ Prussiam insederant, sine dubio Scythico more nullas figebant sedes certas. Sic enim de Scythis Epitomator Torgi Justinus: *Nec domus illis ulla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus &*

per incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus coriis imbrium hyemisque causa tectis pro domibus utuntur. Hæc Justinus *lib. 2. Hist. cap. 2.* De Scythis quoque illis, qui olim ad Istrum, Tyren, Hypanim, Doristhenem, Tanaim, Panticapen, Hyrpacyrin & Gerrhum habitabant, *Herodotus lib. 4. ante med. pag. 259. (105.)* ita scribit: *Nullæ sunt iis urbes, nulla mœnia exstructa, domos secum ferunt singuli: equestresque sunt sagittarii, non pane victitantes, sed ex jecoribus. Pro domibus plaustra habitantes.* Idem de Sarmatis habet *lib. 2. cap. 1.* Pomponius Mela: *Sarmatæ,* inquiens, *gentes ob sævas hyemis admodum assiduæ demersis in humum subidus specus aut suffossa habitant.* Verùm ne existimemus hæc ad Scythas tantùm Asiaticos, eosque, Sauromatas sive Sarmatas, quos Pomponius Mela aliique ad Boristhenem & Pontum Euxinum collocant, restringenda esse; de Sarmatis quoque Europæis, iisque speciatim; qui ad Vistulam & mare Svevicum sive Balticum Germanis olim finitimi habitabant, id est, de Prussiæ nostræ incolis, asserit citatus Pomponius Mela *lib. 3. de situ orbis cap. 4.* ubi de iis disertè: *Non se urbibus tenet* (gens Sarmatica, de qua ibidem agit) *& ne statis quidem sedibus, ut invitavere pabula, ut cedens & sequens hostis exigit, ita res opesque secum trahens semper castra habitat.* Quæ, si cum extremo capite tertio conferas, manifestum fiet, ea de gentibus quoque hic locorum habitantibus Pomponium Melam intellexisse. Agnoscunt id etiam Scriptores nostri recentiores, qui Waidewutum demùm Sec. IV. aut VI. gentes vagas nullisque sedibus affixas in tribus & cohortes divisisse, certosque agrorum limites circumscripsisse ferunt. Disertè Erasmus Stella: *Domos,* inquit, *non figebant, sed specubus & arborum subere (unde etiam Subaria dicta comperitur,) ab imbribus & algoribus sese ac infantes protexère.* Hæc Erasmus Stella *lib. 2. Antiquit. Boruss.* Conf. Albert. Wijuck Kojatowicz *Part. 1. Hist. Lithuan. lib. 1. pag. 13.* Hoc ipsum etiam satis indicant illi Scriptorum Prussicorum, qui tempore Augusti Romanorum Principis hîc non habitasse constanter unam aliquam gentem asserunt, sed pro varietate gentium huc immigrantium mox Sargagam, mox Gelidem, mox Vatiniam hanc Regionem esse dictam ex Christiani Primi Prussorum Episcopi Chronico nugantur. Sed procedente tempore sine dubio feritatem illam exuentes, cultioresq; redditi, & domos figere cœperunt, ita tamen ut inter gentes Prussicas aliæ aliis fuerint hac in re solertiores. De VENEDIS Tacitus: *Et domos,* inquit, *figunt & scuta gestant & pedum*

dum pernicitate gaudent, quæ omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro equoque viventibus. Hi Venedi tempore Taciti jam à Sinu Venedico sive mari Baltico recesserant & ad Vistulam amnem considerant ; A Germanis proinde sibi vicinis hoc traxerunt, ut sedes sibi certas figerent. De ÆSTIIS etiam sive GOTHIS, quin domos, pagos & vicos, in Sambia præsertim, habuerint, non est quod dubitemus. Germani namque fuere, quorum consvetudinem etiam hac in re sunt secuti. Sed PHENNI, qui mediterranea PRUSSIÆ loca tempora Taciti habitabant, adhuc illo tempore ferarum ritu vivebant. *Nec aliud*, inquit Tacitus, *infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur : huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum.* Ad extremum & hi, postquam in Venedorum Gothorumque sedes immigraverant, moribus ferarum exutis, in eandem curam incumbere cœperunt Quare cum Ordo Teutonicus Sec. XIII. huc esset ingressus, omnia pagis, vicis, oppidis & castellis plena reperit, adeò ut Caspar Schuzius multas urbes, non demùm ab Ordine Teutonico, sed ab ipsis Prussis Veteribus ante Cruciferorum adventum, excitatas fuisse contendat. *lib. 1. Chron Pruss. fol. 20.* Dusburgensis etiam singulas gentes Prussicas, quarum undecim numerat, habuisse dicitur *multa castra & firma.* Part. 3. c. 3. Hoc tamen omninò concedendum est, domos Veterum Prussorum sive in pagis sive in urbibus fuerint nonnisi ligneas fuisse, nisi fortè castella quædam excipias, quæ lapidea, ut vim hostium commodè sustinerent, fuisse videntur.

II. Sed quæ fuerit victus ratio apud Veteres Prussos videamus. Tenui sine ullo dubio & parabili victu semper contenti fuere, quem fames optimè condiebat, quemadmodum etiamnum Prussos Lithvanicos, sive Magno Ducatui Lithvanico conterminos, ipsosque adeò Lithvanos victitare animadvertimus. Et quidem elixarum carnium apud ipsos nullum fuisse usum contendit Erasmus Stella, quod variis modis possunt intelligi. Quod si enim Stella hoc intelligit, Prussos carnes prorsus non comedisse, illud nisi de antiquissimis temporibus admitti non potest. Etenim circa Sec. XI. & XII. Prussos carnibus jumentorum vesci solitos, tradit Adamus Bremensis *in lib. de Situ Daniæ & reliqu. Septentr. Region. num. 77. (227.) pag. 147.* & ex eo Helmoldus *lib. 1. Chron. Sclav. cap. 1.* Quod si autem Stella carnes elixas carnibus assis opponit, non vanus nostro judicio fuerit. Volunt enim nonnulli, Heroicis, id est antiquissimis temporibus, carnium elixarum nullum fuisse

isse usum. Sic enim Servius in illa Virgilii: *Littore aenea locant alii*, quæ habentur Æneid. vers. 217. *Quibus*, inquit, *utebantur non ad elixandas carnes, sed ad se lavandos. Heroicis enim temporibus carne non vescebantur elixâ.* Contrarium tamen probat Johannes à Wower *in Polymathia cap. 10. num. 8. ex Eustathio in lib. 9. Odyss. Athenæo lib. 1. Dipnosoph. Ovid. lib. 1. Metamorph. v. 228. seq. lib. 6. vers. 654. seqq. Petronio, Seneca & aliis.* Verùm si locum Stellæ curiosius inspiciamus, ita ipsum hæc intelligere deprehendemus ac si Prussi carnes quidem comederint, non elixas tamen, sed crudas; id quod rursus nonnisi de vetustis temporibus concedi potest. Nam Seculo XI. & sequentibus jam illos mores exuerant, pauloque humaniores facti, carnes elixare & assare solebant. An HERBAS antiquitus comederint, dubitari potest, cum Prussi mirati sint, ubi Cruciferos viderunt in arce Balgensi lactucas & alia olera comedentes, ut auctor est Petrus de Dusburg *Part. 3. Chronic. cap. 69.* Sed quoniam ea de re pluribus egimus in Animadversionibus nostris addictum Dusburgensis locum, ea hic recoquere nolumus. Illud saltem addimus, quod habet Diodorus Siculus *lib. 1. Biblioth. pag. 8 (5.) Homines*, inquiens, *primitus natos vitam inconditam & belluinam egisse memorant; ut qui sparsim ad pascua exierint & sapidissimam quamque HERBAM ac sponte natos arborum fructus comederint?* Quapropter etiam Aristoteles *lib. 1. Oeconom.* maxime esse naturale dicit hominem victitare ex iis, quæ terra producit. *Naturaliter*, inquit ille, *à matre cunctis nutrimentum suppeditatur, quemadmodum hominibus à terra.* Præterea Prussos Lacte victitasse probatu haud est difficile. De Scythis universe scribit Herodotus lib. 4. in princip. pag. 99. (244) *Non ab aratro sed ex pecoribus vivunt.* Apud Homerum Getæ, Scythæ, Nomades à lactis unico usu nomen habent τῶν γαλακτοφάγων & γαλακτοτρόφων. Huc etiam pertinent omnia, quæ de Germanis scribit Hermanus Coringius *in lib. de Habitus Corporum Germanicorum causis à pag. 58.* Paulo ante Cruciferorum adventum usi etiam sunt Prussi pane & piscibus, ut postea probabimus.

III. Ad potum Prussorum quod attinet, de eo Dusburgensis: *Pro potu*, inquit, *habent simplicem aquam, & mellicratum seu medonem, & lac equarum, quod lac quondam non biberunt, nisi prius sanctificaretur: alium potum antiquitus non noverunt.* Hæc Dusburg. *Part. 3. Chronic. cap. 5.* Martinus Cromerus lac equinum Prussos bibisse putat, ante mellis cum aqua despumationem cognitam. *lib. 3. de Orig. & Reb. gest. Polon.*

Polon. in Corp. Hist. Pol. Tom. 2. pag. 443. Consentit his auctor Chronici Prussici, quod Wolffgangus Dietmarus Typographus Elbingensis edidit. Addunt alii Dusburgensi nostro antiquiores aliud adhuc potus genus, videlicet cruorem jumentorum. Sic enim Adamus Bremensis: *Carnes jumentorum pro cibo sumunt, quorum lacte & cruore utuntur in potu, ita ut inebriari dicuntur.* Eadem ex Adamo hausit & Helmoldus *loc. cit.* Firmat hæc & antiqvus Adami Bremensis Scholiastes *n.* 87. *Gothi,* inquiens, *à Romanis Getæ vocantur, de quibus Virgilius dicere videtur.*

— — *acerque Gelonus*
Cum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum
Et lac concretum cum sangvine potat equino.

Hæc usque hodiè Gothi & Sembi (Samlander) *facere dicuntur, quos ex lacte jumentorum inebriari certum est.* Hæc ille. Plane his gemina ex Prussicis Scriptoribus habet auctor Chronici Ordinis *fol. 19. a.* & Caspar Hennebergerus *in lib. de V. P. fol. 5. b.* Ex his quod lac equinum aliorumq; jumentorum biberint nemo negare poterit. Hic enim mos fuit Scythicarum gentium omnium, qui etiam ex equino sanguine solebant butyrum conficere, quod fortasse Virgilius intelligit per lac concretum. Testatur id Hippocrates, vel quicunque tandem ille sit auctor, antiquissimus certè, librorum de morbis. Ille enim lib. 4. *Simile verò,* inquit, *hoc est, ac quod Scythæ faciunt ex lacte equino. Effusum enim in cava ligna lac agitant. Illud verò conturbatum spumescit ac discernitur, & pingve quidem, quod butyrum vocant, cum leve sit in summo seponitur; grave verò & crassum subsidet. Id quod etiam secernentes siccant, quando autem concretum & siccatum est, hippacem appellant.* Sed cum Virgilius (locus est *lib. 3. Georg. vers. 461. seqq.*) dicat, Gelonos potare lac concretum, non butyrum hic intelligendum erit, sed acor ille lactis jucundus, qui vocatur ὀξύγαλα. Apprimè huc faciunt, quæ Hermanus Conringius doctissimè disserit *in lib. de Habitu corporum Germanicorum pag. 62. & seqq.* Neque de medone dubitare fas est, cum illud tanti auctores auctoritate sua comprobent. Verùm de potu sangvinis jumentorum non immeritò quispiam dubitaverit. Quod enim Virgilius de Gelonis Istri accolis olim cecinit; illud non statim attribuere licet Prussis, etiamsi & Prussi fuerint Getæ sive Gothi, nisi manifesta sint ea de re Scriptorum testimonia. Hic autem Adamus Bremensis & Helmoldus ex aliorum tantùm sententia hæc dixisse videntur, ut ipsorum verba

perpendenti obscuram esse non potest. Deinde Scholiastes Adami Bremensis illud tantùm intelligere videtur de lacte jumentorum, quod eo inebrientur. Accedit, quod Dusburgensis disertis verbis negat, Prussis alia potûs genera fuisse nota. Sed dices: Prussis etiam in usu fuisse cervisiam, cum jam alibi luculenter ostenderimus, Prussos in sacris suis, in conviviis item funebribus, aliisque usos esse cervisiâ; & tamen apud Dusburgensem de cervisiâ altum silentium. Verùm neque hunc potum omisit modo laudatus auctor. Disertis enim dicit verbis, *Antiquitus*, præter aquam, melicratum & lac equarum, Prussos alium potum ignorasse. Cervisiæ autem usus invaluit, cum jam Ordo Teutonicus Prussiam occupasset, secus atque opinatur Schuzius *in Chron. fol. 3. a. b.* Quanquam de Gothis sive Æstiis olim Prussiam Septentrionalem habitantibus etiam dici queat idem, quod Tacitus in universum de Germanis dixit: *Potui humor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus.* lib. de morib. Germ. *cap. 23.* De Svedicis quoque Gothis illud ipsum probat Joannes Loccenius *lib. 2. Antiq. Sveo-Goth. cap. 21. pag. 95.* ex Prisci Historia Gothica; ubi ex vicis allatum pro vino medonem & potionem ex hordeo scribit. Quicquid autem ejus rei sit, hoc satis manifestè probant verba Dusburgensis nostri, eo tempore, quo Cruciferi Prussiam sunt ingressi, non fuisse alia potûs genera in usu, quam quæ ille qui eorum ætati suppar enumerat.

IV. Et quæ quondam fuerunt Prussorum deliciæ, à quibus neminem hospitum licet etiam exterorum arcebant. *Erant enim humanissimi erga necessitatem patientes*, ait Helmoldus. *Hospitibus suis*, ait Dusburgensis, *omnem humanitatem, quam possunt, ostendunt, nec sunt in domo suâ esculenta vel potulenta, quæ communicent eis illâ vice.* Part. 3. Chronic. cap. 5. Maximè autem exteris favebant, si quis eorum Hospitem proprio nomine compellare poterat. Hoc enim nisi à solo DEO ipsi potuisse revelari credebant, quemadmodum scribit Hennebergerus *de V. P. fol. 19. b. ex Grunovio.* Nemo etiam in Prussia quondam stipem emendicabat: Sed pauperiores, qui ad victum & amictum sibi acquirendum erant inepti, trucidabantur, ut alias probavimus: Cæteri sive extranei sive Prussi fuerint, singulis diebus alium adire poterant hospitem, qui ipsis liberaliter victum libens suppeditabat Henneberg *loc. cit.* Inter alia humanitatis officia, & hoc hospitibus solebat præstari, ut ipsis materfamilias pedes lavaret, eodem Hennebergero teste. Non satis autem erat hospiti necessarium præbere victum, etiam largè ipsis propinabant.

nabant. Disertè Dusburgensis: *Non videtur ipsis, quod hospites bene procumverunt si non usque ad ebrietatem sumpserunt potum suum. Habent in consvetudine, quod in potationibus suis ad æquales & in immoderatos haustus se obligant; unde contingit, quod singuli domestici hospiti suo certa mensuram potus offerant sub his pactis, quod postquam ipsi ebiberunt, & ipse hospes tantundem evacuet ebibendo, & talis oblatio potus toties reiteratur, quousque hospes cum domesticis uxor cum marito, filius cum filia omnes inebriantur.* Et certò in eo conveniunt Prussici Scriptores omnes, Prussos veteres ebrietati fuisse maximè deditos. Nullos quippe celebriores dies festos celebrabant, nulla convivia agebant, nisi compotationes in iis instituerent. Et quod mireris, non soli viri fuerunt ebrietati dediti, sed & fœminæ ad hoc vitium erant maximè pronæ. Exemplum ejus rei habemus apud Hennebergerum qui aliquando decem Sudavicas mulieres uno tempore dolium integrum cerevisiæ exhausisse refert, *in Comment. ad Tab. Prussic. pag. 445.* Propterea solebant balnearum usu penè quotidiano lassitudinem labore vel intemperantiâ & ebrietate contractam depellere, indeque excalfacta corpora aquæ immergere aut abluere. Vid. Joann. Dlugoss. *lib. 2. Histor. Polon. pag. 115.* Martin. Cromer. *lib. 3. fol. 443.* Henneb, *de Vet. Pruss. fol. 19. a.* Neque mirum est Prussos balneas inter delicias suas olim numerasse, cum & aliæ quondam gentes hoc ipsum fecisse legantur. Sic Hannibalem enervant tepentes, fontibus Baiæ, *apud Florum lib. 2. cap. 6.* Valer. Maximus *lib. 9. cap. 1.* Livius *lib. 23.* Similiter etiam Cornelius Tacitus *in vita Agricolæ cap. 21.* scribit: *Paulatimque discessum ad delinimenta vitiorum porticus, balnea & conviviorum elegantiam.* Dusburgensis tamen noster non luxui Prussorum hoc tribuit, sed in honorem Deorum ipsos id factitasse scribit *loc. cit.* Ut me paucis hîc expediam, optimè ad Prussos illos veteres accommodari puto posse illa omnia, quæ Cornelius Tacitus de priscis Germ. generatim prodidit. Sic enim ille: *Convictibus & hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemcunque mortalium arcere tecto nefas habetur, pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii & comes proximam domum non invitati adeunt. Nec interest, pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad jus hospitii, nemo discernit. Abeunti, si quid poposceris conderemoris & poscendi eadem invicem felicitas. Victus inter hospites comis. Statim è somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur sæpius calida, ut apud quos plurimum hyems occupat. Diem*

noctemque continuare potando nulli probrum. Hæc Tacitus *de Morib. Germ. cap. 21. seq.* Speciatim Gothorum in Svedia habitantium liberalitatem maximè deprædicat Joannes Magnus *lib. 4. Histor. Sveo-Goth. cap. 1. & 2.* Ubi quoque Caroli II. Regis producit legem, quâ ædes ter advenis hospitium denegantis hominis immisso jubet igne comburi.

V. Diximus superiore numero quædam de compotationibus Prussorum, addamus quædam etiam de poculis, quibus usi sunt Prussi in dictis illis conviviis. Ante omnia verò tenendum est, priscam illam simplicitatem Prussorum, quæ exterorum luxum non ambibat precioſiora pocula non admisisse, sed ligneis vasculis fuisse contentam. Docet hoc non usus tantùm omnium gentium Septentrionalium, sed & ipsi festos dies apud Prussos celebrandi ritus, ubi Sacrificulus vas ἀμυστὶ exhaustum retro supra caput rejiciebat in terram. Hoc certè figlinum non fuit, alioqui fuisset statim diffractum. Ex alia quoque materia firmiore, verbi gratia ex auro, argento, ære, fabricari non potuit, deficientibus in Prussia cùm artificibus, qui vasa illa conficerent, tum nummis, quibus precioſiora vasa illa pararentur. De posterioribus Seculis non dico, cum mihi non sit ignotum, importatis per Cruciferos ingentibus divitiis, Prussiâ quoque omni ex parte excultâ, & Prussos illos veteres, eorumve reliquias, majores sibi parare cœpisse divitias, adeoque precioſiora jam potuisse in conviviis qua sacris qua profanis adhibere vasa. Inter ea primùm reperio fuisse PATERAM, vas amplum, à patendo ita dictum; Debuerunt hoc genus poculi sine dubio Scythis, quibus patera itidem fuit in usu. Quapropter Scytharum Legati ad Alexandrum Magnum: *Dona*, inquiunt, *nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores, jugum boum, aratrum, & sagitta & patera. His utimur & cum amicis & adversus inimicos. Fruges amicis damus boum labore quæsitas: Paterâ cum his vinum Diis libamus*, apud Curtium *lib. 7. Hist. cap. 8.* Sed & Gothis hoc genus poculi non fuisse ignotum, probare nonnulli satagunt ex eo, quod Longobardi, Gothicæ, ut existimant, gentes, pateris usi sunt. Paulus enim Warnefridus *lib. 1. de gest. Longob. cap. 27.* sic ea de re scribit: *In eo prælio Alboin Cunimundum occidit, caputque illius sublatum ad bibendum ex eo poculum fecit: quod genus poculi apud eos Schala dicitur, Lingvâ verò Latinâ patera vocitatur.* Obiter notari potest hunc morem etiam tribui Essedonibus Scythiæ Europæ populis. Vid. Pompon. Mela *lib. 2. de Situ Orb. cap. 1.* Solin. *Polyhist. cap. 20.* Nec aliud quam patera Horatio *lib. 1. Od. 36.* est Threicia amystis. *Vid. ibi*

ibi Commentatores. Isidorus quoque *lib. 20. Orig. cap. 5.* huc respicit: *Calices,* inquiens, *& scalæ, poculorum genera.* Apud Veteres Græcos & Romanos hoc fuisse Principium ac Regum poculum, notat Lazarus Bayfius *in libello de Vasculis pag. 29.* probatque ex Virgil. l. 4. Æn. v. 60. ubi Poëta:

Ipsa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido.

Addi possunt loca ex *lib. 1. Æneid. v. 731. l. 3. Æn. v. 67. &c.* In eundem usum adhibebantur etiam olim apud veteres Prussos CORNUA, sicut auctor est Th. Waisselius *in Chron. fol. 21. b. pr.* Hoc autem Prusi habuerunt commune cum omnibus Septentrionalibus populis. Plinius enim *lib. 2. Nat. Hist. cap. 17. Urorum,* inquit, *cornibus barbari septentrionales potant.* Gemina his habet Solinus *in Polyhist. cap. 23.* quando ait: *Istis porrò quos uros dicimus, taurina, cornua in tantum protenduntur, ut demptam ob insignem capacitatem inter regias mensas potuum gerula fiant.* Et Saxo Grammaticus lib. 3. qui sic scribit: *Bubalinorum cornuum usus ad potum.* De Lithvanis etiam, qui cum Prusis veteribus eandem agnoverunt Originem Alexander Gvagvinus, vel potius Matthias Strykovvki Ossostevicius in Sarmatia Europæa: *Majores,* inquit, *eorundem cornibus animalium, urorum videlicet, pro poculis utuntur.* Sed & Joannes Lasicius *in lib. de Diis Samogitarum* hæc de Lithvanis habet: *Præcipui cornibus urorum ornatis (boves sunt sylvestres, valdè feroces) pro poculis utuntur.* Vid. Reip. Polonicæ Descriptio *pag. 275. 294. seqq.* Ex his etiam suspicari licet, fuisse hæc pocula Prusis & Lithvanis ferè propria, cum Uros sola ferè alat Prusia. Non fugit tamen me, & alias gentes quam plurimas cornibus bubulis, usas esse pro poculis, ut hoc generatim testatur Athenæus *lib. 2. Gymnosoph. cap. 8.* De Thracibus asserit hoc speciatim Xenophon *lib. 7. de Expedit. Cyri ante med. p. 436. (405.)* De Paphlagonibus *idem lib. 6. initio.* De Romanis Hieronymus Mercurialis *lib. 1. Art. Gymnast. cap. 2.* Conf. Ambrosius *in lib. de Helia & jejunio.* De Germanis Julius Cæsar *lib. 6. de Bello Gallico cap. 5. fol. 58.* De Britannis Malmesburiensis *lib. 2. cap. 2.* De Danis Saxo Grammaticus *lib. 7.* Olaus Wormius *in lib. de Cornu Danico, & quidem in ea parte, qua de usu cornuum agit.* In summa hæc antiquissima omnium gentium videtur fuisse consvetudo, ut in conviviis ex cornibus biberent. Bacchus enim ipse hujus poculi dicitur fuisse inventor, quapropter etiam Baccho attribuitur, ut vult Panopolitanus *Dionysiac. lib. 12. v. 20. apud Wormium loc. cit.* Vid. tamen Valer. Max.

lib. 6. cap. 6. num. 6. Quin etiam Athenæus ea propter existimat cratera dici à κεράσαι, & hoc ἀπὸ τ κέρως *lib. 4. Dipnosoph. cap. 8.* Hoc autem de Prussis illis, nisi forte excipias eorum Regulos, dicere non possumus, quod alii de aliis gentibus referunt, cornua illorum fuisse ære, argento, auro, aliorumve metallorum lamellis obducta. Multò verò minus asserere licet, habuisse Prusios cornua tota argentea vel aurea, sicut de Germanis, licet & ipsis eo tempore adhuc barbaris, refert Julius Cæsar, *lib. 6. de Bello Gallico cap. 5. pag. 58.* Quale etiam est illud antiquissimum cornu aureum, quod An. 1639, puella quædam, nomine Christina Svenonis filia, in Jutia prope Megeltunderam Diœcesis Ripensis oppidum reperit, quodque deinde Christiano IV. Regi Daniæ oblatum, doctissimo Commentario illustravit Olaus Wormius.

VI. Ex dictis liquet, Prusios olim sine apparatu & blandimentis expellere famem, sitimque levare consveviſſe. Sed nec vestitus ipsorum precioſior fuisse memoratur. *Vestes superfluas*, ait Dusburgensis *aut precioſas non curabant, nec adhuc curant, ſicut quis hodie ipſas exuit, ita cras induit, non attendens, ſi ſint tranverſæ. part. 3. Chron. cap. 5.* Quanquam autem cultiorem habitum negligebant, indiscretus tamen ornatus viros fœminasque non miscebat, sed pro diverso sexu, diversum etiam amabant vestitum. Fœminæ utebantur lineis vestibus, quibus se ad eundem sine dubio modum incingebant, ut hodie facere solent Lithvanicæ in Prussia mulieres. Item circulis ex ære & orichalco confectis colla circumdabant, auribus quoque crotalia suspendebant, teste Stella *lib. 1. Antiq. post. med.* Viri habebant tunicas breviores, quarum materia aut linum, aut etiam si lautioris essent conditionis homines, pannus ex cruda lana confectus, adeoque coloris albi. Non erat autem vestis laxa & fluitans, qualem Parthis & Sarmatis adscribit Tacitus sed stricta, qualem Germanis idem Tacitus attribuit *lib. de Morib. Germ. cap. 17.* Braccæ erant lineæ strictiores, eæque ad talos usque demissæ. Calcei ex crudo corio, aut etiam ex alburno i. e. molissimâ illâ arboris parte, quæ est inter corticem & lignum confecti. Ut paucis complectar omnia, si hodiernos adspicias Lithvanos, nullam ferè in iis ab antiquis in vestitu diversitatem deprehendes. Pannus ille, de quo diximus, antiquis temporibus à Germanis mercatoribus navibus huc advehebatur, quod luculenter testatur Adamus Bremensis loco sæpè citato: *Aurum*, inquiens, *argentumque pro nihilo ducunt, pellibus abundant peregrinis, quarum odor noſtro orbi lethiferum ſuperbiæ venenum propinavit.*

Et

Et illi quidem, ut stercora hæc ad nostram fortè habent damnationem, qui per fas nefasque ad vestem anhelamus marturinam, quasi ad summam beatitudinem. Itaque pro laneis indumentis, quæ nos dicimus paldones, illi efferunt tam pretiosos martures. Eadem habent Helmoldus & Cranzius. Posterioribus seculis Prussi cultiores redditi, ipsi sibi vestes id genus conficiebant. Sic enim Dusburgensis: *Mulieres & Viri solebant nere, aliqui linea, aliqui lanea, prout credebant Diis suis complacere.* Sed non esse dubium quin etiam pellibus usi sint contra frigoris aliarumque tempestatum injurias. Vid. Th. Waissel. *fol. 22. b.* Quod de Nobilibus aliisque potentioribus asseri posse videtur. Illi namque sine dubio, cum adeò preciosis pellibus abundarit Prussia, ex iis sibi non ad necessitatem solùm, sed ad splendorem quoque vestitum concinnabant. Hoc ipsum etiam de Gothis suis probat Johannes Loccenius *lib. 2. Antiq. cap. 20.* Paulò ante Crucigeror. adventum à Polonis etiam & Masoviis non rarò victis vestes non solum in prælis sibi acquirebant, sed etiam aliquando Masoviis tributi nomine imperabant. Videri potest ea de re Dusburg. *part. 2. Chron. cap. 5.* Maximè autem Prusis vestium elegantiorum tempore Cruciferorum facta est copia. Idcirco Sclodo Nobilis Sambita convocatis amicis suis in memoriam revocat vestium à Cruciferis acceptorum elegantiam, colorumque variam amœnitatem, ut ipsos in fide erga Ordinem Teutonicum hoc modo retineret. Vid. Dusburg. *part. 3. cap. 81.* Videlicet Cruciferi ut non solùm vi sed etiam beneficiis Prussos sub jugum agere velle viderentur, allicere eos solebant pecuniis distributis, pannisque diversi coloris, quod etiam in convertendis Lithvanis & Samogitis factitasse Vladislaum Jagellonem tradit Joan. Lasicius, *in lib. de Diis Samogitarum. pag. 295.* Eadem simplicitas obtinuit apud Prussos in cubilibus, stragulis & lectis. Fatigatis ipsis humus cubile erat, quod de Macedonibus olim dixerat Charidemus apud Curtium *lib. 3. cap. 2.* Vid. Petr. de Dusburg. *part. 3. cap. 5.* Casp. Henneberg. *de V. P. fol. 4. b.*

VII. His ita pertractatis, undè, vel ex quibus rebus Prussi sibi victum & amictum pararint, inquirere jam ex usu fuerit. Quò commodiùs autem hoc fiat, modos Chrematistices ab Aristotele *lib. 1. Politicor. cap. 8. & seqq.* pertractos expendemus, an eos Prussi quoque suos fecerint, investigaturi. Modi τῆς κτητικῆς, sive, ut aliàs etiam vocari solet, χρηματιστικῆς, alii sunt naturales, alii artificiales. Inter naturales meritò primum locum sibi vindicat, ἡ γεωργικὴ i. e. AGRICULTURA.

Hanc

Hanc an Prussi antiquitùs excoluerint, videamus. Quod si Erasmum Stellam ea de re consulamus, *Prussi veteres terram minimè excoluere, vel ob ignorantiam rei rusticæ, vel ne bonitate soli deprehensâ & ipsi finitimorum metui obnoxii fierent, indeque eliminarentur, vel quod victum è terra nascentibus nondum novere.* Quæ si de vetustissimis temporibus intelligi velit, neque nos negamus. Quod si autem ea usque ad Cruciferorum tempora extendi velit, admitti non poterunt. Gothi namque cum in has oras immigrassent, agros & hortos excolere cœperunt, & quidem, bonitate videlicet soli deprehensâ, multò diligentiùs, quam in oris Germanicis fieri solebat. Locupletissimum hic testem habemus Tacitum, qui de Æstiis: *Frumenta*, inquit, *cæterosque fructus patientius, quam pro solitâ Germanorum inertiâ laborant.* A Gothis his sive Æstiis cæteri quoque Prussi, simul ac sedes sibi fixissent, domosque cœpissent excitare, agriculturam simul didicerunt, & quidem primò Venedi, postmodum etiam Fenni. Et hoc est, quod etiam Scriptores nostri innuere volunt, quando Waidewutum Scandianorum sive Gothorum Principem (quamvis Stella & Cojalovicius eum Alanorum Regem faciant) Prussicam gentem nullis sedibus affixam certis villarum, agrorumque limitibus circumscripsisse, & agri colendi, aliarumque rusticarum operarum studiis addixisse scribunt. Quanquam autem ea quæ de Waidewuto circumferuntur fabulosa sunt, attamen nihil impedit, quòminus Tacito credamus Æsthios sive Gothos terram excoluisse, eamque artem & in reliquos Prussos transfudisse. Vid. Alb. Wijuk Kojalowicz *part. 1. Hist. Lithv. lib. 1. pag. 17. seqq.* Casp. Henneberg. *de V. P. fol. 5.* Secunda eademque innocentissima Chrematisticæ species est νομαδικὴ i. e. PASTORITIA, quem Prussi semper excoluisse videntur, ut ex victu eorum facile probari potest. Neque feritas eorum obstitit, quominus ad hanc artem essent idonei. Et ferocissimæ namque gentes à jumentorum pastura non abhoruere. Comprobant hoc Anthropophagi, ferocissimi licet populi, apud Herodotum *lib. 4. Hist. p. 279.* Sarmaticis gentibus universis hoc tribuit Pomponius Mela *lib. 3. de Situ Orbis cap. 4.* Tertia species est λῃστικὴ καὶ πολεμικὴ, quam & Prussos olim exercuisse in comperto est. Quanquam enim primis temporibus, Fenni præsertim, minus erant bellis legitimis gerendis idonei, latrociniis tamen in finitimas gentes satis erant celebres. De Venedis Tacitus: *Quicquid inter Peucinos Fennosque sylvarum ac montium erigitur latrociniis pererrant.* De Fennis idem Tacitus: *Idem venatus viros pariter*

riter ac fœminas alit. Passim enim comitantur, partemque præde capiunt. Germanos item, adeoque Gothos etiam latrocinia omni carere infamiâ putarunt, ut auctor est Julius Cæsar *lib. 6. de Bello Gall. cap. 23.* Quarta species est ἀγρευτικὴ, quæ triplex est, pro ratione ferarum, quarum aliæ sunt terrestres, aliæ volatiles, aliæ aquaticæ. Hinc aliæ tres existunt species, videlicet θηρευτικὴ i. e. VENATORIA; deinde ὀρνιθοθήρα i. e. AUCUPIUM; & tertio ἁλιευτικὴ id est PISCATORIA. Ex his artem venatoriam ipsos exercuisse vel ex eo manifestum est, quod martures sive mures Scythicos exteris vendere soliti sint. Disertis etiam hoc verbis Petr. de Dusburg *part. 3. Chron. cap. 130.* testatur. Obiter notetur, inter feras Prussicas, eminere Alces & Uros. De Alce scripsit Johannes Wigandus Episcopus quondam. Pomezaniensis, Aucupium quoque Prussis non fuisse ignotum ex eo patet, quod ipsis in sylvis quibusdam nec aves nec alias feras licuerit capere, ut suo loco dictum est. Piscatoriæ denique rei Prussos operam dedisse, non est quod dubitemus. Manifestè hoc comprobat piscina in castro Ragnitensi, de qua Dusburg. *part. 3. cap. 176.* Et sanè multitudo lacuum fluminumque, quibus Prussia abundat ipsos ad hanc rem obvio sinu invitabat. Numerarunt enim olim Monachi in Prussia bis mille, triginta & septem lacus, ut est apud Henneberg. *de V. P. fol. 3. b.* Accedit mira piscium varietas, quam non facile in aliis regionibus reperias. Illud tamen observandum, quod & aliàs monuimus, quosdam lacus, quædam etiam flumina fuisse Prussis adeò sacra, ut in iis piscari nefas fuerit habitum. *Vid. Dissert. nostra de Cultu Deorum apud Vet. Prussos.* Breviter illa quæ de Chrematistice Prussorum diximus complectitur Schuzius *lib. 1. Chron. fol. 3. a.* Ihre Nahrung war vom Ackerbau/ Viehzucht/ Jagten und Fischereyen. Sonderlichen Fleiß halten sie ins gemein auf die Bienen/ um des Honigs willen nicht allein in ihrem eigenen Gehöge/ sondern auch in wilden Wäldern auffzuerziehen. Comprobantur ea omnia in Dissertat. de Diis Prussicis, ubi singulis rebus singulos Deos olim fuisse præpositos probavimus.

VIII. Deinde num Prussi illam quoque κτηματικὴν partem exercuerint, quæ non dicitur naturalis, sed ex industria hominum profecta, quæque non ad solam necessitatem, sed etiam ad abundantiam directa est, inquirendum nobis amplius erit: Hæc autem acquirendi ratio καθ' ἔξοχὴν dicitur χρηματιστικὴ i. e. pecuniaria, estque duplex. Alia namque consistit in permutatione mercium alia in emptione & venditione. De priori

ſpecie, quæ Græcis ἀλλαξικὴ καὶ μεταβλητικὴ vocatur, quid ſentire debeamus, jam ſuperiora docent. Antiquiſſimis quippe temporibus Pruſſi mare ſcrutati ſuccinum hauriebant, illudque ſine dubio aliis mercibus acceptis permutabant, cum iis temporibus inter has gentes Septentrionales pecuniæ nullus fuerit uſus. Comprobant hæc etiam illa, quæ ex Adamo ſupra num. VI. adduximus. Refert enim ille, Pruſſos martures cum Germanis permutaſſe, veſtesque ab ipſis viciſſim accepiſſe. Ad extremum cum Ordo Teutonicus Sec. XIII. Pruſſiam eſſet ingreſſus, nullas hic opes, nullas divitias invenit, quæ omnia manifeſtè evincunt permutationibus Pruſſos maximè ſibi neceſſaria acquiſiviſſe. Hæc tamen ita aſſerimus, ut non prorſus *nummulariam*, id eſt illud permutationis genus, quod fit pecuniâ datâ, excludamus. Notum enim eſt, proximis antè Cruciferorum adventum ſeculis, Pruſſos cultiores factos, cum exteris commercia inſtituiſſe, ubi ſenſim etiam pecuniæ commoditate perceptâ ſine dubio & hoc permutandi genus acceperunt. Neque hoc aliter fieri potuit, cum omnes fermè gentes finitimæ jam tum pecuniâ ſint uſæ. Pruſſi etiam ipſi naves ſuas in exteras oras dimittebant, quod certè vix de ipſis aſſeri poſſet, niſi nummorum uſum ipſos jam tum cognitum habuiſſe certum eſſet. Prius autem illud, quod de navibus Pruſſicis aliàs in oras dimiſſis dicebamus, confirmat luculentum Adami Bremenſis teſtimonium. Hic enim *lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 50. (48.) pag. 29. ſeq.* de Birca, urbe Gothica, ita loquitur: *Ad quam ſtationem, quæ tutiſſima eſt in maritimis Sveoniæ regionibus ſolent Danorum, Nordmanorum, Sclavorum atque* SEMBORUM *naves, aliique Scythiæ populi pro diverſis commerciorum neceſſitatibus ſolenniter convenire.* Per Sembos hic non alios intelligit, quam Pruſſos in hodierna Sudinia ſive Samlandia habitantes. Alibi enim Adamo Bremenſi Sembi & Pruzzi ſunt iidem. *Vid. lib. de Situ Dan. num. 77. (c. 227.) pag. 147.* In dictis illis navigationibus non rarò periclitantibus ſolebant opem ferre, piratasque mari ſubmovere: Sic enim de illis Adamus Bremenſis loc. cit. *Tertia eſt illa quæ Semland appellari ſolet, contigua Ruzzis & Polonis. Hanc inhabitabant Sembi vel Pruzzi, homines humaniſſimi, qui obviam tendunt ad auxiliandum his, qui in mari periclitantur, vel qui à piratis infeſtantur.* Quanquam autem ex dictis navigationes ex Pruſſia in alias regiones exteras fuiſſe ſuſceptas probatur, iis tamen nihil amplius quæſitum eſt, quam ut indigentiæ populi hujus ſubveniretur, alioqui hic majores opes inveniſſet Ordo Teutonicus, quam quidem inveniſſe perhibetur.

hibetur. Obiter hic notari potest, cum Ordo Teutonicus Prussiam esset ingressus, Culmenses & Thorunienses naves suas in Hollandiam, Angliam, Daniam, Svediam dimittere solitos. Probat hoc non solum domus mercium Anglicarum, quæ hodieque Culmæ juxta Curiam Civitatis conspicitur, sed etiam Acta publica Thorunienſia. In his frequenter legas, Civibus Thorunienſibus datas esse literas ad Regem Daniæ, Archiepiscopum Lundensem, Episcopum Ripensem, Civitatem Sundensem, Gripswaldensem, alias, ut bona naufraga ipsis extraderentur. *Vid. Acta illa ad An. 1370. 1375. 1377. 1387. 1395. 1397.* Seculo proximo, videlicet Decimo quinto, tales literas fuisse datas nusquam observo, ex quo colligere licet, illo Seculo navigationes ad remotiora regna ex dictis Civitatibus desiisse.

IX. Ad hæc omnia exercenda certa Prussi adhibuerunt instrumenta rei Oeconomicæ administrandæ & amplificandæ convenientia. In his primò numerantur UXORES, quæ res à marito partas custodirent & conservarent liberosque communes educarent, quæ munia sunt uxorum ex Aristotelis sententia *lib. 1. Oeconom. cap. 3.* Quanquam de Fennorum uxoribus referat Tacitus, etiam ipsas cum maritis suis latrocinia exercuisse. *in calce libri de Morib. Germ.* Potestas maritorum maxima fuit olim in uxores, adeò ut etiam jus vitæ necisque videatur maritis in uxores competiisse. Servarum enim instar illas habuisse memorantur, nisi quod honoratiore esset loco, quæ ex Scandinavico fuerat genere oriunda *Henneb. de V. P. fol. 16. b.* Alia quæ huc pertinent, peti possunt ex Dissertatione de Nuptiis veterum Prussorum. Deinde fuerunt LIBERI, qui non ita molliter educabantur, quin ab ineunte statim ætate Parentes in administratione rei domesticæ adjuverint. Iisdem tamen vitiis à primâ juventute assuescere solebant, quibus & Parentes erant dediti, ut Dusburgensis noster verbis supra num. IV. citatis testatur. Alia quæ ad educationem Liberorum pertinent, huc adducere non licet, cum omnia illa spissis obruta sint tenebris: Illud tamen asserere tutò possis, Prussicas mulieres olim liberos lacte suo nutrivisse: *Naturaliter enim à matre cunctis nutrimentum suppeditatur*, ut ait Aristotel. *lib. 1. Oeconom. cap. 1.* Deduci etiam hoc ipsum potest ex Historia de Galindis excisis, ubi Galindi feruntur uxoribus suis ubera præcidisse, ne liberos suos lactare possent apud Dusburg. *part. 3. Chron. cap. 4.* Tertio inter instrumenta rei Oeconomicæ numerabantur etiam SERVI, quos etiam Prussis fuisse non tantum ex illo colligo, quod uxores suas

Prussi servarum instar habuerint: sed etiam ex aliis quæ paulò post adducentur. Schuzius *in Chron. fol. 3. b.* Prussos veteres ex eo laudem quæsiviisse refert, si plures haberent servos. Unde autem servos sibi soliti sint acquirere, dicere non habeo. Vero tamen non est absimile fuisse Prusis servos non captos sed natos. Hostes enim captos omnes solebant occidere, ut suo loco demonstratur. Et certe potentiores Nobiles rusticis suis sine dubio utebantur ut servis, eorumque liberos pro lubitu ad servitia domestica adhibebant, quod aliquo modo elici potest ex iis, quæ Hennebergerus *lib. de V. P. fol. 18. b.* de Cimbris veteres Prussos ad opera rustica præstanda cogentibus refert. Quartò huc etiam pertinebant JUMENTA, quæ in re Oeconomica non postremum habent locum, ex Hesiodi sententia, qui *lib. 2. ἐ. καὶ ἡ. v. 463.* ita ea de re canit,

Οἶκον μὲν πρῶτα γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα,
Κτητὸν δ' ἀμήτην, ἥτις καὶ βοὸν ἕποιτο.

Majorem his lucem affundent ea, quæ supra num. VII. dicta sunt de arte Pastoritia. Et hæc fuerunt instrumenta rei Oeconomicæ apud Veteres Prussos. Ut autem his instrumentis commodiùs uterentur, non alebant eos homines, sive servi, sive ingenui illi fuerint, quos ad finem dictum obtinendum videbant ineptos, probè vel in sua barbarie gnari, instrumenta ad finem obtinendum inepta, non esse instrumenta, nisi æquivocè talia. Liberos enim mancos, mutilos, aut etiam quos ob multitudinem sobolis putabant fore inutiles, exponebant, aut etiam occidebant, sicut est in Privilegio Veteribus Prussis dato. *Conf. & Historia modo citata de Galindorum excidio.* Eadem sors manebat servos, imò & uxores, parentes etiam ipsos, quibus omnibus violentas inferebant manus, sicque castigabant moreindi tarditatem, si eos ad victum sibi parandum videbant ineptos. *Vid. Dissert. de Funeribus Vet. Prussor. n. 1.*

X. Ante autem quam hinc abeamus, placet, quædam strictim de Succino, ex quo sibi & olim Prussi divitias parasse leguntur, commemorare. Antiquissimis equidem temporibus, videlicet cum Gothi has oras tenerent, claros propterea fuisse Prussiæ incolas, non est, quod dubitemus. Elici hoc ipsum potest ex Herodoto, Diodoro Siculo, aliisque vetustis Scriptoribus, quos *in Dissertatione de Populis antiquitus Prussiam inhabitantibus* citavimus. Non minus & primis à Christo nato seculis Prussia his divitiis abundabat, cujus rei testis est locupletissimus.


simus Com. Tacitus *in lib. de Morib. Germ. circa fin.* Sed & Seculo à Christo nato VI succina ad Æstios id est Prussos Oceani undam descendentem exportasse, scribit Theodoricus Gothorum Rex apud Cassiodorum *lib. 5. Variarum Epist. 2.* Post illa tempora altissimum est apud Scriptores exteros de Succino silentium. Licet enim multi, variis occasionibus, ad Prussos delabantur, nusquam tamen succinum Prussicum celebrant. Quin etiam illi, qui Prussiam ex Professo fere describunt, in quibus sunt Adamus Bremensis & Helmoldus Bosovienſis, nullam succini faciunt mentionem. Idem dicendum de Dusburgensi nostro, aliisque plurimis MSS Chronicis. Hoc nobis argumento esse potest, Sudinos, Galindos, Scyros, Herulos, postquam has oras, Gothis Venedisque alias sedes sibi quærentibus, occupassent, succinum ut & alias divitias, planè neglexisse, iisque tantum operam dedisse, quæ ad victum & amictum acquirendum proximè faciebant. Prima post illa tempora succini mentio fit apud Schuzium ad An. 1454. *lib. 5. Chron. fol. 202.* ubi Civitates Prussicæ munus curandi succinum Regiomontanis delegasse dicuntur. Deinde in Plebiscitis Urbis Regiomontanæ *dist. 71.* ubi cavetur, ne quis ausit rude succinum asservare. Hæc verò Plebiscita non An. 1394. sed An. 1494. constituta esse probabimus *in Dissertatione de Jure Prussorum num. IX.* Posthæc non paucæ Constitutiones de Succino prodierunt in Prussia, quas passim citatas vide apud M. Philippum Jacobum Hartmannum, amicum nostrum maximum *in lib. de Succino Prussico.*

XI. Ad extremum, ne prorsus nihil de natura Succini, quam Historici quoque non rarò explicare conati sunt, dixisse videamur, paucis nostram sententiam explicabimus. Poëtas hic mittimus, qui succinum lacrymas esse Heliadum, fratrem suum Phaëtonta deplorantium prodiderunt, cum illud ingeniosum esse commentum nemo non intelligat. Philosophos certè mirari non satis possumus, qui in absurdas non rarò sententias abierunt. Primùm verò prorsus audiendi non sunt, qui succinum Elephantorum aut piscium semen, Lyncis urinam, vel lacrymas esse dixerunt. Non minus absurdi sunt qui Succinum concreti maris purgamentum vel pingvem Oceani sudorem esse docuerunt, quam sententiam ex recentioribus quoque nonnulli fovent. Neque fidem apud nos merentur, qui arborum succum esse putant, quanquam, neque illi in designanda arboris specie conveniant, aliis populum, aliis cedrum, aliis alnum hic celebrantibus. Propius ad veritatem accedunt, qui in


ipsis terræ viscеribus succini originem quærunt. Sed & horum non una est opinio. Quidam existimant, succinum esse bitumen subterraneum ex terra scaturiens, in fundo vero maris frigore concretum, quam sententiam amplectitur Joannes Wigandus Episcopus Pomesanienſis *in Historia Succini fol. 4. b.* ut & Johann. Aurifaber, Severinus Gœbelius *in libellis de Succino Pruſſ.* Athanasius Kircherus bitumen hoc ex terra in aquam scaturiens elevari ad superficiem maris, ibique fluctuum impulsu concrescere dicit. *in Mundo subterraneo Tom. 2. lib. 8. sect. 3. cap. 3.* Sed hanc Kircheri sententiam facile convellere possunt accolæ maris Baltici, qui nunquā id genus materiā aquis marinis supernatare viderunt. Verissima igitur nobis illa videtur esse sententia, quæ succinum in terra gigni non molle sed durum tenet. Testantur enim hoc evitenter in litore Sudavico venæ succineæ, quas & nos in montibus abruptis vidimus. Testantur item hoc ipsum alia mediterranea & à mari longiùs recedentia loca, ubi succinum ex terra eruitur. Quod autem etiam ex aqua, nempe in mari Baltico, hauritur, aliisque in lacubus & fluminibus aliquando legitur, illud ita fieri existimo. Gignitur in terræ viscеribus succinum, tempestatibus autem ingentibus mare concitatum terram eluit, succinumque, quod antea terra latebat obrutum denudat, sicque ad litus propellit. Dici etiam potest, montes in mari sub undis latentes tempestatibus illis abrumpi venasque eo modo aperiri. Sed quæres ad quodnam genus corporum subterraneorum possit succinum referri? Illud breviter verbis Dn. M. Hartmanni explicabo: *Quare,* inquit ille, *ut colligamus quæ huc usque hoc capite prolixiùs fuerunt expoſita, eorum ſumma hæc eſt: Subterraneum utique ſuccinum apud omnes in confeſſo eſſe, idque ex hiſtoria ſatis probari: cum verò id nec duci nec fundi poſſit, metallis non accenſendum eſſe, neque ex reliquis foſſilium generibus, terris, ſulphuri aut bitumini annumerandum, quod ſoliditas ſuccino major, quam quæ ejusmodi foſſilibus ineſt: lapidem igitur reliquum eſſe ut dicamus, & quidem non ex ſaxorum aut marmorum, ſed nec ex lapidum peculiariter ita dictorum genere, ſed gemmam, per quam aptè reſponderi poſſit ad quæſtionem quid ſit, cum naturam ejus rectè exprimat.* Hæc ille *lib. 2. de Succino Pruſſico cap. 2. §. ult.*

DIS-

Tabula exhibens numismata quaedam Prussorum antiquiora.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DISSERTATIO XVI.

De

Re nummaria Prussorum.

(1.) *Ante nummorum usum opes in frumento & armentis ponebant Romani, Spartani, Venedi, Poloni, Gothi, Prussi. Nummi in sepulcris Veterum Prussorum reperti.* (2.) *Cruciferi primis temporibus usi sunt grossis Bohemicis & Pisandis. Sterlingi Anglorum unde sint. Pecuniæ Prussicæ hodiernæ genera & pretium.* (3.) *Marca erat libra nummularia bessi Romano respondens. Marca Colonienſis, Noribergenſis, Trosica-Prussica, Polonica.* (4.) *Marca Prussica habet 60. solidos.* Schillinge *unde dicantur. Bernhardus Schillingus Civis Thorunienſis.* (5.) *Nummi seu phenningi tres unum constituebant solidum. Qui sint in privilegio Culmensi denarii.* (6.) *Fertones, scoti, Quadrantes, Culmenses & Pomeranici. Phenningii argentei Prussici.* (7.) *Marca unde dicatur. Marca non fuit olim nummus. Proportio antiquorum nummorum ad se invicem. Proportio eorundem ad hodiernos nummos.* (8.) *Prussica moneta fuit tota argentea.* (9.) *Sec. XIV. cœpit argento cuprum admiscere. Quod sit discrimen inter* Marck Silbers & Marcklötiges Silbers. *Marcæ gravis & levis æris. Mutatio Phenningorum facta, ita ut sex Phenningi unum facerent solidum. Halleri duo uni phenningo tribuuntur.* (10.) *Exempla aliquot ex codice antiquo proponuntur. Orthones Prussorum.* (11.) *Marca gravis æris tempore Sigefridi de* Feuchtwangen *habebat 30. grossos Bohemicos. Grossus Bohemicus quot grossos monetæ Prussicæ hodiernæ valuerit. Theodoricus de* Feuchtwangen *solidos flari jubet.* (12.) *Henrici Dusneri nummus argenteus.* (13.) *Winrici de Kniprode nummi. Quot Marcæ monetæ Prussicæ fuerint ex una Marca argenti puri cusæ.* (14.) *Moneta aurea Conradi Zolneri. Quæ iis temporibus fuerit ratio argenti ad aurum. Conradini* (15.) *nummi dimidiô prioribus minores post pugnam Tannebergenſem cusi. Quot Marcæ Prussicæ unam eô tempore marcæ habuerint argenti. Alii nummi viliores.* (16.) *Nummi meliores restituti. Nummi gravis & levis æris.* (17.) *In bello magno maximæ Pecuniæ Prussicæ imminutio, cum ex una marca cusæ*

sint

sint 10. Marcæ Prussicæ. (18.) *Monetæ Henrici Plavenii. Constituit idem, ut ex una Marca argenti cudantur octo Marcæ nummorũ Nummi Joannis Tiffenii A. 1496. in Polonia ducatus 30. grossis æstimatus.* (19.) *In Polonia ducatus æstimatus 32. grossis. In Prussia 50. grossis Taleri sive Joachimici.* (20.) *Tempore Grunovii quæ fuerit monetæ Prussicæ ratio. Ex una Marca fiebant 12. Marcæ monetæ. Nummi Alberti ultimi Magistri & Primi Ducis Prussiæ.* (21.) *Salaria Professorum Academiæ Regiomontanæ. Sumptûs Ducis Prussiæ constituti.* (22.) *Abacus ex Christophoro Falconio. Marcæ Prussicæ distinctio in majorem & minorem.* (23.) *Sub exitum seculi superioris quæ fuerit monetæ Prussicæ ratio.* (24.) *Currente seculo maxima Pecuniæ Prussicæ mutatio facta, cumprimis Anno 1620. & seqq. tempore Sigismundi III.* (25.) *Uladislao Rege quid obtinuerit.* (26.) *Joannis Casimiri Regis temporibus quæ sit monetæ flata.* (27.) & (28.) *Anacephalæosis eorum quæ dicta sunt.* (29.) *Elereni quod olim grossos habuerint.*

I.

OMnes gentes opes & divitias antiquis temporibus in frumento & armentis constituebant, &, si qua ad vitam sustentandam necessaria erant paranda, non pecuniâ, sed permutatione & compensatione mercium eam sibi acquirebant. Vid. Aristot. *l. 5. Ethic. ad Nicom. c. 8.* Testatur illud de Romanis undequaq; doctissimus Varro *lib. 2. de Re Rustic. cap. 1.* conf. Plutarch. *in Poblicola.* De Spartanis idem habent Aristot. *lib. 2. Polit. cap. 9.* & Justinus *lib. 3. Hist. cap. 2.* Et ut propiùs ad nostrum propositum accedamus, VENEDOS incolas Prussiæ nostræ antiquissimos nullam habuisse pecuniam, documento sunt Poloni à Venedis genus ducentes, qui aliquot etiam seculis, postquam in has oras, quas hodie tenent, immigraverant, pecuniâ signatâ caruerunt, & proinde frustulis quibusdam argenti, pellibusque aspreolorum sibi res necessarias comparare soliti sunt, ut auctor est Alexander Gvagvinus *in Histor. Polon. ubi de Venceslao Rege Tom. II. in Corp. Hist. Polon. pag. 354.* Unde etiam originem traxisse arbitror illas leges Polonorum antiquas, quæ, cum mulctam delinquentibus irrogant, pelles harmelinas & mustelinas Judici dari jubent. *Vide quæ super hac materia scripsimus lib. 2. Reipubl. Polon. cap. 2.* GOTHI, qui Venedis aut ultro cedentibus, aut vi expulsis, in septentrionalibus

libus Prussiæ locis succesſerunt, itidem nullam pecuniam habuiſſe dicuntur. Unde illud eſt, quòd, quemadmodum apud Romanos à pecore dicta eſt pecunia, ſic apud Gothos in Sveonia habitantes *FEH* olim pecus, poſtea res omnis mobilis, in qua divitiæ conſiſtebant dicebatur. H. Grot. *in Poleg. ad Hiſt. Goth. Vand. &c.* Johann. Loccenius *lib. 2. Antiqv. Sveo-Goth. cap. 18.* Ad extremum Pruſſi illi, quos Ordo Teutonicus ſibi ſubjecit, opes aut planè nullas habuére; aut, ſi id aſſeri nequit, eas certè potiſſimùm in iis, quæ ad victum & amictum pertinent, poſuére. Lithuani namque, qui eandem atque Pruſſi illi, de quibus jam agimus, agnoſcunt originem, usque eò fuerunt quondam inopes, ut etiam à Ruſſis exeunte Seculô XI. victi, non niſi ſubera, reſtes, faſces frondeos, quibus in balneis ſudorem provocare ſolebant, tributi nomine pendere juſſi ſint. Neugebaur. *lib. 3. Hiſt. Polon. in Uladislao Laskonogo.* Diſertis etiam verbis illud de Pruſſis confirmat Adamus Bremenſis Sec. XI. Scriptor, cujus verba digna ſunt, quæ hic legantur: *Aurum*, inquit ille, *argentumque pro minimo ducunt, pellibus abundant peregrinis, quorum odor noſtro orbi lethiferum ſuperbiæ venenum propinavit. Et illi quidem ut ſtercora hæc ad noſtram forte habent damnationem, qui per fas nefasque ad veſtem anhelamus marturinam, qvaſi ad ſummam beatitudinem. Itaque pro laneis indumentis, quæ nos dicimus paldones, illi offerunt tam precioſos martures.* Hæc ille *lib. de Situ Dan. cap. 227. (77.) pag. 147.* Eadem habet Helmoldus *lib. 1. Chron. Slav. cap. 1.* Accedit, quòd Pruſſi illi Diis ſuis in ROMOVE, ſive, ut quidam volunt, in ROMA NOVA cultis, non pretioſa donaria ex auro & argento fabricata, ſed manipulos frugum, piſces, pecudes & alia ſacrificia leguntur obtuliſſe. Quare huc accommodare licebit illa Ovidii ex lib. 1. Faſt.

Pluris opes nunc ſunt, quàm priſci temporis annis,
Dum populus pauper, dum NOVA ROMA fuit.

Non eſt tamen dubium, quin Pruſſi, perceptâ ſemel auri argentiq; comoditate, pecuniæ peregrinæ uſum & ante Cruciferorum adventum ſenſim introduxerint, quod de Baltici maris accolis cumprimis aſſeri poſſe videtur. Hi namque conſvetudine Germanorum, cum quibus commercia tractabant, cultiores redditi, & pecuniam ipſorum pedetentim receperunt. Eò dubio procul referendi ſunt illi nummi, quos in ſepulcris Veterum Pruſſorum repertos, teſtatur Caſparus Schüzius *lib. 1. Chron. Pruſſ. fol. 7. b.* Habuerunt illorum nonnulli characteres nobis ignotos, illisque non abſimiles, quibus in inſignibus Vaidewuti Regis epigraphe

fuerit expressa. *Vid. Dissertat. de lingva Vet. Pruss. num. ult.* Alii autem latinis litteris fuere signati, ut in illis legi possent nomina : LECIPORUS : CRASSIURA : CESTIANUS. Alii denique jam prorsus fuere detriti, ut nulla in illis litera legi possit. Exhibet nobis eorum nummorum figuras in prima Chronici sui editione Schuzius, qui consulatur.

II. Cum Cruciferi Anno 1230. Prussiam essent ingressi, Germanicam monetam, unde ipsi erant oriundi, secum in Prussiam invexerunt. Inter alia nummorum ab exteris oris huc illatorum genera, præcipuè numerari merentur LATI GROSSI BOHEMICI (**breite Böhmische Groschen**) qui hic, & subsequutis temporibus, ut & in vicina nobis Polonia fuerunt in usu frequentissimo, ut Historiam Prussicam evolventi obscurum esse nequit. Ex aureis nummis BISANDOS hìc fuisse frequentes, cognoscere licet ex Ordinis Teutonici Consvetudinibus num. 10. ubi hæc habentur verba : **Der Meister mag Vrihelìche geben oder lihen ettes weme des Huses Vrinde hundert BISANDE / ader Dinc die alsò ture sind : Will er aber Vunfhundert hine geben / das soll er tun mit zehen bescheidener Brudere Rate. Vber vunfhundeet sol er nicht geben / ane des Capitels Willen.** Auream eam fuisse monetam, non ex alio colligo, quàm quòd superiore seculo Anno 1541. Carolus V. Imperator ejus generis monetam cudendam curaverit, cujus inscriptio ex altera parte erat : CAROLUS V. IMPERATOR. Ex altera : MONETA AVREA BISVNTI. 1541. Ob eam quoque causam hi nummi vocabantur à loco **die Bisanter.** *Vid. Ferdinandi I. Imp.* **Müntzordnung** / *fol. 15.* Quod precium fuerit antiqui illius Bisandi, determinari vix poterit. Consului propterea exemplar Consvetudinum in Gallicam lingvam jam ante duo secula conversum, quod in Bibliotheca Electorali Regiomontana inter MSS. Codices asservatur. In eo verba illa **hundert Bisante** / quæ in Germanico exstant, sic in Gallico notantur C. ℔. id est, centum libras. Sed neque ex eo aliquid certi poterit deduci. Non acquieverunt autem cruciferi his exterarum gentium nummis, sed simulac Prussiæ partem sibi subjecissent, propria pondera & propriam monetam ad similitudinem Germanicæ percutiendam curârunt. Et quidem adeò peritos rei monetariæ artifices habuerunt in Prussia, ut exteræ quoque gentes ipsis artis hujus excultæ laudem tribuant. Certè inter Anglos non desunt, qui *Sterlingos* à Prussis nomen accepisse putant, quod verba Guilhelmi Vatsii testari possunt. Ille siquidem in Glossa-

rio

rio ad vocem **Sterling**/ postquam plusçula de iis, quæ ad vocis nomenclationem pertinent, disserverat, hæc tandem subjungit: *Doctissimus Eques* (Spelmannus) *eorum potiùs elegit opinionem, qui à Germanis mercatoribus circa Gethani Elbingæque partes, quos Esterlings adhuc dicimus, Sterlingos nostros deducunt, quasi illi in Angliam venientes artem purgandi argenti, etiam flandi & feriendi celebrem reddidissent, nomenque ipsorum facto deinceps reliquissent, quod satis est probabile.* Hæc ille. De hac itaque materia paulò uberius acturi, B. L. rogamus, ne exactam ubique à nobis exigat ἀκρίβειαν. Tantis quippe res hæc implicita est difficultatibus, ut Oedipô hîc non rarò opus esse videatur, ad ænigmata, passim occurrentia dissolvenda. Ante autem quam rem ipsam aggrediamur, operæ precium erit indicare, quæ pecuniæ genera hodie in Prussia sint in usu & quod eorum sit precium, quo feliciùs veterem illam cum hac nostra conferre queant & exteri. Hodiè solidus (**ein Schilling**) habet 6. denariolos sive phenningos, sed jam nonnisi imaginarios. Tres solidi faciunt grossum: viginti grossi marcam. Triginta grossi florenum, sive aureum Prussicum. Tres floreni Talerum. Duo Taleri Ducatum sive aureum Hungaricum. (Aureus Hungaricus in monumentis Prussicis atque Polonicis dicitur ille nummus, quem ducatum, sive etiam simpliciter aureum vocamus. Alioqui non ignotum nobis est, aureum Hungaricum (**Ungrisch Gülden**) hodie in Hungaria minorem esse talero, cum nostris 50. grossis tantùm æstimetur.) His ita prænotatis, de pecunia Prussica, quæ primis ab ingressu Ordinis Teutonici in Prussiam temporibus obtinuit, dicere ingrediamur.

III. Princeps ponderis species, cujus in Privilegio Culmensi An. 1233. concesso mentio fit, in Prussia tunc temporis erat MARCA, Germanis etiam, Svedis, Danis aliisque populis usitata. Respondebat hæc marca libræ nummariæ, sive bessi Romano, continebatque octo uncias. Ex hâc etiam causâ marca & libra pro uno eodemque à Gallis & Anglis accipiuntur. Ut enim hodie Angli & Galli per libras numerant, sic vetustis temporibus per marcas numerabant, notante Gvilhelmô Vatsio *in Glossario voce Marca.* Conf. Matth. Paris *in Henrico III. pag. 418.* Marcam, quanquam minus rectè, Loccenius deducit à Germanica voce **Mark**/ i. e. signum, quod argentum erat signatum: vel etiam à **Marcker**/ i. e. selibra, quam in argento olim æquasse 8. uncias putant. Vid. Loccen. *lib. 2. Antiq. Sveo-Goth. c. 18.* Ex his jam constare potest, hodiernas marcas, quarum in Prussia usus est frequentissimus,

non esse ejusdem ac veteres illas ponderis ac precii. Verbo antiquitus marca nummularia non alia fuit, quàm marca argenti puri, quam bessi Romano respondere diximus. Germanis vocatur **eine Silbermark**, *vid. Privilegium Culmense num. 40.* Quibus gradibus autem ad eam, qua hodie est, vilitatem delapsa sit, in sequentibus nobis ulteriùs erit disquirendum. Jam tantùm notamus, non ejusdem ubique ponderis marcam olim fuisse, neque adhuc esse. Præcipuæ fuerunt suntque adhuc, *Marca Rhenana* sive *Colonienſis*, cujus usus hodie per totam est Germaniam in moneta cudenda, ex Constitutione Ferdinandi I. Imper. in Comitiis Spirensibus An. 1560. consensu omnium Imperii Germanici Ordinum latâ, & eodem Annô seorsim typis Viennæ Austriæ impressâ. Deinde *Marca Noribergenſis*, & denique *Marca Frosica*, cujus usus est per Galliam, Hispaniam & Belgium. Singulæ harum Marcarum pendunt 8. Uncias sive 16. lothones sui generis. Omnium ponderosissima est Marca Trosica, utpote quæ Marcam Noribergensem superat decem circiter denariolis sive phenningis, quorum singuli trigesimam secundam unciæ partem constituunt. Marcam verò Colonienſem Trosica superat vigesimâ sui parte, ita ut 19. marcæ Trosicæ sint 20. Colonienses. Ex his Trosicam æqualis planè cum besse Romano ponderis fuisse contendit Willebrordus Snellius *in Eratosthene Batavo lib. 2. cap. 15.* Vid. Petrus Crügerus *in Prolegom. Arithmet. German.* Quanquam autem, Cruciferi Germani fuerunt, diversam tamen ab enumeratis illis Marcam in Prussia constituerunt. Invenit enim Petrus Crügerus Gedani in Aurifabrûm tribu libellam antiquissimam insignibus Civitatis signatam, quæ non tantùm cum alia libella in Curia Gedanensi asservatâ, sed etiam cum libella monetaria Elbingensi Crügero transmissâ conveniebat accuratissimè, quod etiam argumento est, non fuisse antiquis temporibus marcam Aurifabrûm à monetariâ diversam. Pendebant hæ marcæ, non secus atque superiùs enumeratæ, 8. uncias sive 16. lothones sui generis, i. e. 8. uncias Prussicas, sive 16. lotones Prussicos. Proportio Marcæ Prussicæ ad suprà dictas reperta est ejusmodi: Quatuor Marcæ Noribergenses fuerunt 5. Prussicæ, adeoque marca Noribergensis quartâ parte superabat Prussicam, ita ut 8. illæ unciæ sive 16. lothones Noribergenses penderent 10. Uncias Prussicas, seu 20. lothones Prussicos, & insuper 10. propemodum denariolos. Marca Trosica pendebat 10. uncias Prussicas sive 20. Lothones Prussicos, & insuper decem, propemodum denariolos. Marca Colonienſis itidem, ut priores, 8. uncia-

unciarum sive 16. lothonum sui generis, pondere effecit $9\frac{1}{2}$ Uncias sive 19. lothones Prussicos, & præterea circiter $9\frac{1}{2}$ denariolos sive pfenningos. Superat igitur hodierna Marca monetaria Colonienſis antiquam Marcam Prussicam plus quàm tribus lothonibus Prussicis. Brevius: Marca Colonienſis habet 152. **Engluß** / sive, quod idem est, 4864. **Aßen**: Marca verò Prussica habet 124. **Engluß** & 6. **Aßen**. Vid. Petrus Crüg. *loc. cit.* & Cl. Joh. Petrus Titius *in Commendatione Nummaria cap. 9. §. 26. pag. 277. seq.* Antequam ad marcam Prussicam accuratiùs expendendam accedamus, obiter monemus, marcam Polonicam circa An. 1240. æqualem fuisse 48. grossis Bohemicis. Evidenter hoc probari potest ex Jure Culmenſi, quod circa eadem tempora scriptum esse ostendimus. Ibi enim *lib. 2. cap. 37.* hæc habentur: **Man ſoll auch wiſſen daß achtzehn Pfund Magdeburgiſch machen ein ganz Wehrgeld. (Ein Pfund machet 20. Böhmiſche Groſchen) das iſt achthalb Marck Böhmiſcher Groſchen / Polniſcher Zahl.** Et *lib. 3. cap. 35.* **Achtzehen Pfund macht achthalb Marck Groſchen / Polniſcher Zahl. Neun Pfund macht 4. Marck ohn einen Vierdung Böhmiſcher Groſchen / Polniſcher Zahl.** Hæc Jus Culmense.

IV. Marca Prussica, prout eam descripsimus, ut SEXAGINTA SOLIDOS contineret, constitutum est in Privilegio Culmenſi *num. 40.* Solidus apud Romanos quondam erat nummus aureus: Germani verò cùm monetæ suæ Latina vocabula essent imponenda, novæ & à Romana diversissimæ monetæ nomen hoc imposuerunt, quam ex Germanica voce **Schilling** / Schillingum appellare potuissent. Unde Germanica illa vox **Schilling** dicatur, quæri potest. Quidam Scriptores Prussici juniores referunt, civem quendam Thorunienſem, nomine Bernhardum **Schilling** / ex fodinis prope Niclasdorff 30. centenarios argenti emisse, & inde Magistri Prussiæ generalis Theodorici C. de Aldenburg indultu monetam primò tunc flatam de suo nomine **Schillinge** appellâsse. Vid. Casp. Schutz. *lib. 2. Chron. Pruss. fol. 67. b. fin.* & Th. Waisselius *in Chron. fol. 116. b. alii.* Et quod mireris Caspar Hennebergerus eò usque delabitur, ut statuat primam omnium hanc in Prussia fuisse monetam à dicto Bernhardo Schillingo percussam, cum antea non nisi grossi Bohemici & Quadrantes Pomeranici (**Pomerſche Vierꝛchen**/) hîc in frequenti fuissent usu. *in Comment. ad Tab. Geogr. Pruss. pag. 287.* Addunt etiam quidam, ex una parte monetæ huic crucem

simplicem fuissem impressam, cum inscriptione : MONETA DOMINORUM PRUSSIÆ. Ex aversa parte aquilam insculptam, cum epigraphe : FRATER THEODORICUS MAGISTER GENERALIS. Verum enimverò, præterquam quod fidem nullam meretur illud, quod dicitur, tunc primò monetam argenteam in Prussia fuisse cusam, cùm ex Privilegio Culmensi contrarium appareat, falsitas etiam relationis hujus ex multis aliis deprehenditur. Nam primùm apud Veteres Historicos Prussicos de Bernhardo Schillingo fodinisque illis altum est silentium, nec apparet, unde recentiores illam Historiam hauserint. Grunovius etiam, qui citatis illis antiquior est, etiam si fodinas easdem commemorat, de Bernhardo tamen Schillingo prorsus nihil habet. Deinde notum est ex speculo Saxonico, Jure Weichbildico, aliisque eorum temporum scriptis, jam ante Theodorici Comitis de Altenburg tempora, Schillingos, monetam fuisse per totam Germaniam usitatissimam. Adde, quod Scriptores hanc historiam recensentes inter se materia huic nummo assignandâ, ut ex infrà dicendis ad oculum patebit, non consentiunt. Rectius igitur alii aliunde vocem illam deducunt. Joannes Loccenius *in lib. 2. Antiq. cap. 18.* sic ea de re loquirur : *Skilling ita appellari à Skilia i. e. separare, ut videtur, quòd in minoribus rebus emptis venditorem ab emptore separarent : unde etiam Skiliamynt talis moneta separatoria dicitur in artic. IV. Constit. Reg. de Moneta Anno. M. DC. LXV. publicata.* Ita ille à Svedico vocabulo Schillingos derivat. Tilemannus Friesen vocem hanc purè Germanicam esse statuit, dictam à **schellen** sive **klingen** / additamque ei usitatam in monetis exprimendis terminationem. Quemadmodum enim dicimus **Pfenning/ Achtling/ Sechsling/ Vierling/ Dreyling** / ita etiam hoc monetæ genus dicimus **Schilling.** *Vid.* laudatus Tilemannus Friesen *lib. IV.* **im Müntzspiegel.** *cap. IV.* Vir Clar. Johannes Petrus Titius vocis illius originem in Latina Lingva quærit, putatque eam deductam vel à voce *Solidus*, vel à *siliquá*, vel à *Sicilicus*, contracto in SCILIC. &c. in Comment. Nummar. *cap. 20. §. 20. p. 387.* Ex his facilè fabula ista de Schillingo civi Thorunienſi convellitur. Si quid verò illi relationi tribuendum, Civem illum à Schillingis flatis potiùs, quam Schillingos ab ipso nomen accepisse cum Domino Titio dicimus.

V. Tertium genus numerorum, cujus in Privilegio Culmensi fit mentio, propriè sibi nomen NUMMORUM vindicat. Nummi illi Prussici in versione Privilegii Culmensis Germanicâ vocantur Pfenninge.

ninge. Id genus nummi (Pfenninge) quot uni solido fuerint attributi, ex eodem Culmensi Privilegio colligere licet, in quo *num.* 2. hæc reperiuntur verba: *Eisdem judicibus cessimus perpetualiter de parte tertia multarum judicialium pro culpis majoribus pensatarum: pœnam minorum excessuum, quæ quotidiana dicitur, videlicet XII. NUMMOS & infra eis totaliter concedendo, ita ut quicquid de talibus judex infra Tribunal indulserit DE QUATUOR SOLIDIS videlicet, & infrà, id etiam ex parte domûs nostræ sit indultum.* Ex quibus liquet, duodecim nummos in solidis quatuor numerari, singulisque solidis ternos respondere nummos. Confirmant id alia Privilegii verba *num. XIII.* ubi disertè: *Quodsi quis ex ductoribus navium ex prædictis aliquem traducere ausu temerariô contradixerit, leviori culpæ subjaceat, quali scilicet quatuor solidorum pœna consvevit adscribi.* Hîc pœna levioris culpæ dicitur esse 4. solidûm, quæ in prioribus illis 12. nummûm esse dicebatur. Solidus proinde tunc temporis habebat tres nummos, marca verò 180. nummos. Quinque ejus generis nummi Prussici pares habebantur uni nummo Colonienſi, quod iterum nos Privilegium suprà citatum docet, ubi *num. XXXIV.* hæc habentur: *Item statuimus, ut quilibet homo hæreditatem à domo nostra habens fratribus nostris solvat exinde unum nummum Colonienſem, vel pro eo quinque Culmenſes.* Sic itaque Marca Prusſica Colonienſes nummos 36. Prusſicos verò, ut jam suprà indicatum, 180. continebat. Plura nummorum genera in Privilegio Culmenſi non commemorantur. Fit quidem etiam mentio DENARIORUM, qui in Germanica Privilegii versione vocantur Heller; sed hoc generale fuisse pecuniæ nomen, omnibusque speciebus commune ex illo ipso Privilegio satis elucet. Vid. *n. 40.*

VI. Verùm quin alia quoque ponderum & pecuniarum genera iis temporibus in Prusſiam ex Germania fuerint introducta, nobis dubium non est. In his verò sunt præcipuè VIRDUNGI SCOTI, & QUADRANTES. VIRDUNGUS sive potiùs FERTON, ut in antiquis monumentis Germanorum & Polonorum vocatur, proximè ad marcam accedebat. Anglis etiam hodieque monetæ quoddam genus est in usu, quod dicitur Farthing. Est autem hæc vox barbara, deducta à vetusto Germanorum *Verton*, Verding/ pro quo hodie dicimus Vierthel. Sic in antiquis monumentis reperitur sæpe. Ein Verton Wachs i. e. ein Vierthel Wachs. Vid. Spigelius *in Lexico, verbo Verton.* FARTOS etiam dictos esse Fertones hos putat Limnæus *de Jur. Publ. in Addit.*

dit. lib. 4. c. 7. n. 23. Varias illa vox *Ferton* habuit significationes, quas hìc commemorare non est operæ precium, unicam tantùm, quæ hujus est loci, producemus, Videlicet Ferton, sive Ferto Germanis, Polonis & Prussis erat quarta pars marcæ, ut habet Marquard. Freher. *lib. 1. de re monet. cap. 2.* Conf. Ahasverus Fritschius *in Supplemento Speidelio Besoldiano, voce Ferton. pag. 36.* Numerabantur ergò in uno Fertone apud Prussos 15. solidi. SCOTUS erat vigesima quarta pars marcæ argenti puri, ut etiamnum aurifabris eô nomine venit, continebatque olim duos solidos Prussicos cum semisse. Fuerunt Scoti & in Polonia frequentes, ut ex modò citatis Constitutionibus evidens est. Ad hæc tempora etiam Scriptores Historiæ Prussicæ recentiones referunt QUADRANTES (sic eos appellare nummos liceat, quos Prussi quondam dixerunt die Vierchen) qui alterius fuére generis, quàm quos paulò antè Virdungos diximus, licet & ipsi à quarta parte nomen traxerint. Etenim Virdungus dicebatur respectu marcæ, cujus erat pars quarta: sed *Quadrans*, de quo jam agimus, non marcæ pars erat quarta, sed solidi. Ejus generis quadrans paulò minor erat Phenningô, superiore num. à nobis descriptô, continebatque duos alios quadrantes Pomeranicos, ut auctor est Grunovius *Tract. XIII. cap. 1. fol. 231.* Antiquissimum hoc in Prusia monetæ genus esse, probari posse videtur ex Sigefridi de Feuchtwangen generalis Magistri Legibus, quæ circa Anno 1307. solos hos quadrantes Culmenses ex moneta Prusica superfuisse testantur. *Vid.* Waissel. *in Chron. pag. 105.* Sed hæ ex iis, quæ suprà diximus, in controversiam vocari possunt. Etenim si in Privilegio Culmensi nummi (Pfenninge) jubebantur cudi, qui & usui quotidiano, & tributis dandis servirent, quomodo dici poterit, Culmenses non nummos sive phenningos, sed paulò minorem monetam, cui nomen quadrantis (ein Vierchen) cudisse? Deinde & hoc notandum est, Elbingensibus Anno 1246. concessam esse potestatem cudendi nummos sive phenningos, ut habet Privilegii Germanica versio, & quidem ejusdem ponderis & precii, ac fuerunt Culmenses. Quod si hoc verum est, ut certè est, qui dicitur in Legibus Sigefridi à Feuchtvvangen circa annum 1307. latis, Prussos tunc, exceptis quadrantibus Culmensibus, propriam pecuniam non habuisse? Ad extremum dubitari prorsus potest, utrum Quadrantes illi fuerint in Prussia cusi. Hennebergerus certè eos Quandrantes Pomeranicos vocat, ut suprà num. 4. diximus. Nec vero simile est, Prussos aliam, quam quidem in Privilegio Culmensi jussi sunt, fuisse monetam

tam cusuros. Sed his fortasse parum roboris inest, cum Quadrantes & in Prusia, & in Pomerania fuisse cusos, Grunovium audiverimus asserentem. Aliam verò minutiorem monetam, etiam phenningis minorem, hìc in usu fuisse credo, cum eam quotidianus exegerit usus. Supersunt etiam hodieque ejusmodi nummuli argentei, phenningis certè antiquis, ut à nobis descripti sunt, dimidiâ parte minores sunt & alii nummuli cuprei argenteis his minores, quorum quibusdam etiam aliquid admixtum esse argenti, de quibus infrà.

VII. Enumeravimus hactenus diversa nummorum genera, ad quæ omnes alii nummi ab exteris gentibus, puta Polonis, Belgis, Anglis & maximè Bohemis huc invecti reducebantur. Sciendum autem & hoc est, non omnes ex enumeratis speciebus fuisse nummos in Prussia certâ notâ signatos, cum pondus quorundam specierum non permiserit, ut unus inde cuderetur nummus. Sic verbi gratiâ Marca, quæ hodiernæ aurifabrorum marcæ æquiparabatur, non erat nummus unicus sed certum pondus, & certa pecuniæ sors ex pluribus minutioribus nummulis collecta. Quo circa non probat se nobis illa *Marcæ* nomenclatio à Germanico Marck i. e. signum, quô pecuniam illam signatam fuisse suprà Loccenium audivimus asserentem. Nisi forte dicas ipsum pondus marcæ, quod lanci ad examinandum argenti precium injicitur, fuisse certô signô notatum, à quo postea pecuniam quoque ipsam nomen hoc adeptam. Neque credo FERTONIS Prusici pondere nummum tunc fuisse cusum, quantitate argenti obstante. Non secus tunc se res habebat, atque hodie apud Lithvanos (ut alia exempla, quà vetusta, quà recentia præteream) qui 75. grossos Polonicos sive Prusicos vocant sexagenam Lithvanicam (*Kopa Litbewska*) etiamsi nunquam habuerint nummum ejus generis, qui tot grossos Polonicos contineret. Sic etiam in Prussia nostra marca est 20. grossorum, quamvis nunquam fortâsse nummus, qui viginti grossorum esset, in Prusia sit flatus signatusque. Quodsi suprà commemoratas pecuniæ Prusicæ species cum hodierna moneta Prusica conferre, illiusque pondus ac precium in proportione ad hodiernam pecuniam investigare voluerimus, repetenda nobis erunt, quæ dudum de marca Prusica nummaria dicta sunt. Superabat illam Marca Colonienis, quæ octo taleris sive nummis uncialibus hodie confertur, sesqui lotone & quod excurrit. Sed hoc tanti non est, ut adeò notabilem hìc marcarum differentiam inferre queat. Quantum enim ponderi marcæ Prusicæ decesit, tantum eô tempore materiæ bonitati

accesſit, cum hodie Marcæ Colonienſi nummariæ ad taleros cudendos nonniſi 14. lothones argenti puri tribuantur, quibus adduntur 2. lotones cupri: apud Pruſſos verò antiquitus eſſet marca 16. lothonum argenti puri, quibus nihil cupri admixtum. Cæterum ſi nihilominus aliqua occurrit differentia, ea certè minoris eſt momenti, quam tutò negligas licet. Antequam autem antiquam pecuniam cum nova conferamus, placet in anteceſſum varias antiquæ pecuniæ ſpecies inter ſe conferre. Eæ verò ſic ſeſe habebant:

Marca - - - continebat - - 60. Solidos.
Virdungus - - - - - - - 15. Solidos.
Scotus - - - - - - - - - $2\frac{1}{2}$. Solidos.
Solidus - - - - - - - 3. Phenningos.
180. Phenningi faciebant totam marcam.

Ad recentiorem noſtram monetam (exceptô tamen corollariô, Auffgeld dictô, quod taleros vel ducatos ſibi pro minutiori pecunia acquiſiturus addere cogitur) ſi hæc conferantur, ita ſe habent:

Marca - - continebant - - 24. florenos noſtrates, ſive 36. marcas hodiernas.
Virdungus - - - - 6. flor. hodiernos, ſive 9. marcas hodiernas.
Scotus - - - 1. flor. hod. ſive $1\frac{1}{2}$. marcas hod.
Solidus - - - - - - - - 12. groſſos hodiernos.
Phenningus - - - - - - - - 4. groſſos hod.

Ut autem exteri etiam hæc cum ſua pecunia conferre queant, illud tantùm notent, *tres florenos* Pruſſicos, ſive quod idem eſt $4\frac{1}{2}$ *marcas* Pruſſicas reſpondere *Talero*, qui à pondere *nummus unciatis* vocatur.

VIII. Hæc moneta fuit in uſu, cum Teutonicus Ordo Pruſſiam ingreſſus Culmam & Thorunium urbes condidiſſet. Conſtitutum autem eodem tempore erat, ut omnis moneta Pruſſica eſſet argentea. Sic enim diſertè in Privilegio Culmenſi: *Item ſtatuimus, ut una moneta, Culmenſis videlicet, ſit per totam terram, & ut de puro & mundo argento denarii fabricentur.* num. 40. Et certè ſunt adhuc nummuli argentei, quantitate ſolidos Pruſſicos, quibus hodie utimur, æquantes, dimidiâ verò

verò parte minores phenningis suprà descriptis; non ita tamen plani, sed in modum scutellæ fabricati, quamobrem etiam vocantur Schüssel-Pfenninge. Insigniti illi sunt cruce oblongâ, & quidem ex parte convexâ. Eos certè ad prima illa tempora referendos censeo, cum mihi sit persvasissimum, subsequentibus temporibus id genus nummos minutiores non fuisse ex argento puro percussos, ut postea videbimus. Est etiam penes me nummus ejusdem formæ, magnitudine grossum triplicem exæquans, sed adeò tenuis est ejus bracteola, ut eâ nihil queat esse levius. Impressa est ex altera parte crux, sed brevior, neque continuô ductu, sed quinque tantùm punctulis confecta. Cæterum ad quæ tempora nummus ille sit referendus, parum compertum est. Constitutum etiam est eodem tempore, ne monetæ Prussicæ pondus imminueretur, quò pertinent verba ejusdem Privilegii eodem num: *Dicta moneta nonnisi semel in singulis decenniis renovetur, & quoties renovata fuerit, XII. novi nummi pro XIV. veteribus cambiantur.* Videlicet nummis quotidianô usu detritis aliquid decedebat, adeò ut elapsô decenniô opus esset compensatione, ne pondus nummorum imminueretur. Idem cavetur & in Privilegio Civitatis Elbingensis *sub calcem.*

IX. Verùm necessitas, quæ & hìc suprema lex est, vim fecit Privilegio, cum subsequente Sec. XIV. & pondus & materia nummorum paulatim cœperit immutari. Accessit huc Polonorum & Germanorum institutum, quod Cruciferos ad eadem suscipienda invitavit, imò coëgit. Notat quippe Tilemannus Friesen, ab An. 1300. in Germania aliquid cupri argento misceri cœpisse, ita ut marca contineret 15. vel etiam pauciores argenti lothones, id verò, quod ad 16. lothones complendos deerat, adderetur de cupro. Quô factum est, ut marca argenti puri (Marck Silbers) distingvi cœperit â mixta marca, quæ vocatur Marcklötiges. Et cùm aliis in locis plus, aliis minus adderetur cupri, ortæ sunt illæ distinctiones: Lôtige Marck Goßlars/lôtige Marck Göttingsch ꝛc. *lib. 4. c. 7. & 8.* (Quamvis, quod benè notandum, hoc discrimen inter Marck Silbers & Marcklötiges Silbers à multis non observetur, adeò ut ipsis hæc eadem planè sint:) Eadem fata experti sunt nummi Prussici. In Legibus enim Sigefridi de Feuchtwangen circa An. 1307. latis jam reperimus discrimen inter marcam gravioris & levioris æris (gute und schlechte Marck) Etsi verò Legibus his non multum defero, tamen ejusmodi mutationem rei monetariæ intervenisse credo. Et quî potuissent tanta cum Prussis & Lithvanis bella geri,

nisi, mutatô in Germania nummorum pretiô, & in Prussia immutata fuisset rei nummariæ ratio? Expressis etiam illud præterea verbis Scriptores nostri testantur, licet, quantum cupri fuerit admixtum, ex iis vix determinari possit. Circa An. 1340 Theodoricum Comitem de Aldenburg primos cudisse solidos, cuprique aliquid admiscuisse, testantur Scriptores suprà num. IV. citati. Sed, præter mixtionem hanc, aliam adhuc mutationem observo. Cùm enim antea tres tantum nummi (Pfenninge) fuissent uni solido attributi, hic Theodoricus Magister generalis constituisse fertur, ut sex nummi (Pfenninge) uni solido assignarentur, teste Schüzio *lib. 2. Chron. fol. 67. b fin.* Quæ certè sunt verisimilia, præcipuè considerantibus nobis, vel hodie hoc ipsum observari, ut 6. phenningi uni solido attribuantur. Quò minùs tamen hîc è vestigio calculum nostrum adjiciamus, duo videntur obstare. Primum est, quòd Waisselius & alius Anonymus Historiæ Prussicæ Scriptor Theodoricum non sex *phenningos*, sed *halleros* uni solido exæquasse referunt. Constat autem, duos halleros in uno phenningo tunc fuisse numeratos, quod etiam comprobant (ut Germanicos jam prætream) Lithvanici phenningi, qui olim duos halleros continebant, ut palàm est ex Prolegom. ad Arithmet. Christophori Falconii superiore Seculo Regiomonti editam. Secundum est, quod in antiquo Codice MS. (de quo plusçula paulò post) dicitur, duodecim phenningis Prusicis solidum Prusicum parem fuisse habitum. Prius illud dubium cùm primùm se oculis obtulit, non multùm negotii nobis facessere posse videbatur. Etenim si ex Privilegio Culmensi uni solido tres attribuamus phenningos, & uni phenningo duos halleros, improbari sententia Waisselii non posse videtur, utpote quæ idem, quod Privilegium Culmense habet, testatur. Neque verò objici posse videbatur auctoritas Codicis illius MS. cum ille post tempora Theodorici sit scriptus, adeoque de alia quadam phenningarum immutatione loquatur, quæ ad tempora Theodorici nequeat referri. Ex his sponte suâ fluebat ad secundum dubium responsio: Videlicet, reponi posse putabam, tempore illô, quô Privilegium Culmense datum est, uni solido tres phenningos, & horum singulis tempore Theodorici binos halleros esse tributos: postea circa An. 1350. (eo tempore Codicem citatum esse conscriptum ex charactere colligere licet) duodecim phenningos precio solidum æquâsse, donec tandem circa A. 1400. introductum esset, ut sex phenningi in uno solido numerarentur, quod etiam usque ad nostra tempora durat. Sed quò tandem tot circa

phen-

phenningos mutationes, quæ in cæteris Prussicæ pecuniæ speciebus, puta, solidis, scotis, fertonibus, non observantur? Hæ namque pecuniæ species licet circa pondus & materiæ bonitatem crebras expertæ sint mutationes, eandem tamen semper inter se retinuerunt proportionem. Itaque hîc hærenti, proximum erat dicere, æquivocationem latere in vocibus Pfenning & Heller/ quæ aliquando in proprio significatu acceptæ, à se invicem distingvuntur: aliquando verò ab Auctoribus rei monetariæ parum peritis, in quibus certè Waisselius censendus, confundi, atque pro uno eodemque nummô accipi. Et sanè confusionis hujus exstant exempla non pauca, quæ, si è re esset, in apricum produci facilè possent. Sic igitur nostra est sententia. Cum antea ex Privilegii Culmensis dispositione tres essent in uno solido phenningi, Theodoricus constituit, ut in posterum non amplius tres, sed sex in solido numerarentur, quod etiam usque ad nostra tempora obtinere palàm est. In Codice autem citato MS. per phenningos intelligendi sunt halleri, quandoquidem nusquam alias legimus, duodecim phenningos uni solido esse pares habitos.

X. Ut hæc omnia dilucidius proponantur, placet quædam, quæ ad nostrum faciunt propositum, ex Codice jam aliquoties citato notare. Est Codex ille membranaceus, circa An. Christi 1350. quantum ex charactere conjicio, exaratus, continetque Regulam, Leges, Consvetudines, Venias & alios ritûs Ordinis Teutonici. (Exponitur venum à Paulo Nicolai Bibliopola Regiomontano, nisi forte jam sit venditus:) Huic præfixa sunt aliquot exempla arithmetica, fortassis à Præceptore Discipulo exercitii gratiâ proposita, aut etiam in usum alicujus Collegii, sive Conventûs, ut vocant, Fratrum Ordinis Teutonici conscripta, quæ hîc dabimus. Ea verò sunt sequentia:

Des Jahrs $\frac{1}{2}$ Marck / so gebühren zur Wochen 7. Pfenning
4. Pfennig nimt der Knecht zu viel.
Des Jahrs 15. Scot, gebühren zur Wochen $8\frac{1}{2}$ Pfenning
8 Pfenning nimt der Knecht zu wenig.
Des Jahrs 3. Vierdung / gebühren zu der Wochen $10\frac{1}{2}$ Pfennig
6. Pfen-

6. Pfenning nimt der Knecht zu viel.

Des Jahrs $3\frac{1}{2}$ Vierdung / gebührt zur Wochen und ein halb Ort.

Addendum hic dubio procul.

2. Ort nimt der Knecht zu viel.

Des Jahrs 1. Marck / gebühren zur Wochen 14. Pfenning

8. Pfenning nimt der Knecht zu viel.

Des Jahrs $4\frac{1}{2}$ Vierdung / gebührt zur Wochen $15\frac{1}{2}$ Pfenning/

4. Pfenning nimt der Knecht zu wenig.

Des Jahrs 5. Vierdung / gebühren zur Wochen 17. Pfenning und 1. Ort.

3. Pfenning nimt der Knecht zu wenig.

Des Jahres $5\frac{1}{2}$ Vierdung/gebühren zu der Wochen 19. Pfenning/

2. Pfenning nimt der Knecht zu viel.

Des Jahres $1\frac{1}{2}$ Marck / gebühren zu der Wochen 20. Pfenning und 3. Ort.

1. Pfenning nimt der Knecht zu wenig.

Des Jahres $6\frac{1}{2}$ Vierdung/zu der Wochen $22\frac{1}{2}$ Pfenning.

Des Jahres 7. Vierdung / zur Wochen 2. Schillinge und 1. Ort.

1. Pfennig nimt der Knecht zu wenig (zu viel)

Des Jahres $7\frac{1}{2}$ Vierdung/gebühren zur Wochen 26. Pfenning.

2. Pfenning nimt der Knecht zu viel.

Des Jahres 2. Marck gebühren zur Wochen $34\frac{1}{2}$ Pfenning/

6. Pfenning nimt der Knecht zu wenig.

Des

Des Jahrs 3. Marck gebühren zur Wochen 41½ Pfenning

2. Pfenning nimt der Knecht zu wenig.

In his exemplis, ut calculus evincit, eadem ratione, ut supra docuimus Marcæ attribuuntur sexaginta solidi, Fertoni quindecim, Scoto duo solidi cum semisse: Sed in phenningis discrimen illud, quod & antea jam notatum est, occurrit. Videlicet in solido numerantur duodecim phenningi (quos non alios quam halleros esse arbitramur) & phenningis singulis orti quatuor assignantur. Ortos non alios esse putamus quam nummulos illos, qui etiamnum Germanis dicuntur Scherff. Manifestum hoc fit ex Arithmetica Christophori Falconii, qui de Moneta Livonica (quæ Provincia itidem Ordini Teutonico quondam subjecta erat) agens, disertis verbis uni nummo tribuit quatuor nummulos Livonibus Scherff vocatos. Sunt penes me aliquod nummuli Prussici ærei, dimidiâ parte solidis Prussicis, quibus hodie utimur, minores. Non absimiles illi sunt capitulis claviculorum, quibus rhedæ & currus elegantiores ornantur. Ex his alii solâ cruce ex parte convexâ sunt signati, alii crucem illam in scuto repræsentant. Et hos ipsissimos fuisse Prussicos ortos facile crediderim.

XI. Ex dictis, credo, satis liquet, pecuniam Prussicam & in materia & in Phenningorum numero solidis Prussicis attribuendo circa initium Seculi XIV. esse imminutam; nondum tamen apparet, quantum bonitati materiæ decesserit. In Legibus Sigefridi de Feuchtwangen, in quibus marcam gravis æris (gute Mark) distingvi diximus à marca levis æris (schlechte Mark) constituitur, ut triginta grossi Bohemici pendant unam marcam bonam apud Waissel *in Chron. Pruss. fol. 105.* Idem habet & Grunovius *Tract. II. cap. 1.* Quanto pretio grossus Bohemicus cognoscere ex martino Cromero, qui de tributis Polon. tempore Casimiri Magni circa An. 1350. Regi pensitari solitis agens hæc habet: *Pensitabant ei omnes agrestes adscriptitii quotannis tributum, poradlne, quod nos rastrale dicere possumus (regale etiam vocatur) in jugerum seu laneum & mansum ut vulgo vocant, duodenos grossos & quidem latos seu Pragenses, qui dimidio eos, qui nunc sunt in usu grossos vernaculos excedunt, quin si bonitatem argenti spectes, quadruplo.* Hæc Martin. Cromer. *in Descript. Regni Polon. lib. 2. pag. 128.* Illo

128. Illo autem tempore, quo Cromerus libellum hunc scripsit (videlicet circa Annum 1570.) grossus Polonicus triplo erat melior hodierno grosso Prussico, ut infra demonstrabitur. Unde facile colligitur, grossum Bohemicum circa Annum 1350. duodecim Grossis nostratibus, judicio Cromeri, fuisse parem. Clarius hæc elucebunt ex iis quæ M. Paulus Stransky super hac re scribit *in Republ. Bohem. cap. 18. num. 3.* quem audire placet : *Wenceslaus*, inquit, *II. Rex pondus nummi in argento à patribus frequentatum primus immutavit, & accitis Florentiâ monetariis, grossos, obolosque similiter absque omni æris cum argento temperaturâ cudi, ut pondere, ita & forma nova præcepit. Grossus erat drachmalis, ex anticâ parte circulis parallelis tribus insignis, quorum in intimo, erat corona regia, in medio litera: WENCESLAUS SECUNDUS, in extimo : DEI GRATIA REX BOHEMIÆ. In parte verò postica stabat leo, regni insigne, & propterea quod veteri instituto Pragæ officina monetaria fuit scriptum in orbem erat : GROSSI PRAGENSES. Vulgus Zmrzliky à congelascendo, ut videtur ob albicantem argenti puritatem vocabat. Obolus porrò erat grossi istius pars duodecima similiter leonis insigni & Regis nomine expresso notatus. Pendebat itaque pondo sive libra nummularia quæ Germanis* Marck / *nobis Hrziwna dicitur Pragenses grossos hosce sexaginta, oboles septingentos & viginti. Gener hujus Wenceslai Joannes Rex (an. 1311.) æris paululum quiddam argento primus admiscuit, & grossos obolosque fecit soceri grossis & obolis τῷ κέρματι & figura similes, sed cum bonitate tum pondere aliquanto inferiores. Quatuor & sexaginta ejus grossi, septingenti sexaginta octo oboli, pondo dabant. Cudebat etiam nummos grandiores, qui singuli habebant pondus unciæ duas partes tertias, ideoque libræ pars duodecima erant Johanne Rege Carolus filius paululò Wenceslaus nepos perquam multò deteriorem fecit nummum. Argenti namque libris centum Carolus miscebat (An. 1377.) æris duodecim libras libramq; pendebant grossi ejus septuaginta, oboli octingenti quadraginta, Wenceslaus verò IV.*

(Anno

(An. 1407.) miscuit grossis suis æris $\frac{16}{41}$ *hoc est partes unas & quadragesimas sexdecim, obolis* $\frac{3}{5}$ *hoc est partes tres quintas, prout promulgata eam in rem utriusque diplomata plenius docent.* Hæc Stransky, quæ etiam comprobant ipsi grossi Bohemici Joannis I. proximorumque ipsius successorum, quorum grossorum quatuor possideo. Itaque si grosso Bohemico tempore Sigefridi de Feuchtwangen percusso tribuamus 12. hodiernos grossos Prussicos, deprehendemus marcam Prussicam gravis æris, ex Waisselii sententia, tunc respondisse 18. marcis hodiernis sive 12. florenis, qui cum quatuor thaleris paria faciunt. Quam autem rationem marca levis æris ad marcam gravis æris habuerit, in citatis legibus non exprimitur, neque ex aliis, credo, monumentis defectus hic supplebitur. Sed nec facilè determinabitur, cujus ponderis & pretii solidus Theodorici de Altenb. quem jam supra n. 4. commemoravimus, fuerit. De pondere ejus nihil prorsus habeant Scriptores nostri; de materia ejus agentes in varias abeunt sententias. Anonymus quidam Chronici Germanici scriptor ex auro & argento partibus æqualibus eum fuisse mixtum nugatur. Waisselius media tantum parte argenteum, adeoque ex argento & ære conflatum fuisse censet. Schuzius eum argenteum fuisse scribit. Nemo autem Scriptorum Prussicorum determinat, quot marcæ ex una marca puri argenti fuerint flatæ signatæque. Quid, quod neque hoc à Scriptoribus Prussicis adnotatum legimus, gravisne æris marcam ejus generis 68. solidi à Theodorico cusi effecerint, an verò levis æris. Nos hic paucis mentem nostram aperiemus. Ea, quæ de triginta grossis Bohemicis uni gravis æris marcæ Prussicæ attributis dicuntur, nullo modo possunt admitti, cum circa Sigefridi Feuchtwangii tempora nusquam tanta pecuniæ depravatio fuerit deprehensa. Si quid Legibus his tribuendum, marcam levis æris triginta grossos Bohemicos habuisse, fortassis concedi posset, quamvis neque hoc ita simpliciter admiserim. Quod ad solidos Aldenburgii attinet, Schuzii sententia mihi probatur, qui eos argenteos facit; concedendum tamen est, aliquid saltem cupri fuisse admixtum. Duas autem ad summum marcas Prussicas ex marca argenti puri factas verò perquam est simile, poteritque ex sequentibus facile cognosci.

XII. Post Theodorici Aldenburgii tempora, nimirum An. 1346. cusa est, si Grunovio credimus, ab Henrico Dusnero Magistro generali moneta argentea pondere & precio grosso Bohemico respondens. Ex

altera parte insignia Teutonici Ordinis erant expressa, nempe sola crux liliis ornata. Epigraphe erat hæc: HENRICUS III. MA. GEN. DO. TE. Ex aversa parte Magistri Ordinis Teutonici insignia gentilitia plenis Ordinis insignibus juncta visebantur, cum inscriptione: HONOR MAGISTRI JUSTITIAM DILIGIT quemadmodum testatur Simon Grunov. *Tract. 12. cap. 14. fol. 226.* Henneb *in Comm. ad Tab. Geogr. Pruss. pag. 290.* Addit ex Grun. Waissel. horum grossorum viginti valuisse unum aureum Hungaricum. Quæ autem fuerit aurei Hungarici ratio ad marcam argenti puri, aut etiam ad marcam usualem monetæ Prussicæ, Waisselius non determinat. Tentabimus quædam circa hanc materiam infra suo loco. Illud hic præterire non possumus, ex iis, quæ superiore numero ex Stranskio adduximus, colligi posse, monetam hanc Dusneri, si qua talis fuit Septuagesimam circiter marcæ argenti puri fuisse partem, i. e. circiter 10. grossos nostrates hodiernos. Nam si jam circa An. 1311. Johannes I. Rex Bohemiæ grossis suis addidit aliquid cupri, ut 64. eorum unam penderent marcam, & Carolus ejus filius plus adhuc addidit cupri circa An. 1346. illud inde conficitur, quod modò à nobis dictum est. Hoc tamen facile mihi persvadeo, etiamsi eo tempore cuprum monetæ fuit admixtum, voluisse tamen Dusnerum Magistrum, ut nihilominus eorum grossorum 30. uni marcæ Prussicæ (non quidem gravis æris, ut ex Waisselio colligi posse videtur, sed levis æris) responderent, ut antea tempore Sigefridi de Feuchtwangen fuisse in usu diximus. Nam & in Bohemia, licet Johannes & ejus successores cuprum admiscuerint grossis Bohemicis, tamen sexaginta semper grossi unam conficiebant marcam puri argenti. Quo in loco Prussici illi nummi, aliique de quibus postea, cusi sint, non addunt Scriptores nostri. Sine dubio flati sunt aut Culmæ (ubi officinam monetariam fuisse ex jam dictis constat) aut Thorunii, ubi etiã officinæ monetariæ manifesta vestigia reperio sub A. 1378, in Actis publicis Thorunienſib9 ad dict. an. & præcipuè ad A. 1414. 1416.

XIII. Anno 1352. Winricus de Kniprode Magister generalis, qui Dusnerum in imperio excepit, primus cudi jussit SCOTOS, id est monetam, quæ vigesima quarta marcæ tunc temporis in Prussia usitatæ pars erat, cum ad illa usque tempora Scoti Prussici non nisi pondere cognoscerentur. Forma externa eadem propemodum fuisse dicitur, quæ nummi superiore num. descripti, hôc tantum, ex Grunovii & Schuzii sententiâ differebat, quod ex altera parte pro nomine Magistri legebatur illa inscriptio. MONETA DOMINORUM PRUSSIÆ. Grunov.

nov. *Tract. 13. cap. 11.* Schuz. *lib. 2. Chron. fol. 83. b.* De pondere & precio horum Scotorum ratione marcæ argenti puri non consentiunt scriptores nostri Grunovius dicto loco sub Winrico hæc habet: **Man fand Bergwerck im Hockerlande wiewol mit mächtiger Unkost. Es ward gebauet / und man kaufte eine Marck Silbers umb 11. Vierdung preußischer Münz vom Hoemeister geschlagen. Die Marck hat 16. Loth / oder 20.** (lege 24.) **Scotgewicht. Ein Centner Kupffer 7. Vierdung. Ein Centner Eisen $1\frac{1}{2}$ Marck.** Et paucis interjectis: **Sein** (id est Winrici) **Münze war fünf Marck Münze von einer Marck lötig / das Drittel war Kupffer.** Eadem ex Grunovio hausit Th. Waisselius. Hic enim fol. 124. itidem dicit: **Fünf Marck dieser Münze war eine Marck lötiges Silbers** i. e. *quinque marcæ hujus monetæ* (Kniprodianæ) *emt una marca argenti puri.* Et fol. 122. a. de iisdem agens temporibus ita scribit: **Man kauffte eine Marck lötiges umb 11. Vierdung** i. e. *una marca argenti puri emebatur undecim fertonibus,* qui faciunt duas eorum temporum marcas & tres quartas (i. e. 2. **und dreyviertel Marck**) sive 55. grossos eorum temporum. Quæ quidem nullo pacto consistere possunt. Si enim undecim Fertonibus emebatur una marca argenti puri, ergò ex una marca argenti puri $2\frac{3}{4}$ marcæ Prussicæ, vel si sumptus monetarios connumeres ad summum tres marcæ Prussicæ illorum temporum potuerunt confici; non verò, ut Grunovius & Waisselius volunt, 5. Marcæ. Deinde, dubium & illud quod Grunovius asserebat, tertiam partem cupri fuisse admixtam. Verba siquidem illa duplicem admittunt interpretationem. Si enim dicamus $10\frac{2}{3}$ lothonibus argenti puri (qui faciunt duas tertias marcæ argenti puri) admixtos fuisse $5\frac{1}{3}$ lothones cupri (qui conficiunt unam tertiam marcæ puri argenti) tunc uni marcæ nummûm id temporis usitatorum non nisi tres floreni hodierni, sive $4\frac{1}{2}$ marcæ Prussicæ hodiernæ possent attribui, quod non convenit cum illis Grunovii verbis, quibus 5. marcas Prussicas monetæ factas esse ex una marca puri argenti testatur. Quod si Grunovii verba sic intelligantur, quod integræ marcæ argenti puri addita sit tertia marcæ pars de cupro, tum singulis marcis eorum temporum comparari possent septem marcæ hodiernæ & 4. grossi hodierni. Et sic unus Scotus Winrici hodiernis 6. grossis censeretur. Prior explicatio admitti non potest ex eo, quod illis temporibus nondum tantùm cupri, præsertim

tim ad nummos majores, quales sunt scoti, cudendos, addebatur, ut confirmant nummi Winrici superstites, qui ex quindecim lothonum argento (15. Löthig) constant. Posterior expositio calculum nostrum non meretur, quod eo tempore, non secus ac sub Dusnero, non nisi duas marcas Prussicas ex una marca puri argenti fuisse cusas, nobis persvadeant nummi Winrici, qui adhuc supersunt. Sunt enim penes me aliquod nummi Winrici & successorum ipsius, quos hodie vulgò appellant **Creuzgroschen**. Hos alii scotos, alii solidos fuisse contendunt. Et sanè scotos eos fuisse mihi antea persvadebant, arbitrabarque omnia ea, quæ ex Grunovio producta sunt facile conciliari posse. Videlicet existimabam Grunovii verba priora de inventione fodinarum & de marca puri argenti fertonibus undecim empta, non ad Winrici, sed ad Theodorici de Aldenburg tempora esse referenda. Sunt enim & alii Scriptores Prussici, qui Aldenburgio imperante fodinas tales inventas esse statuunt. Vid. Schuz. *lib. 2. fol. 67. b.* Deinde, quando Grunovius dicit tertiam partem cupri fuisse argento admixtam, verum id esse putabam de solidis aliisque nummis minutioribus, non verò de Scotis. Postremò, quando Grunovius asserit 5. marcas Prussicas usuales ex una marca puri argenti fuisse percussas, id ex nummis Winrici ita comprobari posse existimabam. Singuli namque hi nummi pendunt 1. **Engliß**. Si igitur ponamus eos esse scotos, eorum 24. faciebant marcam Prussicam. Jam si 24. multiplicentur per 5. (tot enim marcas Prussicas ex marca argenti puri flatas esse asserit Grunovius) erunt 120. **Engliß**. Reliqua quæ ad marcam argenti puri complendam desunt, in Percussores Monetarios impensa esse videbantur. Sed postea intellexi, in Recessu de Anno 1416. tales nummos expresè vocari solidos non scotos: accedebant etiam alia, quæ rem monetariam sequentium temporum nimium quantùm perturbabant, adeò ut multa nullo pacto conciliari possent, nisi sententiam illam amplecterer, quæ nummos illos Winricianos, quorum singuli **ein Engliß** pendunt, solidos fuisse existimat. Habent hi solidi, quos etiam tibi L. B. inter nummos Prussicos exhibemus, ex alterâ parte crucem simplicem, eamque repræsentant in scuto. Inscriptio est: MONETA : DNORUM : PRUCI. †. Ex altera parte est crux gemina, in cujus medio aquila. Inscriptio est: MAGST : WUNRICS: PRIMS. †. Itaq; jam existimo tempore Wunrici non nisi duas marcas fuisse ex una marca puri argenti cusas. Præter dictos illos solidos Culmensis quoque civitas curavit phenningos cudendos, quorum figu-

ram

ram Grunovius dicto loco hunc in modum describit: **Auff einer Seiten war ein Creutze durch und durch/ auff der andern Seiten auch ein Creuze durch und durch/ mitten ein Schild mit einem Adler.** Sed & quadrantes (**Vierchen**) & denarios (**Pfenninge**) Culmæ fuisse cusos, hosque posteriores alios duos nummulos Polonicos **Finckenogen** dictos, valuisse refert Thomas Waisselius *in Chronic. fol. 124. fin.* Deprompta hæc sine dubio sunt ex Grunovii Tract. 13. cap. 1. qui tamen Quadrantes & Phenningos illos tunc in Prussia cusos esse non dicit. Verba ejus sunt: **Er schlug Münze Scoter genant 24. vor eine Marck/ das Stück vor funfzehen Pfenninge. Er schlug auch Schilling 60. vor eine Marck/ das Stück für sechs Pfenning uñ diese war sehr gut/ wie man sie noch heut im Lande findet. Da giengen auch Pomersche Vierchen/ dieser waren zween vor einen Preuschen Pfenning.** Ex quibus hoc potius elicitur, quadrantes illos non fuisse Prussicos, sed Pomeranicos.

XIV. Sic rebus adhuc tenuibus ordo Teutonicus argenteis acquiescebat nummis: Opibus verò auctis, & auream monetam cudi jussit. Primus Magistrorum, qui hoc tentasse dicitur, est Conradus Zölnerus Magister generalis. Forma nummi externa talis erat. Impressa conspiciebatur ex una parte Magistri generalis effigies tota armata, sinistra scutum insignibus Magistri decoratum, dextra vero gladium erectum tenens cum epigraphe: CONRADUS III. MAGISTER GENERALIS. Ex aversa parte crux erat gemina, in cujus medio aquila. Extrema Crucis ornabant lilia. Inscriptio erat: MONETA AUREA NOVA DOMINORUM PRUSSIÆ, ut auctor est Grunovius *Tract. 13. c. 11. fol. 252.* Alius scriptor Prussicarum rerum Anonymus initialibus tantùm literis epigraphen fuisse expressam testatur, & quidem in hunc modum: MO. AV. N. DNORUM PRUCIE. Qui signandæ monetæ modus ex aliis etiam nummis non paucis comprobatur. Schuzius non tribuit auream hanc monetam Conrado Zolnero, sed Conrado Wallenrodio, prænomine, quod utrique Magistro idem est, sine dubio deluhus. Inscripto namque supra dicta, quæ Conrado III. (sine dubio literis, non numeris hoc fuit in aureo illo nummo expressum) non IV. monetam hanc tribuit, nos edocet, non fuisse hunc alium Magistrum, quam Conradum Zolnernm. Primus enim Conradus est Landgravius

Hassiæ. Secundus Conradus de Feuchtwangen. Tertius Conradus Zolnerus. Quartus Conradus de Wallenrod. Vid. Schuz. *lib. 2. fol. 88. b.* & Waissel. *in Conrado Wallenrod. fol. 128. b.* In pondere & precio huic monetæ assignando sibi non constat Grunovius. Primò enim ei pondus & precium idem assignat, quod erat aurei Rhenensis (**eines Rheinischen Goldgülden**) in quo etiam habet sibi consentientem Schuzium. *loc. cit.* Postea verò quasi ante dictorum oblitus, triginta scotos ei tribuit. Utrumque ex Grunovio hausit Waisselius *in Conrado Wallenrodio fol. 128. b.* Quodsi hic Grunovius & Waisselius intelligunt scotos tempore Conradi Zolneri usitatos, sine dubio falluntur. Neque felicius rem expedit Schuzius, qui aureum Hungaricum Conradi Zolneri temporibus 12. Scotis; aureum verò Rhenanum 8. scotis fuisse comparatum scribit *lib. 2. Chron. fol. 83. b.* Ante autem quam utrumque illud ostendere ingrediamur, observandum in antecessum esse ducimus circa ea tempora, quibus Conradus Zolnerus vixit, rationem auri ad argentum fuisse duodecuplam. Jus enim Weichbildicum, quod circa eadem tempora, ut alibi probavimus, conscriptum est, disertis hoc tradit verbis *art. 13.* ubi hæc reperiuntur: **Einem ieglichen Richter unter der 24. einen güldenen Schilling/der soll ieglicher 12. Schilling werth seyn/ solcher Pfennig als da gang uñ gebe seyn/so giebt man den vieren vier güldene Marck/der soll ieglich Marck 12. silberne Marck seyn.** *Et art. 16.* **Eine iegliche Marck Goldes ist 12. Marck Silbers.** Sed procedente tempore crevit precium auri, adeò ut hodie non obtineat inter hæc duo metallorum genera ratio duodecupla, sed circiter ratio quatuordecupla; quandoquidem hodie unam argenti marcam (8. thaleros) pondere exæquant circiter 54. aurei Hungarici, unumque thalerum $6\frac{3}{4}$ aurei, sicut Petrus Crugerus testatur *in Arithmet. cap. 17. pag. 171.* Si ergò nummus ille aureus habuit 30. scotos Conradi Zolneri temporibus usitatos, valuit marcam & 6. scotos ejusdem temporis. Hoc autem si ad nostram monetam exigatur, nullo modo poterit approbari. Quodsi enim etiam hypothesin Grunovii assumamus, dicamusque, iis temporibus 5. marcas usuales factas ex una marca puri argenti, tamen 30. scoti, erunt circiter 8. marcæ & 18. grossi nostrates. Hodie verò cum sit auri ad argentum ratio quatuordecupla, circiter $9\frac{1}{2}$ marcæ erunt

aureo

aureo illi nummo attribuendæ, quæ hodie aureo Rhenano non competunt. Quodsi, ut Schuzius vult, aureo Hungarico 12. scoti (ideſt eorum temporum groſſi decem) tribuantur, colligitur inde, aureum Rhenanum hodiernis 47. groſſis: aureum autem Hungaricum noſtris 71. groſſis ex hypotheſi Grunoviana reſpondiſſe. Multò plures marcæ Pruſſicæ hodiernæ aureo Rhenano eſſent attribuendæ, ſi ex hypotheſi noſtra ſtatuatur, duas tantùm, aut ad ſummum duas cum dimidia marcas fuiſſe ex una argenti puri marca cuſas. Præter monetam hanc auream iisdem temporibus à Conradis tribus proximè ſeſe in imperio ſubſequentibus, nimirum Conrado Zolnero, Conrado Wallenrodio & Conrado de Jungingen, alii quoque nummi ſunt flati ſignatique, qui Conradinorum (Conradiner) nomen ſunt adepti. Vidi ego Regiomonti apud amicum nummum argenteum, qui ortum hodiernum 18. groſſis conſtantem pondere æquabat, bonitate tamen longè ſuperabat. Forma ejus erat, quæ nummi ſupra num. XII. deſcripti. Epigraphe ex una parte hæc erat: HONOR MAGISTRI JUDICIUM DILIGIT. Ex altera: MONETA DOMINORUM PRUSSIÆ. Quodnam fuerit ipſius pondus & precium accuratè cognoſcere non licuit; ſed neque cognoſcere potui, cujus Magiſtri fuerit nummus, cum inſignia Magiſtri fuerint plane detrita. Huc autem eum referre ſvaſit materiæ bonitas, quamvis characteres in inſcriptione paulò nitidiores, videantur eſſe poſteriorum temporum. Alioqui reperias adhuc inter nummos, quos vulgo Creuzgroſchen appellamus, etiam Conradorum ſolidos. An verò hi Conradini ſint dicti, non liquet. Paulo illi Winricianis ſunt viliores, idem tamen ipſis precium voluntas Magiſtrorum impoſuit.

XV. Jam progredimur ad Seculum XV. in quo ob multa bella cum Polonis geſta tantùm moneta Pruſſica decrevit, quantùm duobus proximè præcedentibus non decreverat. Etenim circa An. 1410. in bello contra Wladislaum Jagellonem Regem Poloniæ & Witoldum Magnum Ducem Lithvaniæ geſto, Magiſter, cum theſaurus eſſet opibus diminutus, conquiſitis Winrici aliorumque vetuſtiorum Magiſtrorum nummis, alios nummos flari juſſit, dimidiâ parte non pondere ſed precio minores, adeò ut etiam duo novi nummi poſtea valerent unum veterem i. e. ante bellum illud cuſum nummum. Ut igitur tempore Winrici

rici duæ circiter marcæ Prussicæ uni respondebant marcæ argenti purii ita tunc QUATUOR & amplius MARCÆ PRUSSICÆ UNAM habebant MARCAM ARGENTI PURI. Grunovius autem, qui existimat tempore Winrici ex una marca quinque marcas usuales esse factas, jam decem marcas uni marcæ puri argenti respondisse scribit *Tract. 15. cap. 2. & 3. fol. 309. seqq.* Sed neque hîc subsistit Henricus Reus à Plauen Magister generalis. Cum enim post pugnam Tannebergensem novus esset contra Polonos exercitus conscribendus, nummos alios, ut tantis expensis sufficeret, cudendos curavit, qui quatuor denariolis sive phenningis prioribus erant viliores, eodem Grunovio teste *Tract. 15. cap. 5. fol. 318.* Ne autem in plebis oculos diminutio hæc adeò facilè incurreret, tantum addebatur cupri, quantum ad pondus vetustiorum nummorum adæquandum requirebatur. Damno tamen animadverso, querelæ multæ incolarum Prussiæ qua privatim qua publicè audiebantur, ut refert Grunov. *Tract. 15. cap. 2. fol. 309. seq.*

XVI. Cæterùm pace cum Polonis constitutâ & moneta melior cœpit restitui. Nam An. 1416. Michael Kuchmeister de Sternberg novam constitutionem monetariam edidit, in qua monetam ad bonitatem veterem reducere conatus est. Sic enim eâ de re in Actis Thorunensibus ad dict. an. Jn demselben Jahre der Herre Homeistir mit Rate der Prælaten / diß Landes und seiner Gebitiger liß slan eyne nüwe Münze an Schillingen unde an cleinem Gelde umb des willen / das bey seinen Gezeiten die alde Münze so groß geergirt was / das die gewegene Marck Schillinger kaum einen Firdung Silbers und eines theils immer an dem Gewichte behielt / und wirdigte die nuwe Münze also / das man ewen alde Marcke vor eine nuwe muste geben. *Hæc ibi fol. 57. col. 2.* Expressiùs hæc habentur in ipso Recessu dicti anni: Unser H. Homeistir wird lassen slan Schillinger der 112. sal eine gewegene Marck weis behalden / dieselbe Marck Schillinger sal 13. Scot lotiges Silbers behalden. Vortmeer so sal man slan cleine Pfennige der eine gezelte Marck behalde eine gewegene Marck / dieselbe Marck sal einen Firdung lotiges Silbers behalden / und sullen sein waz gemachet denselben nicht mer den zu Nothdurfft des Wechsils im Lande sullen geschlagen werden. Ex his jam varia colligimus. Primum est illud, quod ex una argenti puri marca, cusæ sint circiter Duæ marcæ Solidorum Prussicorum, cum corruptis illis temporibus vix quatuor marcæ Prussicorum solidorum unam habuerint marcam puri argenti. Deinde palam inde

fit,

fit, quod nummi à Michaele Sternbergio An. 1416. cusi, non fuerint scoti, ut eos appellat Simon Grunovius; sed solidi, ut expresse in Actis Thorunienſibus appellantur, quod etiam nobis argumento est, nummos illos, quos Wunricus cudi jussit, non fuisse scotos, sed itidem solidos, quia nummi illi Winriciani & hi Sternbergiani quantitate & formâ conveniunt, licet illi hos bonitate superent. Hæc autem hypotheſis de Scotis à Winrico cusis à Grunovio arrepta, multorum errorum præbuit causam. Præterea non minus inde manifestum fit, phenningis viliorem hic materiam attribui, ita ut quatuor marcæ Prussicæ phenningorum haberent quartam partem marcæ (i. e. quatuor lothones) puri argenti. Porrò, quod ad proportionem marcæ veteris ad novam attinet, ex verbis citatis elicitur, duas marcas veteres, (id est tempore belli Polonici flatas signatasque) & unam marcam novam à Michaele Sternbergio An. 1416. percussam paria fecisse. Denique hoc etiam observatu dignum, eo tempore ortam esse distinctionem inter MARCAS NOVAS, sive GRAVIS ÆRIS & MARCAS VETERES sive LEVIS ÆRIS. Illæ cusæ sunt à Michaele Sternbergio ab An. 1416. aliisque ipsis succeſſoribus, exæquatæque sunt vetustis illis Winrici marcis, licet nummi ipsi bonitate Winricianis minimè fuerint pares. Hæ sub tempus belli Polonici initio Sec. XV. percussæ sunt ab Ulrico de Jungingen, Henrico Reussio de Plauen, & primis imperii annis ab ipso Michaele Kuchmeistero, ut nummi ex illis temporibus superstites abundè testantur. Hæc omnia comprobari etiam possunt ex Commentario de re nummaria, quem Nicolaus Copernicus patriâ Thorunienſis, Canonicus Frauenburgenſis, Mathematicus magni nominis, An. 1521. Ordinibus Prussiæ Regiæ Grudenti tradidit, quemque Schuzius Operi suo Historico inserui *lib. 10. fol. 480. seqq.* Refert enim Copernicus ante sua tempora (tempus licet expresse non determinet manifestum tamen est, hoc ad initium Sec. XV. esse referendum) hac proportione argentum & cuprum fuisse mixta. Videlicet duabus marcis argenti puri admixtæ sunt sex, integræ marcæ cupri, ita ut tota illa massa ex argento & cupro mixta contineret 8. marcas. Ex hac cusæ sunt sedecim marcæ monetæ. Non habuerunt igitur 16. marcæ nummûm Prussicorum, nisi duas puri argenti marcas. Posthæc (neque hic tempus determinat, ex dictis tamen elucet, ad tempora Sternbergii ipsum respexisse) multis inde damnis in Rempubl. redundantibus, altero tanto melior moneta cusa est, hoc modo instituta mixtione: Duabus marcis argenti puri admixtæ sunt

4. marcæ cupri, ex qua massa (quæ sex erat marcarum) cusas esse octo marcas monetæ, ita ut hæ octo marcæ Prussicæ continerent duas marcas argenti puri. Ad differentiam autem priores marcas appellatas esse refert VETERES & LEVIS ÆRIS (alte und geringe Marcke) posteriores verò NOVAS & GRAVIS ÆRIS (newe oder gute Marcke.) Hæc ibi Copernicus, quæ tamen cum grano salis sunt accipienda. Non loquitur enim hic Copernicus de solidis, quibus tantum cupri Sternbergii tempore non fuit admixtum; sed de minutioribus tantùm nummis, quorum quatuor marcæ unam habebant marcam puri argenti, ut ex Recessu Anni 1416. supra citato elucet. Adstipulatur his & Simon Grunovius *Tract. 15. cap. 11. fol. 336.* ubi expressè dicit, marcam argenti fuisse quatuor marcas monetæ novæ; quamvis in capite decimo sui oblitus dicat, ex una marca puri argenti factas esse sex marcas monetæ. *fol. 332.* Ex his omnibus jam apparet solidos tempore Sternbergii antiquis Winrici & Conradorum solidis ferè fuisse exæquatos, minutiores autem nummos viliores fuisse cusos. Exstant in hanc rem & aliæ constitutiones Magistrorum, & ut ex Recessibus de An. 1425. 1426. cognoscimus, summis viribus laborabant Magistri, ut res nummaria pristinæ bonitati restitueretur.

XVII. Verùm vix resumptis viribus Magistri Ordinis in hanc curam, quâ pristinam monetæ bonitatem restituerent, incumbere potuerunt, cùm nova domesticarum contentionum in aperta jam bella pullulantium spargebantur semina, quæ omnem cogitationem de moneta ad pristinam bonitatem reducenda Cruciferis ademerunt. Conquerebantur quidem eâ de re sæpius Ordines Prussiæ, sed tantùm abest, ut precibus ipsorum locus concessus sit, ut etiam nummi prioribus semper deteriores substituti sint, quô tandem factum est, ut inter alias fœderis & subsecuti belli, contra Cruciferorum Ordinem suscepti causas, & hæc à Prussis numeraretur, quòd Ordo Teutonicus auream monetam mutaverit in cupream. Schuz. *lib. 4. fol. 137.* Waissel. *fol. 159. b.* Ipsô jam bellô exortô, quod Scriptoribus nostris absolutè Bellum magnum vocatur, Magister Prussiæ Ludovicus ab Erlichshausen An. 1456. nummos cudi jussit, qui 15. phenningos, ut priores, valerent, qui tamen ne septem quidem phenningis exæquari poterant. Dicebantur illi nummi die Keulenschillinge/ à clava nummis illis insculptâ, quâ Polonos è Prussia ejectum iri significabant. Grunov. *Tract. 17. cap. 7. fol. 433. seq.* In Prussia quoque, quæ ad partes Regis Poloniæ Casimiri Jagellonidis transierat,

rat, easdem vices experta est moneta. Cùm enim Civitatibus majoribus, ut Thorunio, Elbingæ, Regiomonto, Gedano, jus cudendæ monetæ concessum est, per Privilegium Casimirianum de An. 1454. licet in ipso Privilegio cautum esset, *ne moneta*, ut habent verba Privilegii, *in pondere & grano & liga debita imminueretur*; necessitate tamen id efflagitante, Regeque ipsô, ut verisimile est, annuente, multum postea de pondere & grano detractum est. Primò enim quintæ parti argenti quatuor admiscebantur partes cupri, donec tandem ex UNA MARCA argenti, factæ sunt DECEM MARCÆ pecuniæ usualis. Ex quo etiam contigit, ut qui antea fuerunt solidi, (quorum singuli sunt sexagesima pars marcæ) mutati sint postmodum in scotos (scotus est vigesima quarta marcæ pars) reliqui verò nummuli minutiores facti sint prorsus imaginarii. Itaque illo demùm tempore puto scotos eâdem formâ, quâ olim solidi gaudebant, fuisse percussos, quod etiam Grunovio præbuit causam, ut existimaret, Scotos à Winrico jam esse percussos. Vid. Copernicus apud Schuz. *loc. cit.* Ex his jam cognoscimus PRUSSICAM MARCAM eorum temporum valuisse TRES MARCAS & XII. GROSSOS hodiernæ monetæ Prussicæ. Excudit eâ tempestate Officina monetaria Thorunienſis grossos, tribus solidis pares habitos, qui à loco appellati sunt Thorunienses (Thorner) Ex altera parte tres conspiciebantur turres: ex altera legebatur sequens inscriptio: MONETA NOVA COMITATUS PRUSSIÆ, ut vult Grunovius *Tract. 17. cap. 7. fol. 434.* Mihi tamen hæc inscriptio suspecta est, cum nusquam legerim Prussiam vocari Comitatum. Habeo ego alium nummum Thorunienſem in dicto illo bello percussum, in quo Prussia non Comitatus vocatur sed disertis verbis Ducatus. Vid. Numismata Pruss. num. Si quid assequi conjecturâ possum, in nummo Thorunienſi, de quo Grunovius, legebatur: MONETA COM. PRUC. i. e. *Moneta Communis Prussiæ*, ut in plurimis aliis nummis Sigismundi I. legitur. Ad extremum hic notandum esse ducimus, circa ea tempora aureum Hungaricum & duas marcas levis æris paria fecisse. Evidenter hoc elucet ex Actis Thorunienſibus ad An. 1458. fol. 114. & An. 1494. in quo posteriore loco dicitur: 25. Marck geringes Geldes oder dreyzehendhalb Gülden Ungrisch.

XVIII. Bello Magno finito, Henricus Reus à Plauen Magister Ordinis Teutonici in summa rerum omnium inopiâ solidos feriri jussit, quorum epigraphe: HENRICUS QUA VICEGERENS, ut Waisse-

lius habet *in Chron. fol. 245.* Quod fuerit eorum pondus & precium, non meminit. Ego existimo fuisse nummum maximam partem cupreum. Est penes me Henrici hujus nummus (ein Creuzgroschen) vilissimi precii, cujus inscriptio ex una parte tota legi non potest. Est autem ea: HINRICUS D. VIENES M. Fortasse debuit exprimi nomen PLAUENII. Et hanc ipsam inscriptionem vitiosè legisse non rarò visus est Waisselius. Ad hæc tempora quoque refero illum nummum cupreum, quem exhibeo inter Numismata Prussica num. Posthæc Henricus Reffle de Richtenberg Plavenio suffectus cum ingentem pecuniæ corruptionem animadvertisset precibus Prussorum sibi subditorum sine dubio motus, constituit, ut ex UNA MARCA ARGENTI PURI fierent OCTO MARCÆ Prussicæ, teste Grunovio, qui his insuper adjungit comparationem Prussicæ monetæ cum aliis exterarum gentium nummis, sed numeri usque eò sunt corrupti, ut hic adjici prorsus non mereantur. In illo tantum quædam MSS. Chronica cum Grunovio consentiunt, aureum Davidensem (Davidsgülden) valuisse marcam Prussicam eorum temporum. Vid. Grunov. *Tract. 18. cap. 3.* Sed tantùm abest, ut huic constitutioni sit gestus mos, ut etiam magis magisque nummorum decreverit bonitas, non subsistente intra dictos terminos perceptâ semel ex imminutione pecuniæ dulcedine. Joannes enim à Tieffen Mag. Gen. licet Regem Poloniæ solicitarit, ut in Polonia juxta ac Prussia grossi ejusdem ponderis & precii tres solidos continentes cuderentur, ipse tamen postea vilioris precii grossorum fuit auctor. teste Grunovio *Tract. 18. cap. 12.* Quanquam idem Grunovius *fol. 519. seq.* in culpæ consortium vocet Leonhardum de Karrenberg rei monetariæ Præfectum, quem lucri cupidum his nummis multum detraxisse refert. Bonitatem monetæ Prussicæ circa illa tempora cognoscas etiam licet ex Constit. Joannis Alberti Regis Poloniæ, qui An. 1496. in Comitiis Petricovienſibus lege latâ sanxit, ut aureus Hungaricus (quem hodie Ducatum vocamus) nonnisi triginta grossis Polonicis, qui jam tum Prussicis grossis propemodum exæquati erant, permutaretur. Transgressori legis hujus mulctam 30. aureorum constituit. Vid. Joannes Laski *in Statuto Polon. fol. 103.* Jacob-Prilus. *in Statut. fol. 438.* Herburt. *Edit. Latin. fol. 12.*

XIX. Jam progredimur ad seculum XVI. felix eô nomine, quòd tantam, quantam superiora non admisit rei nummariæ mutationem. Sub ipsum Seculi hujus initium, Annô videlicet 1505. Alex-

Alexander Poloniæ Rex in Comitiis constituit, ut aureus Ungaricus triginta duobus grossis æquipararetur. Vid. Joan. Laski *fol. 114.* Priluſ. *fol.438.* Herburt. Latin. *fol. 12.* Hâc tamen lege non obstante pluris inter mercatores aurei æstimabantur. In Prussia quid obtinuerit, edocere nos potest Simon Grunovius. Videlicet ob absentiam Friderici Ducis, Magistri generalis, qui in Germaniam, ne Regis Poloniæ fidem jurejurando adstringere cogeretur, se contulerat, eousque precium aureorum, qui in Germaniam Magistro transmitterentur, auctum est, ut unus ejus generis aureus Hungaricus $2\frac{1}{2}$ marcis, id est 50. grossis, & aureus Davidicus sesquimarcâ, i. e. 30. grossis ejus temporis permutarentur. Quod ego de ultimis Friderici annis, nempe de An. 1508. seqq. intelligendum esse arbitror. Nummi illi unciales, quos jam Taleros vocamus, initiô Seculi XVI. nondum fuerunt adeò frequentes, quamobrem precium eorum à Grunovio annotatum non legimus. Quodsi quis enim Historiam Germanicam eorum temporum consulat, reperiet An. 1484. Sigismundum Archiducem Austriæ signari jussisse monetam ex una uncia argenti puri, qui nummus Rhenensem aureum (**einen Rheinischen Goldgülden**) preciô æquabat. Deinde Anno 1500. Annebergæ Marchiones Misniæ flari signarique jusserunt nummum ejusdem formæ, ita tamen, ut marca haberet 15. lothones argenti puri, & unum cupri. Effigies huic nummo trium capitum fuit impressa. Posthæc Anno 1517. cùm in valle Joachimica (Jochimsthal) fodinæ essent inventæ, cusi sunt nummi unciales, qui à loco cognomen sortiti dictique sunt *Joachimici*, vel etiam simpliciteri *taleri*. Inde An. 1536. facti sunt illi taleri 14. lothonum (14. lôtig) & 8. granorum, quod ad marcam complendã deerat, videlicet duo lothones demptis octo granis, illud additum est de cupro. An. 1546. detracta sunt illis taleris duo argenti grana, ut essent 14. lothonum & sex granorum. Ad extremum An. 1560. in Comitiis Spirensibus Ferdinandus I. Imp. omnium Ordinum consensu constituit, ut taleri essent 14. lothonum (14. lôtig) & 16. granorum, continerentque $9\frac{1}{2}$ ejus generis nummi unam marcam Colonienſem; quæ Constitutio hodieque per Germaniam observatur. *Vid.* Tilemannus Frieſen im **Müntzspiegel**/ & Ferdinandi I. **Müntzordnung** *fol. 2.* Itaque si ad ejusmodi talerum sive nummum uncialem

Prussicam applicemus monetam, circiter 28. grossi Prussici ei attributi fuissent, si jam tum in frequenti fuisset usu.

XX. Ejusdem seculi XVI. Anno 1521. cùm Chronicon suum conscriberet Grunovius, quam proportionem diversi nummi Prussici, & inter se, & ad exterarum gentium monetam habuerint, ostendit Grunovius Tract. 1. ubi nobis hunc texit catalogum:

	1. Schilling - - hat - -	6. Pf.
	3. Schilling - - -	1. Gr.
	5. Gr. - - -	1. Vierdung.
	4. Vierdung - - -	1. Marck.
	1. Schott - - -	15. Pf.
	1. Horn Gülden - -	3. Vierdung.
	1. Postolove Gülden -	5. Vierdung.
	1. Davids Gülden -	6 Vierdung.
*	1. Rheinisch Gülden -	7. Gülden.
*	1. Ungrisch Gülden -	10. Vierdung oder 3. M.
	1. Polnisch Gr. -	3. Schilling.
*	6. Marck Müntze hat -	1. Marck lötig Silber.
	1. Marck Silber hat	12. Marck Müntze.

In hoc tamen Catalogo quidam errores, asteriscis à nobis notati, sunt emendandi, ne in sequentibus negotium nobis facessant. Et quidem aureo Rhenano tribuuntur 7. fl. (quod est signum floreni sive aurei Prussici) sed perperam. Legendum itaque est 7. Vierdung/ qui sunt 35. grossi eorum temporum. Deinde aureo Hungarico inesse dicuntur 10. Virdungi sive 3. marcæ Prussicæ, quod itidem vitiosum est, proinde legendum: 10. Vierdung oder $2\frac{1}{2}$ Marck. Nisi fortè dicere malis, Grunovium non explicare hîc, quot marcas habuerint 10. Virdungi, sed hoc tantùm indicare, aureum Ungaricum tanti fuisse æstimatum, ut $2\frac{1}{2}$ marcis, imò etiam tribus integris marcis permutaretur à multis. Verùm repugnat huic conciliationi eorum temporum Historia, quæ aureum Hungaricum tanti fuisse taxatum negat. Ad ultimum quod in Grunoviano Codice legitur, 6. marcas monetæ habuisse marcam argenti puri, illud ex eo convellitur, quod proximè subjicit,

jicit, 1. Marck Silber hat 12. Marck Müntze. Legendum ergò fuerat in versu proximè præcedente. 12. Marck Müntze hat 1. Marck lötig Silber. Probant hanc lectionem non solùm ea, quæ suprà in medium adduximus, sed etiam, quæ habet Nicolaus Copernicus apud Schuzium *loc. cit.* ubi itidem suô tempore i. e. An. 1521 quô Commentarium illum Ordinibus Prussiæ tradidit, ex una marca argenti puri, duodecim marcas Prussicas usuales factas, imò esse quosdam grossos, quorum tredecim marcas unam tantùm argenti marcam continere testatur. Vid. Schuz. *fol. 481. a. med.* Quod ad Poloniam attinet, ex eodem Copernico manifestum fit, quæ fuerit in ea pecuniæ ratio. Testatur enim ibidem, in Polonia Hungaricum aureum An. 1521. non pluris quàm 38. grossis Polonicis fuisse æstimatum. Causa discriminis hujus non est alia, quàm quòd Albertus Marchio Brandeburgicus jugum Polonicum excussurus, ut impensis bellicis sufficeret, pecuniam minoris precii & ponderis cudi curaverit. Commemorantur in Chronico Freibergii MS. quod habetur Regiomonti in Curia Palæopolitana, varii nummi An. 1520. cusi, qui pace An. 1525. cum Polonis compositâ, ab ipso Alberto Marchione, & tum jam Duce Prussiæ, improbati sunt. Est eorum nummorum unus penes me, quantitate ortum Prussicum, qui 18. grossorum est, exæquans, cui multum cupri, ut vel primo patet intuitu, admixtum. Ex altera parte impressa est effigies B. Virginis puerulum Jesum in dextro gestans brachio, flammeis radiis undique circundata. Supra caput ejus coronatum aquila, infra pedes crux conspicitur. Inscriptio est: ALBERTUS DEI GRA. MARCHIO BRANDE. Ex aversa parte impressa est crux liliis ornata cum inscriptione: HONOR MAGISTRI JUSTITIAM DILIGIT. Anno 1520. Postquam hic nummus ex officina monetaria jam exierat, impressa est pectori B. Virginis crux, fortasse propterea ut plebs eam monetam ab alia, vel meliori, vel deteriori discernere posset. Similiter alii nummi, quos usque ad An. 1525. feriri viliores coëgerat necessitas, abrogati sunt, aliique meliores substituti. Sunt certè in promtu grossi triplices & sextuplices Alberti Ducis Prussiæ optimæ notæ, qui certè triplô sunt hodiernis meliores. Idem dicendum de nummis in Prussia Regia tunc usitatis, quorum plurimos inter Numismata Prussica exhibemus.

XXI.

XXI. De bonitate nummorum Albertinorum, in comparatione ad noſtra tempora, multa, quæ in hanc usque diem in omnium ſunt oculis, teſtantur. Præcipuè ſi in Pruſſia Ducali ſalaria, ab Alberto Duce conſtituta reſpiciamus. Multa hîc exempla adducere non attinet, Salaria tantùm ordinaria Profeſſorum in Academia Regiomontana conſideremus. Illa certè Alberti tempore adeò fuerunt ampla, ut ampliora vix ulla alia Academia habuerit; & tamen eadem hodie, pondere & preciô marcarum ſenſim imminutô, adeò ſunt exigua, ut nulla reperiatur Academia, in qua Profeſſoribus præbeantur tenuiora. Exſtat inter Epiſtolas Georgii Sabini, Poëmatis ejusdem, in recentioribus præcipuè editionibus, adjectas, epiſtola ad Philippum Melanchthonem ſcripta, in qua ipſi ſignificat, Rapagelanum primum in Academia Regiomontana Theologiæ Profeſſorem fatis conceſſiſſe, rogatq; ut Melanchthon alium aliquem Theologum eruditum, in Theologia Scholaſtica pariter atque Homiletica ſatis exercitatum in Pruſſiam mittat, qui vacantem locum ſuppleret: Salarium eſſe ſatis amplum, videlicet trecentorum aureorum Pruſſicorum (id eſt florenorum, quorum ſinguli ſesquimarcam Pruſſicam & tum continebant, & in hunc usque diem continent.) Subjungit Sabinus ſuper ea cauſam, cur Illuſtriſſ. Princeps adeò ampla bonarum artium Profeſſoribus conſtituerit ſalaria, factum id aſſerens, quò exteros in has oras à Germanicis terris longius remotas facilius alliceret. Ut autem Theologis tum trecentorum, ſic Philoſophis ducentorum aureorum, ſive trecentarum marcarum, ſalarium conſtitutum eſt. Quæ ſalaria, ſi ad noſtrorum temporum monetam exigantur, continent quidem adhuc totidem marcas, quot ſuperiore ſeculô continebant, ſed adeò injuriâ temporum imminutas, ut cum ſuperiore ſeculô trecenti aurei Pruſſici ſive 450. marcæ Pruſſicæ circiter trecentos taleros effecerint, hodie nonniſi centum taleros Imperiales efficiant. Proinde cum hæc ſalaria hodie Profeſſoribus non ſufficiant, ſolet Sereniſſ. Elector extra ordinem hunc defectum ſupplere. Et quid dicemus de ſumptibus ipſis Principibus ſuperiore ſeculô ab eodem Alberto Duce aſſignatis? In teſtamento dicti Ducis, quod inter Privil. Pruſſ. Ducalis *fol. 73. ſeqq.* habetur, optimus ille Princeps de hæredibus ſuis ita diſponit; Si ſibi Deus humani generis auctor & propaga-

tor

tor concedat duos filios, ut illi Prussiam inter se dividant, modô ibidem descriptô. Sin tres fuerint filii, ut duo majores natu, Prussiâ inter se divisâ, fratri suo natu minimo quotannis conjunctim & ex pleno, ut vocant, sinu præbeant duo millia florenorum, i. e. tria millia marcarum Prussicarum, ut eò splendidius aulam suam sustentare queat. *Vid. Privileg. fol.* 75. At verò hi sumptûs, si cum hodierna moneta conferantur, ne privatis quidem civibus, in majoribus inprimis urbibus sufficiunt.

XXII. Ut autem nobis clarius pleniusque innotescat, quæ fuerit mediô Sec. XVI. monetæ Prussicæ ad exteram proportio, lubet abacum ex Prolegomenis Arithmetices Christophori Falconii An. 1552. conscriptæ & Regiomonti typis expressæ, huc apponere. Reperitur ille ea in parte, quam Kniphoviano Senatui nuncupavit, sicque sese habet:

Rosenobel - - - - -	Marck	5. - -	10. Gr.
Doppelducaten - - - -		5.	
Heinrichsnobel - - - -		5.	
Engelot - - - - - - -		3. - -	13.
Enckel Ducaten oder Krose -		2. - -	10.
Die neuen Engelotten mit dem ⊙ -		zwey Thaler.	
Halbe Engelotten - -		1. - -	17½.
Groß Keyser Gülden - -		1. - -	15.
Portugische Ducaten oder Kreutzgülden/als mit dem geraden ✠ -		2. - -	8.
Die mit dem länglechten † - -		2. - -	7.
Hundsgülden - - - - -			16.
Postolatisch Gülden - -		1. - -	
Klein Keyser Gülden - - -		1. - -	2.
Enicker Gülden - - -		1. - -	5.
Geldrisch Gülden - - -		1. - -	5.
Deventer Gülden - - -		1. - -	6.
Reuter Gülden - - -		1. - -	5.
Clemmer Gülden - - - -		1. - -	4.

Horn-Gülden gewichtes	-	-	-		12.
Ungrisch Gülden	-	-	-	2. -	11. - 12,13.
Reinisch Gülden	-	-	-	1. -	15.
Thaler	-	-	-	1. -	13.
Orthsthaler	-	-	-	-	8.
Königsberger Gülden	-	-	-	1. -	3.

Notat ibidem Christophorus Falconius marcas illô tempore fuisse duplices, alias majores, alias minores. Majoribus tribuit viginti grossos sive 60. solidos: minori verò 15. grossos sive 45. solidos. Agnoscunt eandem marcarum divisionem Sebastianus Gammersfelder *in Arithm. An. 1568. & 1581. edita.* Wolffgangus Sartorius de Sada Arithmeticus Gedanensis, qui 1592. Arithmeticen suam edidit. Item nostrô seculô Petrus Crugerus Mathematicus Gedanensis *in Prolegom. ad Arithmet.* Fluxit hæc marcarum distinctio, quantum hariolari licet, ex moneta tempore belli ab Alberto cum Polonis gesti cusa, cujus, pace An. 1525. factâ, precium decrevit. Hodie cum nummi illi viliores nusquam compareant, distinctionis hujus nullus est usus.

XXIII. Supra medium Seculi XVI. edidit Sigismundus Augustus Rex Poloniæ specificationem monetæ, nimirum An. 1567. *ut in Constitut. ejus anni habetur fol. 134.* Sed ipsa specificatio volumini Legum, quô ego usus sum, non est inserta. Quantum autem ex aliis monumentis colligere licet, talerus illô tempore 34. vel summum 35. grossis æstimabatur. Aureus verò Hungaricus sive ducatus 56. grossis. Non habuit itaque Ducatus tum temporis in comparatione ad talerum rationem duplam. Quin si Wolffgango Sartorio de Sada credimus, in Ducato eô tempore non semper 56. grossi, sed aliquando etiam 50. tantùm grossi computabantur. Vide libellum ejus vom Buchhalten. Ab An. 1586. usque ad Annum 1602. quæ fuerit Prussicæ monetæ proportio ad Ducatos & taleros aliosque exterarum gentium nummos, optimè cognoscere licet ex Matthia Meine Dantiscano Matheseos Professore Regiomontano, qui omnibus Fastis sive Calendariis, ut vocant, subjiciebat tabellam, precium Prussicæ monetæ repræsentantem. Tabella illa sic sese habet de An. 1598.

Ein

Ein Portugalöser	28. M.	3. Gr.	
Ein Rosenobel	6.		
Ein Heinrichs Nobel	5.		
Ein Dopplun	5.	8.	
Ein halber Dopplun	2.	14.	
Ein Mülräser	5.	5.	
Ein halber Mülräser	2.	12.	
Ein Portugalischer Ducat	4.	4.	
Ein doppelt Keysergülden oder gülden Reyal	3.	15.	
Ein alter Engelott	3.	16.	
Ein neuer Engelott	3.	14.	
Ein Engel mit dem ⊙ im Schiff	3.	10.	
Ein Ungrischer Gülden	2.	17.	
Ein Gülden Lew	2.	14.	
Ein Hamburger Gülden	2.	14.	
Ein Saltzburger/Lübscher	2.	14.	
Ein Ducat mit einem kurtzen ✠	2.	10.	
Ein Ducat mit einem langen †	2.	9.	
Ein Battenburger	2.	-	
Ein Französische Kron	2.	8.	
Ein Schottsche oder Italiänsche Kron	2.	4.	
Ein Keyser Kron	2.	4.	
Ein Postulet der wichtig	2.	5.	
Ein Goldgülden	1.	18.	
Ein Prinzgülden	1.	18.	
Ein Davidsgülden	1.	8.	
Ein Philipsgülden	1.	5.	
Ein Reutergülden	1.	4.	
Ein Embdergülden	1.	4.	
Ein Deventergülden	1.	2.	
Ein Klemmergülden	1.	1.	
Ein einziger Keysergülden	1.	3.	

Ein Horngülden	-	-	-	-	15.
Ein Philipsthaler	-	-	-	1. -	18.
Ein halber Philipsthaler	-	-	-	-	19.
Ein alter Thaler	-	-	-	1. -	16.

Occurrunt quidem hîc nonnullæ differentiæ, quas ex aliis ejusdem Maynii Calendariis obſervavi, ſed ex minoris momenti ſunt. Sic An. 1586. hæc habet : Ein Portugalöſer 28. Marck. Ein Roſenobel 6. Marck 5. Gr. Ein Heinrichsnobel 5. Marck 5. Gr. ℔. Ein Ungriſcher Gülden 2. Marck 16. Gr. Ein alter Thaler 1. Marck 16. Gr. Ein Preuſch Mariengülden 1. Marck 4. Gr. ℔. Ex quibus cognoſcere licet, totô illô tempore, quô Maynius Faſtos conſcribebat, nimirum ab An. 1586. usque ad An. 1602. Ducati & taleri precium nonniſi unô groſsô fuiſſe auctum. Horum nummorum non paucos in Crucigeros (Creutzer) reperies reſolutos, in Conſtitutione de re nummaria Ferdinandi I. de An. 1560.

XXIV. Venimus tandem ad ſeculum XVII. rei nummariæ infenſiſſimum. Ingruentibus enim ſub ipſum ſeculi hujus initium bellis Moſcoviticis, Svecicis & Turcicis, multum ob tenuitatem Reipubl. nummis Polonicis juxtà ac Pruſſicis detractum eſt, adeò ut jam An. 1611. Sigismundus III. Rex Poloniæ talerum 40. groſſis, & aureum Ungaricum ſive Ducatum 70. groſſis permutari juſſerit. *Vide Conſtit. dicti Anni pag. 15.* Deinde Anno 1620. bellis Svecico & Turcico jam ferventibus idem Sigiſmundus III. conſtituit, ut taleri 50. groſſis; Ducati 120. groſſis, & orti Gedanenſes 16. groſſis, æſtimarentur. *Vid. Conſtit. de An. 1620. pag. 11.* Poſthæc Anno 1623. Conſtitutio Anni 1620. repetitur, hôc inſuper additô, ut Orti Bidgoſtienſes exæquentur Gedanenſibus. Item ut Realis valeat 70. groſſos. *Conſtit. dicti anni pag. 7.* Reſumpta eſt eadem Conſtitutio etiam An. 1627. *ut ex Conſtit. hujus Anni tit. O Mynicy. liquet.* Petrus Crügerus *in Arithm. cap. 17. pag. 173.* dicit, An. 1623. Talerum 75. groſſis Pruſſicis exæquatum eſſe. In Pruſſia Ducali res monetaria eandem ſortem experta eſt, ut inter alia teſtatur Album Academiæ Regiomontanæ. Solebant enim Rectores eâ tempeſtate pecuniam, quam pro receptione Studioſorum & inſcriptione in Album Academicum acceperant, reſolvere in groſſos, eamque ſingulorum Studioſorum nominibus adſcribere, ſine

dubio

dubio propterea, ut hujus tam subitæ mutationis ad posteros transmitteretur memoria. Cum enim, ut superiore num. audivimus, An. 1602. talerus valeret 36. & Ducatus 57. grossos: præterlapsis viginti annis, videlicet Anno 1623. æstivô tempore talerus jam censebatur 80. grossis, sive quatuor marcis; & dimidius talerus sive dimidius Joachimicus 40. grossis sive duabus marcis. Proximò subsequente hyeme, ut & An. 1624. & 1625. dimidius Talerus æstimabatur unâ marcâ & 17½ grossis. Tandem An. 1627. & seqq. talerus jam 90. grossis par habebatur. Tanta monetæ Polonicæ atque Prussicæ facta est sub unius Sigismundi III. Regis Poloniæ imperio. Quæ etiam causa est, quòd dimidii solidi (Dreypfenninger) qui à Georgio Friderico Marchione, ægri Ducis Alberti Friderici tutore cusi sunt, facti sint imaginarii. Culpam monetæ hunc in modum depravatæ Paulus Piasecius Episc. Præmislienſis non tam in bella, quàm in Officinatores monetarios conjicit, quando *in Chronico ad An. 1632. pag. 525.* (*440.*) ita super ea materia scribit: *Depravârunt monetam monetales Regii enormia lucra ex ea detrahentes, & in tantum arte tali expilârunt Rempubl. quòd cùm initiô istius Regis* (Sigismundi III.) *nummi constarent ex argento justæ probitatis, postea veteribus in novos recusis & indies vilioribus divulgatis ad extremum nonnisi ænei seu ex ære majori parte, ac exiguô immistô argentô confusi in toto Regno numerarentur.* Hæc ille. Ego necessitati pleraque hæc adscribenda censeo.

XXV. Cùm fasces Regni Polonici ad Wladislaum IV. essent delati, interceſſerunt Pacta quædam inter Regem & Electorem Brandeburgicum de moneta Polonica atque Prussica ad idem pondus & precium redigendâ, ut ex Constit. de Anno 1631. *tit. O Mynicy* ut & de An. 1633. *pag. 29. & 33.* liquidò constat. Quanquam verò sub initium regni Wladislai IV. taleri precium usque ad 90. grossos ascenderat, nondum tamen Aureus Ungaricus sive ducatus in comparatione ad Talerum habebat rationem duplam. Petrus enim Crügerus, qui An. 1634. Arithmeticen suam idiomate Germanicô edidit, testatur, suô tempore talerum tribus, & ducatum 5½ florenis i. e. 165. grossis taxatum. Aliam hîc mutationem sub felici Wladislai IV. imperio contigisse non legimus.

XXVI. Eodem annô, quô Joannes Casimirus fratri suo Wladislao IV. liberis Reipubl. suffragiis est suffectus, nimirum A. 1649.

constitutum est, ut res monetaria in ordinem convenientem redigeretur, designati etiam sunt ad hanc rem Commissarii, qui cum Thesaurario Regni hoc ipsum agerent, ut in Polonia & Prussiæ moneta exæquaretur. *Vid. Constit. An. 1649. pag. 10.* Habitus etiam est ea propter Anno 1650. Warsaviæ Conventus, quò Præfecti monetarii ex Polonia & Prussia utraque evocati libellas suas exæquârunt. Circa eadem tempora ducatus in comparatione ad talerum sortitus est rationem duplam, ita ut talerus 90. Ducatus verò 180. grossis i. e. tribus florenis æstimaretur. Sed & huic Constitutioni bella Moscovitica, Svedica, Cosacica &c. vim fecère. Cum enim vires Reipubl. Polonicæ nimium quantum essent attritæ, cusi sunt floreni in Polonia precii ultra dimidium minoris, quorum inscriptio elegantissima, & auro contrà habenda, hæc est:

Dat precium servata salus, potiorque metallo est.

Cusi etiam sunt solidi cuprei, quos tamen Prussia, ut & florenos illos, recipere noluit. Ipsi etiam Poloni viribus paululùm resumptis primò talerum vel etiam tres florenos monetæ Prussicæ 120. grossis monetæ suæ cupreæ permutabant. Deinde prò talero vel pro tribus florenis Prussicis dabant 150. grossos i. e. 5. florenos monetæ cupreæ. Posthæc 6. floreni monetæ cupreæ tribuebantur uni talero. Ducati ratio semper fuit dulpa, ita ut cum talerus 6. florenis par habebatur, ducato assignarentur 12. floreni monetæ cupreæ. Cùm verò neque hîc subsisterent multi, lege cautum est An. 1676. ut talerus argenteus 6. florenos & aureus Hungaricus 12. florenos monetæ cupreæ valeret. *Vid. Constit. dicti Anni 1676. pag. 20.* Floreni quoque illi, de quibus paulo antè, in Prussia jam ortis Prussicis æquales habentur. Neque spes omnis decollat monetæ melioris reducendæ. Jam enim, dum sub felicissimo Serenissimi Regis Joannis III. imperio Respub. lacertos movet, atque in spem pristinæ felicitatis erigitur, cuduntur orti & grossi sextuplices melioris notæ, qui aliis antiquioribus ortis & grossis pares habentur. Prussia à temporibus Wladislai ejusdem ponderis pecuniam retinuit, factum tamen est sine dubio penuriâ argenti, ut nihilominus talerorum & Ducatorum precium sit auctum. Quamvis enim vulgò talerus tres florenos sive $4\frac{1}{2}$ marcas; & ducatus 6. florenos

nos, sive 9. marcas Prussicas valere putentur, revera tamen, si corollarium illud, quod taleros vel ducatos sibi acquisituri addere coguntur, annumeremus, jam talerum non tres florenos, sed tres cum semisse; & ducatum non sex, sed septem florenos Prussicos valere deprehendemus.

XXVII. Hactenus uberiùs exposuimus, quam rationem marcæ argenti puri ad marcas Prussicas usuales ab ipso Cruciferorum in Prussiam ingressu habuerint, jam eadem vestigia relegere placet, atque brevi in tabella ob oculos ponere, quot solidos & grossos habuerit nummus ille uncialis, quem Talerum vocamus, singulis ætatibus à nobis hucusque enumeratis. Non exstitit quidem nummus ille, cùm Ordo Teutonicus Prussiam teneret, nisi forte extrema excipiamus tempora; nos tamen per προόλησιν quandam fingemus eundem semper exstitisse, Chronologos hac in re imitati, qui periodum Julianam ad aliquot secula ante mundum conditum extendunt, ut Cyclos ☉. ☾. & Indictionem aliaque in Chronologicis occurrentia eò faciliùs inveniant, etiamsi periodus illa Juliana à Josepho demum Scaligero Patrum nostrorum memoriâ artificiosè sit excogitata. Antequam autem rem ipsam aggrediamur, præmonendum duximus Lectorem benevolum, nos de primis Seculis sub Ordine Teutonico tantùm indicaturos, quot solidos vel grossos circiter habuerit talerus, nullâ ejus ratione habita, quòd aliquando liberâ Principum voluntate, vel etiam artificum avaritiâ precio nummorum detractum est.

Habuit itaq; Talerus	An. 1233. - - -	$7\frac{1}{2}$ Solidos.
	An. 1335. - - -	15. Solidos.
	An. 1352. - -	15. Solidos.
	An. 1456. - -	circiter 90. Solidos.
	An. 1470. - -	60. Solidos.
	An. 1510. - - -	84. Solidos.
	An. 1520. - - -	90. Solidos.
	An. 1552. - -	99. Solid. sive 33. Gr.
	An. 1567. - -	102. Solid. sive 34. Gr.
	An. 1586. - -	105. Solid. sive 35. Gr.
	An. 1598. - -	108. Solid. sive 36. Gr.
	An. 1604. - - -	37. Gr.

Anno

An. 1607. - - - 40. Gr.
An. 1611. - - - 40. - 24. Gr.
An. 1616. - - - - 42. - 43. - 44. - 45. Gr.
An. 1617. - - - 45. Gr.
An. 1618. - - 45. - 47. Gr.
An. 1619. - - 47. - 50. Gr.
An. 1620. - - 50 - 58 - 60. Gr.
An. 1621. - - - 60. - 75. Gr.
An. 1622. - - - 80. Gr.
An. 1623. - - - 75 - 78 - 80. Gr.
An. 1624. - - - 75. Gr.
An. 1626. - - 70. - 80. Gr.
An. 1627. - - 90. Gr.
An. 1628. - - 90 - 93. Gr.
An. 1629. - - 90 - 93. Gr.
An. 1630. - - 90. - 93. Gr.
An. 1631. & seqq. - - 90. Gr.
An. 1650. - - 105. - 108. Gr.
An. 1677. - - 114. - 15. Gr.
An. 1678. - - 114. - 15. Gr.

XXVIII. Aurei Hungarici sive Ducati quot grossis superiore ut & hôc seculô sint æstimati, licet ex hactenus dictis colligere non sit difficile; adjiciemus tamen abacum Regiomonti mihi ab amico communicatum, cui etiam abaci superioris partem, quæ talerorum precium ex hoc seculo determinat, debemus. Ille abacus sic sese habet?

Ducatus valebat	An. 1411. - - -	53½ Gr.
	An. 1528. - - -	45. Gr.
	An. 1570. - - -	53. Gr.
	An. 1578. - - -	56. Gr.
	An. 1582. - - -	56. Gr.
	An. 1592. - - -	56. Gr.
	An. 1600. - - -	58. - 60. Gr.
	An. 1604. - - -	50½ Gr.
	An. 1606. - - -	61. Gr.
	An. 1607. - - -	65. Gr.

Anno

An. 1608. - - -	69. Gr.
An. 1609. - - -	69. Gr.
An. 1611. - - -	70. Gr.
An. 1614. - - -	70. Gr.
An. 1616. - - -	73. - 75. Gr.
An. 1617. - - -	73. Gr.
An. 1618. - - -	77. Gr.
An. 1619. - - -	78. - 80. Gr.
An. 1620. - - -	80 - 90 - 100 - Gr.
An. 1621. - - -	120. Gr.
An. 1622. - - -	140. Gr.
An. 1623. - - -	140. Gr.
An. 1624. - - -	120. Gr.
An. 1626. & 1627. -	140. Gr.
An. 1628. - - -	160. Gr.
An. 1629. - - -	164. Gr.
An. 1630. & 1631. -	165. Gr.
An. 1639. - - -	165 - 172½ Gr.
An. 1640. - - -	180. Gr.

Reliqua, quæ huic abaco desunt, ex illis, quæ à nobis suprà sunt in medium adducta, facilè poterunt suppleri.

XXIX. Ex dictis jam palàm fit, aliam hodie in Prussia numerandi rationem, quam quæ olim fuit, obtinere. Cum enim antiquitus per marcas, fertones, scotos, solidos & phenningos numerarint Prussi, hodiè abolitis jam Fertonum, Scotorum & propè etiam marcarum nominibus, mercatores rationes suas inire solent per taleros, florenos, grossos & solidos. Et quidem, quod observatu non indignum, florenus sub initium Seculi superioris habuit non 30. ut hodiè, sed 40. grossos, ut ex Rationibus Monetariorum sub Alberto Duce manifestum est.

DISSERTATIO XVII.

De

Jure Prussorum.

(1.) *Venedi & Gothi nullas habuere leges scriptas. Consuetudines Prussorum. Waidewutus primus Legislator fuisse putatur.* (2.) *Leges Waidewuti. Jusjurandi præstandi ritus.* (3.) *In Pommerellia, Culmensi & Lobovienſi Provinciis Juris Polonici usus. Jus Polonicum non fuit eo tempore scriptum.* (4.) *Culmense privilegium, ejus authenticum exemplar.* (5.) *Quæ jura Prussis in Privilegio Culmensi concessa sint. Jus Magdeburgense, Flammingicale, Silesiacum, Friburgense. Flammingicale jus unde dicatur. Est jus Flandricum.* (6.) *Privilegium Culmense datum est non solum civitatibus, sed etiam toti provinciæ Culmensi. Feodales qui sint. Nobiles familiæ Thorunii quondam habitantes.* (7.) *Jus Lubecense, Elbingensibus, Brunsbergensibus, Travenburgensibus, Memelensibus datum.* (8.) *Quæ sit differentia inter jus Magdeburgense simplex, Magdeburgense ad utrumque sexum, Feudale, Prutenicum. Liberi homines in pagis.* (9.) *Plebiscita urbium. Quotuplicia sint. An ea potuerint urbes in consulto Teutonico ordine constituere.* (10.) *Constitutiones Magistrorum.* **Preusch-Recht. Scheibenschießen.** (11.) *Jus Westphalicum* **das Fehmer Recht** *dictum, à Carolo Magno constitutum. Qui sint Veimari, Conscii.* (12.) *Volumina juris Prussici. Jus Weichbildicum quando sit conscriptum.* (13.) *Jura Culmensia generatim considerata sunt ipsa jura Magdeburgensia. Magdeburgenses Quæstiones.* (14.) *Corpus Juris Culmensis in quinque libros digestum est ipsum jus Magdeburgense. Non continet ea, quæ sunt propria juri Culmensi. Quando hoc jus Culmense sit scriptum.* (15.) *Distinctiones Magdeburgenses. Speculum Saxonicum.* (16.) *Corpus Juris, quod Culmense vocatur, estque in 5. libros digestum, non in Prussia sed in Silesia conditum est. Confirmavit illud Henricus, Henrici Barbati Nepos, Dux Vratislavienſis. Quando Poloni jus Magdeburgense receperint.* (17.) *Cum Prussi Poloniæ Regi Casimiro se subiecissent, confirmata ipsis primò sunt omnia hactenus enumerata jura.* (18.) *Bello tredecennali confecto abrogata sunt*

in

in Prussia regia jura Feudalia Magdeburgensia. Polonica, Prutenica, substituto unico jure Culmensi. Quod tamen cum aliquo temperamento est intelligendum. (19.) Correctiones Juris Culmensis variæ. Exemplaria ejus Latinum, Germanicum, Polonicum. Gregorius Hesius laudatur. (20.) Constitutiones Regum Poloniæ in Prussia Regia. Constitutiones Karnkovianæ. (21.) Jus Terrestre Nobilitatis Prussicæ. Ejus editiones. (22) In Prussia Oriental, quæ penes Magistros Ord. Teut. mansit, diversa illa jura, puta Magdeburgensia, Feudalia, Prutenica, non sunt bello finito abrogata. Privilegium Martini Truchsessii. (23.) Tempore Alberti primi Ducis Prussiæ, quæ mutationes in jure Prussico contigerint. (24.) Quid tempore Alberti Friderici hic sit mutatum. (25.) Joannes Sigismundus Elector jus Prutenicum Provinciale, cujus hodie in Prussia Ducali usus obtinet, confirmavit. Levinus Buchius. (26.) Præter dictum Jus Provinciale quædam constitutiones aliæ Prussis datæ sunt. (27.) In civitatibus varia subinde cuduntur ac renovantur statuta.

I.

PRimos Prussiæ incolas Venedos, Gothosque, qui ante Christi nati tempora Prussiam tenuere, leges non habuisse scriptas, concedet, qui vel primis, quod ajunt, labris illorum temporum historiam degustavit. Sed nec accurratè cognosci potest, quænam inter ipsos fuerint leges non scriptæ & consuetudines observatæ, cum nulla exstent apud nos tam antiqua Historiarum monumenta, ex quibus hæc depromere liceat. Reperiuntur quidem hinc atque inde nonnulla, quæ de Venedis & Gothis posteritati tradiderunt exteri Scriptores, iique satis antiqui, an verò illa omnia ad Venedos nostros, Gothosque pertineant, pronunciare mihi non est integrum. De antiquis Venedis vid. Cornelius Tacitus *lib. de moribus Germanorum c. 46.* De Gothis idem Tacitus *lib. citato cap. 45.* Jornandes *lib. de Reb. Geticis.* Olaus Magnus *in Hist. Septentr. Gentium.* Joannes Loccenius *libb. de Antiquitat. Sveo-Gothicis.* Primum Prussorum Legumlatorem Sec. IV. vel V. à reparatâ per Christum salute multi Scriptorum Prussicorum faciunt WAIDEWUTUM Regem. Ex quâ ille fuerit gente, variant sententiæ. Alii namque Scriptores, ut Simon Grunovius & Caspar Hennebergerus,

Waidevvutum Cimbrorum Regem fuisse tradunt: Alii ex Scandinavia ipsum deducunt; alii denique Lithvanorum, sive quos illi eosdem esse putant, Alanorum Regem ipsum faciunt. *Vid.* Erasmus Stella *in Antiquit. Borussorum:* Matthias Strykovvski Ossostevicius *in Hist. Lithvan.* Alb. Wijuk Kojalowicz *Part. 1. Hist. Lithvan. lib. 1. pag. 12.* Qui Waidevutum Alanorum sive Lithvanorum Regem fuisse perhibent, rursus in duas scinduntur partes. Alii à Sudinis antiquioribus Prussiæ incolis (i. e. à Sambitis, ut ipsi interpretantur, quamvis perperam, ut suo loco diximus,) Waidewutum leges petiisse, asserunt, eoque ipso indicant, à Gothis, qui Sambiam olim tenuere, leges has esse profectas. Vid. Stella *lib. 2. Antiq. Boruss. post princ.* Alii nullâ Sudinorum mentione factâ Waidewutum Prussis leges dedisse referunt, quo innuunt, Waidewutum, primum juris hujus auctorem esse. *Vid.* Kojalowicz & alii plures.

II. Sed ipsas leges videamus, quarum Waidewutus auctor esse perhibetur. Videlicet collectâ in unam Rempubl. vagabundâ, nullisque sedibus affixâ, sed per agros & nemora dispersâ multitudine, *promiscuos concubitus severè inhibuit: perpetua verò conjugia ad unam tori consortem restrinxit; pecorum & servorum numerum definivit: debiles & ad labores ineptos ali vetuit; etsi illi proprii essent parentes; loca publica conjugiis destinavit; jus hospitii sacrosanctum esse voluit: Cultum denique DEorum Prussos docuit.* Hæc Kojalowicz *loco cit.* & quædam etiam ex his Erasmus Stella *lib. 2. Antiq.* Huc trahi possent consvetudines omnes Prussorum veterum, de quibus suis locis egimus. Verùm ut omnia Propemodum, quæ de Waidewuto, & fratre ipsius Bruteno feruntur, fabulas redolent aniles, ita etiam, quid de legibus his sit sentiendum, nemo non intelligit. Licet enim negandum non esse censeamus, hæc & alia plurima, quæ partim jam exposuimus, partim adhuc suo loco sumus exposituri, sub ipsum Ordinis Teutonici in has oras adventum, à Prussis veteribus fuisse observata; attamen, quod hæc non nisi ad Waidewutum sint referenda, quâ nobis auctoritate satis idoneâ probabitur? Verisimiliùs est has fuisse Prussorum Consuetudines jam ab antiquissimis temporibus, quas etiam retinuerunt usq; in ipsum Cruciferorum adventum, ut alibi

pro-

probavimus. Hic præterire non possumus ritum quendam præstandi jurisjurandi apud Veteres Prussos, etiam Ordine Teutonico Prussiam tenente, frequentari solitum. Nimirum consveverant Prussi jusjurandum præstare, dextrâ cervici impositâ, ut auctor est Borringer Monachus Carthusianus in Epistola ad Paulum Bellizerum de Rusdorff. XXVI. Magistrum generalem, apud Auctorem Chronici Ordinis, & Waissel. *in Chron. Pruss. fol. 164. b. seq.*

III. Hæc observabantur in ea Prussiæ parte, quam Prussi veteres obtinebant; sed de Regionibus, quæ postmodum sub Ordine Teutonico Prussiæ accesserunt, aliud dicendum erit. In iis Provinciis extra controversiam est POMELLIA. Hujus enim Duces cum essent ex Slavonico sangvine oriundi, Polonisque præterea essent subjecti, jus Polonicum dubio procul in Pomerelliam introduxerunt, quod etiam in sequentibus à nobis probabitur uberius. De CULMENSI & LOBOVIENSI Provinciis idem videtur asserendum. Has quippe terras antiquis temporibus (videlicet tempore Boleslai I.) Regibus Poloniæ fuisse subjectas, asserunt Dlugossus, Cromerus, Neugebauerus, alii. Quâid Annalium confirmare queant fide, ipsi viderint. Si autem hoc verum est, & hæ jure Polonico vetustis temporibus usæ sunt. Quamvis & hoc non minus certum sit, Prussos illos Culmenses & Lobovienses, cum jugum Polonicum planè excussissent, in reliquorum Prussorum transiisse mores, eorundemque Consvetudines, suas feciisse. Verùm enim verò neque apud Polonos tunc temporis ullus erat scripti juris usus, sed jussa Principum aliorumque Magistratuum pro legibus fuere, donec Casimirus Magnus Rex Poloniæ Leges circa An. 1350. in tabulas referret. Per jus ergò Polonorum hic intelligimus Consvetudines Polonorum in causis privatis v. g. in hæreditatibus, contractibus &c. observatas, quas etiam iidem Culmenses, aliique Veteres Prussi, cum Ordini Teutonico sese subjecissent, liberè receperunt. Enimverò cum à Jacobo Archidiacono Leodiensi Romani Pontificis Legato, Anno 1249. urgerentur, ne brutorum instar viverent, sed jus aliquod sive Polonicum sive aliud quodpiam sibi eligerent, ex cujus præscripto controversias privatas decidi vellent; elegerunt sibi, habito prius inter se consilio, jus Polonicum, cui ob vicinitatem jam

aliquo modo aſveverant, fortaſſe etiam quasdam ejus reliquias ex antiquis temporibus retinuerant. Vide Privilegium Pruſſis veteribus à Jacobo Legato Pontificis An. 1249. datum. Et hoc primum eſt jus, quod Ordine Teutonico Pruſſiam adminiſtrante hîc in uſu fuiſſe legimus, nimirum JUS POLONICUM.

IV. Cum Ordo Teutonicus à Conrado Maſoviæ Duce in Pruſſiam evocatus, Culmenſem tractum ſibi ſubjeciſſet, condidit Hermannus de Balke Magiſter Pruſſiæ Provincialis An. 1232. urbem, nomine CULMAM. Vid. Petrus de Dusburg. *part. 3. Chron. Pruſſ. c. 8.* Tranſtulit etiam deinde urbem THORUNIENSEM, quæ antea ad quercum quandam ingentem in modum caſtelli communitam condita fuerat, in locum, ubi nunc ſita eſt, ex quibus urbibus & caſtellis Pruſſos jam commodè poterat infeſtare. Cum verò nulla Respubl. ſine legibus commodè gubernetur, idcircò Hermannus de Salza Magiſter Ordinis Generalis & Hermannus de Balke Magiſter Pruſſiæ Provincialis dederunt An. 1233. d. 5. Calend. Januar. Culmenſibus, Thorunienſibus aliisque urbibus in Provinciâ Culmenſi tunc jam conditis condendisque PRIVILEGIUM CULMENSE (die Kulmſche Handveſte). Et cum poſtea Privilegium illud incendio urbis Culmenſis periiſſet, renovavit illud, additis quibusdam capitibus, aliis etiam omiſſis, Eberhardus de Seyne Præceptor Domus Mariæ Teutonicorum per Alemanniam & Vicesgerens Magiſtri Generalis per Livoniam & Pruſſiam An. 1251. Kalend. Octobr. (non autem Anno 1250. ut varia exemplaria Germanica habent) Authenticum hujus Privilegii Exemplar Latino idiomate conſcriptum habetur, in Tabulario Terrarum Pruſſiæ, quod eſt in Curia Thorunienſi. *Vid. quæ in Animadverſionibus noſtris ad Dusburgenſis part. 3. Chron. Pruſſ. cap. 1. notavimus.* Germanica hujus Privilegii exemplaria, licet exſtent non pauca, antiquius tamen vidi nullum, quam quod in Bibliotheca Vindibonenſi, fortaſſe ab ipſo Magiſtro Teutonici Ordinis Imperatori transmiſſum habetur, cujusque principium & finem, quatenus illud ab Eberhardo de Seyne renovatum eſt, nobis exhibet Vir Illuſtris Petrus Lambecius *lib. 2. Bibl. Vindibon. c. 8. p. 833.* Scriptum illud eſt antiquâ Dialecto Germanicâ, adeò ut inde antiquitatem Exemplaris hujus non difficulter agnoſcas.

V. Quæ in dicto privilegio continentur, ad certa referri poſſunt capita.

capita. Primum Culmensi Provinciæ, quam tunc solam possidebant Cruciferi, conceditur usus JURIS MAGDEBURGENSIS, quod & Weichbildicum appellatur. Deinde in casibus quibusdam ipsi conceditur JUS FLAMINGICALE. Tertio JUS FRIBURGENSE, quod obtinere debuit, si quis inveniret fodinas auri. Præter hæc JUS SILESIACUM, quod observari debuit circa inventionem fodinarum argenti. Postremò SPECIALES QUIDAM CASUS determinantur, immunitatesque partim Culmensis ac Thorunienſis urbium speciatim, partim etiam totius Provinciæ Culmensis enumerantur. Fundamentum hic est jus Magdeburgense, quod in omnibus casibus in Privilegio Culmensi non expressis obtinere debuit. Reliqua jura, ut & speciales illi casus, sunt tantum exceptiones quædam à Jure Magdeburgensi. De singulis his, cum ex ipso Privilegio facilè cognoscantur, hic agere non attinet; de jure Flamingicali tamen quædam paulò uberiùs nobis disputanda erunt. Datur JUS FLAMINGICALE Culmensi Provinciæ duobus in casibus. I. In mensurandis agris, ut quantitas mansorum (der Huben) secundùm modum Flamingicalem constituatur. Proinde cum procedente tempore cruciferi mensuram hanc contra privilegium Culmense imminuerent, non minima hæc inter causas belli contra Cruciferos susceptî numerabatur. vid. Casp. Schuz. *lib. 4. Chron. Pruss. fol. 137.* II. In familiâ herciscundâ, ut vigore Privilegii hujus bona omnia inter conjuges communia sint; sine discrimine creditoribus obligentur; dimidia pars eorum ad liberos, & reliqua ad conjugem superstitem devolvatur; sinu soluto, factâq; hereditatis divisione, portio unius ex libris denati ad fratres & sorores, non ad parentes, deferatur. Vid. Casp. Schuz. *lib. 1. Chron. Pruss. fol. 19.* & inprimis *in lib. MS. de hereditatibus.* Item Adamus Riccius JCtus non ita pridem in Academia Regiomontana celeberrimus, *in Tractatu Rapsodico de librorum juris Romani aliorumq; Quantitate & Qualitate num. 86. p. 281.* Unde jus hoc nomen sit sortitum, ut diceretur Flamingicale, dubitatur. *Flaman* hodieque Gallis idem est qui Belga, hinc Jus Flamingicale non aliud esse videtur ac jus Belgicum. Nomenclatio hæc eò insuper firmatur, quod totum Belgium, exceptâ Frisiâ, eandem bonorum communionem admittit, teste Arnoldo Vinnio *ad pr. Institut. de societ. num. 3. & aliis.*

Quan-

Quanquam autem hæc sunt probabilia, strictiùs tamen hic vocem Flammingorum accipi, alia plurima testantur monumenta. Videlicet notum est, Flandros ex Belgis speciatim Flamingos nominari, & quidem adeo proprium illud Flandrensium nomen est, ut ab Hollandis etiam expresse hoc ipso distingvantur. Exemplum, præter illud, quod ex Helmoldo citabimus infra, habemus in Privilegio Casimiriano urbi Gedanensi Anno M CCCC LVII. Dominica Cantate concesso, ubi hæc verba reperiuntur: Und vormehrer uff das di vorgemeldte unsir Stadt Danzigk zu vorhogeter Zeligkeit und Wollfahrt kommen moge/ vorleyen wir / geben und zulassen/ das kein Nurenberger/ Lambarth/ Engelscher/ Hollander/ Flemigk/ Jude/ adir welcherley wesen Fremden uß Reichen unde Landen ein iederman ist in den vorgeschriebenen unsir Stadt Danzigk macht/ Privilegia oder Freyheit haben sol zu kauffschlagen oder zu wohnen/ ohn Willen / Wissen und Wolborth der Burgermeister / Rahtman und Scheppen / unde gantze Gemeine unser Stadt Danzigk vachgenumpt. Hæc ibi. Cæterum his, quæ de Flandris diximus, obstare videtur Rescriptum quoddam Magdeburgensium Scabinorum, quod habetur *in primo Codice MS. Bibliothecæ Wallenrodianæ, quæ Regiomonti est Part. 3. num. 1.* ubi jus hoc Flamingicale deducitur à loco quodam ad Albim non procul ab urbe Magdeburgi sito, cui nomen Flemig. Sed verba ipsa dabimus: Sprechen wir Schöppen zu Magdeburg vor Recht / daß an einem Orth Landes nahe bey Magdeburg gelegen/ über der Elben in Flemig genant/ im tödlichen Absterben der Eheleute / mit dem nachgelassenen Gütern und Erbe nach Ubunge/ Gebrauch und Alter vorwerter Gewohnheit desselben Orths Landes dermassen gehalten wird/ nehmlich/ wenn in dem Flemmig ein eheliche Person Todes halben abgangen und verblichen ist/ und sein ehlich Gemahl / Weib oder Mann samt LeibesEhren und Gütern nach sich hat gelassen/ alsdann nimbt die Frau oder Mann

Mann/so am Leben/die Helffte aller gelassenen Güter/ und die Kinder/die andere Helffte. An Mangel aber der Leibes-Erben/so hat die verstorbene Person des Ehestandes alle ihre Güter die zu Erbe und Erbrechte gehören/ auf seinen gelassenen Ehegatten die Helffte/und auf seinen nechsten Erbnahmen die andere Helffte nach obbemeldeter Flämischer Gewohnheit gebracht und gefället von Rechtswegen / versiegelt mit unserm Insiegel. Hæc ibi. Paulus Matthias Wehnerus in Supplemento Practico addit insuper Annum, quo Rescriptum illud datum est, nimirum Anno 1539. Non minus his obverti possunt, quæ habet Ahasverus Fritschius *in Supplemento Speidelio Resoldiano pag. 36. & seq.* Derivari namque dicit hoc jus à quibusdam à Flaminibus, Romanorum Sacerdotibus, quandoquidem ii, qui bona Flamingicalia possident, animadversaria quædam sacra peragere coguntur. Sed locum ipsum Fritschii, in quo fusissimè ritus in sacris illis observari solitos persequitur, apponere non pigrabimur, ut Prussi monumenta antiqua evolventes animum advertant, utrum simile quidpiam apud Prussos olim sub ipsum Cruciferorum in Prussiam adventum observatum fuisse, in Historia Prussica reperire queant. Verba Fritschii sunt: *In comitatu Schvvartzburgico, lineæ Rudelstadiensis quibusdam in locis prædia quædam rustica à subditis possidentur, quæ vulgo* **Flämische Güter** *appellant. An à Flaminibus, ut quidam volunt, & solemnitas anniversaria ac memoria pristinæ Religionis paganicæ, istis in locis olim usitatæ innuere videtur, aliis dijudicandam relinquimus. In hisce enim rebus antiquioribus non immeritò conjectura libera. Ut verò Lectoribus ejusmodi bonorum qualitas apertior sit, sequentia subjicere placuit.*

Verzeichnüs.

Was man von den Flämischen Recht noch vor Nachricht hat.

DAs Flämische Recht an Jhm selbst wird an hiesigen Orten nirgends beschrieben befunden/sondern es ist eine Consvetudo oder Observantia, diese wird nur in dreyen Fluhren als der Heringer/ Görspacher und Bergischer an folgenden benahmten Orten noch biß dato observiret / und zwar 1. in der Heringschen Fluhr (i. e. districtu) werden die Oerter benahmet (1.) im Eller/ worüber ein sonderlicher Auffseher bestellet ist/ so der Eller Schultze genandt wird (2.) im breiten Lande. An diesen und vorigen Orten ist lauter Länderey (3.) in und vor dem Horn / woselbst Land und Wiesen sind/und ein sonderlicher Auffseher dazu bestellet ist/ welcher der Horn Schultze genandt wird. 2. Jn der Görspachischen Fluhr werden die Oerter benennet / in den Senckern; am Karnwege; oben in den Wehren; Hinter dem Wahle; das Wahl genandt; in der Pfanne; am Riethwege; gegen dem Pflantzengarten; in der Hunffe; uff der Helm; gegen dem Patschwinckel und dem Wehre / uff der hohe Lachen/ hinter dem Kirchhoffe / der Möhlhoff und gegen Hans Hoffmanns Garten. Es sind auch 46. Häuser im Dorffe Görspach dem Flämischen Recht unterworffen. Ferner ist in der Görspachischen Fluhr am Flämischen Lande und Wiesen belegen: Unten in der Wehren/ an der Sandfuhrt/ an der Wiesen im Vorriethe / in der kalten Wiesen und in der Biplitzen; im Langenriethe/ von welchen Oertern nacher Berga der Flämische Kirchgang gehalten wird. 3. Jn der Bergischen Fluhr werden die Oerter folgender ge-

Jn

stalt benahmet (1.) das Vorrieth / worinnen begriffen der Sundfort/ so Land ist/ die kalte Wiesen / so Art / Acker und Wiesen / die Piplitzen / so Wiesen/die Görspachische Seidwand/so Land/ in den Werthen ist Land; hinter dem Wahl ist Land/in dem Morgen sind Wiesen, an der kurtzen Wiesen ist Land/ am Hermannswege/so Land und Wiesen; in der Mühlwiesen ist Land/ ein kleiner Ort der Karn genandt / ist Wiesen/ auf dem Riethgraben / stösset auf die Helm und ist Land/das Görspachische Vorrieth / so mehrentheils Wiesen und etwas Land / ein kleiner Ort Dutgenwenda genandt ist Land (2.) das lange Rieth das Flämische/ so Art Ackers und Wiesen/ fänget sich über den Hafferstücken an und wendet bey der gülden Aumühlen an dem Mühlwege/so nach Aulehen gehet, und gehet biß an den Kirchhoff / so ein kleiner Ort/ woselbst der Flämische Spruch gehalten wird / so am Ende/ stösset gegen die Aumühlen/ und sind folgende Oerter darinnen begriffen von der Helm biß an den Fäckelsgraben unter und über den Thiergarten / gegen oder über der Kutforth/ unter und über den dreyzehen Stücken/unter und über dem Himmelgärten unter dem Ochsenpfuel gegen dem Kesselsumpfe/ über dem Milchplatz / unter und über der gülden Aumühlen/gegen dem Eulenloche/ an diesen ietzt benahmten Oertern ist ArthAcker und Wiesen / die Pfaffenwiesen ist nur ein Stück/ein Ort Crümderoda genandt/ist Land.

2.

An vorbenahmten dreyen Oertern/als Heringen/Görspach und Berga / müssen die Kirchgänge folgender gestalt gehalten werden. 1. im Heringen werden Sie in der Wochen auf die Tage/da geprediget wird/gehalten / welcher nun allein Ellerland besitzet/und davon einen Kirchgang zu halten vorhabens / muß solches dem Pfarr und dem Eller-

Schultzen anzeigen/ welcher Schultze dann drey vom Rahte darzu verordnete Flämmiger/ so allemal RahtsCämmerer seyn/ bestellet/ daß Sie auf den PredigTag in der Kirche erscheinen / wenn nun die Sacra gantz verrichtet / wird ein Christlicher Gesang gesungen / unter welchen Singen der Schultze voran gehet / demselben folgen die drey Flämminger/ und darauf derjenige/ so den Kirchgang hält / mit seiner Frawen / gehen umb den Altar und opfern auf denselben/ welches Opfer derjenige / so geprediget / als ein Gratial bekombt/ hierauf Sie zur Kirchen hinaus gehen/ und legen/ so denn der Schultz und Flämmiger vor der Kirche einen Glückswuntsch an den Kirchgänger ab und gehet ieder nach seinem Hause/ so bald nun darauf die Glocke zehen schläget/ muß der Kirchgänger den Tisch gedecket / und auf demselben gesottene Hüner stehen haben/ in welchem Moment zugleich die drey Herren Geistlichen/ der Schultze mit seinen dreyen Flämmigern / und die drey SchulCollegen in des Kirchgängers Behausung sich auch müssen einfinden / wenn von einem hierwieder gehandelt wird / muß derselbe eine gewisse Straffe nach Ausspruch der Versamleten erlegen. Wann nun die Mahlzeit verrichtet / muß der Kirchner aufstehen/ benebst dem Kirchgänger und dieses Frawe in ihren Mänteln vor dem Tisch erscheinen/ und lieset der Kirchner den aufgesetzten Kirchgangsbrief öffentlich/ und stellet solchen unter seiner Unterschrifft dem Kirchgänger zu/ welcher sich bedancket/ und denen andern beyden Herren Geistlichen/ wie auch dem Kirchner nach seinem Belieben/ doch daß es nicht unter einem Kopfstücke sey/ im præsent giebet/ hierauf setzen sie sich wieder nieder / und müssen die Zusammengekommene mit einer Music oder einem lustigen Gespräch sich noch eine Zeitlang ergetzen/ welches ein halber Flämischer Kirchgang genandt wird.

Wann

Wann nun einer im breiten Lande/ in und vor dem Horn Länderey oder Wiesen hat/geschiehet die Bestellung bey dem Herren Schultzen/ welcher auch die ihm zugeordnete drey Flämmiger zu sich nimbt/sonst wird es in allem dem vorigen gleich gehalten/ und wird solches ebenmäßig ein halber Kirchgang genant.

Wann aber einer unter beyden Schultzen liegende Gründe hat/ so werden selbige beyde auf einmahl angesprochen und muß der Kirchgänger speisen/wie vorerzehlet / doch muß des Abends wiederumb eine Mahlzeit gegeben werden/ bey der Zusammenkunfft sind also dann die drey Herren Geistliche/der Eller Schultze mit drey Flämmingern und die drey Schuldiener.

Wenn nun der Kirchgangs-Brief ausgeantwortet/ stehet iedwederm frey/ nacher Hause zu gehen/ und gegen die Abendmahlzeit sich wieder einzustellen/worbey dieses in acht zunehmen/wann die Zusammengekommene alle von einander gehen/das keiner bey dem Kirchgänger mehr ist/so ist dieser das Abendbrod zu geben nicht schuldig / wenn sie gleich sich einfinden wolten / weßwegen allezeit eine Person bey dem Kirchgänger verbleibet/ biß das Abendbrod wieder angerichtet wird/und wird solche Ausrichtung ein gantzer Flämischer Kirchgang genant. 2. In Görspach werden die Flämischen Kirchgänge auch auf die Tage / wenn in der Woche geprediget wird/gehalten / und muß vorher der Kirchgänger/ er sey ein würcklicher Unterthan oder Frembder / den Pfarr und den Ambts Schultheissen/umb das dieser die darzu gehörige Personen bestellen lasse/ansprechen/ finitis sacris, gehet hinter dem Schultheissen und Flämmigern der Kirchgänger benebenst seiner Frawen umb den Altar/ und opfern auf demselben/ welches Opfergeld der Pfarr zu sich nimbt/

nachgehends stehet dem Kirchgänger frey / entweder zwo Mahlzeiten zu geben/ worzu der Pfarr/ Diaconus ,Schultheiß/ die Vorstehere/Schulmeister und der Dorffknecht gebehten werden/ und muß bey der Mittags-Mahlzeit / wenn die Glocke zehen schläget/das erste Gericht auf dem Tische stehen/es sind aber die Versambleten befugt/das Bier zuvor zu kosten / wann nun solches tadelhafftig ist / haben Sie Macht davon zugehen / und hilfft dem Kirchgänger der Kirchgang gantz nichts/verbleiben Sie aber bey dem Kirchgänger/muß nach geendigter Mahlzeit der Kirchner auffstehen/den Kirchgangs-Brief welcher von dem Pfarr/ Diacono, dem Schultheissen und denen vier Vorstehern / unterschrieben wird/ öffentlich verlesen/ und selbigen im Nahmen Gn. Herrschafft/ dem Kirchgänger überantworten. Hierauff mögen die Zusammenkommende wieder nacher Hause gehen (doch das einer oder zwey bey dem Kirchgänger verbleiben/denn sonst derselbe die AbendMahlzeit zu geben nicht verbunden) biß gegen zwey oder drey Uhren / da die Abendmahlzeit wieder angehet. Will aber der Kirchgänger die Mahlzeiten nicht ausrichten / stehet ihm davor 1. Thaler und einen Kuchen zu geben / auf diesen Fall bekömbt von dem Thaler der Pfarr 3. Gr. der Capellan 3. Gr. der Schultheiß 3. Gr. die Vorsteher ieder 3. Gr. der Schulmeister einen Gr. 6. Pf. und der Dorffknecht 1. Gr. 6. Pf. wie auch von den Kuchen ein ieder seine portion, von diesem Kuchen/ wird des Kirchgängers Frawen auch ein Stück gegeben/ und wird aus der Gemeinde Register 1. Dreyer drauff geleget/und Ihr so dann benebst einem Glückwunsch überreichet.

3.

In Berga/ wer daselbst würcklich wohnet/ und einen oder

oder mehr Oertern / so unter dem Vor- und Langenrieth begriffen seyn / Länderey und Wiesen hat / hält einen ganzen Kirchgang und giebet auff zwey Tage drey Mahlzeiten / als den ersten Tag zwo und den andern eine / und werden darzu invitiret / der Schultheiß / des Langen Rieths Schultheiß / des Vorrieths Schultheiß / wie auch des vorigen Jahres gewesener Vorrieths Schuldheiß so die Rechnung geführet / ingleichen der Cantor / der Dorffknecht / und einer von des Kirchgängers Anverwandten / über solche Ausrüstung muß der Kirchgänger noch geben zwölff Groschen / wovon die Schultheissen bekommen vier Groschen / umb daß Sie den Kirchgangsbrieff / so unter Auffdrückung des Amtbs-Siegels und des nacher Kelbra zur Justitz verordneten Beambten eigenhändliche Unterschrifft verfertiget wird im Ambte ablangen / und da von Angebühren acht Groschen entrichten / wer aber nur an einen oder mehr Oertern / so unter dem Langen- oder Vorrieth belegen Länderey und Wiesen hat / giebet einen halben Kirchgang / als zwo Mahlzeiten und an Gelde halb so viel / als vorgemeldet. Ein Fremder so nicht wesentlich in Berge wohnet / giebet von einen gantzen Flämischen Kirchgange zwey Thaler / so unter die Fläminger vertheilet werden und zwölff Groschen welche wie vor erwehnet / verwendet werden / von einem halben Kirchgange aber giebet er nur halb so viel.

4.

Welche verehlichte Personen nun / sie mögen wohnen wo sie wollen / in obgedachten dreyen Fluhren / und denen darinnē benahmten Oertern / Häuser / Länderey oder Wiesen erblich besitzen und vorbeschriebener massen / weder gantzen noch halben Kirchgang gehalten / und von ihnen eines verstürbet / fället Gn. Herrschafft von solchen Flämischen Gütern /

Güttern/ das dritte Theil anheim/ doch stehet dem überbleibendem Ehegatten frey ob er den dritten Theil wil taxiren lassen/ und mit Gelde wieder an sich zu lösen. Wenn aber eine ledige Person/ Flämische Güter hat / ist sie zwar solche zuverkirchgängen nicht verbunden / wenn sie aber sich dieselbe an gehörigen Orten nicht lässet zuschreiben und verstirbet/ ist der dritte Theil gleichfals gnädiger Herrschafft/ oder des verstorbenen nechsten Erben möchten solchen wieder an sich zu lösen. So lange nun die verehlichten Personen beysammen leben / und vorbeschriebener massen einen Kirchgangsbrieff erhalten haben / mögen sie der Flämischen Gründe an sich kauffen/ so viel Sie wollen/ und ihr Vermögen sich erstrecket / und haben sie ferner einen Kirchgangsbrieff an sich zu lösen/ nicht angehalten werden/ so bald aber der überbleibende Ehegatte ad secunda vota geschritten ist/ und nicht wieder einen Kirchgang hält oder einen Kirchgangsbrieff an sich bringet/ und solches votum durch den Tod wieder zerrissen wird/ fällt das dritte Theil/ oder das precium an gnädige Herrschafft.

5.

Wann zwo ledige Personen einander heyrathen in wehrenden Ehestande Flämische Güter auff was masse es wolle/ erblich überkommen / Kinder darinnen miteinander zeugen/ eins von ihnen beyden stirbet/ und die überbleibende zur andern Ehe schreiten wil ist solche Schuldigung so viel an Flämischen Gütern vorhanden mit ihren Kindern deren eins oder viel seyn mögen/ gleich zu theilen/ und die eine Helfte/ so den Kindern zukomt/ per sortem wieder unter die Kinder vertheilen zu lassen/ damit iedwedern Kinde / die ihm zukommende Flämische Stücke können zugeschrieben werden. So lange nun die Kinder vom Vater oder Mutter alimentirt werden/ bleibet der usus fructus solcher Flämischen Güter bey

bey Ihm oder bey Ihr/ausser den hat das Kind / so es Majorennis mit seinem Flämischen Macht/seines Gefallens nachzuwalten.

6.

Ob zwar von etlichen Flämischen Stücken unterschiedliche Zins Herrn Zins zu fodern haben / so ist doch keiner berechtiget Lehngeld zu fodern.

7.

Wann einige Irrung / wegen der Flämischen Güter entstanden / so sind die ältesten Flämiger von Heringen/ Görspach und Berga zusammen gefodert worden / auf einen kleinen Wiesenplatz/ so bey der Aumühlen gelegen / und haben über solche Streitigkeiten eine Sentens gefället / so ein Flämischer Spruch ist genennet worden / welcher in einem oder anderm Dicasterio vor gültig erkant worden / weiln in solchen Sprüchen / daß es bey vorigen Begebenheiten auch also gehalten worden / die Flämiger nahmentlich inseriret worden. *Hactenus Ahasverus Fritschius.* Ex his jam statuendum esse videtur, Jus Flammingicale non ex Flandria, sed aliundè esse arcessendum. Verùm neque hæc sententiam nostram subvertent, cùm ex historia Seculi XII. constet, & hos Flamingos, de quibus Rescriptum Magdeburgense & Fritschius agunt, à Flandris originem traxisse. Confirmant hoc luculentis & satis idoneis Historicorum testimoniis alii; nobis duos Historicos produxisse suffecerit, quorum alter est Helmoldus Presb. Bosoviensis, alter Andreas Albinus recentior Chronici Misnici Scriptor. *Ille lib. 2. Chron. Slav. cap. 2.* Pribislaum sic Slavos alloquentem introducit: *Notum est omnibus vobis, quantæ calamitates & pressuræ apprehenderint gentem nostram, propter violentam Ducis* (Henrici Leonis) *potentiam, quam exercuit in nos, & tulit nobis hereditatem Patrum nostrorum & collocavit in omnibus terminis ejus advenas, scilicet FLAMINGOS & HOLLANDOS Saxones & Westphalos atque nationes diversas.* Hic verò ea de re sequentia habet: Wie auch noch länger hernach umb Keyser Friderici Barbarossæ Zeiten oder wie die Chronica

Philippi meldet unter Käyser Conrado III. Svevo der Marggraff zu Brandenburg/Albertus Ursus des Geschlechtes der Fürsten zu Anhalt/ neben die Meyßner und Harzländer an die Sala/ Elbe und Havel viel Holländer und Flandern an der Sorben Laußnitzer und an derer Wenden statt gesetzet hat. Daher in dem Churfürstenthumb umb Wittenberg noch heute zu Tage der Städte Niederländische Nahmen sollen vorhanden seyn / als nemlich Kemmerich/ Camera-cum, welches man depravate Kemberg ausredet/Burg Brugæ, Niemeck Neomagum, Rabenstein oder Rawenstein/Acken an der Elbe/das ist Achen oder Aquisgranum und zwar der gantze Strich daselbst auf der Höhe umb den Fleming von den Flandern oder Pleumosiis genennet worden / wie denn dißmal eben von Alberto Urso und Henrico Leone viel Holländer und Westphalen in die Marck zu Brandenburg geführet/dannenhero das Sächsische Volck daselbsten ist/ und die Wenden vertrieben worden. Gleichesfalles auch bey Naumburg an der Sala ein Dorff Kemmerich genant liegen soll/und etliche Acker/die Holländische genennet werden/wie ichs aus einem Diplomate Portensi gesehen / dahin vielleicht auch etliche Niederländer gesetzet worden. Hæc Albinus *in Chronico Misniæ tit. 8. pag. 90.* quæ eo libentius enotavimus, quod loci Fleming expressam faciunt mentionem. Ex his liquidò jam constat, Jus Flammingorum, esse jus Flandrorum, à quibus illud acceperunt primò Provinciæ Belgicæ; deinde multi alii Germaniæ superioris districtus, in quibus & ille est, qui in Rescripto Magdeburgensi ad Albim non procul ab urbe Magdeburgensi situs esse dicitur. Cum ergò Cruciferi Culmensi Provinciæ juris Magdeburgensis usum concessissent, non mirum est, quod in quibusdam casibus jus Flæmmingicale iisdem concesserint, utpote, quod Magdeburgensi districtui jam tum non fuerat ignotum. Neque obstat, quod districtus ille Flemming in tabulis Geographicis nusquam reperitur. Appellationes enim ejus generis à

juribus

juribus agrorum petitæ, non sunt Geographicæ, sed Politicæ, eoque à Geographis non attenduntur.

VI. His ita expositis progredimur ad difficillimam illam quæstionem, utrum Privilegium hoc Culmense civitatibus tantùm Provinciæ Culmensis, an verò Nobilitati quoque aliisque Provinciæ Culmensis incolis fuerit concessum? In dissertatione meâ de origine Juris Prussici, quam ante paucos annos publici juris feci, probabilissima mihi visa est illa sententia, quæ Civitatibus tantùm, aliisque Colonis ignobilibus hoc Privilegium datum esse tenet. Rationes, quæ me in eam traxere sententiam non fuerunt nullæ. Videbam enim primùm pleraque capita Privilegii Culmensis restringi ad Civitates. Deinde animadvertebam Feodales distingvi à civibus *num. 9.* Item in subscriptionibus Privilegii Culmensis de An. 1251. post Cives demùm Culmenses nomina sua subscribunt Feodales. Hos autem Feodales esse nobiles non pauca probant. Ut enim præteream subscriptionem jam jam citatam, in qua inter Feodales nomen suum subscripsit Fridericus de Neu, more Nobilibus usitato, qui cognominibus suis apponere solent, *in*, *à* vel *de*, particulas, Petrus certè Dusburgensis eos videtur appellare Feudatarios, quos jam appellamus Nobiles. Consuli ea de re possunt *part. 3. c. 27. 161. & 187.* Adhæc feuda tunc temporis non nisi Nobilibus poterant conferri, ut habet Sächs. Landrecht cap. 2. cujus verba sunt: Pfaffen und Frawen/ Bawren und Kaufleute/ und alle die rechtloß sind / und die unehlich gebohren sind / und alle die nicht von Rittersarth vom Vater sind / die solten Lehnrechts darben. Welcher Herr doch dieser einem ein Guth leyhet von dem haben Sie wol Lehnrecht an dem Guth / sie erben es aber nicht an ihre Kinder. Quod si Feudatarii sive, ut in ipso Privilegio Culmensi vocantur, Feodales, sunt iidem qui Nobiles, & Feodales erant & olim in Culmensi Provincia, nihil ad eos attinere videtur Jus Flammingicale, quod juri Feudali apertâ fronte adversatur. Hæ fuere rationes, quæ me in eam adduxerunt sententiam, ut crederem, Nobilitatis Prussicæ Privilegia non esse in Privilegio Culmensi descripta. Verùm postea multis iisque maximi momenti difficultatibus pressus, veriorem contrariam deprehendi sententiam.

Etenim primùm, iis temporibus, quibus Privilegium Culmense datum & renovatum est, Nobiles etiam in urbibus inprimis majoribus, habitabant, ne crebris hostium incursionibus infestarentur. Inde est, quod in citatis Privilegii locis Feodales illi in urbibus esse dicuntur: Manifesta sunt verba *num. 9. Dicti verò cives ac Feodales earundem civitatum &c.* Sic etiam in subscript. Inter Feodales numeratur *HERMANNUS Scultetus in Thorun.* Firmari hoc potest & ex familiis Thorunienſibus, quarum insignia in templo B. Mariæ hodieque cernuntur appensa. In illis est familia derer von Essen/ cujus insignia appensa sunt Anno 1350. Ex hac sine dubio fuit An. 1367. Ludeco von Essen Commendator Gedanensis, ut habet Schuz. inter nomina Nobilitatis Prussicæ Chronicis præmissa. RHODIORUM etiam familiam, eandem fuisse puto, atque illam, de quâ in Animadversionibus *ad Dusburg. part. 3. c. 136.* egimus. Item familia derer von der Linden quæ & à Caspare Hennebergero jam superiore seculo laudatur *in opere Stematum Nobilitatis Prussicæ MS. sub Lit. L.* apud quem etiam insignia dictæ familiæ reperias. Commemorat autem ibidem Nicolaum von der Linden/ qui Barbaram Fincken (nobilis & familia in Prussia Ducali) in conjugem duxit. Hujus Nicolai von der Linden filia natu major nupsit Sigismundo von Wildenaw. Natu minor nomine Gertrudis Alberto de Ostisgau. Sed & hanc ipsam Ostisgaviorum familiam reperimus inter insignia Thorunienſia, ubi dicitur Ostichow. Commemorantur etiam aliquando Lindenii, qui præcipuos in Ordine Teutonico Magistratus, ad quos non nisi Nobilibus dabatur accessus, administrarunt. Nam An. 1374. limitationi, quæ inter Episcopatum Varmienſem & terras Ordinis facta est, subscripsit Godfridus de Linde in Balga Commendator, apud Th. Treterum *in Vita Henrici III. Sorenbaum Episcopi Varmienſis.* Non aliud fortasse sentiendum erit, de illis familiis von der Brücken An. 1351. Von Sonst 1352. Von Putten 1353. Von Datteln/ von Allen/ von Waldau/ aliisque plurimis, quarum insignia ibidem spectantur. Itaque si in urbibus habitarunt Nobiles, facti etiam sunt hujus Privilegii participes, quod etiam non secus atque alii cives subscripserunt. Feodales autem quod dicuntur, illud sententiam nostram non evertit. Nam fortasse propterea vocantur Feodales, quod in Germania feuda non nisi Nobilibus confe-

conferebantur, adeo ut hæc vocabula Feodalis & Nobilis facta sint ἰσοδυναμοῦντα; vel etiam quod cura castrorum aliorumve bonorum Ordinis Teutonici ipsis fuerat commissa. Fac autem, caput de jure Flammingicali Nobilibus non posse competere, reliqua tamen Privilegii capita quis ipsis propterea denegabit? Videlicet dici posset ipsis bona feudalia speciali quodam Privilegio concessa, quod non obstat, quò minus generatim dici queat, Jus Flammingicale toti Provinciæ Culmensi fuisse datum. Sed neque hoc necesse est, ut concedamus, quibusdam Nobilibus in Culmensi Provincia concessa esse Bona Feudali jure, cum disertis verbis contrarium asserat Casimirus Jagellonides Rex Poloniæ in Privilegio de An. 1466. ubi in reliquis Provinciis Prussiæ Regiæ, jura Prutenicalia, Magdeburgensia, Pomeranica & Feodalia abrogat, unumque jus Culmense, i. e. Privilegium Culmense, & in eo descriptum jus Flamingicale, quo tunc Culmensis utebatur Provincia, omnibus Prussiæ Regiæ incolis Nobilibus juxta atque ignobilibus concedit. Verba ipsa dabimus infra. Ex quibus manifestè satis elucet, Jus Flamingicale, quod tempore Casimiri jam appellabatur propriè jus Culmense, ut & nunc appellatur, omnibus Culmensis Provinciæ incolis fuisse concessum. Accedit, quod & olim non solùm Cives, sed & Nobiles ab Ordine Teutonico pressi, ad Privilegium suum Culmense provocabant, eoque se tutabantur, ut ex multis Schuzii aliorumque Historiæ Prussicæ Scriptorum locis manifestum sit.

VII. Cæterùm præter Jus Polonicum, Magdeburgicum, Flamingicale, fuerunt alia adhuc jura aliis Prussiæ incolis ab Ordine Teutonico collata. Subactâ Pomesaniâ & Pogesaniâ, condita est An. 1237. arx Elbingensis, eo in loco, ubi Elbingus amnis, in lacum recentem se exonerat. Postea circa An. 1239. translata est illa ipsa arx, in eum locum, ubi hodie liberalium artium Gymnasium erectum esse videmus. Ad arcem illam Lubecenses condiderunt urbem, dictam Elbingum, à flumine præterlabente nomen sortitam, eique ut jus Lubecense, quod paulò antè per Fridericum II. Imp. fuerat Lubecensibus confirmatum, concederetur, à Magistro Ordinis Teutonici impetrarunt. Henricus enim de Hohenlohe Magister Ordinis Teutonici generalis, quem pleraque Chronica Prussica, imò præter Grunovianum, omnia per-

peram omittunt, A, 1246. Civitati Elbingenſi primum contulit Privilegium, & in eo quoque id quod diximus Jus Lubecenſe. Inſignia quoque, quæ adhuc in uſu ſunt, cruces duas Urbi dedit, rete autem ex inſignibus Lubecenſibus addidit. Sed quando hæc in Animadverſionibus noſtris *ad Part. 3. Dusburgenſis cap. 16.* jam pertractata ſunt, nunc illa tantùm, quæ ſunt hujus loci, perſequemur. Contulit nempe Henricus jus Lubecenſe civitati Elbingenſi, confirmavitque, ita tamen, ut expreſsè cautum voluerit, ne appellationis cauſa (quæ in Privilegio correctio, in Germanica verò verſione Rechtfertigung vocatur) longas vias facere, ut habent verba Privilegii, compellerentur. Sanxit inſuper, ut ipſa correctio fieret infra quatuor ſcamna judicialia (4. Gerichtsbänken) ſecundùm conſilium domûs ſuæ. Tandem tamen An. 1343. & An. 1357. Appellationes ad Lubecenſes inſtitui cœperunt, concedente id Magiſtro Teutonici Ordinis, ut Vir Nobiliſſ. atque Ampliſſ. Gotofredus Zamelius, Conſul Civitatis Elbingenſis digniſſimus me edocuit. Conf. Martin. Cromer. *in deſcript. Regni Poloniæ & ſpeciatim Pruſſiæ pag. 216. Edit. Elzevirianæ* Caſp. Schuz. *lib. 1. Chron. Pruſſ. fol. 70.* Elbingenſium exemplum ſecutæ ſunt & aliæ quædam urbes. Cum enim urbs BRUNSBERGENSIS in Epiſcopatu Warmienſi in honorem Brunonis Epiſcopi (non Olemucenſis qui cum Rege Bohemiæ Ottocaro in Pruſſiam venit, ſed Brunonis Querfordenſis, qui ante ingreſſum Ordinis Teutonici in Pruſſiam, ſangvinem hîc pro Chriſto fudit) condita eſſet, hoc jus ipſi eſt collatum. *Vid. Crom.* l. c. Cauſam, cur Brunsbergenſes jus Lubecenſe receperint, Thomas Treterus tribuit navigationibus Lubecenſium, quæ antiquitùs inſtituebantur per Habum Brunsbergam. *Vid.* Treterus *in vita Henrici I. Epiſc. Varm.* Recepit idem Jus Lubecenſe & FRAUENBURGUM in eodem Epiſcopatu Warmienſi, fortaſſis eandem ob cauſam. MEMELLAM quoque Jus Lubecenſe ſimul cum Livonis A. 1254. recepiſſe, probatur ex Reſcripto antiquo, in quo Lubecenſes (rogati à Magiſtro Livoniæ & Memeloburgi ſive urbis Memelæ) Livonis juris ſui concedunt uſum. Habet illud Reſcriptum D. Johannes Sibrandus, Roſtochienſis, *in Urbis Lubecenſis Jure Publico Part. I. ſect. 10. num. 30. pag. 107.* Ex enumeratis urbibus Elbinga tantùm, Brunsberga & Frauenburgum etiam-

etiamnum jus Lubecense retinent. Memela verò cum An. 1328. Fratribus Ordinis Teutonici in Prussiâ degentibus esset tradita, fortasse statim Jus Magdeburgense & Flammingicale recepit. Nihil tamen hic determino. Reliquis urbibus Prussicis, quod quidem sciam, omnibus JUS CULMENSE, i.e. JUS MAGDEBURGENSE, & in hereditatibus JUS FLAMINGICALE Magistri concesserunt, ita tamen, ut in peculiaribus singularum Civitatum Privilegiis, quæ Privilegia Fundationum vocantur, varia jura in Privilegio Culmensi data, limitarent, quædam etiam adderent.

VIII. Quæ jura extra Provinciam Culmensem Nobiles, aliique in agris habitantes ab Ordine Teutonico adepti sint, non nisi ex particularibus Privilegiis cognoscere licet. Ex iis autem elucet, quibusdam Prædia data esse, JURE CULMENSI; quibusdam JURE FEUDALI; aliis JURE MAGDEBURGICO. (Et hoc Secul. XV. distingui cœpit IN JUS MAGDEBURGENSE SIMPLEX & JUS MAGDEBURGENSE AD UTRUMQUE SEXUM.) Aliis denique JURE PRUTENICO. De primo illo, videlicet JURE CULMENSI, non est, ut hic pluribus agamus, cum illud non sit aliud, quàm quod supra vocavimus Jus Flammingicale. Conferebatur hoc non solum Nobilibus, sed etiam ignobilibus benè meritis, ut antiquissima testantur Privilegia. JUS MAGDEBURGICUM convenit cum JURE FEUDALI in eo, quod hæreditas tantum ad filios poterat transferri, & his deficientibus, si feudum erat antiquum, ad agnatos: Sed neque his existentibus devolvebatur ad Dominum directum. Differebat autem Jus Magdeburgicum à Feudali, quod, ubi Jus Magdeburgicum sive Feudale Saxonicum discrepabat à Jure Feudali communi, causæ ex bonis Magdeburgensibus ortæ non decidebantur ex Jure Feudali communi, sed ex Jure Feudali Saxonico. JUS MAGDEBURGICUM AD UTRUMQUE SEXUM conveniebat cum Jure Magdeburgico simplici, & Jure Feudali in eo, quod hereditas deferebatur ad filios, non ad filias, & deficientibus filiis ad agnatos. Differebat autem in eo, quod deficientibus filiis & agnatis, vel etiam in feudo novo simultaneè investitis, transibat etiam ad fœminas. Quæ deinde mutationes circa hæc jura contigerint,

rint, postea dicetur. Ut autem cognoscamus, quæ fuerit hominum Prutenicæ originis circa hæc jura conditio, notanda sunt, quæ habet Petrus de Dusburg *Part. 3. Chron. Pruss. cap.* Videlicet qui erant nobili loco orti, Ordinique Teutonico sponte sua se subiiciebant, æquali jure cum cæteris Nobilibus originis Germanicæ censebantur accipiebantque bona, quod nos addimus, aut Culmensia, aut Feudalia, aut Magdeburgensia. Qui verò non nisi armis adacti jugum Ordinis Teutonici subibant, servire cogebantur. Ignobiles etiam Prussi, si imperium Ordinis Teutonici aversati jure belli sub jugum mittebantur, Ordini vel aliis Nobilibus serviebant. Sin ignobiles Ordinis imperium non detrectabant, nec postea quicquam turbare conabantur, à servitute exempti, liberè vivebant. Et hi dubio procul accipiebant ab Ordine BONA PRUTENICA (Güter zu Preuschen Recht) ipsique apppellabantur Liberi (die Freyen) Sunt & hæc bona quodam modo Feudalia. Eô tamen differunt à Feudalibus & Magdeburgicis, quod in Bonis Prutenicis, exclusis fœminis & agnatis olim soli masculi descendentes ad hereditatem admittebantur, &, si plures essent, ille, quem Dominus maximè censebat idoneum. Has differentias dictorum Jurium habet Petrus Crugerus U. J. D. ab Illustrissimo Principe, nisi fallor, Georgio Friderico Marchione Brandeburgico, ægri Principis, Alberti Friderici tutore, ea de re consultus. Est hoc Responsum M. S. in multorum manibus. Quæ singulis his juribus onera fuerint annexa, determinari vix potest, cum illa sint diversissima, nec nisi ex specialibus cujusque nobilis, aliorumque colonorum Privilegiis cognosci possunt. Illud tamen notandum est, Bona in agris Culmensia, à quocunque tandem sive nobili sive ignobili possideantur, esse multò liberiora bonis Prutenicalibus. Quocirca Magnif. Dn. Christophorus Wegnerus Bonorum Prutenicorum possessores vocat *Libertinos*; Bonorum verò Culmensium LIBEROS in Disput. *de Different. juris civilis & Prutenici Th. 2. Lit. f.* Vulgò sic distingui solent, ut illi, qui jure Prutenico bona possident, dicantur Magdeburgische Freyen: hi verò qui Culmense jure gaudent Culmische Freyen / quò pertinent die Schulzen / Krieger und Culmer. Ad extremum neque hoc prætereundum est, dari adhuc in Prussiâ Ducali Bona, quæ neque

Jure

Jure Feudali, neque Magdeburgico, neque Culmensi, neque Prutenico Possessoribus suis expresse sunt inscripta, quæ si sint plane libera & perpetuo jure donata (Frey Erblich und ewiglich/ ohne Zins und Scharwerck) censentur esse Culmensia, sin iis aliquod saltem onus impositum est, Prutenica sive Feudalia, ut in judicio Aulico Regiomontano pronunciatum esse in quadam causa novi. Ex his jam liquidò constat, jura, hoc numero commemorata, Bonis esse annexa, ita, ut in hereditatibus aliisque causis ad bona illa pertinentibus, controversiæ, non nisi ex eo, quo inscripta sunt, jure dijudicari queant: In aliis autem causis, omnibus in agris habitantibus, sive sint Nobiles, sivè ignobiles datum est Jus MAGDEBURGENSE.

IX. Præterea, cum in singulis Urbibus, particulares non rarò casus occurrant, qui in jure Magdeburgensi vel Lubecensi, non sunt definiti, singulæ urbes peculiaria sibi STATUTA, PLACITA sive PLEBISCITA, quæ Germanicè Wilkühr vocantur, constituebant. In iis comprehendebant omnia, quæ ad singularum civitatum salutem faciebant, ut Leges Mercatoribus, braxatoribus, propolis, opificibus præscriptas: Item statuta de incendiis, vulneribus, puteis, plateis publicis, de ædificiis eorumque quantitate & qualitate, gregibus, armentis, annona, defensione urbis, hæreditate, & quæ sunt reliqua talia. Ejus generis plebiscita duplicia fuisse comperimus. Quædam eorum fuere perpetua, quædam annua. Hæc præscribebant precia rerum in unum annum, & constituebantur circa Martinalia: Illa fuere de rebus non adeò mutabilibus. Utrum verò id genus Placita cujusque urbis Magistratus potuerit solus constituere sine consensu Magistri Ordinis, aliorumvè Magistratuum Ordinis Teutonici, dubitatum jam olim est. Primis temporibus magistratus in singulis urbibus Placita talia sibi constituendi potestatem habuisse videntur, etiam sine consensu Magistri vel Commendatoris Arcis (HausCompthur) qui & Burggrabius dicebatur: sed postea fuit ipsis controversia eâ de re motâ. Quapropter. Thorunienses coacti sunt consulere Scabinos Magdeburgenses, quid ex Jure Magdeburgico Civitatibus hic licitum esset. Scabini Magdeburgenses ad hæc rescripserunt: posse quidem Magistratum Urbis etiam sine consensu Burggrabii talia Plebiscita

promulgare, attamen non in omnibus causis, sed tantum in iis, quæ sunt minoris momenti (in Sachen die nicht Leib und Glied angehen) ut habet responsum Magdeburgensium *in Cod. Wallenrodiano MS. primo num. 37.* In alio verò Rescripto, de rebus etiam minoris momenti Placita ejus generis cum consensu Magistri constitui jubentur; ita tamen, ut promulgentur non nomine Magistri aliorumve Præceptorum & Commendatorum Ordinis Teutonici, sed nomine Magistratus civici. *num. 48.* Et hoc etiam ita observatum esse comprobant exempla: Plebiscita namque Regiomontanæ urbis congesta esse dicuntur, à Marschalco Ordinis (qui Regiomonti sedem suam habebat) Commendatore Arcis, & duobus Consulibus ex urbe. *Vid. Plebiscita illa in pr.* Peculiaria quoque Placita Lobnicensis urbis confirmavit Henricus à Rabenstein Marschalcus Ordinis & Rudolphus Commendator Arcis An. 1439. Similiter & aliæ urbes statuta habent peculiaria à Magistratu confirmata. Ante autem, quam hinc abeamus, obiter notandum esse ducimus, quod Placita urbis Regiomontanæ, ut hodie in multis MSS. Codicibus habentur. 78. capitulis comprehensa, perperam à quibusdam credantur esse data An. 1394. Mariæburgi. Quam sententiam amplexus est, qui in supra laudato Codice MS. Bibl. Wallenrodianæ, quæ Regiomonti est in templo Cathedrali, propriâ manu Placitis his jam superiori seculo descriptis, non ita quidem subjecit edictum Magistri An. 1394. Mariæburgi datum, in quo jubet hæc placita recipi etiam ab aliis civitatibus. Eodem edicto Magistri motus, annum Placitis adscriptum immutavit, cumque scriptum esset An. 1494. ille substituit 1394. Sed hæc convelli possunt ex eorundem Plebiscitorum cap. 13. Ubi Michaël Kuchmeisterus Magister Ord. Teutonici quatuor capita seu articulos, ut vocant, Regiomontanis dedisse memoratur. Michaël verò ille An. 1413. demum in Magistrum Ordinis Teutonici electus est. Aliàs non negamus, ab ipso Cruciferorum in Prussiam adventu, primisque singularum urbium incunabulis, ejus generis placita fuisse in urbibus condita, ut non tantum ex initiò horum, quæ supersunt Plebiscitorum; sed etiã ex lege quadam Sigefridi de Feuchtwangen, (qui An. 1307. in Prussiam sedem suam transtulit) cognoscimus. Constituit enim ille, ut ejus generis Plebiscita sive Pla-

Placita urbium, quotannis in singulis urbibus publicè prælegerentur.

X. Sed & ipsi Magistri non rarò CONSTITUTIONES peculiares promulgare solebant. Ut enim præteream Leges Fratribus Ordinis Teutonici præscriptas (quæ in quatuor partes divisæ sunt, videlicet in REGULAM, LEGES, CONSVETUDINES & peculiares singulorum ferè Magistrorum CONSTITUTIONES. In *Regula* & *Legibus* Vita Fratrum Ordinis privata formatur: *In Consvetudinibus* Jus publicum Prussicum eorum temporum continetur. *Peculiares Magistrorum constitutiones* mixtæ sunt, utpote, quæ partim ad Vitam Fratrum privatam, partim ad jus publicum referri possunt) jam de illis tantùm agam legibus, quæ Prussiæ incolis Ordini Teutonico subditis, datæ sunt. Cum Prussi recens conversi ad Ethnicismum relapsi Fratribus Ordinis Teutonici sese opposuissent, habitum est An. 1249. (non 1255. ut vulgo creditur) judicium à Jacobo Archidiacono Leodiensi Pontificis Romani Legato, ubi Prussi illi veteres, cum Ordine in gratiam redierunt, & ut beneficiis ad Christianorum sacra colenda allicerentur, certa sunt adepti Privilegia, quæ inter Privilegia à nobis edita reperies, sed cum iterum, iterumque jugum Crucigerorum excussissent, & his privati sunt beneficiis. Posthæc Sigefridus à Feuchtvvangen XII. Magister, cum An. 1307. sedem suam in Prussiam transtulisset, sequentes leges posuisse fertur: (1.) Nemo Judæus, Sortilegus, Veneficus, agyrta, paganus, vagabundus, mendicus, otiosus in Prussia tolerator. (2.) Servi & ancillæ sacris ut intersint, festos celebrent dies, Germanicæ adsvescant lingvæ, Domini curanto. (3.) Prussi veteres ab opificiis arcentor, tabernas mercatorias vel cauponas ne habento. (4.) Servum fugitivum persequi, aurem perforare, domumque reducere, cuique licitum esto. (5.) Domini servos suos constituto tempore à se dimittunto, plenamque ipsis mercedem exsolvunto. (6.) Omnes merces atque penus in forum rerum venalium deferuntor, non verò à propolis præripiuntur. (7.) Omnes & singuli opifices operibus suis peculiare signum adjiciunto, quo cognosci possis, à quo merces bonæ & corruptæ habeantur. (8.) mulctæ in tribubus & Opificum conventibus irrogatæ non compotationibus, sed armis coëmendis impenduntor. (9.) Diebus Festis contractus initi,

invalidi sunto, (10.) Nobiles à mercaturâ abstinento, cerevisiam suam in urbes ne invehunto. (11.) Pecora aliaque ad agriculturam pertinentia pignori ne opponuntor. (12.) Sculteti quotannis fines agrorum lustranto, decimas sacerdotibus debitas colligunto; equos singuli singulos alunto, & arma uni militi sufficientia habento, pro quo onere singuli quatuor mansos agri ab Ordine Teutonico accipiunto. (13.) Episcopi tertio quoque anno Diœceses suas lustranto paganisque convertendis operam danto (14.) Hæ constitutiones (ut & aliæ minoris momenti, quas hic omisimus) quotannis in urbibus & pagis publicè præleguntor. *Vid.* Schuz. *lib. 2. Chron. fol. 54.* Idem Magister legem illam tulisse dicitur, quæ vel in hunc usque diem vulgo *Jus Prussicum* (das Preusche Recht) vocatur. Cum enim Prussi veteres Cruciferorum imperium exosi, multis venenum in conviviis aliisque congressibus propinarent, constituit hic Magister, ut qui poculum ultimus ebibit, ex recens impleto idem assessori suo denuo propinaret. *Vid.* Thom. Waissel. *in Chron. Pruss. p. 105.* Deinde Winricus à Kniprode XIX. Magister Ord. Teutonici, qui Anno 1351. in Magistrum est electus, multas, easque salutares tulit leges, quarum pleræque sunt vestiariæ. Constituit insuper, ut pro foribus domûs, ex quâ efferendum esset funus, alba suspenderetur lodix. Item ut circa ferias Pentecostales Cives in urbibus ad avem pro metâ erectam jacularentur. Thomas Waissel. *pag. 123. seq.* Tulit etiam quasdam leges Conradus à Jungingen, quas vide apud Thom. Waissel. *fol. 131.* Ut & Paulus Bellizerus à Rusdorff apud Schuz. *fol. 117. b. & 123. seqq.* Circa An. 1435. dedit Provinciæ Warmiensi certas leges Fr. Eberhardus à Wesentauer Advocatus Warmiensis Episcopatus cum consensu Episcopi, quæ Leges, cum libris tribus Distinctionum, aliisque Rescriptis Scabinorum Magdeburgensium, ut & jure Culmensi antiquo, habentur in codice chartaceo Cancellariæ in Prussiâ Ducali.

XI. Accedit, quod Prussi sub Ordine Teutonico in quibusdam causis etiam ad JUS WESTPHALICUM, quod Germanis dicitur das Fehme Recht/ evocabantur. De hoc judicio & jure, cum non fuerit Prussis proprium, multis agere non attinet; quædam tamen hic in medium adducere non pigrabimur. Auctor ejus fuisse dicitur Carolus Magnus, cum degeret Eresburgi. Cum enim

enim Westphali recens conversi sæpiùs fidem abnegassent, ut metu pœnæ rebellionem compesceret, occultos instituit judices, quibus potestatem dedit, ut simul ac dejerasse aliquem comperissent, aut fregisse fidem, mox eum supplicio afficerent, nullâ defensione præmissâ. Elegit autem ad hoc negotium Viros graves & recti amantes, quos plectere innocentes haud verisimile fuit. Sparsi erant judices hi per Provincias, vix ulli hominum noti. Nec repertus est quisquam inter eos, qui secreta judicii vel precio vel metu divulgarit. Et tale judicium hoc ab initio & aliquot seculis post fuisse non dubitamus. Sed deinde in judiciis his aliqua inconsideratius & injustius facta esse non negabit, qui exempla à Schuzio nostro commemorata expenderit. Tentata quidem est aliquoties ab Imperatoribus Germanicis, nominatim Sigismundo, Friderico III. Maximiliano I. reformatio, sed vix potuit pristinæ integritati, quâ temporibus Caroli Magni floruit, restitui, donec tandem in desvetudinem prorsus abiret. Quod ad nomen ejus judicii attinet, vocatur illud, ut jam dictum est *Jus Westphalicum* à Provincia, ubi institutum est. Sed & alia nomina sæpiùs apud antiquos Scriptores legas. Videlicet vocatur etiam *Jus Sicambricum, Judicium Occultum, Lex secreti judicii. Jus Vetitum* (vel, ut alii legunt, *jus Vititum*, vel *Vemum, Vemium*, alii etiam *Vitium* sive *Wittium* à Germanico Witt i. e. prudentia, quod Prudentes Viri in eo judices constituebantur) Germanicum illud Vehmerecht/ alii à Latino *væ mihi* deducunt; alii à voce Germanica Vehe i. e. Feig. Ipsi *Judices dicebantur Scabini, Waimari, Conscii.* Vid. Wippo *in vita Conradi Saliqui cap. 6.* Henricus de Hervordia. Æneas Sylvius *lib. de Statu Europæ sub Friderico III. Imp. cap. 29.* Joannes Aubanus Boëmus *lib. 3. Descript. Orb. terr. c. 14.* Marquardus Freherus, *in peculiari libro de Judicio Westphalico.* Henricus Meibomius *de Irminsula Saxonica cap. 12. pag. 39. seq.* Matth. Martinius. *in Lexico Philolog. voce Feimerus.* Casp. Schuzius *lib. 4. Chron. Pruss. fol. 55. b. & seqq. & alii plurimi.* In hocce jus evocabantur olim Prussi nostri, Prussis ipsis citationes procurantibus, quo factum est, ut Ordines Prussiæ, in Conventu Provinciali Magistrum Ordinis rogarent, curaret ille, ne Prussi citationibus ejus generis onerarentur. Lata etiam insuper est Lex in eos, qui ausi fuerint, adversarios suos extra Prussiam in hocce jus evocare, ut testatur Schuzius *loc.*

citato ad An. 1448. Ex his jam evidens est, quæ olim in Prussia fuerit jurium varietas. Accedebat his quorundam malitia, qui ipsi sibi jura fingebant, eaque pro jure Prussico venditabant, si fides est Hennebergero *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 51.* Deploravit hoc ipsum & Paulus Borringer Monachus Carthusianus *in Epistola ad Paulum Bellizerum Magistrum generalem An. 1428. scripta, quam habet Auctor Chronici Ordinis & ex eo Thomas Waisselius.* In hac epistola, sub finem, postquam de injustitia multa disseruisset, subjicit de jure Prussico: So manch Gebiethe / so manch Recht. *Vid.* Waissel. *fol. 164. b.* Ut autem ea omnia, quæ hactenus allata sunt, in compendium mittamus, dicimus in quibusdam locis usum fuisse Juris LUBECENSIS tantùm: In aliis obtinuisse usum Juris MAGDEBURGICI, cujus exceptiones ratione hereditatum fuere jus *Flammingicale*, Feudale, Prussicum & fortassis etiam Polonicum (Sed & Poloni olim utebantur Jure Magdeburgensi, ut alibi probavimus,) ratione inventionis fodinarum auri *Jus Silesiacum*, inventionis autem argenti jus Freibergense. Magistrorum constitutiones ubique valebant. Particularia denique Plebiscita non nisi in iis locis, ubi condita erant, observabantur.

XII. Hactenus consideravimus jus Prussicum propriè sumptum, quatenus denotat regulas actionum moralium; jam agendum nobis erit, de Jure Prussico, impropriè sic dicto, quatenus accipitur pro corpore quodam sive Codice Juris Prussici, cujus usus hîc, Cruciferis Prussiam tenentibus, obtinuit. Hic autem statim ab initio quæritur, utrum Prussi ab An. 1232. quo ipsis usus Juris Magdeburgensis concessus est, habuerint aliquod juris Magdeburgensis Corpus, ex cujus præscripto decreta ferri à Scabinis possent? Quodsi jus illud Magdeburgense sive Weichbildicum, quod hodiè habemus, id temporis fuisset scriptum, facilis esset Responsio ad propositam Quæstionem; cum dici posset, hoc ipsum jus Weichbildicum sibi Prussos adoptasse. Verùm ea de re non immeritò dubitatur. Quanquam enim in conclusione Juris illius Weichbildici Otto Magnus Imp. An. 900. à Nato Christo, & tertio Imperii sui, præsentibus Electoribus Jus hoc Weichbildicum dedisse, dicitur; multa tamen conclusionem illam esse supposititiam persvadent. Nam (1.) Auctor hujus libri *art. 12.* de Ottone M. ut & de Ottone Rufo loquitur, ut pridem defunctis

(2.) Men-

(2.) Mentionem injicit Friderici I. Imperatoris & Wichmanni Archiepiscopi Magdeburgensis *art. 3.* quorum tamen uterque duobus post Ottonem Magnum Seculis vixit. (3.) Dicit *art. 10.* jus à Magdeburgensibus petere Polonos, Bohemos, Misnenses, Saxones & alios. Polonis vero Jus Magdeburgense concessum esse à Boleslao Pudico qui An. 1226. admodum puer Poloniæ factus est Princeps, ut testatur Cromer. *lib. 9. Histor. Polon. in fin.* & Salom. Neugebaur. *lib. 3. Hist. Pol. pag. 161.* His aliisque rationibus Cl. Vir Hermannus Conringius inductus existimat circa confinia Sec. XIII. & XIV. jus illud Weichbildicum esse in literas relatum, cum jam usus ejus receptus esset per Poloniam, Bohemiam, Prussiam & alias Provincias. Vid. Conring. *lib. de Orig. Jur. Germ. cap. 18.* Quid hic nobis antea sit visum, exposuimus uberrimè in Dissertatione de Origine Juris Prussici. Sed ut verum fateamur, nobis ipsis quædam ex illis jam minimè placent. Commemorabimus tamen ea, quo manifestius fiat, quid tunc temporis, nec sine Virorum Doctissimorum, rerumque Prussicarum peritissimorum auctoritate, senserimus, & quid nos postmodum ab ea sententia abduxerit. Verba verò propemodum eadem, quibus tunc sumus usi, huc adscribere non pigrabimur.

XIII. Notandum est, Culmenses, jure Magdeburgico nondum in literas relato, magnis sumptibus, magnaque curâ, à Magdeburgensibus jura petiisse, quæ deinde ab urbe suâ vocarunt CULMENSIA. Quotiescunque enim dubium aliquod in judiciis occurrebat de difficiliori aliquo casu, tum Scabinos Magdeburgenses (Scabinos, inquam non Consules vel Senatores, quod obiter notandum. Licet enim aliquando per errorem quæstio dubia Senatui Magdeburgensi fuerit transmissa, ille tamen eam Scabinis remisit decidendam. *Vid. Codex I. inter MSS. Biblioth. Wallenrod. quæst. 38.*) consulebant, eorumque Rescripta vim legum obtinere volebant. Sed neque his acquieverunt. Nam quotiescunque resciverant, in aliis quoque Provinciis jure Magdeburgensi gaudentibus, quæstiones super isto jure propositas decisasque fuisse, toties decisionum illarum exemplar, non obstante sumptuum quantitate sibi acquirebant. Ex his omnibus unum confectum est volumen, in tres libros divisum, quibus nomen inditum sequens: QUÆSTIONES MAGDEBURGENSES (Magdebur-

deburgiſche Fragen) Vid. Adamus Riccius *in Tractatu Rapſodico, de librorum Juris Romani, aliorumque Quantitate & Qualitate num. 86.* & Gregor. Huſing. *in Explicatione Juris Culmenſis, quæ MS. habetur in ſæpe citato Codice MS. primo Biblioth. Wallenrod.* Et hoc eſt primum Juris Pruſſici volumen.

XIV. Verum animadvertentes Pruſſi, in Quæſtionibus illis Magdeburgicis multa ſine ordine proponi, multa etiam deſiderari, coegerunt ſparſas Leges in Corpus illud, quod in V. libros digeſtum etiamnum JURIS CULMENSIS nomen præ ſe fert, quodque deinceps (procurante id & ſumptus ſuppeditante Henrico Stroband Urbis Thorunienſis Præcos; ut teſtatur Melchior Adami in vitis JCtorum p. 413.) ex quodam exemplari An. 1394. deſcripto, typis publicis exſcriptum eſt Thorunii An. 1584. apud Melchiorem Nering. Vidi hoc ipſum MS. exemplar Thorunii in Bibliotheca Pl. R. Dn. M. J. N. in Codice membranaceo deſcriptum elegantiſſimè, ex quo Volumen typis expreſſum ductum eſt, ne apice quidem immutato. Quamvis autem Volumen hoc JUS CULMENSE appelletur, non continet tamen ea, quæ hodiè in Pruſſia dicuntur eſſe juris Culmenſis i. e. non continet Privilegium de hereditate æqualibus partibus inter utriusque ſexûs liberos dividenda; de communione bonorum inter Conjuges, & aliis, quæ ſupra num. V. Juri Culmenſi propria eſſe diximus: ſed contrarias potius in eo Leges deprehendas. Exemplum manifeſtiſſimum eſt *in libro IV. cap. 36.* ubi hæc habentur: Ab ein Mann ein Wyb nimpt/und ſtirbet der Mann das Wyb hat an ſyme Gute nicht/is enſy denne/das Her is habe ir gegeben in gehegetem Dinge/ odir zu Lybgedinge zu irme Lybe. Et cap. 39. ejusdem libri dicitur: Ayne Brawe mag yres toden Mannes Erbe/ darinne her beſturben iſt/nicht genießen/alſo das ſy das vormitten möge und auch nicht darinne beſitzen ane der Erben Gelob und Wille. Huc pertinent ea omnia quæ lib. 4. habentur de Morgeneticis (Morgengaben) Rebus expeditoriis ſeu Heergewettis. (Heergewetten) deque Geradis ſive paraphernalibus (Geraden) & aliis quæ nunquam ab iis, qui jure Culmenſi propriè ita dicto, ſive jure Flammingicali utuntur, ſunt recepta. Vid. Riccius *loc. cit. p. 283.* Conſtat igitur ſat ſuperque, Jus hoc Culmenſe in 5. libros digeſtum, non eſſe aliud quam ipſum Jus Magdeburgenſe, collectum ex Jure Weichbildico, Magde-

Magdeburgensi, Speculo Saxonico, Quæstionibus & Responsis Magdeburgensium, ut hoc manifestissimè docuit Gregorius Hüsing. *loc. cit.* Adde, quod Codex I. MS. in Biblioth. Wallenrod. non legit, ut alia exemplaria vulgò legunt: Do man den Colmen besatzte ꝛc. sed Do man die Stadt Magdeburg besatzte/ gab man ihn das Recht/ quæ etiam expressè iisdem ferè verbis habentur *in Jure Weichbildico cap. 42.* Posthæc quæritur, quando jus hoc Culmense, de quo nobis est sermo, quodque ipsum jus Magdeburgicum esse diximus, scriptum sit, & utrum auctoritate publica scriptum sit? Decidi hæ quæstiones facile possunt, si rectè se haberent, quæ in Codice MS. primo Wallenrodiano nonnemo Culmensi huic juri subjecit, nimirum Jus hoc Prussis datum esse An. 1250. 1. Cal. Octobr. Sed error hic fluxit ex Confusione Juris hujus Culmensis, de quo jam agimus, cum Privilegio Culmensi, quod An. 1250. d. 1. Cal. Octobr. ut habent quædam exemplaria Germanica, concessum esse diximus. Neque illa verba ex eadem ratione rectè se habent, quæ in initio juris Culmensis reperiuntur: Do man die Stadt Colmen besatzte/ gab man ihn das Recht / nisi intelligantur propriè de ipso Jure Magdeburgico, quod longè post ea tempora demum in Scripturam redactum est, Nobis persvasum est Jus hoc demum Sec. XIV. congestum esse per judicem vel Scabinum, vel etiam Notarium aliquem, idque non nisi privato studio, ex scriptis jam supra notatis, quibus nunc addimus Responsa ipsorum Scabinorum Culmensium ad Scabinos aliarum Civitatum Prussicarum transmissa, ut manifestum esse potest ex *lib. 5. Jur. Culm. c. 12. & 13.* ubi expressa sunt verba: Hieruf sprechen wir Scheppen von deme Colmen vor ein Recht ꝛc. Quod autem hoc Volumen Sec. XIV. dicto modo sit consarcinatum, probamus ex eo, quod Anni supra millesimum trecentesimum vigesimi primi in eo expressa fit mentio *lib. IV. Jur. Culm. c. 92.* Privato studio id jus congestum esse, vel inde colligitur, quia tot habet Privilegio Culmensi contrarias leges. Si enim publicâ esset auctoritate scriptum, ea dubio procul tantùm fuissent scripta, quæ per totam ferè Prussiam obtinebant, non verò ea, quorum nullus tunc per Prussiam erat usus. Quin etiam ex eadem causa impetrare à me non possum, ut credam Auctori Juris Culmensis Reformati Gregorio Nesio J. U. D. & Præcos. Mariæburgensi, qui *lib. 1. art. 1. cap. 1.* Volumen

hoc Juris Culmensis à Paulo Bellizero Magistro generali, confirmatum esse scribit.

XV. Sed neque hoc juris volumine Prussi fuere contenti, quapropter ex hoc ipso jure Culmensi, ut & Magdeburgico, Speculo Saxonico, Quæstionibus Magdeburgensibus concinnarunt aliud Juris Volumen in IX. Partes divisum, appellaruntque DISTINCTIONES MAGDEBURGENSES, dubio procul à partibus, in quas dividitur, ita dictum. Continet enim præter libros & articulos, etiam certas articulorum *distinctiones*. Scriptum illud est An. 1452. ut habetur *lib. 1. art. 1. dist. 7.* Quamvis hæc in exemplari, quod procurante Alberto Polmanno in lucem editum est, sint omissa. Quis fuerit ejus Voluminis usus in Prussia, verbis Adami Riccii docebimus: *Quod opus*, inquit ille, *licet per se laudabile & magno labore conflatum sit, pleniusque Prussorum jura describserit, quàm isti libri, quos communiter Jus Culmense vocamus, vix tamen in considerationem venit, quia incolæ ignorantes fontem, unde desumptum erat, aliquid novi subesse putarunt, & ideò vulgatum jus Culmense quinque libris comprehensum secuti fuerunt; ita tamen, ut in casibus omissis Jus Magdeburgicum, vel hoc etiam deficiente speculum Saxonicum, & hoc iterum tacente, Jus civile Romanum sequerentur.* Hæc Riccius *loc. cit. pag. 276.* Præter hæc, quæ ex Riccio adducta sunt, illud etiam exemplar MS. quod nos consuluimus, de usu Voluminis hujus in Prussia nonnulla tradit. In ipso namque frontispicio, Opus hoc, simul cum Jure Culmensi in dijudicandis causis à Scabinorum consessibus dicitur fuisse adhibitum. Quando autem Distinctiones hæ Magdeburgenses in desvetudinem abierint, nusquam annotatum est à Scriptoribus nostris, nisi quod ex verbis Riccii citatis colligere licet, non fuisse hoc jus publicâ auctoritate abrogatum, cum nec publicâ fuerit conscriptum. Addere possumus & hoc, quandoquidem opus commemoratum paulò ante Prussorum ad Casimirum Jagellonidem transitum, videlicet An. 1452. scriptum est, non potuisse plane in Prussia invalescere; sed statim à Prussis, utpote qui biennio post ad Polonorum partes transierant, fuisse repudiatum, præsertim cum neque in illo per omnia ratio fuerit habita

qui

qui Epigraphen Exemplari MS. quo nos usi sumus, adjecit. Et hæc fuere volumina Juris in Prussia condita. Sed & SPECULUM SAXONICUM hic etiam alicujus auctoritatis fuisse, non solum ex verbis Adami Riccii supra citatis, sed etiam ex aliis cognoscere licet documentis. Est adhuc in Cancellaria Prussiæ Ducalis Exemplar Speculi Saxonici vetustum in Codice membranaceo eleganter descriptum. Huic adjectus est PROCESSUS JUDICIARIUS, quod certo nobis esse potest indicio, fuisse scripta hæc in Prussicis judiciis antiquitus usitata.

XVI. In hunc sensum, & tantùm non iisdem verbis, sententiam nostram de Voluminibus Juris Prussici antiqui explicavimus in Dissertatione de Origine Juris Prussici. Duces nostri, quos hic secuti sumus, fuere Gregorius Husinus & Adamus Riccius *ll. cc.* Devenit postea in manus nostras Casparis Schüzii liber MS. de Testamentis (von Erbfällen) & hereditatibus, cui præmisit benè longam præfationem, de Jure Culmensi generatim agentem. Ex hac Riccium sua, quæ de Volumine Juris Culmensis habet, hausisse animadvertimus. Mirificè namque concordant omnia. Illud tantùm nos non parum turbavit, quod Schuzius antiqua Exemplaria se vidisse testatur, quæ hanc præfationem haberent præfixam: *In nomine DEI æterni Amen. Omnibus Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, Henricus DEI gratiâ Dux Silesiæ & Dominus Vratislaviensis, salutem in auctore salutis. Illud præcipuè principalis potentiæ culmen amplificat, rebus omnibus diligenter intendere sub certisque legibus ita subditorum constringere voluntates, ut statuti juris observantiis alligati sectari licita valeant & inhibita declinare. Cum itaque felicis memoriæ Pater Noster, quasdam Constitutiones & jura Magdeburgensia Vocatione nostræ Civitatis Vratislaviæ ipsis Civibus eorumque posteris concedere decrevit. Nos qui Paternis cupimus reverenter adhærere vestigiis, omnia jura prædicta, Statuta s. Constitutiones Magdeburgenses, prout à Patre Nostro ipsis rationabiliter sunt indultæ, ratificamus, approbamus, ipsasque per ordinem facimus subscribi.* Hie hebt sich an Magdeburgisch Recht ꝛc. Inveni deinde ipse ejus generis Exemplar Mariæburgi apud Nobiliss. atque Consultiss. Dn. Henricum Be-

nike J. U. D. & Præcos. civitatis Mariæburgensis, quod eandem habet præfationem; subjicit tamen: Do man die Stadt Colmen besatzte/gab man Jhn das Recht ꝛc. Hic ut certi aliquid cognoscerem, transmisi ad Virum Clariss. Dn. Johannem Gebhardum Gymnasii Elisabetani Vratislaviensis Professorem & ConRectorem aliquot quæstiones cum JCtis Vratislaviensibus communicandas, qui etiam (quæ ejus est humanitas & ad promovendam rem literariam promptitudo) me certiorem fecit, duo Vratislaviæ sibi obtulisse se Exemplaria, quorum utrumque eandem Henrici Ducis Silesiæ habet præfationem, iisdem planè Latinis præmissam verbis. Quibus æquè Germanicè subjicitur Hie hebt sich an Magdeburgisch Recht. Do man Magdeburg besatzte / do gab man ꝛc. Alterum horum Exemplarium possidet Vir Nobiliss. Joh. Henricus Conradus, Consiliarius antehac Olsnæ Wurtenbergensis, nunc Lichtensteinensis & scriptum est An. 1517. Alterum est in Bibliotheca Matthiæ Machneri Reipubl. olim Wratisl. ab Expeditionibus Latinis, idque exemplar An. 1518. per eundem Scribam Schordachium est descriptum. Ita enim in utroque Exemplari ultima ad calcem addita leguntur verba: Geschrieben und vorbracht durch Thomam Schordach/Mezner in der Herren Mól An. 1517. & in altero 1518. In utroque exemplari hæc insuper adduntur: Nach Gottes Geburth An. 1395 am Sonnabende vor Conversionis Pauli haben die Rathmanne und Schöppen zu Breßlaw alle vorgeschriebene Stücke einträchtiglich auffgetragen und gen Stanißlau vor Recht geschrieben. Conveniunt hæc duo exemplaria ubique ferè cum jure nostro Culmensi Antiquo, quod procurante Henrico Stroband Thorunii An. 1584. per Melchiorem Nering typis est exscriptum. Divisum quippe est jus illud Vratislaviense antiquum, itidem ut dictum Culmense, in V. libros. Eodem etiam ordine capita sunt disposita. Hanc tamen differentiam ex Regesto juris Vratislaviensis antiqui mihi transmisso deprehendi, quod in fine libri 1. quædam capitula sint in Vratisl. jure addita, in cœteris etiam libris quædam omissa, quædam item transposita. Maximam differentiam deprehendi in libro V. ubi non nisi undecim priora capita in utroque jure, videlicet Vratislaviensi & Culmensi conveniunt, reliqua sexaginta capita Culmensi addita non agnoscit jus Vratislaviense; substituit tamen alia, sed non nisi sex capitula, ut &

Urbis

Urbis Vratislavienſis Plebiſcita (Willkör) Hoc autem nemini mirum videri debet, cum etiam in Pruſſiâ quamplurima reperiantur Juris hujus Culmenſis exemplaria, quæ ne ſecum quidem ipſa per omnia conveniant. Ex his jam omnibus facile colligi poteſt, non in Pruſſia, quod nos antehac aſſeruimus, ſed in Sileſia congeſtum eſſe hoc Volumen Juris, quod ſub nomine Juris Culmenſis ſuperiore Seculo An. 1584. Thorunii typis exſcriptum eſt. Sed quo evidentiùs illud fiat, ſtrictim hic adducam argumenta, quæ me ut ſententiam meam abjicerem coëgerunt. Primùm hoc diſertis verbis in Præfatione ſuâ teſtatur Henricus Vratislavienſis Dux. Deinde idem aſſerunt Senatores & Scabini Vratislavienſes, dum illud pro ſuo jure agnoſcunt, illudque Namslavienſibus transmittunt. Tertio, in antiquis exemplaribus Pruſſicis plerisque non fuit lectum: do man die Stadt Colmen beſazte: ſed do man Magdeburg beſatzte ꝛc. ut hoc non tantum ſupra ex Codice Bibliotecæ Wallenrodianæ patuit, ſed aſſeritur etiam diſertis verbis à Caſparo Schuzio, qui in citata Præfatione hæc habet: deßen dann auch gute nachrichtige zu haben/ aus den meiſten Exemplarien ſo mir noch zur Zeit vorkommen ſind / derer Uberſchrifft und Eingang insgemein alſo lautet: Hie hebt ſich an Magdeburgiſch Recht. Do man Magdeburg beſazte. Præterea in Jure hoc, quod Culmenſe vocamus, reperiuntur Reſcripta ad Scabinos Vratislavienſes *lib. 3. Jur. Culm. cap. 44. & ſqq.* Contra verò, Reſcripta Scabinorum Culmenſium, quæ habentur *lib. 5. Jur. Gulm. cap. 12. & 13.* in exemplaribus Vratislavienſibus deſiderantur; quod certo nobis eſt indicio, Pruſſos à Sileſiis, non hos ab illis, volumen hoc accepiſſe. Super hæc, & illud noſtram confirmat ſententiam, quod ſupra jam de contradictionibus in medium adduximus. Si enim in Pruſſia eſſet hoc volumen concinnatum, non reperirentur tot leges Privilegio Culmenſi, jurique in eo Flammingicali contrariæ; A Sileſiis autem illæ leges omnes fuerunt receptæ. Accedit, quod mulctæ judiciariæ in hoc volumine dictentur, quæ prorſus in Pruſſia non fuerunt in uſu, verbi gratiâ die Stadtbuße von 36. Schillingen. *Vid. Jus Culm. lib. 3. cap. 49.* Quæ tamen in Pruſſia non niſi 4. ſolidûm fuiſſe videtur. *Vid. Privilegium Culmenſe num. 2.* Adhæc in volumine dicto Juris Culmenſis pecunia Bohemica frequen-

ter in Polonicam resolvitur, quæ in Silesia, quàm in Prussia fuit usitatior Vid. *lib. 2. Jus Culm. cap. 37. & lib. 3. cap. 36.* Ad extremum Sigismundus I. Rex Poloniæ *in Constit. de An. 1526.* Jus Culmense, quo Prussia tunc utebatur, scripturis authenticis sancitum nusquam reperiri dicit, jubetque ut jus illud colligatur conscribaturque, quod dicere non potuisset, si hoc jus esset ipsum Jus Culmense in Prussia collectum. Neque nobis obverti possunt, quæ reperiuntur *lib. 3. Juris Culmensis cap. 142. & 144.* Ubi habentur Rescripta Magdeburgensium ad Culmenses Scabinos. In posteriore namque loco hæc legas: Do nicht Colmisch Recht ist / do mag sich ein echter vor Ansproche woll beholden. Adir wo Colmisch Recht ist &c. Hæc inquam, nobis obverti non possunt. Nam licet hæcce capita & in exemplaribus Silesiacis habeantur, nihil tamen in illis de Jure Culmensi; sed ubique pro Colmisch substituitur Magdeburgsch v. g. citata illa verba in Silesiacis Exemplaribus ita leguntur: do nicht Magdeburgsch Recht ist / do mag sich ein echter vor Ansproche woll beholden. Adir wo Magdeburgsch Recht ist &c. Ex quibus manifestum fit, non esse hæc Rescripta ad Culmenses, sed fortasse ad Vratislavienses missa: Librarium autem propriâ auctoritate pro Colmisch substituisse Magdeburgsch. Cognitis his, ulterius progredimur, inquisituri, quis ille fuerit Henricus, qui Vratislaviensibus illud jus dedisse dicitur. Posset alicui venire in mentem, non fuisse hunc alium, quàm Henricum Barbatum, qui cum esset Dux totius Silesiæ, frequentissimè cum conjuge sua Hedvige Vratislaviæ habitasse, magnoque studio urbem exornasse dicitur. *Vid.* Joachim. Cureus *in Annal. Sil. pag. 273.* Cùm verò Henricus Barbatus An. 1238. d. 19 Martii Crosnæ diem suum obierit, quo nec ipsum jus Weichbildicum, ex quo Silesiacum sine controversia depromptum est, conscriptum fuisse putat Hermannus Conringius, aliaque etiã supersint, quæ Henricum Barbatum Juris hujus auctorem constituere prohibent, alius nobis quærendus erit Henricus, cui hoc ipsum rectius queat attribui. Dum autem hic cuncta circumspicio, Henrici Barbati Nepoti, Henrico videlicet III. jus illud Silesiacum, quod nostri deinde vocarunt Culmense, acceptum referri posse reperio. De illo quippe Joachimus Cureus: *Post hanc cladem* (videlicet à Tartaris ad Ligniciam urbem Anno 1241. acceptam) *sequitur no-*

va ætas

va ætas urbis. Fuit enim Dominus Vratislaviæ Henricus Tertius adolescens, quem regebant, Anna, filia Regis Bohemiæ Ottocari primi, mulier sapiens & Thomas Episcopus: illis assentientibus, ut civitas citius augeretur, permissum est illi JUS GERMANICUM & abolitæ sunt iniquæ leges & servitus Polonica; concessæ verò immunitates, quales sunt in civitatibus Germanicis. Hæc Cureus *loc. cit.* Sed dices duo adhuc obstare, quo minus ea sententia probari possit. Primum quod supra Num. XI. diximus Cl. Virum Hermannum Conringium existimare Jus Weichbildicum circa confinia Sec. XIII. & XIV. in literas redactum. Si autem hoc verum est, quomodo Henricus III. qui ante medium Sec. XIII. vixit, Vratislaviensibus potuit jus aliquod scriptum dare, quod ex jure Weichbildico depromptum est? Secundum est, quod in Jure Silesiaco, quod Prussi deinde suum fecerunt, mentio fiat Anno 1321. nempe *lib. 4. Jur. Culm. cap. 92.* Sed adhæc respondere haud est difficile. Quod enim ad prius attinet, Cl. Conringius existimat ex ea potissimum ratione Jus Weichbildicum conscriptum esse, aut circa finem Seculi XIII. aut circa initium sequentis, quia ipsi hoc persvasum erat, Lescum Nigrum, qui Anno 1279. factus est Poloniæ Princeps, in Poloniam demum Jus Magdeburgense introduxisse. Cum autem Jure Weichbildico art. 10. dicatur, Polonos hoc jure jam usos esse, cum Jus Weichbildicum conscriberetur, non potuit aliud inde colligere, quam quod Jus Weichbildicum post tempora Lesci Nigri Principis Poloniæ, adeoque circa finem Sec. XIII. aut XIV. conscriptum sit. Nos autem jam supra auctoritate Cromeri & Neugebaueri probavimus, ante Lescum Nigrum jam Boleslaum Pudicum hoc jus Polonis contuliſſe. Quin si verba Cromeri & Neugebaveri pensiculatius expendamus, videbimus his non obscurè innui, jam ante Boleslaum Pudicum hoc jure in Polonia usos Germanos fuisse, Boleslaum autem Pudicum hoc jus ipsis tantum confirmasse. Verba Cromeri sunt: *Civitatem Cracoviensem jure Saxonico sive Magdeburgensi, quod & Stredense & Teutonicum vocant,* STABILIVIT. Itaque etiamsi jus Weichbildicum initio Seculi XIII. esset conscriptum, potuisset tamen dicere, Polonos hoc jure tunc jam usos esse, etiamsi illud publico Principum Polonicorum decreto non fuerit confirmatum. Ad secundum respon-

respondere licet, in anno designando facillimè errorem potuisse committi, neque iam alia Juris Culmensis antiqui exemplaria, quæ antehæc in aliis consului, sunt in promptu, ut in iis inquirere liceat, utrum omnia hunc annum agnoscant. Fortassis etiam Exemplaria Vratislaviensia, dicto in capite alium annum dictant, quæ itidem consulere non datur. Sed fac etiam omnia exemplaria hic in anno convenire, posset nihilominus reponi, hoc caput posterioribus demum temporibus Juris Silesiaci & Culmensis Volumini esse insertum. Cum satis constet, hæc exemplaria variè esse interpellata, adeò, ut prosus inter se conveniant. Et tantum de Jure Prussico antiquo, quod usque ad medium Sec. XV. in Prussia obtinuit.

XVII. Postquam Anno 1454. Prussia Casimiro IV. Jagellonidi Regi Poloniæ sese obiecisset, confirmata sunt ipsi omnia illa jura, de quibus usque ad Num. XI. egimus. Sic enim se habent verba Privilegii An. 1454. à Casimiro Rege concessi circa finem: *Item cum terræ ipsæ & homines ipsas incolentes variis hactenus legibus sive juribus, videlicet Magdeburgensi & Culmensi, Polonicali hæreditario & Prutenico, in decidendis quibusvis eorum quæstionibus & administratione justitiæ utebantur, quod etiam illis sub nostro Principatu & Regimine volumus firmum esse & perenne, eâ licentiâ atributâ, ut liceat de uno jure in aliud, sine tamen aliorum præjudicio, quo voluerit transmigrare.* Quin etiam antea videlicet An. 1410. cum Vladislaus Jagello Rex Poloniæ victoriâ de Cruciferis in prælio Tannebergensi reportatâ, multas urbes occupasset, confirmavit ipsis jura illo tempore usitata, ut Culmense sive Flammingicale, Lubecense, Polonicum & Prutenicum, *ut patet ex Chronico quodam Anonymi MS. fol. 113.* Quamvis autem hæc jura fuerint Prussis confirmata, nihilominus tamen quædam in jure Prussico mutata reperimus. Nam Casimirus Rex constituit, ut bona naufragorum non Fisco, ut sub Ordine Teutonico fieri solebat, sed iis, quorum ante naufragium fuerant, cederent. *Vid. Jura Municipalia Prussiæ.* Item cum antehâc ex bonis eorum, qui violentas sibi manus inferebant, dimidiam partem Ordo sibi Teutonicus vindicaverit, injustè hoc factum, & ne imposterum istud fieret, rescripserunt Scabini Magdeburgenses, ut cognoscimus *ex Codice t. MS. Biblioth. Wallenrodianæ Num. V.*

XVIII.

XVIII. Cæterùm An. 1466. cum Casimirus Jagellonides Rex Poloniæ per pacta cum Ludovico ab Erlichshausen inita Prussiam occidentalem obtinuisset, sustulit in suâ parte reliqua jura omnia, relicto Prussis suis solo jure Culmensi, edicto An. 1476. promulgato. Verba ejus hæc sunt: *Dum post bellorum discrimina Terras nostras favore divino recuperassemus, reperimus Magnificos, Strenuos, Generosos ac Nobiles terrarum præfatarum incolas, multiplicibus ac diversis gaudere juribus, quorum quædam & legitimas negligebant successiones, ac justitias hominum perturbabant & involvebant, sæpiusq;, quod norma debebat esse justitiæ, litigiorum & seditionum erat occasio. Cui malo occurrere volentes, pulsati etiam precibus Magnificorum & Nobilium Palatinorum, Castellanorũ, Dignitariorum totiusq; communitatis & Baroniæ Terrarum nostrarum Prussiæ, & signanter de Districtibus Pomeraniæ, Mariæburgensis & Stumensis aliàs Pomezaniensis omnia jura Prutenicalia, Magdeburgensia, Pomeraniæ & Feudalia, in quibus aliàs tempore Magistri & Ordinis consistebant & ipsis regulabantur, ab ipsis removentes, abrogantes & perpetuò abolentes loco omnium jurium, prædictorum unum JUS CULMENSE, quo Districtus Culmensis gaudet & fruitur, ipsis & eorum posteris, juxta ejus veram naturam, substantiam, qualitatem & conditionem, de consensu omnium Prælatorum & Baronum nostrorum conferimus & largimur perpetuò & in ævum. Quo jure inter se judicari debebunt & expediri, omnesq; causas & controversias eorum juxta tenorem juris Culmensis prædicti, secundum quod in capitulis, punctis & consuetudinibus scriptum & exaratum existit, decident.* Vid. Jura Manicipalia Prussiæ. Verùm hæc ita simpliciter non sunt accipienda, ac si omnia in universum jura eo ipso in Prussia Regia tunc fuerint abrogata. Nam Elbingenses, Frauenburgenses & Brunsbergenses jus Lubecense retinuerunt, adeò ut etiam Elbingenses usque ad An. 1512. Appellationes ad Civitatem Lubecensem institui permiserint, ut auctor est Schuz *lib. 10. Chron. Pruss. fol. 144.* Juris etiam Magdeburgensis usus, in aliis urbibus pagisque

que Prussiæ Regiæ non desiit, cum jus Culmense sive Volumen Juris Culmensis in V. libros distributum, sit ipsum Jus Magdeburgense, quod etiam post Casimiri Regis tempora, in plerisque casibus (causas hic hereditarias, quæ ex jure Flammingicali decidebantur, excipimus) obtinuit. Sed neque Rescripta Scabinorum Magdeburgensium hoc edicto sunt sublata. Thorunienses enim, qui post Culmam toties destructam, & ad incitas redactam, postremò etiam jure pristino privatam, principatum obtinebant inter Civitates Prussicas, orto aliquo dubio casu, Magdeburgenses Scabinos consulebant frequentissimè, Rescriptisq; ipsorum acquiescebant, ut varia testantur Rescripta. Itaque Rex Casimirus in Privilegio jam adducto diversitatem tantùm Bonorum Terrestrium, quæ obtinuit Ordine Teutonico imperante, intellexit, adeoque noluit, ut Nobilitas aliique Provinciales Bona diversis juribus possiderent, nempe, jure Magdeburgensi, Feudali, Prutenico, Polonico; sed unum tantùm Jus Provinciæ Culmensis in bonis Terrestribus (de Bonis Regiis & emphyteuticis hîc non agimus) servari voluit, quod etiam hodie in Prussia Regia obtinet. Vel etiam, quod vero propius, Rex Casimirus respexit ad Privilegium Culmense, quod Juris Culmensis nomine vocat. Si enim per Jus Culmense tantùm Jus Flammingicale intellexisset, non potuisset injungere, *ut juxta tenorem Juris Culmensis omnes causæ & controversiæ deciderentur*, cum Jus Flammingicale non nisi in duobus casibus datum sit, ut supra probavimus.

XIX. Superiore Seculo, cum jus illud Culmense vetus, quod in Silesiâ conscriptum, & in V. libros digestum supra probatum dedimus, multas haberet Leges Privilegio Culmensi contrarias, multas etiam manifestè iniquas, quæ amplius tolerari non poterant, puta, de litibus quibusdam duello finiendis, probationibus item per ignem & aquam (Vid. *lib. 2. Jur. Culm. antiq. cap. 60. & 66. Et lib. 5. cap. 19. 20.*) jussit illud Sigismundus I. Rex Poloniæ corrigi. Verba Constitutionis de An. 1526. sunt sequentia: *Cum jus Culmense, quo potissimùm Prussia utitur, Scripturis saltem authenticis nusquam reperiatur esse sancitum* (quæ verba sunt apprimè notanda) *multaque præterea reperiantur incommoda, venerabiles Viros N. N. designavimus, ut hoc anno ad Cal. Octobr. Mariæburgi conveniant, & ejusmodi*

modi jus cum ejus Constitutionibus passim colligant diligenter conscribantque, ut deinde typis excusum & evulgatum ad omnium notitiam perveniat, firmiterq; à cunctis observetur. Hæc Sigismundus I. apud Joannem Januſiovium *lib. 7. Constit. Regni Polon. pag. 926.* Ex quibus manifeſtum eſt, Sigismundum Regem, jus illud Culmenſe vetus, ut vocatur, quod in V. libros digeſtum eſt, pro vero Jure Culmenſi, à prioribusque Principibus approbato non agnoviſſe. Quamvis verò Rex quosdam ad illud negotium eodem anno conficiendum delegaverit, nihil tamen eo tempore actum eſt, teſte Schuzio *in Dedicat. libri* von den Erbfällen & Reinh. Curike *lib. 3. Chron. Gedan. cap. 20.* Primam Correctionem Culmenſis Juris ſuſcepit Illuſtriſſ. atque Reverendiſſ. Stanislaus Hoſius Epiſc. Warmienſis, una cum D. Jona Helden ex Ducali Pruſſia ad id negotii miſſo, & Georgio Clenfeldio PræCos. Gedanenſi. Hi An. 1566. convenientes Heilsbergæ jus illud correxerunt, additis quibusdam capitibus, præſertim de hereditatibus ex Privilegio Culmenſi, reliquis autem ejectis, aliis juſtiori ordine diſpoſitis. Cum autem in multis Domini Reviſores convenire non poſſent, adnotarunt ubique differentias juris inter Pruſſiæ Regiæ & Ducalis incolas. Ejus generis Reviſi juris Culmenſis exemplar à Scabinis Grudetinis An. 1568. ex laudati Clenfeldii Codice exſcriptum habetur in Bibliotheca Wallenrodiana in MS. tertio. Secunda correctio inſtituta eſt Neofori An. 1576. Præſentibus Epiſcopo & Palatino Culmenſibus, ac Legato Ducis Pruſſiæ Henrico Rhodo J. U. D. tum quoque Thorunienſium, Elbingenſium & Gedanenſium mandatariis. Et hoc, quod Neofori correctum eſt exemplar, convertit in Lingvam Latinam aut Clenfeldius, aut ut alii volunt, Caſpar Schuzius Hiſtoriæ Pruſſicæ Scriptor. Ex Latino Exemplari Polonicam Juris Culmenſis verſionem adornavit Paulus Kuſſewicz Culmenſis, eamque An. 1627. Poſnaniæ prælo ſubjiciendam curavit. Tertia correctio Juris Culmenſis ſuſcepta eſt itidem Neofori An. 1580. d. 8. Martii. Quarta Correctio inſtituta eſt An. 1586. in Feſto S. Catharinæ Grudenti. Quinta Laſſinii tentata eſt An. 1592. quæ tamen correctio non ſucceſſit. Sexta iterum Laſſinii An. 1592. Septima Thorunii An. 1594. Poſtremò ſub initium hujus Seculi Gregorius Heſius J. U. D. PræCos. Mariæburgenſis (privato ſtudio an auctoritate publicâ, non de-

termino) Jus Culmense correxit, inque ordinem non inelegantem redegit. Et hæc est octava Juris Culmensis correctio. Egit autem Hesius in libro primo de quibusdam ad Jus Publicum pertinentibus. In secundo de Processu Judiciali. In tertio de Dominio rerum, ultimis voluntatibus & successionibus. In Quarto de Contractibus. In Quinto de Criminalibus. Inseruit etiam huic operi suo materiam de Appellationibus ad Regiam Majestatem instituendis. Hæc est dispositio Juris Culmensis à D. Gregorio Hesio adornati. Obiit Hesius An. 1639. d. 22. Julii, ut ex Epitaphio (quod ipse sibi ante mortem fecit, suspensumque visitur in templo Lutheranorum Mariæburgensi) elucet. De Correcturis illis Juris Culmensis, vide Schediasma Viri Excell. Dn. Christiani Rosteuscheri. Quædam etiam ex dictis mecum communicavit Vir Ampliss. Dn. Joannes Nixdorff JCtus Gedanensis. Plures correctiones notavit jam supra laudatus Dn. D. Benike. Non una autem ex correcturis modò dictis obtinet in Prussia Regia. Latini exemplaris usus est in aula, quando eò per Appellationem Prussicæ causæ devolvuntur. Polonicâ versione ex Latino exemplari expressa & Posnaniæ typis exscriptâ utuntur potissimùm Civitates Episcopales Prussiæ Regiæ & nonnullæ ex minoribus Polonicâ potius quàm Germanicâ lingvâ utentes. Thorunii utrum Heilsbergense, an Neoforense, an aliud aliquod exemplar obtineat, dicere non habeo, cum nusquam Annum, aut Locum Correctionis institutæ repererim. Sunt equidem in Thorunienſibus exemplaribus eædem differentiæ annotatæ, quæ in Heilsbergensi & Neoforensi habentur. Recentissimâ illâ Gregorii Hesii correcturâ (quamvis non sit à Regibus Poloniæ confirmata) non solùm Gedanenses, sed & aliæ ferè omnes Civitates Prussiæ Regiæ minores utuntur.

XX. Præter Jus Culmense correctum habuerunt superiore Seculo & habent adhuc Civitates Regiæ majores præsertim Plebiscita sua, Willkör dicta. In Episcopatu Warmiensi statuta peculiaria (Landsordnungen dicta) superiore seculo fuisse observata, testatur Martin. Cromer. *in Descript. Pruss. pag. 217.* Adhæc reperiuntur etiam aliæ Leges & Constitutiones Prussiæ Regiæ à Sigismundo I. datæ. De iis Cromerus: *Dedit*, inquit, *Constitutiones & Leges quasdam sacratissimus Rex Sigismundus Senior partim toti Prussiæ Regiæ,*

Regiæ, partim Gedanensi Civitati particulariter. Easque auxit optimus ejus filius Sigismundus Augustus, cum in ea urbe esset ante annos duos & viginti, quibus conscribendis nos adfuimus. Non ita pridem etiam cum idem Rex Comitiali Decreto Clarissimos & Prudentissimos aliquot Seniores ad Elbingensem & Gedanensem Civitates, corrigendorum quorundam errorum & abusuum causa cum summa potestate delegasset, condiderunt ii leges non nullas rebus, locis atque temporibus accommodatas. Quas nuper is, qui fuit Princeps Legationis Vir Amplissimus Stanislaus Karnkovius Vladislaviensis Episcopus in lucem edidit. Hæc Cromer. *loc. cit.* Constitutiones illæ, quarum Cromerus mentionem ultimo loco facit, dicuntur Constitutiones Karnkovianæ, quæ tamen jam vix ullum habent usum, cum An. 1585. d. 26. Febr. Varsaviæ in Comitiis Regni generalibus sint sublatæ, ut habet Privilegium Portorii Gedanensibus datum. Thorunii habentur adhuc certa statuta, Quatier Ordnung/ Pupillen Ordnung dicta, quæ supra jam laudatus Henricus Strobandus An. 1605. typis imprimenda curavit.

XXI. Exeunte Seculo superiore videlicet Anno 1589. Prussiæ Regiæ Nuncii Terrestres à Sigismundo III. obtinuerunt, ut Grudenti duabus hebdomadis post Festum SS. Trinitatis ad jus suum corrigendum convenire sibi liceret. *Vid. Constit. Anno 1589. pag. 515. tit. Correctum.* Posthæc An. 1590. in Comitiis Regni generalibus ad proximè futura Comitia jura sua correcta secum adferre jussi sunt. *Vid. Constit. dicti anni tit. Prærogat. p. 579.* Sed neque tunc illud fieri potuit varias ob causas, donec tandem An. 1598. JUS TERRESTRE NOBILITATIS PRUSSIÆ correctum, approbatum est, quo adhuc Nobilitas Prussiæ Regiæ utitur. Constat hoc septem capitibus. Primum est de Successionibus, ubi filii jubentur in bonis succedere, filiisque deficientibus filiæ. Secundum est de Donationibus & Testamentis. Tertium est de Tutelis. Quartum de Præscriptionibus. Quintum de Magistratibus & Judiciis. Sextum de Processu in Causis Civilibus, in quo concessa est Appellatio à Judicio Terrestri ad Conventus generales Terrarum Prussiæ (sed hi Conventus generales hodie non habentur) vel ad Tribunal Regni, quod prius horum celebratum fuerit; & denique à Conventu generali ad Tribunal Regni §. 45. 46. Septimum de Finibus regundis. Prodiit primò hoc jus in lucem Thorunii An. 1599. typis Andreæ Cutenii impressum. Vertit illud post-

hæc in lingvam Germanicam & Polonicam Daniel Paterſohnius ediditque Gedani An. 1628. Recuſum autem eſt Gedani An. 1647. Sicque Nobilitas Pruſſiæ Regiæ, diverſo à Culmenſi jure cœpit uti, quo etiamnum utitur. Obtinuerunt quidem Nuncii Terreſtres Pruſſiæ Regiæ An. 1616. à Rege, ut ſibi liceret hoc ipſum, de quo agimus, jus Terreſtre corrigere, ſed correctura hæc non ſucceſſit. Utitur ergò jam Nobilitas Pruſſiæ Regiæ in decidendis Controverſiis forenſibus hoc jure Terreſtri, nec non ſtatutis Herburti & aliis Regni Conſtitutionibus, exceptis iis, contra quæ Status & Ordines in Comitiis Provincialibus generalibus ſunt proteſtati. Et hæc de Pruſſiæ Regiæ jure dicta ſunto.

XXII. In Pruſſia Orientali, quam An. 1466. Cruciferi à Poloniæ Regibus jure Feudali obtinuerunt, non ſecus atque ante diviſionem Pruſſiæ, diverſa illa jura in hereditariis ſucceſſionibus obſervabantur, puta, *Jus Culmenſe* propriè ita ſumptum ſive *Flammingicale*; *Jus Prutenicum*; *Feodale*; *Magdeburgicum*, quod poſt diviſionem Pruſſiæ demum, aut paulò ante, diſtingui cœpit, in *Magdeburgicum ſimplex* & *Magdeburgicum ad utrumque ſexum*. In aliis controverſiis Jus Magdeburgenſe, in Volumine illo Sileſiaco; quod deinde Jus Culmenſe dici cœpit, deſcriptum, obtinuit. Lites ſine ulla provocatione ad Regem Poloniæ (etiamſi hæc pars feudum Regni Poloniæ fuerit) in Pruſſiâ terminabantur. Orto autem aliquo caſu dubio, Scabini Magdeburgenſes, ut antehac fieri ſolebat, conſulebantur, ut non tantùm ex Privilegiis Terrarum Pruſſiæ *fol. 29. b.* ſed etiam ex variis Magdeburgenſium Scabinorum Reſcriptis, eô tempore miſſis, apparet. Circa bona Magdeburgenſia, quæ dicuntur ad utrumque ſexum, ſimul ac eſſent introducta, mutatio quædam interceſſit. Poſtquam enim quædam de iis motæ eſſent controverſiæ (*ut ex Reſponſo quodam Magdeburgenſium, quod habetur in Cod. MS. Biblioth. Wallenrod. num. LXIX. & ex Privileg. Pruſſ. fol. 28. b. manifeſtum eſt.*) tandem An. 1487. inter Martinum Truchſeſſium Magiſtrum generalem & Provinciales his conditionibus concordia ſtetit. I. Si Pater in Bonis Magdeburgenſibus ad utrumque ſexum unicam relinquit filiam, deſponſent eam conſanguinei viro, cui deindè Magiſter Bona illa conferre queat. Si plures ſunt filiæ, una dicto modo nubat, reliquæ ex Bonis illis dotentur. II. Patri licitum ſit, unicam filiam

ſuam

ſuam deſponſare viro, eique dimidiam partem Bonorum Magdeburgenſium, quæ dicuntur ad utrumque ſexum, promittere. Si plures habuerit filias, licitum ipſi eſto omnes elocare, ita tamen, ne plus quàm ſemiſſem Bonorum genero uni, vel omnibus polliceatur vel tradat. III. Si adſunt utriusque ſexus liberi, ſuccedant filii, ſororesque ſuas, ex bonis illis dotent. Si fratres moriantur improles jam annos pubertatis egreſſi, ita tamen, ut jam annum 21. compleverint, Bona ipſorum devolvantur ad Dominum directum, filiæque à Domino directo liberaliùs dotentur. Sin fratres ante pubertatis annos expletos decedant, ſuccedat in Bonis una filiarum, quæ reliquas ex bonis dotet. IV. Devolutis ad Dominum directum bonis immobilibus, bona mobilia cedant Legatario, vel (ab inteſtato) Legitimis heredibus, ita ut debita Oeconomica ex mobilibus, dos verò ex immobilibus, exſolvantur. V. Si fratres duo vel plures indiviſim poſſideant ejus generis Bona, defuncto uno ſine prole, pars illa devolvatur ad fratrem ſuperſtitem, vel ejus filios. Sin Bona ſint jam diviſa, devolvantur ad Dominum directum. Item ſi frater fratri ſuo patrimonium ſuum vendit, emptorque frater decedit nullam relinquens prolem, bona illa cedant fratri venditori. Sin bona illa non fratri, ſed extraneo vendit, tunc emptore ſine prole mortuo, Bona devolvantur ad Dominum directum. Si etiam frater à fratre ſuo id genus Bona emit, totamque pecuniæ ſummam nondum exſolvit, tunc fratre venditore defuncto, reſiduum pecuniæ emptori fratri maneat. VI. Bona hujus generis liceat vendere & oppignorare, ita tamen, ut Domino directo priùs offerantur. Seni repueraſcenti non niſi ex conceſſione Domini directi, liceat aliquot manſos ex Bonis hujusmodi vendere, ne ipſi ad victum neceſſaria deſint. Teſtamento quoque liceat legare, ſecundùm æſtimationem illorum Bonorum 20. 30. 40. vel ſummùm 50. marcas. *Vid. Privileg. Pruſſ. Ducalis fol. 28. b. ſeq.* Primum illud caput de ſucceſſione filiæ unius in bona paterna & reliquarum dotatione conceſſum etiam fuit paulò ante (nimirum An. 1476.) Samlandis ab Henrico Richtenbergio Magiſtro generali. *Privil. Pruſſ. Ducalis fol. 27. b.* Eodem Seculo latæ quoque ſunt aliæ leges, ut à Friderico Duce Saxoniæ & Magiſtro Ord. Teut. Continent illæ Eccleſiaſticas quasdam ut &

ſum-

sumptuarias constitutiones; item Privilegia quædam urbi Regiomontanæ data (v. g. ne extra urbem ad unum milliare in pagis opifex quispiam habitet) Describuntur item servorum, ancillarum, subditorum aliorumque munia. Prohibetur denique, ne Regiomonti Senatus in urbibus ullam ob causam totum convocet populum, sed ut res gravioris momenti ad evitandos tumultus tractet cum Tribunis sive Conventuũ Præsidibus (mit den Elterleuten der Werke und Gemeine) *Vid. Chron. Johan. Freibergeri fol. 274. seqq.* Ab eodem Magistro Friderico videlicet conscripta sunt statuta Judicii Aulici (Hoffgerichts-Ordnung/) quod tunc à Senatu Palæopolitano in arcem fuit translatum. Jubentur ibi Episcopus Sambiensis, duo Præceptores, duo Consiliarii, quatuor ex Ordine Equestri & quatuor ex Civitatibus quaterin anno ex Saxonico jure causas ab inferioribus judiciis, ad Judicium hoc Aulicum devolutas, judicare, ita tamen, ut Judicium Revisorium sit per Magistrum vel ejus Delegatos.

XXIII. Seculo superiore cum Anno 1525. Albertus Marchio Brandeburgicus Magister Ord. Teut. Prussiam à Sigismundo I. Rege Poloniæ hereditario jure titulo Ducatûs possidendam obtinuisset, itidem ex Jure Magdeburgensi, quod Culmense jam vocabatur, eratque V. libris comprehensum, controversiæ decidebantur. Correctum autem hoc fuit simul cum Delegatis Prussiæ Regiæ Heilsbergæ & postmodum Neofori, quemadmodum supra num. XVIII. demonstratum est. Præter hoc jus autem alias plurimas constitutiones hîc latas reperimus, non in Civilibus solùm, sed etiam in Ecclesiasticis rebus. Et quidem quod ad Ecclesiastica pertinet, de iis alio jam loco actum est; de Politicis igitur Legibus tantùm erimus soliciti. Anno 1529. conscripta sunt Mariæburgi peculiaria Prussiæ Ducalis statuta (Lands-Ordnung dicta) permittente & volente Sigismundo I. Poloniæ Rege. Antequam verò illa possent exscribi, promulgata est priùs Epitome illorum Statutorum. Comprehenduntur ibi capita de divisione Bonorum, de Præscriptionibus, Limitibus, Conventibus Tribuum, Compotationibus, Tributis, servis, subditis, vagabundis, venationibus, commerciis, mercatibus, mensuris & ponderibus, Propolis, Braxatoribus, aliis. Dedit deinde An. 1540. ult. Octobr. Albertus Dux Nobilitati Prussicæ novum Privilegium SUPER BONIS

BONIS MAGDEBURGENSIBUS AD UTRUMQUE SEXUM (das neue Gnaden Privilegium) quoniam illud Truchsessii, de quo antea egimus, rigidius esse videbatur. In hoc Privilegio discrimen inter Bona Nobilium Magdeburgensia, & Magdeburgensia ad utrumque sexum, ratione successionis, divisionis & alienationis sustulit. Constituit enim I. ut in Bonis Magdeburgensibus, & Magdeburgensibus ad utrumque sexum, ubi utriusque sexus existunt liberi, masculi tantùm succedant, sororesque suas ex iis dotent. II. Ubi tantùm sunt filiæ vel sorores, succedant proximi agnati, filiasque illas vel sorores largius dotent. (Sed ejus capitis declarationem edidit postea An. 1559. Dux Albertus, quæ sic se habet. Si defuncti unicus agnatus non habet masculam prolem, nec spes ei prolis in senectute supereſt, tunc defuncti filia vel soror, in Bonis hujus generis succedat. *Privileg. Pruss. Duc. fol. 57. seq.* III. In Bonis recens à Domino directo datis, aut etiam propriâ pecuniâ hoc jure acquisitis succedant etiam filiæ, si filii non adsunt. IV. Si desunt Filii & agnati (vel si antea fuerunt filii, mortui tamen iidem sunt nullâ prole relictâ) filia unica succedat. Si duæ sunt filiæ, succedat ea, quæ nondum nupsit, viroque Nobili ex consilio Domini directi & Consangvineorum nubat. Si plures sunt filiæ innuptæ, major natu succedat. Si omnes habent maritos, minima natu bona possideat, aliisque pecuniam ex bonis debitam exsolvat. V. Bona ejusmodi consentiente Domino directo liceat vendere & oppignorare, ita ut jus protimiseos habeant agnati; sin hi nolint, Dominus directus sit proximus. VI. Antequam vidua bona sua alimentaria sive Donationem propter nuptias adipiscatur, ex Bonis Magdeburgensibus ne cogatur cedere. VII. In fundo hereditario, quando filia viro nubit, eo fine heredibus mortuo, in Bonorum possessione ad dies vitæ maneat, si ad secunda vota transire non vult. Sin ad vota secunda transit, semissem tantùm Bonorum jure hereditario retineat. VIII. Quando neque liberi neque agnati supersunt, bona id genus Magdeburgensia ad utrumque sexum ad Dominum directum devolvantur. IN BONIS FEUDALIBUS, hæc in eodem Privilegio disponuntur I. Si deficientibus masculis filia supereſt una vel plures, Dominus directus concedat Bona feudalia Nobili alicui benè merito, cui deinde filia illa, vel ex pluribus una, si vult, nubat, & aliis so-

roribus, dotem ex Bonis debitam exsolvat. Si filiæ nubere nolunt, à Domino directo dotentur. II. Si adsint Bona Magdeburgensia & alia Feudalia, tum si est unica Filia, succedat in Bona Magdeburgensia dicto modo; Feudalia verò ad Dominum directum devolvantur. III. Si sunt Bona Magdeburgensia & alia Feudalia pluresque filiæ, & una earum in Bona Magdeburgensia dicto modo succedit, Feudalia Bona potest Directus Dominus donare viro alicui Nobili, eâ Lege, ut filiam innuptam defuncti Vasalli ducat uxorem, si illa velit. *Vid. Privileg. Pruss. Duc. fol. 44. seqq.* Hoc Privilegium, ut & supra jam dictum est, Nobilitati tantùm concessum est. Nam ex ordine Civium & Liberorum (der Freyen) si qui Bona Magdeburgensia ad utrumque sexum possident, hoc Privilegio non gaudent, sed utuntur Privilegio Truchsessiano, de quo supra. *Vid. Petri Crugeri J. U. D. Responsum Illustrissimo Principi superiore seculo super hac re datum.* Idem Albertus edidit An. 1542. d. 18. Novembr. FORMAM REGIMINIS (Regiments Notel) in qua jus Publicum Prussiæ continetur. *Vid. Privil. Pruss. Ducal. fol. 51. seqq.* Huc pertinent & ea, quæ An. 1566. præsentibus Commissariis Regiis constituta sunt. *Privileg. Pruss. fol. 60. seq.* In Testamento quoque suo Albertus multa ad jus Publicum Prussiæ pertinentia constituit. *Privil. Pruss. fol. 71. seqq.* Reliqua, quæ An. 1567. de Prærogativa Fisci, de molendinis, piscaturâ, aliisque, præsertim verò de Religione, Episcopis eorumque sedibus constituta sunt, quæras *in Privileg. Pruss. Duc. fol. 84. seqq.* In confirmatione horum Regia, quæ facta est An. 1567. proscripti sunt omnes Judæi ex Prussia Ducali *Vid. Privil. fol. 89. b.*

XXIV. Albertus Fridericus Alberti Senioris filius, Dux Prussiæ promulgavit An. 1577. Statuta Parentis sui (Die Lands Ordnung) sed correcta & aucta, ut ipse testatur *in Præfat.* In illis verò statutis peculiaria & antiquitus, Ordine Teutonico Prussiam administrante, non observata, hæc præcipuè notamus, quod conjugia in tertio gradu inæquali sint illicita. *Conf. & Episcopale Mandatum Georgii à Polenz. An. 1539. typis mandatum.* Deinde, quod bona naufraga Dominis suis restitui debeant. *Vid.* Lands Ordnung *pag. 8. & 52.* Concessa quoque sunt iis Colonis, qui Bona jure Prutenico possidebant, peculiaria quædam Privilegia ratione successionis, nempè ut & filiæ & viduæ in Bonis Prutenicis succederent,

rent, modo ibidem descripto. *Vid.* Landes Ordnung *pag. 33.* Repetuntur hæc in Jure Provinciali Prutenico, quod jam in Prussia Ducali obtinet. *lib. 5. tit. 15.* Vid. Dn. Wegner, *de Different. Jur. Civ. & Pruten. Thes. 2. Lit. f. g.* Anno sequente videlicet An. 1578. Georgius Fridericus Marchio Brandeburgicus Alberti Friderici Ducis ægri Curator STATUTA JUDICII AULICI (Hofgerichts Ordnung) à Friderico Duce Saxoniæ & Ordinis Teutonici Magistro conscripta corrigi augerique & typis exprimi jussit. Cum verò & in illis defectus quidam deprehenderetur, revisa ea & aliquot articulis aucta iterum excudenda An. 1583. curavit. Continentur in illis munia Consiliariorum supremorum, qui tunc temporis adhuc judiciis Aulicis vacabant; item Judicis Aulici, Assessorum, Notariorum, Procuratorum, ut & alia quædam, quæ ad processum, ut vocant, judiciarium pertinent. Præcipuè verò notanda sunt, quæ habentur *cap. 14. novæ Editionis & cap. 16. utriusque editionis §. ult.* de non concedenda Appellatione ad judicium Regis Poloniæ à sententia Judicis Aulici, vel Principis in judicio Revisorio latæ. Præter has autem Constitutiones in Judiciis ubique obtinebat JUS CULMENSE correctum, ut supra num. 18. dictum est. Cum verò ob capita quædam controversa, in quibus Prussiæ Regiæ Delegati cum Ducalibus convenire non poterant, Jus illud Culmense correctum non imprimeretur, rogarunt Ordines Prussiæ Ducalis instantibus precibus, ut jus hoc magno labore, nec minoribus impensis correctum, non obstantibus illis differentiis, typis mandaretur, differentiæ verò illæ ad oram notarentur. Sed nihil his precibus obtinuerunt, ut testantur Acta Conventuum Prussiæ Ducalis Provincialium de An. 1568. 1594. 1602. Itaque ex his jam manifestum esse potest, quæ fuerit Superiore Seculo Juris Prussici ratio. Videlicet obtinebat in Prussiæ Ducali I. PRIVILEGIUM CULMENSE aliaque Privilegia à Magistris & Ducibus Prussiæ concessa. II. JUS CULMENSE Correctum, quod & in Prussia Regia receptum, hodieque obtinet in quibusdam locis. III. STATUTA PRINCIPUM (Die Landsordnungen) quamvis civitates Regiomontanæ, non tantùm suo, sed & cæterarum civitatum minorum nomine, contra ea protestatæ sint, ex eâ ratione, quod jam ab antiquis temporibus sua habebant Placita (Willkör) ex quorum Præscripto cives suos in urbibus regere &

delinquentes coërcere possent. Aliorum statutorum postea quoque fiet mentio. IV. PLEBISCITA URBIUM, quæ Germani Willkör appellant, de quibus supra egimus. Quibusdam etiam civitatibus D. Albertus Placita ejus generis recens condita confirmavit, qualia Placita civitatis Tilsensis se nobis obtulerunt. V. RECESSUS in Conventibus Provincialibus conditi. Quando verò dubius aliquis casus in superioribus juribus & Privilegiis non definitis oriebatur, tum etiam respiciebantur CONSVETUDINES PRUSSIÆ REGIÆ, ut in illo casu: Utrum divisis jam inter liberos, post obitum unius ex Parentibus, Bonis, & mortuo posthæc fratre vel sorore, hereditas in Bonis Culmensibus, redeat ad Parentes, an verò inter reliquos fratres & sorores sit dividenda? Dux Albertus posterius observari debere putavit, ex ea inter alias ratione, quod in Prussia Regia hoc indubitatò observabatur. Rescriptum ipsum habet Albertus Polman *in lib. cujus inscriptio:* Die lauffende Urthel *pag. 39.* Vel etiam dubio aliquo casu orto, consulebantur Scabini Magdeburgenses, ut quædam Rescripta testantur. *Confer. Privileg. Pruss. fol. 47. b.* Cognoscere hæc, quæ modò diximus, licet & ex Actis de An. 1612. Cum enim Sereniſſimo Joanni Sigismundo Electori Brandeburgico successio in Ducatu Prussiæ esset concessa, prælecta fuere publicè in Curia Palæopolitana *Generalia Privilegia, Jus Culmense, Recessus, Trium Civitatum Placita* ut & *Cracovienſe Privilegium An. 1525. concessum*, ut in quodam Codice MS. reperiuntur fol. 264.

XXV. Progredimur tandem ad præsens seculum. Cum Ordines Prussiæ Ducalis per totum fermè Seculum Juris Culmensis correcti editionem solicitassent, illud verò propter discrepantias varias à Constitutionibus Prussiæ Regiæ edi non posset, tandem Ordines Prussiæ Ducalis Ducem suum rogare cœperunt, ut aut Jus illud correctum imprimeretur, aut aliud aliquod novum Corpus Juris Provincialis conscriberetur, ut constat ex Actis Conventûs Provincialis de An. 1602. Posterius hoc concessum est Ordinibus. Quare rogatus est Levinus Buchius J. U. D. & Judicii Aulici Assessor, ut illud jus Provinciale delinearet. Anno 1605. designati jam fuere quidam ex Ordinibus, qui auctoritate Conventûs Provincialis cum Judice Aulico aliisque Judicii Aulici Assessoribus, controversias deciderent, defectusque supplerent,

rent, rationem verò ubique haberent Privilegiorum Prussiæ, Recessuum Provincialium, Privilegii à Casimiro Rege dati, Testamenti ab Alberto Seniore conditi, aliorumque Privilegiorum, ex quibus decisiones suas formarent; ut hæc omnia discimus ex Actis *de An. 1605. Conf. & Acta Conventûs de An. 1606.* Quamvis verò hoc opus ab Ordinibus urgeretur, perfici tamen brevi temporis spatio non potuit, accedentibus novis Prussici regiminis mutationibus sub Joachimo Friderico & Johanne Sigismundo Electoribus, qui cum Prussiam obtinuissent, Appellationes ad Regiam Majestatem admiserunt. Etenim licet jam tempore Alberti Senioris casus nonnulli ad ipsum Ducem pertinentes fuerint expressi, per Commissarios aut solius Regis, aut etiam utriusque, videlicet & Regis & Ducis, decidendi; de promiscuâ tamen incolarum Prussiæ ad Aulam Regiam Appellatione nihil fuit cautum. *Privileg. Pruss. Ducal. fol. 35.* Mota fuit posthæc illâ de re controversia Duci Alberto Seniori, ut constat ex Johanne Janusr. *lib. 7. Constit. Polon. Part. 3. tit. 2. p. 932.* sed, uti apparet, non fuit hæc Constitio à Duce Prussiæ admissa. Eadem controversia fuit & An. 1569. inter Sigismundum Augustum Regem Poloniæ & Albertum Fridericum Ducem Prussiæ ventilata, donec tandem dicto Anno d. 19. Julii casus quidam fuere determinati, in quibus Appellatio ad Regem debebat concedi, de quibus *Vid. Privileg. Pruss. Ducal. fol. 90. b. & fol. 91. a.* Sed neque hoc fuit acceptum, ut patet ex Statutis Judicii Aulici (Hoffgerichts-Ordnung) *cap. 14. novæ Edit. & cap. 16. utriusq. Edit. §. ult.* Retinuerunt igitur jus non Provocandi ad Regem Duces Prussiæ, usque ad Johannem Sigismundum Electorem Brandenburgicum & Ducem Prussiæ, qui concessit Appellationem ad Aulam Regiam à judicio Aulico Prussiæ saltem à sententiis definitivis, aut vim definitivarum habentibus, & ubi causæ quantitas, de qua appellaretur, Summam quingentorum florenorum Polonicalium æstimationis precii usitati excederet. Similiter de injuria, quæ ei summæ, de qua appellaretur, æquiparari posset. *Vid. Privileg. Pruss. Duc. fol. 100. seq.* Modus etiam certus Appellationum fuit An. 1614. d. 5. Augusti constitutus, ut patet ex *libro 1. Jur. Pruten. tit. 52. pag. 249. seqq.* Conf. Henning. Wegner. *in lib. de jure non provocandi.* Hæc mutatio obstitit, quo minus eo tempore po-

tuerit Jus Prussiæ Ducalis plenè confici. An. 1609. Commissarii à S. R. M. in Prussiam missi, & Juris Municipalis confectionem & emendationem, quæ fieri debebat omnium ordinum consensu, urgerent. *Vid. Privileg. Pruss. Duc. fol. 109. a. §. Jus municipale.* Posthæc An. 1614. constitutus est certus processus in Causis Appellationum Prutenicarum, qui habetur inter Privileg. Pruss. Ducalis *fol. 133. & seqq.* Anno 1616. denuo Sereniss. Rex Poloniæ Juris Municipalis Prutenici editionem injungit in *Privil. Pruss. Duc. fol. 145. b.* Tandem jus hoc An. 1620. typis impressum, publici juris factum est, jam post fata Levini Buchii, qui illud congesserat, ut patet ex Præfatione hujus Juris Prutenici. Sed & post facta ipsius Johannis Sigismundi Electoris promulgatum est illud jus. Illius nihilominus Electoris nomen præ se fert, cum sub ipsius auspiciis confectum sit. Transtulit dein Jus hoc Prutenicum in Linqvam Germanicam nescio quis, quod prodiit Rostochii An. 1623. quamvis interpres ille non ubique sensum Legislatoris sit assecutus. *Vid.* Dn. Christoph. Wegner. *in Disput. de Different. Jur. Civ. & Pruten. thes. 9.*

XXVI. Quamvis autem Jus Prutenicum eo modo sit confectum, non tamen existimari debet, omnes alias Constitutiones esse sublatas, aut etiam novis Constitutionibus & Recessibus viam esse præclusam. *Vid. Præfat. Juris Pruten. sub calcem.* Senatores enim & Scabini in urbibus jurant, se jus dicturos ex Jure Prutenico, Statutis & consuetudinibus. Landrecht *lib. 1. tit. 3. §. 1.* Advocati Judicii Aulici & supremi Tribunalis. Secretarii quoque in civitatibus Statuta judicii Aulici legere jubentur L. R. *loc. cit. §. 3. pag. 11.* Hinc est, quod partim antiquiores Constitutiones sæpius renovatas, partim etiam novas esse latas non rarò legimus. Sic An. 1602. & An. 1632. promulgata sunt *mandata Justitiæ* (Justizien Mandat) An. 1624. edicta est *Constitutio Sylvatica* (Holtz Ordnung) in Samlandia observanda, quæ itidem jam ante publicationem Juris Provincialis fuerat An. 1615. edita. Renovata quoque & Annotationibus aucta sunt An. 1640. Statuta Provinciæ (Land Ordnung) quæ jam antehac Anno videlicet 1577. fuerant edita; adiecta sunt alia statuta, de famulis, re vestiaria, &c. Sed contra hæc Statuta protestatæ sunt Civitates Regiomontanæ, ex iis, inter alias, rationibus (1.) quia & prioribus illis de

Anno

An. 1577. contradixerant (2.) quia ad hæc Statuta revidenda Delegatos suos non miserant (3.) Quoniam secundùm Recessum de An. 1566. Civitatibus, Statuta ejus generis, puta, de re vestiaria, sumptuariâ, ut & ad alia ad singularum Civitatum salutem pertinentia, constituendi jus competit. Eodem Anno 1640. Lucem quoque aspexerunt leges rei Piscatoriæ, quæ jam antea An. 1589. fuerant renovatæ, publicatæque. Præterea revocati quoque sunt *articuli*, ut vocant *Castrenses* (AmptsArtickel) An. 1627. à Georgio Wilhelmo & An. 1642. à Friderico Wilhelmo Electoribus, qui Articuli jam antea quoque Anno videlicet 1584. fuerant promulgati. In his describuntur Officia Capitaneorum, Notariorum aliorumque. Item comprehenduntur ibidem Statuta quædam de Alvearibus, melle, piscatura, molendinis, venationibus, rationibus, aliisque rebus in singulis Districtibus occurrentibus. Impressum etiam est singulorum in omnibus Capitaneatibus Ministrorum & Magistratuum jusjurandum, nempe Capitanei, Scribæ Castrensis, Præfecti frumentarii &c. Renovata super hæc est *Constitutio Venatoria* (von Wilprets-Dieben) An. 1643. postquam antea quoque jam An. 1585. fuerat divulgata. Posthæc An. 1697. promulgatum est edictum perpetuum contra singularia certamina, in quo provocanti & delinquenti mulcta 100. Ducatorum dictatur, si provocatione factâ prohibiti sunt à Magistratu, ne infestis inter se armis congrederentur. Sin Magistratu inscio singulari certamine decertarunt, 1000. Ducatorum mulcta dictatur *§. 5.* In ejus generis certamine occisor capite plecti jubetur. Si fugâ salutem quæsierit, Bona ejus Fisco jubentur addici, ipseque nullius hereditatis sive ex Testamento sive ab intestato capax esse pronunciatur *§. 8. & 9.* Eodem anno cum Friderico Wilhelmo Electori supremum in Prussia imperium à Joanne Casimiro Rege Poloniæ per Pacta Welavienſia & Brombergenſia esset traditum, conscripta, typisque expressa sunt *Statuta Supremi Tribunalis*, cujus Præses est unus ex Supremis Prussiæ Consiliariis, Assessores verò quinque ex Nobilitate, & tres ex Ordine Civium, singulis trienniis præterlapsis mutandi. Tempus etiam constituitur judicii hujus supremi exercendi. Videlicet *vernum* à 1. Martii ad 12. April. deinde *autumnale* à 1. Octobr. ad 12. Novembr. & quæ sunt reliqua talia.

lia. Præterea datum est An. 1664. d. 6. Octobr. ab Electore, in Academia autem promulgatum est Anno eodem d. 9. Octobr. *Edictum contra Penalismum & Nationalia Studiosorum Collegia*, cum jam antea quoque An. 1643. Rector & Senatus Academiæ Regiomontanæ simile edictum publicè curassent affigi. Cum verò jam Penalismi postliminio reducendi nullus sit metus, instauratæ sunt denuò Societates Studiosorum An. 1667. ita ut singulæ Societates singulos habeant ex Senatu Academico Præsides singulis semestribus mutandos. Addantur his alia plurima Statuta, puta, de *Succino* iisque, quæ ad succinum pertinent. An. 1641. 1644. 1675. 1676. *De Nundinis* per totam Provinciam agendis Anno 1666. *De Incendiis exortis* An. 1667. Ad extremum An. 1668. confirmata sunt à Sereniss. Electore Statuta judicii Criminalis (Criminal-Gerichts-Ordnung.) septem capitibus constantia, quæ tamen typis non sunt mandata. Similiter & alia Collegia Aulæ, ut Cancellaria, Camera &c. scriptas tantùm, non impressas typis habent constitutiones. Alia Statuta, ut Tax-Ordnungen/ Accis-Ordnungen &c. jam præterimus.

XXVII. Sed neque civitates desierunt post ea tempora peculiaria sibi statuta condere. Nam An. 1620. transegerunt inter se de quibusdam rebus Senatus trium Civitatum Regiomontanarum, ut & Conventus Mercatorum, Braxatorumque, quæ transactio approbata est à Magistratu, typisque exscripta Thorunii An. 1624. In ea reperiuntur non tantùm Statuta quædam ad jus publicum pertinentia, verbi gratia, de jure Civitatis acquirendo, Electione Senatorum & Scabinorum, Convenribus tribuum, aliisque: sed constituuntur etiam §. 4. ut *articuli*, ut vocant, *mulctatorii* (Wettordnungs-Artickel) conscribantur, & ad ratificandum Sereniss. Electori aut Illustr. Dnn. Consiliariis supremis offerantur: item ut Plebiscita Regiomontana (Willkür) recenseantur §. 7. Exstant etiam ejus generis, de quibus paulò ante diximus, articuli mulctatorii partim vetustiores, partim recentiores MSS. non pauci. Recentissimi, sed nondum ab Electore approbati, sunt de Anno 1669. Præterea renovata quoque est à Civitatibus An. 1628. d. 9. Septembr. typisque impressa est *Ordinatio de servis & ancillis* (Gesind-Ordnung) In ea constitutum est, ut

servi

servi & ancillæ in totum annum locent operas suas; Dominis tamen liceat eos & ante annum completum dimittere. Famuli autem Mercatorum, ut sex annis Dominis suis ministrent, & quæ sunt id generis alia. Habent denique Civitates Regiomontanæ certa Statuta Nuptialia, quæ in Notis ad Statuta Provincialia de An. 1640. approbantur, ita tamen, ut consensus Sereniſſimi Electoris accedat. *Vid. Notas illas ad cap. 6. pag. 62.*

APPENDIX

Ad Dissertationem

de

JURE PRUSSORUM.

Circa illam quæstionem occupatus: *Utrum Privilegium Culmense, & in eo Jus Flammingicale, non solis Civitatibus, sed etiam Nobilitati Culmensi sit concessum,* scripsi ad Ampliſſ. Dn. Joannem Nixdorff. JCtum Gedanensem, ut super hac materia suas mihi cogitationes aperiret, qui etiam, quæ ejus est ad juvandas bonas Literas promptitudo, hæc mecum communicavit, quæ tibi L. B. jam damus.

Non solùm Civitatibus Culmensi & Thorunienſi (& consequenter reliquis Civitatibus in Provincia Culmensi tunc adhuc exstruendis, per §. *Statuimus autem in iisdem Civitatibus Jura Magdeburgensia*) sed etiam Nobilitati Culmensi Privilegium illud, Culmense dictum, ab Hermanno Magistro generali, & Hermanno Provisore Ordinis in Prussia datum esse ex sequentibus sit manifestum.

I. In dicti Privilegii principio *Quanto plura &c.* expresse habetur: *Quod quanto plura, quantoque majora* TERRÆ CULMENSIS *ac præcipuè Civitatum Culmensis & Thorunienſis incolæ tùm pro Christianitatis defensione, tùm pro domûs Teutonicæ promotione, discrimina sustinuerint, tanto ardentiùs atque efficaciùs in omnibus, quibus cum*

justitia potuit, eis adesse voluerit dictus Magister generalis cum Provisore Ordinis Teutonici. Hinc concludo: Qui in Prussia plurima magnaque pro Christianitatis defensione domûsque Teutonicæ promotione discrimina sustinuerunt, illis datum est Privilegium. Atqui non solæ Civitates Culmensis & Thorunienſis, sed & Terra Culmensis discrimina hæc sustinuit: Ergo non solis Civitatibus, sed etiam Terræ Culmensi Privilegium hoc datum est. Major est in Privilegii verbis citatis. Minor itidem. Ergo & conclusio. Deinde, Terra Culmensis non ex solis Civibus (licet eorum non pauci Bona quoque Terrestria possederint), nec ex rusticis solis, sed etiam ex Nobilibus & quidem maximam partem constitit. Ergo Privilegium hoc quoque Nobilibus datum est. Antecedens inde patet, quia si ex solis Civibus constitisset Terra Culmensis, non opus fuisset distingvere inter Cives Culmenses Thorunienſesque & Terram Culmensem; sed sufficisset solos Cives Culmenses & Thorunienses nominare. Ex solis subditis seu rusticis quoque constare non potuit Terra illa, quia subditi seu Rustici inter relata numerantur, qui sine Dominis seu Nobilibus tanquam correlatis suis esse non possunt. Nec dubitandum est, quin eo tempore Nobiles in Prussia fuerint. Ostendit enim id art. 4. Privilegii Prutenis à Poppone de Osterna Magistro Ordinis generali dati, his verbis: Zum vierten so sollen und mögen alle getauffte Preussen/so sie ehrliche und männliche That würden thun/ mit ihren Kindern in Kriegesgeschäfften den Christen zu gut/zu Ritter geschlagen werden/und insonderheit die von Art aus edelen Geschlecht gebohren sind. Vid. Waissel. Chron. sub Poppone de Osterna fol. 83. b. Sic quoque sub Magistro generali Conrado de Jungingen certi quidam reformationis articuli An. 1405. steterunt, inter quos hi duo ad rem facientes hic notari poterunt: Item kein Ritter im Lande soll mehr denn zehen Pferde seinem Sattel folgende haben / so mannig Pferd er drüber würde haben/soll er peen geben hundert Marck & paulo post: kein Bürger oder Kauffmann / ausgenommen den Adel/soll irgend ein Geschütz über Lande führen bey peen 10. guter Marck. Waissel. fol. 131. a. & fol. 143. b. refert idem das An. 1439. die Edelinge im Colmschen Lande und die von Thorn zu Colm bey einander gewesen in den Weynachten. Conf. fol. 144. a. Proinde manifestum sit, omni Crucigerorum tempore Nobiles in Prussia ac specialiter in

in Terra Culmensi fuisse, illis quoque per superiora Privilegium Culmense datum esse.

II. Verba Privilegii sunt: *Quanto plum quantoque majora Culmensis Terræ ac præcipuè Civitatum nostrarum incolæ Culmensis scilicet & Thorunensis. &c.* Jam quæritur, quid per Incolas hîc intelligatur? Et sana sanè ratio dictitat, per eos (1.) non intelligi Incolas specialiter sic dictos & prout Civibus contradistinguuntur. Hoc enim si esset, Civibus illud Privilegium haud datum esset; cum tamen ex toto contextu contrarium appareat. Percurrenti enim hoc Privilegium patebit, trium generum hominum in eodem mentionem fieri, videlicet Civium, & quidem vicies & bis, Feodalium bis (Vid. §. *dicti verò cives ac feodales &c.* Et in fine dicti Privilegii Culmensis) & Peregrinorum bis (Vid. §. *igitur Civitati. &c.*) ac inter hos maximè Cives eminere, hisque potissima jura (Nam peregrinis in Vistula tantùm, & quidem ad communem solùm cum Civibus usum piscandi jus, prætereaque nihil, concessum est) data esse. Imò si totum Privilegium percurratur, nihil in eodem constitutum esse in bonum incolarum, fiet manifestum. Nec (2.) per incolas posse peregrinos intelligi, cum inter peregrinos & incolas magna sit differentia: illi enim hospites tantùm sunt ad aliquod tempus, in civitate morantur, nec domicilium perpetuò vel diu habitandi animo constituunt, neque collectis (nisi causa collectarum peregrinos quoque concernat) subjacent, nec ad munera civilia ferenda cogi possunt; hi autem, qui in aliqua Civitate domicilium perpetuò vel diu habitandi animo constituunt, ad munera Civilia ferenda sunt obstricti collectisque subjacent. Quid igitur per incolas hîc loci est intelligendum? cum in Jure certum sit, non tantùm illos, qui in oppido morantur, incolas esse, sed etiam, qui in alicujus oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum se, quasi in aliquam sedem recipiant, ut loquitur JCtus Pomponius *in L. Pupillus 239. §. 2. ff. de V. S.* utique & Nobiles sub vocabulo Incolæ hîc intelligendos autumo. Quod me moveat, ut id statuam, hoc est, quia ex Historiis constat eo tempore, quo hoc Privilegium datum est, cum terra Culmensi ita comparatum fuisse, ut propter continuas incursiones infidelium Ptutenorum, nullis in bonis Terrestribus degendi aut inhabitandi locus Nobilibus relinqueretur tutus, præter Civitates Cul-

menſem præprimis & Thorunienſem, in quas ſicuti cæteri Crucigerorum homines, ita & Nobiles Pruteni Crucigerorum partes ſecuti recipere ſeſe neceſſum habebant; ex quibus plurimi ex iis ſedes ibidem fixerunt, jus Civitatis recipientes, alii poſtmodum, procul pulſis Prutenis & inprimis Pomeſanis, pagos & villas inhabitare, partim etiam condere cœperunt, uſique ſunt omnes hoc Privilegio Culmenſi, quod ipſis, dum adhuc in civitatibus degebant collatum æquè ut Civibus erat. Sed cur non & Ruſtici per incolas hîc intelliguntur? Quia hi ſervi ſunt, ſervi autem non inter perſonas (quibus tamen hoc Privilegium datum eſt) ſed inter res, in Jure referuntur, caput enim ſervi non habent.

III. Manifeſtum eſt ex §. *porro iisdem Civibus noſtris vendidimus bona &c.* Civibus vendita eſſe à Domo Teutonica bona ad hæreditatem Flammingicalem: Verba Privilegii hac de re ita ſe habent: *Porrò iisdem Civibus noſtris vendidimus bona ſua, quæ à domo noſtrâ habere noſcuntur ad hereditatem Flammingicalem, ipſis & eorum heredibus utriusque ſexûs &c.* Soli igitur Cives Bona allodialia habuerunt à Domo. Hinc quoque: *Allodium, Hæreditas*, eorum Bona vocantur. *dict. §. Porro iisdem & §. item ſancimus, ut quilibet homo hæreditatem &c.* Atqui præter Cives quoque fuerunt feodales *§. dicti verò Cives ac feodales &c.* Qui igitur illi? Certè non Peregrini. Nam his præter piſcandi jus in Viſla aliud datum non eſt in eodem Privilegio: nec Ruſtici, nec incolæ ſtrictè & propriè ſic dicti per ſupra dicta. Ergò Nobiles. Nec obſtat: Feodalium tantùm in unico iſto articulo, & in fine Privilegii mentionem fieri. Nam facilis eſt Reſponſio, & quidem (1.) exinde colligi, Nobilibus, & Civibus communia jura fuiſſe (2.) eos commune hoc navigii ſeu trajectûs jus (quod regali fluminis juri annexum eſt, & illis antea, ſi non à Crucigeris, certè à Maſoviæ Ducibus conceſſum fuit, vel quoque ab illis præſcriptum) poſtmodum Ordini quidem ceſſiſſe; non ceſſiſſe autem ſine cauſa, ſed quia (3.) magna à Crucigeris obtinuerunt beneficia in dicto Privilegio contenta, & ad ſe non minus, quàm ad Cives Culmenſes & Thorunienſes pertinentia. Quod ut melius deducatur, obſervandum eſt (4.) Jus Civitatis non ſolùm apud Politicos duplex eſſe: unum univerſale, reſpectu imperii totius; alterum particulare, reſpectu Provinciæ vel Præfecturæ, vel etiam certæ urbis aut pagi, ſed Civem quoque

pro

pro diversitate considerandi jus Civitatis non unius ejusdemque esse generis. Sic exempli gratia Civis Ingolstadiensis respectu universalis Civitatis est Civis Germanus; respectu territorii, in quo habitat, est Civis Bavaricus, & respectu loci specialis est Civis Ingolstadiensis. Sic omnes in orbe Romano degentes, quia Roma communis Patria dicebatur *l. 33. ff. ad municip.* Cives Romani dicebantur. *l. 17. ff. de stat. hom.* Qui tamen certi alicujus municipii erant municipes & cum Civibus Romanis (non quidem in suffragio ferendo in Romana Republ. sed) in commerciis, connubiis, successionibus & similibus, eadem jura habebant, & respectu suorum Municipiorum particularem, Romanæ tamen subjectam, constituebant Civitatem, & quasi Rempl. *Vid. l. 31. ff. de furt. l. 29. §. 7. ff. ad L. Aquil.* Sic quoque eo tempore, quo Privilegium Culmense datum est, Nobiles in Provincia Culmensi, respectu universalis Civitatis Prussiæ fuerunt Cives Pruteni, respectu verò Districtûs & Territorii, in quo habitarunt, fuerunt Cives Culmenses generaliter dicti, quibus contradistingvebantur Cives Culmenses specialiter sic nominati, qui in ipsa Civitate Culmensi jus Civitatis obtinuerunt. Atque hoc velle puto verba, quæ in principio Privilegii Culmensis leguntur: *Quanto plura quantoque majora Culmensis Terræ, ac præcipuè Civitatum Culmensis ac Thorunienſis incolæ &c.* ubi vocabulum, *incolæ*, pro Civibus tam generaliter, quàm specialiter dictis accipiendum esse statuo.

DISSERTATIO XVIII.

De

Militia Veterum Prussorum.

(1.) *Septentrionales gentes sunt bellicosiores. Venedorum scuta. Æstiorum fustes à Gothis.* (2.) *Fenni dicuntur imbelles fuisse. Fustes eorum & pila lignea. Pacatæ gentes.* (3.) *Fennorum latrocinia, expeditiones bellicæ in Pannoniam & Italiam, in Mekelburgensem Ducatum. Heruli, Werli, Scyri.* (4.) *In Prussia sensim sibi parant arma. Ingenium Prussorum veterum callidum. Stratagemata.* (5.) *Prussi Masoviam infestant. Castella in Prussia sibi excitant. Eadem ipsis arma, quæ Germanis.* (6.) *Arma Prussorum, Fustes, Gladii, sagittæ, clypei, lanceæ. Propugnacula. Castella in montibus. Signa & vexilla.* (7.) *Duces exercituum. Delectus militum.* (8.) *In bellum ituri à sacris ordiuntur. Stratagemata. Capti occidebantur omnes. Moderatio Hercusmonte Ducis Nattangiorum. Prussorum elogia.* (9.) *Sacrificium Diis post victoriam obtentam offerri solita. Manubiarum divisio.* (10.) *Cruciferorum militia. Gravis & levis armaturæ milites. Cataphracti milites, dextrarii operti, cassides. Plata quid sit.* (11.) *Jaculationes ad metam, torneamenta. Congiaria militibus fortitudine claris data.*

I.

ACturi de militia Veterum Prussorum, item quod in superioribus Dissertationibus observandum esse monuimus, & hic inculcandum esse putamus, non unam videlicet gentem olim Prussicas Provincias tenuisse. Hoc enim cognito, facile nobis persuadere poterimus, non eadem apud omnes gentes Prussicas bellica obtinuisse instituta. Quanquam hoc generatim asserat Vegetius, Septentrionales populos esse Australibus fortiores: *Omnes*, inquit, *Nationes, quæ vicinæ sunt soli nimio calore siccatas, amplius quidem sapere, sed minus habere sanguinis dicunt: ac propterea constantiam ac fiduciam cominus non habere pugnandi, qui metuunt vulnera, qui se exiguum sanguinem habere noverint: Contra Septentrionales populi, remoti à solis ardoribus,*

Ad Dissertationem XVIII. num. II.



mus hæc arma Prussiorum appellare plumbatas, a plumbo ipsis

soli nimio calore siccatas, amplius quidem sapere, sed minus habere

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bus, inconsultiores quidem, sed tamen largo sangvine redundantes sunt ad bella promptissimi. Hæc Vegetius *lib. 1. de re militari cap. 2.* Si deinde descendamus ad gentes Prussicas, quæ primis temporibus Prussiam tenuere, pauca supersunt, quæ de ipsis ex antiquis Historiarum monumentis supersunt. De VENEDIS Tacitus nihil aliud, quod in rem nostram sit, scribit, quam quod *scuta gestent, & mira pedum pernicitate gaudeant.* Apud ÆSTIOS, qui iidem ac Gothi, *rarum ferri, frequentem verò fuisse fustium usum,* idem Tacitus refert. *in lib. de morib. Germ. cap. 45.* Nec mireris Gothis bellicosissimæ genti fustes tribui, cum & in ipsa Scandinavia, ex qua Gothi progressi vulgò feruntur, Gothos non nisi fustibus olim pro armis usos esse Joannes Loccenius *lib. 3. Antiquit. Sveo-Goth. cap. 2.* ex Verelio & Olao Petri probet. Alia, quæ de militia Gothorum dici possunt, uberrimè persequentur Jornandes, Procopius, Joannes & Olaus Magni; inprimis verò Joannes Loccenius *lib. 3. Antiquitatum Sueo-Gothicarum per tot.* Conf. & Joannes Schæfferus *in Upsalia antiqua.*

II. Sed ad illos veniamus Prussos, qui antiquissimis temporibus longiùs à mari recedebant, procedentibus verò temporibus alias gentes crebris expeditionibus ex Prussia susceptis exhaustas facile suos in mores traxerunt. Illi varias, ut in cætera vita, sic in bellicis institutis vicissitudines experti sunt. Tempore Taciti, FENNIS sive PHINNIS, à quibus Prussi ab Ordine Teutonico domiti suam trahunt originem, *non arma, non equi, non penates erant. Sola in sagittis spes, quas inopiâ ferri ossibus asperabant,* ut auctor est laudatus Historicus *lib. cit. in calce.* Eadem de Prussis Veteribus, Fennorum posteris, tradunt Henneberger us & Waisselius. Dicunt enim illi Prussos fuisse hominum rudissimos, & ad bella gerenda minùs idoneos. Idcircò contra hostes fustibus tantùm oblongis plumbo infuso rigentibus usos esse, fustes insuper alios habuisse breviores plumbo graves, quibus eminus hostem peterent. Vid. Henneberg. *in lib. de Vet. Pruss. fol. 20. Th.* Waissel. *in princip. Chronic.* ubi etiam hanc, quam Tibi hîc L. B. damus, Prussici militis effigiem reperies. Possemus hæc arma Prussorum appellare plumbatas, à plumbo ipsis infuso, licet non nesciamus, plumbatas olim fuisse genus sagittarum, de quibus Vegetius *lib. 1. de re milit. cap. 17. & lib. 4. cap. 29.*

Vid.

Vid. ibidem Godoschalchus Stevechius. Sufficiebant autem antiquitùs, videlicet ante & post tempora Taciti, Prussis dicta arma, cum contra hostes ipsis paupertas tutum satis fuerit præsidium. Quin imò ea ipsa rerum omnium egestas, quæ aliis causa servitutis esse solet, cum imbelles arma potentiorum facile contra se attrahant, Prussis non libertatis tantùm conservandæ, sed & imperii proferendi præbuit occasionem. Primùm enim Venedi, Gothi, aliique populi Finnicos illos Prussos suis rebus acquiescentes, neque aliorum opibus inhiantes facilè tolerabant. Postea quoque cum dicti illi Venedi, Gothi aliique bellicosiores Prussiæ populi potentiâ suâ freti, fertilius quæsituri solum, Prussiam maximâ ex parte reliquissent vacuam, Finni tandem illi, meridionales Prussiæ partes antea inhabitantes, in partes progressi Septentrionales, occupatis priorum populorum sedibus, Prussiam occuparunt omnem. Vixerunt autem & tum nemini finitimorum nimium molesti. Disertè Jornandes: *Ad litus autem Oceani, ubi tribus faucibus fluenta Vistulæ fluminis ebibuntur, Vidioarii residunt ex dictis nationibus aggregati; post quos ripam Oceani* ITEMESTI (alii legunt ESTII sive ÆSTI) *tenent pacatum genus omninò.* Hæc Jornandes Sec. VI. Scriptor *in lib. de Reb. Geticis cap. 5. pag. 615. seq.* Quamvis autem veteres incolas, vel potiùs eorum reliquias, ibidem repererint, pacem tamen inter se coluerunt perpetuam, donec sensim omnes Prussiæ populi in unum concederent nomen. Et hæc est causa, cur Sec. XIII. Cruciferi in Prussia non nisi unam, religione, moribus, linguâ denique convenientem repererint gentem.

III. Nec tamen omnium Prussorum, quibus origo Finnica, is erat animus, ut rebus suis contenti aliena non circumspicerent. Olim enim Fennos latrocinia exercuisse, dudum Tacitum audivimus asserentem. Sed & post Taciti ætatem fuerunt in Prussia generosioris animi non pauci, qui ne penitus ignaviæ dediti viderentur, cum omnes ferè Septentrionales gentes sese australibus terris infunderent, & ipsi ex Prussia egressi expeditiones varias susceperunt. In illis enim expeditionibus, quas Gothi, Vandali, alii versus Italiam, Galliam & Italiam susceperunt, & Finnici hi Prussi, qui & Heruli tunc dicebantur, adjunctis sibi Scyris, quos Plinius in Prussia collocat, & Rugiis Pomeranis populis

pulis primùm in Pannoniam conceſſere, indè verò Duce Odoacro An. 475. Italiam intrantes ipſam urbem Romam occupavere. Procop. *de Bello Goth. lib. 1.* Blondus *Dec. 1. lib. 2.* Alias Herulorum res geſtas ſtrictim perſequitur Albert. Wijuk Kojalowicz *Part. 1. Hiſt. Lithv. lib. 1. in fin.* Deindè in confiniis Sec. VI. & VII. cum Slavi ex Oriente progreſſi Germanicas oras, (ubi hodie Polonia, Pomerania, Luſatia, Sileſia, Marchia Brandenburgica, Mekelburgicus Ducatus & Holſatia) inſediſſent, & ex Pruſſia Herulorum pars egreſſa in Mekelburgenſi Ducatu conſedit, retinuitque Linguam Pruſicam veterem, ut ſuo loco probatum eſt. Illi Heruli dicuntur in Mekelburgico Ducatu Werli. Vid. Wolffgangus Lazius *de migrationib. gentium.* & Diſſertatio noſtra *de Lingua Pruſſorum.*

IV. Sed & illi Pruſſi, qui in Pruſſia remanſerant, ſenſim bellis aſveverunt. Auxit enim apud eos bellicum apparatum neceſſitas. Quippè cum à Polonis ſibi vicinis non rarò infeſtis peterentur armis, arma quoque Polonis aliisque gentibus repellendis idonea ſibi parare cœperunt. Quanquam enim & tum temporis promiſcuum vulgus contentum eſſet fuſtibus illis plumbo gravibus, quos ſuperiore numero deſcripſimus; politiores tamen & potentiores dubio procul ſibi gladios, haſtas ferro præfixo acutas, ſagittas, aliaque arma, de quibus infra ſumus acturi, parabant. Accedebat his ingenium Pruſſorum callidum, doliſque bellicis ſive ſtratagematibus comminiſcendis aptiſſimum, quo nonnunquam hoſtem circumventum cecidere. Audiamus Vincentium Kadlubkonem de populis Sec. XII. Pruſſiam habitantibus loquentem: *Intrepidi*, inquit, *bellum quærunt* (de Polonis hæc dicit) *diu quæſitum nuſquam reperiunt; cunctis hoſtium* (i. e. Pruſſis) *in delubris ac ſpeluncis deliteſcentibus, non tam timoris puſillanimitate, quàm cautelæ induſtriâ. Sicut enim in arte exercitatiſſimi, ſed in plano nulli, plus arte, quàm viribus, plus audaces temeritate, quàm animi virtute.* Hæc Kadlubko *lib. 4. Chron. Polon. cap. 19. Conf. lib. 3. epiſt. 31. pag. 375.* In his verbis citatus Hiſtoricus Pruſſos non ut timidos latebras quæſiſſe teſtatur, ſed ut cautos, artibusque bellicis deditos. Neque deſunt exempla, quibus ea, quæ de callido ipſorum ingenio dicta ſunt, comprobari poſſunt. Memorabilis eſt ad poſteritatem victoria, quam Pruſſi de Boleslao IV. Duce Poloniæ

medio XII. Seculo reportarunt. Erant videlicet apud Boleslaum in castris Pruteni quatuor non ignobiles, qui sic jam fidem Boleslao Duci probaverant, ut iis Ducibus in expeditione dictâ uteretur. Hos Pruteni clam magnis donis majoribusque promissis per certos homines, qui & ipsi transfugas se simulaverant, ad proditionem pellexerunt. Tempus & ratio proditionis constituitur. Pervenerant Poloni ad sylvestria quædam, palustria & uliginosa loca, quæ in speciem herbida limosos absessus & voragines occultabant. Circum hæc latitabant Prussorum exercitus. Ibi transfugæ magnum numerum pecoris ad ea loca compulsum esse, magnamque hominum multitudinem cum facultatibus suis se recepisse affirmant, persvadentque Principi, ne prædam illam contemnat. Ubi primum agmen, quod Henricus Sendomirienſis Dux Boleslai frater ducebat, ægrè aliquantum progressum esset, dictitantibus transfugis perbrevem eam esse difficultatem: ibi signo dato Pruteni pedites, undique è latebris prosiliunt, & sagittas omnisque generis tela eminus in impeditos conjiciunt. Multi ibi mortales cæsi, longè plures voraginibus absumpti sunt. Vid. Vincent. Kadlubko *lib. 3. Chron. epist. 31. pag. 374. seqq.* Salomon Neugebauer. *lib. 3. Hist. Polon. pag. 107. seq.*

V. Sec. XII. Prussi animosiores facti, non jam se tantùm contra finitimorum injurias strenuè defendere, sed etiam omnem latè Masoviam ferro & igni vastare, adeò ut ipsis Masovii vestes preciosiores equosque tributi nomine dare sint adacti. Vid. Dusburg. *part. 3. Chron. cap. 3.* Et ne Masovii viribus aliquando resumptis vicem Prussis rependerent, loca castellis idonea sensim communire, arma ab exteris gentibus sibi parare, juventutem denique in bellicis artibus exercere. Quo factum est, ut Ordo Teutonicus sub initium Sec. XIII. contra Prussos à Duce Masoviæ Conrado evocatus vix quinquaginta trium annorum spacio eos potuerit sub suam redigere potestatem. Idcircò Petrus de Dusburg Prussos describit, non ut imbellem populum, sed eorum fortitudinem mirùm quantùm extollit, adeò ut etiam miretur, quod Cruciferi tam brevi tempore (intra 53. annos) eos potuerint perdomare. *part. 3. Chron. cap. 3.* Illis igitur prorsus non assentio, qui ex antiquissimis gentis hujus moribus, de illorum quoque temporum, quibus Cruciferi huc concesserunt, militiâ judicantes, Prussis omnem

Ad Dissert. XVIII. num. VI.



docet nos Tacitus *lib. 1. Hist. cap. 79.* quando dicit, Sarmatas gla-

omnem

omnem armorum denegant usum. Neque quidquam contra nos obtinere possunt, qui Petrum de Dusburg sibi contra nos in patrocinium vocant. Refert ille Prussum quendam balistam à Germano relictam sustulisse, cumque eam tractare nesciret, glande elisâ occisum esse. *part. 3. Chron. cap. 100.* Sed quid indè probabitur? Fac enim Prussum hunc aliosque commilitones ipsius rudiores, balistam, ut Dusburgensis vocat, sive arcum tractare non potuisse, ergone hoc ipsum etiam de Prussis omnibus erit asserendum? Deindè nesciverint etiam Prussi omnes hoc armorum genus, num propterea & aliorum armorum usus ipsis erit denegandus? Quod si Dusburgensem, optimum verborum suorum interpretem consulamus, tantum abest, ut eos inermes in pugnam processisse dicat, ut iis etiam eadem arma, quæ Germanis attribuat. Siquidem cum Sambitæ Cruciferorum Balgensium mores exploraturi quendam Balgam misissent, isque omnia Fratrum instituta probè perspexisset, reversus ad suos, interrogatusque quid peculiare ibidem observasset, respondit: *Scitote, quod Fratres sunt homines sicut & nos, habent laxos & molles ventres, sicut & nos videtis habere, in ARMIS, cibis & aliis satis conveniunt nobiscum, sed in hoc differunt &c.* Vid. Dusburg. *part. 3. cap. 69.*

VI. Quò autem specialiùs nobis innotescat, quæ fuerint apud Veteres Prussos armorum genera in usu, & quomodo illi hostium impetum sustinuerint, hostesque ipsi oppugnarint, paulò uberius de illis nobis erit agendum. Et primum quidem de armis gregariorum militum haut difficulter concedimus, & Cruciferorum temporibus fuisse CLAVAS ejusmodi, prout eas supra descripsimus in usu, licet apud Dusburgensem de illis vestigium appareat nullum. Retinuerunt etiam fortasse fustes illos breviores, quibus hostes eminus peterent. Simile armatorum genus etiam Gothis fuisse in usu comperimus. De illis enim Sidonius Apollinaris *lib. 4. epist. 20.* sic scribit: *Lanceis uncatis, securibusque missilibus dextræ refertæ.* Sed & GLADIOS habuisse Prussos ex eo colligo, quod non rarò à Polonis & Cruciferis prælio superatis arma dicuntur accepisse. *Vid.* Dusburg. *part. 3. Chron. cap. 81.* Erant autem Polonorum gladii, ut & hodie, leviter curvati, quos etiam apud Gothos in usu fuisse, probat Joannes Loccenius *lib. 3. Antiq. Sveo-Goth. cap. 2.* Quales autem olim Sarmatarum fuerint gladii docet nos Tacitus *lib. 1. Hist. cap. 79.* quando dicit, Sarmatas gla-

dios prælongos utraque manu regere consveviſſe. SAGITTAS quoque Pruſſis veteribus tribuit non tantùm Kadlubko & Neugebauerus loco num. IV. citato, ſed etiam Caſp. Schuz. *lib. 1. Chron. fol. 3. b.* CLYPEOS inſuper & LANCEAS Pruſſis tribuit Petrus de Dusburg. *part. 3. Chron. cap. 54. & cap. 65. med. cap. 165.* Plura armorum genera in Petro de Dusburg obſervare me non memini; ſæpè tamen Scriptor ille Pruſſos Cruciferis armatos occurriſſe refert. *ut part. 3. cap. 67. & cap. 69.* Inter machinas, quibus in obſidendis & oppugnandis urbibus & caſtellis utebantur Pruſſi, fuerunt PROPUGNACULA, ut ea vocat Dusburgenſis. Fuerunt autem propugnacula illa caſtella quædam extemporalia ſive lignea, ſive etiam terrâ aggeſtâ ſubitò excitata, quibus milites imponebantur, ut ex iis annonam in obſeſſam urbem importare volentes prohiberent, ut ex *parte 3. Dusburg. cap. 90.* non obſcurè colligitur. *Conf. & cap. 115.* Aliàs quæ de Blydis ſive machinis notavimus, peti poſſunt ex Animadverſionibus noſtris ad Dusburg. *part. 3. cap. 38. & 114.* Ipſi autem Pruſſi per totam provinciam habitantes, ne injuriis hoſtium, nempe Cruciferorum & Maſoviorum, paterent, caſtella quoque more Germanorum excitabant. Talia caſtra Prutenorum fuere Rogow, item caſtrum Pipini, de quibus Dusburg. *part. 3. cap. 7. Conf. & cap. 14.* Multa verò id genus caſtra fuiſſe in Pruſſia teſtatur idem Dusburg. *part. 3. c. 3.* Solebant autem non rarò caſtella ſua in montibus excitare, id quod etiam ſubſequente tempore & Cruciferi, more tunc per Europam recepto facere ſolebant. Quapropter tot arces & urbes in montibus exſtructas hodieque reperias, ut ſunt Culma, Grudentum &c. Multarum quoque arcium rudera in excelſis montibus hodieque multis in locis conſpicias. Præter arma erant Pruſſis veteribus etiam SIGNA & VEXILLA, quibus non ſolùm in pugnis aperto Marte committendis, ſed etiam in urbibus ſuis defendendis utebantur. Solebant enim ſigna ejusmodi munimentis caſtellorum, quæ defendebant, infigere, ut ab hoſtibus conſpicerentur. In dictis inſignibus, ſi fides eſt Hiſtoricis junioribus, erant depictæ duæ coronæ ſibi invicem oppoſitæ. Vid. Waiſſel. *in Chron. Pruſſ. in Comado Landgr. Haſſ. Mag. Ord. Teut.* Vexillum Regis Waidewuti quale fuerit, deſcribit nobis Simon Grunovius *Tract. 2. cap. 5.* & ex eo Henneberg. *de V. P. fol. 23. b.* Videlicet dicunt fuiſſe linteum

quin-

quinque ulnas longum & tres ulnas latum, cui tres Deorum Prussicorum imagines mediâ sui parte erant intextæ. Harum prima erat Potrimpi, secunda Percuni, & tertia Patolli. Regis insignia, puta imaginem hominis ad umbilicum depicti, cui caput ursi apertum, duo equi tenebant. Habuerunt autem insignia dicta, ut & vexillum, inscriptionem certam certis characteribus notatam. Sed hæc, ut quæ nullius antiqui Scriptoris fide nituntur, tutò contemnas.

VII. Contra hostem Prussi signa moturi, ante omnia sibi Duces exercituum eligebant, quorum & fides & virtus spectata fuit omnibus. Ex eo censu fuere Pyopso Varmiensium, Scumandus Sudinorum, Divanus Barlensium, Hercusmonte Natangiorum Duces, & alii, de quibus passim Dusburgensis. Conf. & Schuz *fol. 20. med.* Ipse miles gregarius in exercitu Prutenorum non emebatur, sed legebatur prisco more, ut in expedito semper esset. Tunc enim cum major esset in Religione Laribusque defendendis fervor, tantis non opus erat coactionibus, quantas hodie omnibus propemodum in Regnis obtinere videmus. Quilibet Deorum suorumque amore ad arma signo dato concurrebat, hostemque, ut poterat, à finibus patriæ suæ submovebat. Non tamen existimandum est, tumultuarium tantùm & fortuitum planè, præsertim Cruciferorum temporibus Prussorum fuisse exercitum. Cultioribus enim tunc Prussis, delectus quoque haberi cœpit, æstimatus ætate bello idoneâ & corporis animique habitu, ut de suis quoque Gothis confirmat Joannes Loccenius *lib. 3. cap. 1.* Maximam autem curam eorum delectuum habuisse Prussos olim, inde colligi potest, quod accuratè sciverint, quantum ex provinciis singulis excire contra hostem potuerint exercitum. Robur militiæ Prutenicæ in pedite constitisse videtur, quamobrem etiam pedites eorum secundùm excellentiam vocantur à Dusburgensi pugnatores. *Vid. quæ supra ea de re dicta sunt in animadversionibus ad Dusburg. Part. 3. cap. 3.* Quantum autem ex singulis Provinciis excire potuerint militum numerum, non tantùm ex capite modò citato Dusburgii, sed etiam ex *Part. 3. cap. 70.* colligere licet. Refert enim postremo illo loco Historicus, Regem Bohemiæ Ottocarum Sambiam ingressum, ostensâ parte exercitus sui ex quodam

Prusso Sambiensi quæsiviſſe, num putaret hunc exercitum Sambiensibus domandis sufficere: Prussum autem id negasse: Deinde Regem producto duplo majore exercitu idem responsi à Prusso illo reportasse: Sed & triplo majoribus copiis tertiùm ostensis, Sambiensem Prussum constanter idem regessisse, donec tandem totus Regis exercitus in campos circumjacentes eductus homini confessionem extorsit, ut fateretur, totum exercitum Regis Ottocari ad Sambienses domandos fore sufficientem. Quodsi ergo solis Sambitis tantæ fuerunt vires, ut se Regis Bohemiæ numerosis copiis opponere non dubitarent, quid non præstitissent Prussi, si sœdere inito communibus viribus statim in principio Cruciferis se oppossuissent.

VIII. Ante autem quàm Prussi contra hostem egrederentur, solebant variis ritibus per Waidelottas sive Sacerdotes suos exitum belli susceptí prætentare, Deorumque suorum voluntatem explorare. *Rarò enim Prussi factum aliquod notabile inchoabant, nisi prius missâ sorte secundùm ritum ipsorum à Diis suis, utrum benè vel malè debeat succedere, scisciterentur,* ait Dusburg. *Part. 3. Chron. cap. 5.* Speciatim verò in bellum ituri hominem ex hostium exercitu capiebant, cujus pectus Crive Pontifex captandi ex profluente sanguine ominis causa, secessitâ dissecabat. Si enim sanguis torrentis instar è vestigio erumpebat, prosperum inde belli eventum Prussi augurabantur: Sin guttatim tantùm destillabat, adversum hoc sibi omen interpretabantur. Henneberg. *de V. P. fol. 20.* ex Grunov. *Tract. 2. cap. 5.* Conferantur ea, quæ nos ad citatum Dusburgii locum annotavimus. His peractis illud agebant, ut hostilem exercitum stratagemate quodam circumvenirent, ut num. IV. supra dictum est. Addatur Dusburg. *Part. 3. Chron. cap. 93. 109. 142. 162. 181.* Si aperto erat pugnandum Marte, non primum tantùm hostium impetum sustinebant, sed non rarò tantâ virtute hostiles exercitus cædebant, ut clarissimas ab iis reportarent victorias. Moderationem aliquam Prussos in victoriis ab Ordine Teutonico reportatis adhibuisse vix legas. Neque hoc mirum. Cruciferos enim libertati Prussicæ insidiari, avitos ritus Deorumque cultum abrogare, totamq; adeò Prussiam sibi subiicere videbant. Idcircò captos in prælio Germanos trucidabant crudeliter omnes, ut auctor est Henneberg. *loc.*

loc. cit. fol. 21. Quid quod etiam Pacta cum Germanis obsessis & certâ conditione sese dedentibus inita aliquando violabant. Exemplum ejus perfidiæ habemus in oppugnatione Liefardi apud Dusburg. *Part. 3. cap. 165.* Singulare tamen moderationis exemplum edidit Hercusmonte Dux Nattangiorum post victoriam contra Cruciferos obtentam, de qua Dusburg. *Part. 3. cap. 86.* Neque alia, credo, defuerunt moderationis Prussorum veterum in bello exempla, quæ tamen invidiâ quâdam hostium suppressa sunt. Equidem exteri Scriptores ante Cruciferorum tempora, qui causas odii procul habuerunt, humanitatem Prussorum satis deprædicant, ut aliàs demonstravimus. Non est igitur, quod Joannes Dubravius *lib. 6. Hist. Bohem.* eos ipsis Brutis magis brutos vocet. Minus adhuc causæ habuit Vincentius Kadlubko Scriptor Polonicus, cum contra Prussos hæc scriberet: *Sunt autem Pollexiani Getarum seu Prussorum genus, gens atrocissimâ omnium ferarum immanitate truculentior.* lib. 4. Chron. Polon. *cap. 19. pag. 510.* Etenim, egerint illi flagitiosè, quod S. Adalbertum occiderint, quam causam prætendit Dubravius: Fuerint etiam Polonis, ut hostibus tunc suis, infensissimi, nondum tamen hæc meruerunt elogia. Fecerunt quippe id ipsum aliæ quoque politiores gentes amore avitæ religionis libertatisque suæ, quæ tamen famæ suæ propterea non fecerunt jacturam. Rectius Adamus Bremensis ea de re judicat, qui ita Prussos laudat, ut tamen hoc, quod in iis detestandum, non sileat. *Multa*, inquit ille, *possent ex illis populis dici laudabilia in moribus, si solam fidem Christi haberent, cujus Prædicatores immaniter persequuntur.* in lib. de Situ Dan. Conf. & Helmoldus *lib. 1. Chron. Slav. cap. 1.*

IX. Cæterùm ne adversus Deos suos victoriâ obtentâ viderentur ingrati, variis modis gratam mentem suam erga ipsos declarare solebant. Et quidem primùm Ducem hostium captum, aut si etiam plures summæ dignationis viri captivos inter numerarent, unum aliquem ex iis sorte deligebant, quem equo impositum armisque consuetis, quibus contra Prussos usus fuerat, indutum in Deorum honorem comburerent. Ritus hîc observari solitos explicavimus in Animadvers. *ad Part. 3. Dusburg. cap. 133.* ubi de Gerhardo Rude Advocato Sambiensi agitur. *Conf. & cap. 86.* Deindè sacrificio hoc Diis oblato prædam

dam dividebant in quatuor partes, ut vult Hennebergerus. Harum prima Diis; ſecunda Pontifici Criwe dicto aliisque Waidelottis ſive Sacerdotibus; tertia amicis, vicinis, fœderatis; quarta autem victoribus cedebat. Vid. Henneb. *de V. P. fol. 21.* ex Grunov. *Tract. 2. cap. 5.* Rectius autem hanc rem exponit Dusburgenſis, qui fœderatis amicisque omiſſis, in tres tantùm partes prædam fuiſſe diviſam refert. *Part. 3. Chron. cap. 5.* Vide, quæ etiam nos ad dictum locum in Animadverſionibus noſtris, & ſupra in Diſſert. de Cultu Deorum num II. annotavimus.

X. Venimus ultimo loco ad Cruciferorum militiam, de qua tamen non niſi pauca nobis dicenda erunt, cum illi ut Germani, Germanorum arma moremque belli gerendi Germanis uſitatum huc invexerint. Illud verò primo loco commemorandum erit, habuiſſe Cruciferos, gravis & levis armaturæ milites. Deduci hæc poſſunt ex Privilegio Culmenſi num. XXXI. ſeq. ubi hæc habentur: *Statuimus, ut quicunque XL. manſos vel amplius à Domo noſtra emerit, is cum plenis armis & dextrario operto & armis talibus competente & aliis duabus ad minus equitet. Qui verò pauciores manſos habuerit, cum Plata & aliis levioribus armis & uno equo ad arma talia competente debet cum Fratribus noſtris pergere.* Milites gravis armaturæ cataphracti erant, quorum magnus hic erat numerus. Teſtantur adhuc illud ipſum Privilegia multorum in Pruſſia Ducali, quæ ejusmodi arma imperant; item Urbes majores, in quibus talia arma non pauca aſſervantur, Cataphractorum militum equi fuerunt etiam aut toti armati, aut caput eorum ſaltem & pectus fuit tectum, quod ipſum ſatis apertè per DEXTRARIOS (i. e. equos bellicos) OPERTOS intelligitur. Vidi ego apud amicum caſſidem antiquam terrâ erutam, quæ non eum in modum, ut nunc ſolent, erat fabricata, ſed ex laminis orichalceis in modum ſpirarum contortis & in orbem inflexis ita, ut in ſuprema parte coirent, erat confecta. Ejus generis caſſidibus cataphractos Cruciferorum equites uſos eſſe, vero non eſt abſimile. Levioris armaturæ militibus tribuitur in verbis ex Privilegio Culmenſi citatis Plata, Plata autem eſt lorica, qua pectus tantùm munitur, quapropter etiam illi qui loricas conficiunt vocantur Platner ſive Platen-

tenſchläger. Reliqua Cruciferorum arma fuerunt, gladius, lancea, ſagittæ, de quibus paſſim agit Dusburgenſis.

XI. Ut autem juventus Pruſſica ſeſe ſemper in armis exerceret, variis eam præmiis ad hoc ipſum alliciebant Cruciferi. Primò enim Winricus de Kniprode Magiſter Ordinis generalis inter alias ſalutares & hanc inſtituiſſe fertur, ut circa Ferias Pentecoſtales Cives in urbibus ad avem, pro metâ erectam aliumve ſcopum ſibi præfixum jacularentur: teſte Thoma Waiſſelio *pag. 123. ſeq.* Obſervatur hoc etiamnum ſtrictè Regiomonti, aliisque Pruſſiæ Ducalis urbibus. Hic Thorunii ſingulis hebdomadis dies Lunæ eſt huic rei deſtinatus, ut Cives juniores jaculando ad metam ſeſe exerceant. Singulis autem annis, circa S. Margaretæ, ſolenniter Cives omnes hoc ipſum faciunt. Deindè conſtitutum etiam olim fuerat, ut in urbibus majoribus ante Quadrigeſimam cives cataphracti, lanceis inſtructi congrederentur & inter ſe certarent, quæ conſuetudo tamen in plerisq; urbibus jam eſt ſublata. Sola Brunsberga adhuc moris antiqui eſt tenax, ubi torneamenta illa, ut poſterioribus ſeculis dici cœperunt, ſingulis annis dicto tempore inſtituuntur. Fuerunt denique non exigua præmia illis conſtituta, qui fortiter in bello contra hoſtem ſe geſſerant. Ut enim alia omnia præteream, epulum tantùm illud celeberrimum à Conrado Wallenrodio Magiſtro generali inſtitutum commemorabo, utpote quod illuſtre nobis remuneratæ virtutis documentum exhibet. Inſtruxit dictus Magiſter epulum in Annalibus Pruſſicis celebratiſſimum. Adhibiti menſæ Duces omnes ac præcipui equitum eo ordine, quem cuique eximiæ virtutis dignitas feciſſet. Caput menſæ ceſſit Equiti Auſtrio Kinodiut, quod ſolus ſexaginta Turcas ſe inſequentes occidiſſet. Proximus ei accubuit Fridericus Marchio à Miſnia ob prærogativam familiæ, ex qua nemo unquam ordinem deſeruit. Tertius Comes Hildermirdus natione Scotus, quod eo parente natus eſſet, qui ut Regem ſervaret, ſe ipſum neci objecit. Tum Comes Rupertus ob imperium Romanum, ad quod vocabatur, ſpretum. Conradus deinde ipſe convivii illius ſtructor, ob ſponſam ætate ac formâ florentiſſimam gratiâ ordinis Teuthonici deſertam. Veſtphaliæ ſignifer Degenhardus, quod adverſariis, qui parentem ſuum

occiderant, veniam indulsisset. Fridericus Eques, quod nihil unquam negasset ei, qui interposito D. Gregorii nomine aliquid postulasset. Denique reliqui, pro merito quisque. Vtensilia omnia erant argentea atque aurea mensæ illata, deinde convivis cedebant. Hoc veluti congiario militari, animatis Ductoribus Conradus recta movit contra Vitoldum. Albert. Wijuk Kojalowicz *Part. 2. Hist. Lithv. lib. 2. ad An. 1394. pag. 38. seq.* Simon Grunovius *Tract. 13. cap. 16.* Thom. Waissel. *in Wallenrodio fol. 127. seq.*

DISSERTATIO XIX.

De

Republica Veterum Prussorum.

(1.) *Venedæ fuerunt Scythæ. Scythorum Respubl. Sarmatæ. Venedi an sint Germani. Slavorum, Lutitiorum, Polonorum Respubl.* (2.) *Gothorum & Æstiorum Respubl.* (3.) *Prussorum, quos Ordo Teut. domuit Respubl. Fennorum mores iidem qui Prussorum.* (4.) *Constitutio Reipubl. Prussicæ per Waidewutum.* (5.) *Refutantur fabulæ de Waidewuto & Pruteno.* (6.) *Principes, Nobiles & Plebeii olim in Prussia. Reges Prussorum sunt Nobiles.* (7.) *Magister Ordinis Teutonici. Ejus titulus, Insignia, sigillum, Sedes, alia.* (8.) *Magistri Provinciales, antiquissimis temporibus dicebantur Commendatores, Præceptores, Provisores.* (9.) *Vicesgerentes Magistri generalis, quando eligi mos fuerit.* (10.) *Electio Magistri generalis.* (11.) *Episcopi Prussici.* (12.) *Præceptores Majores, Commendator Magnus, Marschalcus, Hospitalarius Supremus, Trapiarius, Quæstor. Eorum munia.* (13.) *Commendatores varii generis. Commendator Provinciæ Culmensis. Commendatores alii. Commendatores arcium. Advocati Provinciarum. Socius Magistri. Socii Commendatorum.* (14.) *Fratres Ord. Teut. privati. Conventus Ordinis Teutonici.* (15.) *Instituta Fratrum Ordinis Teutonici. Regula, Vestes, Genus, Natio, ætas, tituli.* (16.) *Ordo Teutonicus dependebat ab Imperatore & Pontifice Romanis.* (17.)

Quæ

Quæ Magistri potestas fuerit in Ordinis Teutonici Fratres. (18.) *Quæ fuerit Ordinis Teutonici Potestas in Prussiæ incolas.* (19.) *Incolæ Prussiæ quædam Jura Majestatis olim exercebant. Conventus sine Magistri consensu agebant. Collectas indicebant. &c.* (20.) *Prussi jugum Cruciferorum excutiunt. Consiliarii Prussici. Alii Magistratus, ut Thesaurus, Gladifer, Judices Terrestres, capitanei.* (21.) *Consiliarii Prussici Senatum Polonicum quommodo sint ingressi.* (22.) *Judicia in Prussia Regia. Appellationes.* (23.) *Quo jure retinuerint Cruciferi Prussiam orientalem à Rege Casimiro. Provocationes ex urbibus. Gubernatores Prussiæ.* (24.) *Bella cum Pollonis post divisionem Prussiæ gesta.* (25.) *Prussia fit Ducatus secularis. Magistratus in Prussia Ducali, ut Consiliarii supremi, Consiliarii Provinciales. Assessores Supremi Tribunalis. Assessores Judicii Aulici. Capitanei Prussiæ Ducalis tres Circuli. Capitanei Majores. Non omnes Capitanei hodie habent singulos Capitaneos. Quinam hodiè sint conjuncti. Appendix agens de Republ. Livoniæ tempore Ordinis Teutonici.*

I.

DE primis Prussi nostræ incolis, nempe Venedis, quamnam à primo in has oras ingressu habuerint Reipubl. formam parum compertum est. Quippe adeò sunt obscuræ gentis hujus res gestæ, ut prærer illud, quod has oras quondam tenuerint, penè nihil nobis sit cognitum. Annitemur tamen ex antiquis monumentis, quædam eruere, ne nihil hic dixisse videamur. VENEDOS, Scythicas inter gentes esse numerandos, vix dubitari potest. SCYTHAS autem generatim sic Epitomator Trogi Justinus describit: *Nec domus illis ulla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus & per incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt: quibus coriis imbrium hyemisque causa tectis pro domibus utuntur. Justitia gentis ingeniis culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto gravius. — Aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt: Lacte & melle vescuntur. Lanæ iis usus ac vestium ignotus, & quanquam continuis frigoribus urantur, pel-*

libus tamen fermis aut murinis utuntur. Hæc Juſtinus *lib. 2. Hiſt. cap. 2.* Conf. Herod. *lib. 4.* Diodorus Siculus *lib. 2. Biblioth. ſupra med.* Sed cum hæc, quæ à Juſtino dicta ſunt, ad Aſiaticos potiùs, quàm ad Europæos referenda ſint Scythas, alia nobis quærenda ſunt. De SARMATIS ad Taniam habitantibus, à quibus Venedi noſtri ac Poloni ſunt orti ſic ſcribit Pomponius Mela lib. 2. cap. 1. *Sarmatæ Auri & argenti, maximarum peſtium, ignari, vice rerum commercia exercent, atque ob ſæva byemis admodum aſſiduæ, demerſis in humum ſudibus, ſpecus aut ſuffoſſa habitant, totum braccati corpus, & niſi qua vident, etiam ora veſtiti.* Conf. Plinius *lib. 4. Hiſt. Nat. cap. 12. circa fin. & lib. 6. cap. 13.* Cum verò & Sarmaticæ gentes ſint quamplurimæ, neq; fortaſſe omnibus una placuit Reipubl. forma, proinde videamus, quid Tacitus de Venedis ſpeciatim dicat: *Peucinorum Venedorumque & Fennorum Nationes Germanis an Sarmatis adſcribam dubito: Venedi multum ex moribus* (Sarmatarum) *traxerunt. Nam quicquid inter Peucinos Fennosque Sylvarum & montium erigitur latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia & domos figunt & ſcuta geſtant & pedum uſu & pernicitate gaudent, quæ omnia diverſa Sarmatis ſunt in plauſtro equoque viventibus.* lib. de Morib. Germ. cap. 46. Dubitat in his verbis Tacitus, utrum Venedi referendi ſint ad Sarmatas, an verò ad Germanos, idque non eapropter, ac ſi negare velit, Venedos originem ſuam debere Sarmatis (id enim ipſum concedere exiſtimo) ſed eò, quod rationem domicilia figendi Germanicam in ipſis animadvertit. Aliàs Ptolemæus Venedos diſertis verbis Europæam Sarmatiam inhabitare ſcribit *lib. 3. Geogr. cap. 5, fol. 81.* Simul etiam ex verbis Taciti cognoſcimus, Venedos noſtros cæteris Sarmatis vitam politicam amaſſe magis, magisque ad Rempubl. conſtituendam fuiſſe idoneos. Quamvis neque ex illis manifeſtè atque diſtinctè colligi poſſit, quæ tum temporis apud ipſos obtinuerit Reipubl. forma. Propiùs igitur ad præſentem faciunt materiam ea, quæ de Slavis Orientalem Viſtulæ ripam accolentibus, id eſt, de Venedis (hi enim ſequio-

quioribus temporibus Slavorum nomen sortiti sunt) tradidit Seculi VI, Scriptor Procopius: *Antarum*, ait ille, *Sclavinorumque Nationes non ab homine aliquo uno reguntur: Sed AB ANTIQVO plebejâ communique libertate vivunt, & idcircò res omnes, quæ vel inutiles sint, vel forte difficiles in commune consilium deducuntur.* lib. 3. de Bello Goth. *cap. 7. pag. 542.* Jam si verum est, Prussos ab antiquis temporibus plebeja communique libertate usos esse, ita, ut res majoris momenti communibus totius populi suffragiis decernerentur, manifestum etiam est, Prussos illis temporibus habuisse REMPUBLICAM POPULAREM, quæ Philosopho πολιτία speciatim sic dicta, dicitur *lib. 3. Polit. cap. 7.* Hanc Reipublicæ formam etiam nonullæ gentes Venedicæ retinuerunt, cum Vistulam transgressæ multas Germanorum ditiones sui juris fecissent. De Luticiis quippe Venedicis populis Dithmarus Mersburgensis Sec. XI. Scriptor: *Illis* inquit, *Dominus specialiter non præsidet ullus. Vnanimi consilio ad placitum suimet, necessaria discutientes, in rebus efficiendis omnes concordant.* lib. 6. Hist. pag. 136. Quin & aliæ Slavicæ sive Venedicæ gentis, licet Vistulam transmittentes sibi certum migrationis Ducem elegerint; occupatis tamen, quas petierant, terris, ad pristinam libertatem semper aspirarunt. Exemplo sunt nobis Poloni, qui cum aliis Venedicis gentibus Vistulâ superatâ, has, quas hodie tenent, oras, auspiciis Lechi, occuparunt, eoque postmodum Duce sunt usi. Verùm illo decedente, non in unum Principem imperium Polonicum, sed in duodecim Optimates devolverunt. Hoc ipsum etiam factum esse dicitur, postquam Venda Virgo, Poloniæ Dux, in Vistulam amnem se præcipitem egisset. Viguit ergo temporibus antiquissimis in Prussicis oris RESPUBLICA POPULARIS.

II. De Republica GOTHORUM, qui circa Christi nati tempora hodiernæ Pomeraniæ partem orientalem habitarunt, sic scribit Tacitus in lib. de Morib. Germ. cap. 43. *Trans Lygios Gothones regnantur, paulò jam addictius, quàm cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deindè ab Oceano Rugii & Lemovii omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii & erga Reges obsequium.* De ÆSTIIS au-

tem (id est GOTHIS jam ante aliquot secula in Prussiam ex Pomerania transgressis) *Dextro*, inquit, *Svevici maris litore Æstiorum gentes alluuntur, quibus ritus habitusque Svevorum, lingva Britannicæ propior, matrem Deam venerantur. Insigne superstitionis formas aprorum gestant. Id pro armis omniumque tutela securum Deæ cultorem etiam inter hostes præstat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta cæterosque fructus patientius, quàm pro solita Germanorum inertia laborant. Sed & mare scrutantur, & soli omnium hominum succinum, quod ipsi glesum nominant, inter vada atque in ipso litore legunt.* ibid. cap. 45. Ex his quidem non apparet an Æstii fuerint iidem qui Gothi; alia tamen sunt non pauca, quæ nobis illud omninò persvadent. Inter alia est convenientia sacrorum ac religionis apud Prussos posteriorum temporum, & Gothos in Svedia habitantes, ut alibi fusè satis demonstratum. Quodsi ergò Æstii sunt iidem, qui Gothi, dubium esse nequit, quin eandem quoque habuerint Reipublicæ formam. Nempè verisimile est Gothos Prussicos sive Æstios initio Regulos suos habuisse, quorum tamen non infinita, sed limitata fuit in suos potestas. Hi postea, unà cum Regibus suis, ab aliis Gothis in hodierna Svedia habitantibus, subacti sunt, quemadmodum Hugo Grotius *in Prolegom. ad Hist. Goth. & Wandal.* ex Saxone Grammatico probat. Seculo à reparatâ salute VI. ad Theodoricum Gothorum Regem in Italiam Æstii miserunt Legatos, dona succinea Regi oblaturos. Sed ex hac legatione non liquet, utrum Æstii Reges habuerint, an verò populari libertate sint usi. Epistola quippe Theodorici Regis, quâ pro donis gratias agit, non mittitur ad Regem, vel ad Reges Prussorum; sed inscribitur tantùm Æstiis. Vide Cassiodorum *in Variis.* Quando igitur Erasmus Stella scribit, Sudinos (per eos non intelligit Stella Sudinos in mediterraneis Prussiæ locis habitantes, sed maris Baltici in Sambiæ extremitatibus accolas, quo Sec. XIII. Sudini ab Ordine Teutonico transportati sunt.) habuisse Regulos suos usque ad Waidevvuti tempora, intelligendi tantùm erunt Nobiles potentiores, quos Theodoricus Rex, titulo Regum suppresso, solo Æstiorum nomine tutò potuit compellare.

III. Quod

III. Quod tertio loco ad Pruſſos illos, quos Teutonicus Ordo domuit, quosque eandem cum Lithvanis originem habere dudum diximus, attinet, illi eodem modo, ut antiquitus Venedi, populari libertate uſi ſunt. Vel ut rectiùs dicam, ſine ulla Republica, brutorum ritu à multis retrò ſeculis in partibus Pruſſiæ auſtralibus vixerunt. Eleganter ipſos Tacitus *in fin. lib. de Morib. Germanorum* deſcribit ſub nomine Fennorum: *Fennis*, inquiens, *mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates: Victui herba, veſtitui pelles, cubile humus, ſola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant. Idemque venatus viros pariter ac fœminas alit. Paſſim enim comitantur partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque ſuffugium, quàm ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt juvenes, hoc ſenum receptaculum. Id beatiùs arbitrantur, quàm ingemere armis, illaborare domibus, ſuas alienasque fortunas ſpe metuque verſare. Securi adverſus homines, ſecuri adverſus Deos, rem difficillimam aſſecuti ſunt, ut illis ne voto quidem opus ſit.* Quomodo deinde ſint in unum Reipublicæ corpus redacti moratioresque redditi, multis rerum Pruſſicarum Scriptores enarrant. Nos totum hoc negotium verbis Alberti Wijuk Kojalovvicii, qui Matthiam Strykovium Oſſoſtevicium Ducem ſuum ſecutis fusè illud deſcribit, exequemur; deinde quid nobis hîc videatur, indicaturi.

IV. Valentiniano I. per Orientem imperante Heruli, Gepidæ, Alani, magnis copiis in varias ſeſe Romani imperii provincias effuderunt: in Germania cum latè cædibus atque igne ſævirent, Alani ad Rhenum in Sicambros impegerunt, atque ab iis repreſſi ac propè deleti: Acciſis eâ clade Herulorum viribus, cum nec ulterius laceratæ legiones ſecurè promoveri poſſent: nec loco quem ceperant diu conſiſtere; Dux copiarum Littalanus auctor fuit, ut maturo in confinia receptu, quæ ſupererat, juventutem periculo exemptam meliori fortunæ ſervarent. Arreptum eſt avidè conſilium, non tam Ducis auctoritate, quàm hoſtium metu urgente. Fugientibus ſimiliores in Pruſſiam ſeſe receperunt. Vitatâ enim Patriâ, quam ingredi ſine probro non poterant; profugis proxima ex ſociorum provinciis Pruſſia occurrebat. Ibi Littalanus, magiſtratu

ſtratu inauſpicatò militiæ geſto, more gentis abiit. Nulli nimirum tunc illis domi Principes erant, nulli Judices, imò nulla in commune ſocietas: ſed familias ſingulas per agrum ac nemora diſperſas propinquior tantùm cognatio colligebat. Rumor verò hic de ingenti Alanorum ſtrage, ac deſperatus reliqui ex cæde militis reditus; eos, qui caſtris inepti, domi manſerant, plurimum ſolicitos habuit. Circumſpiciebant ſeſe; atque inde latera finitimorum injuriis obnoxia; hinc amiſſis, quos opponerent, viris, nulla præſidia videbant. Nihil omninò ſuccurrebat aliud ad communem ſalutem præſentius, quàm convaſatis omnibus in Pruſſiam migrare. Nec difficile fuit factu, cum conclamatum fuiſſet ad iter, tenuem fortunam ditiſſimus quisque facilè curru cepit: neque multum impedimentorum erat ex reliqua re familiari; cujus copia, ultra neceſſaria armenta, non extendebatur. Suſcepta in fidem libenter à Pruſſis natio finitima. Non enim metuebant periculum à populo, religionibus, lingvâ, ritibus, origine, ſocio: quem ſupra tot publicæ pacis vincula novum etiam hoc beneficium arctius ad concordiam obligabat. Gaudebant acceſſionem virium non levem factam, eo potiſſimum tempore, quando finitimi populi ſedibus ad Viſtulam promotis, arma jam ex propinquo incipiebant Pruſſiæ intentare. Sed creſcentibus deinde per mutua connubia utriusque gentis familiis, multitudo hoſti formidabilis, ſibi propè fatalis evaſit. Vix in ſeipſam per domeſtica odia non concidit. Ubi primum cultus ager deficere; mox potentiores, tenuioribus exactis, aliena uſurpare & poſſeſſionum fines pro cupiditate prolatos, vi invadere: hinc jurgia ac lites; nec alius controverſiarum exitus, quàm ille, quem absque lege ac Magiſtratu viventibus, feroces animi primùm occupant: nempe per mutuas cædes. Quanquam non tam exitus hic controverſiarum erat, quàm fons perpetuus odiorum: cum injurias alii promovent, alii amovent cædibus; ipſas deinde cædes, totis mutuò ulciſcuntur caſtris. Status hic rerum omnium perturbatiſſimus barbara licet pectora tangebat: neque etiam illa, ita omnem humanitatem exuerant, ut non ſentirent; præſertim cum quæ in aliis vel deteſtarentur vel lugerent, eadem in ſe ſuisque timere, illi magis cogerentur, qui innocentiores. Cum igitur ex pacis cupiditate, tædium turbarum animos occupaſſet; de remediis primùm ſingu-

singuli apud se agitare, tandem cum amicis communicare. A privatis in publicos congressus, res derivata, prudentioribus grata, accidit, probataque est vehementer. Duplex consilii genus animo succurrebat. Unum ut Princeps legeretur, qui singulorum cupiditati legem auctoritate sua poneret; agros limitibus definiret, de controversiis decerneret; jus belli ac pacis summum haberet. Alterum ut coloniis aliquot ab se dimissis, Respublica populi multitudine, velut corpus sangvinis exundantis imminutione relevaretur. Neutrum tamen statim perfici potuit. Soluti hactenus omni legum metu, sub arbitria Magistratus ire refragabantur: & nemo primus, ad peregrinas sedes per pericula quærendas, paterno agro excedere volebat. Attamen ad consentiendum tam salubri consilio vel tempus ipsum feroces animos emollivit; vel necessitas, si quid residuum de duro supererat, perfregit. Nam qui variis expeditionibus Romani Imperii provincias pervagati domi conscederant; pacem publicam, velut portum à tot naufragiis curiosius perquirebant. Adverterant illi, quietem publicam, communi sub iisdem legibus ac Magistratu, societate consistere: idemque in sua Patria factum studiosè cupiebant. Sed qui primus manum operi admoveret, nullus erat: tum quod ratio, qua res adeò insolens perficeretur, non appareret; tum quod inter feroces legumque ac imperiorum impatientes populos, de tanti negotii eventu desperaretur. Ausus est tamen rem arduam aggredi Waidevvutus, ætate grandis, familiâ copiosus, tribu Alanus. Fuerat viro à natura ingenium versatile & audax, atque in agendo dexteritas mira: accedebat, quod diuturnis extra patriam stipendiis fortitudinisque militaris opinione & inter suos princeps haberetur, & inter hostes clarus. Duo ille potissimum agenda menti præfixerat. Gentem ferocem ad humanitatem aliquantum componere, ut facilior illi esset Principis cum summa potestate incumbentis patientia: tum ita successus temperare; ut si consilia Principis eligendi populo placuissent, ille Princeps diceretur, qui solus ferre Principem reliquos docuisset. Cum igitur inter publica gentis comitia privatus de præficiendo omnibus uno Duce sermo fuisset illatus; & plerique propensas sententias ad Rempublicam sub commune caput redigendam apertè præ se ferrent; petitâ acceptâque dicendi copiâ, ancipites adhuc reliquæ concio-

nis animos in suas partes eum agresti hac oratione pertraxisse traditur: Nisi, inquit, apibus ipsis stultiores essetis, res, de qua agitis, pridem concordiam apud vos atque optatos eventus, habuisset. Nam quibus res familiaris inter manus est, probè scitis, tanto apum examini unicum Regem præesse; penes quem sint imperia: reliquis obsequendo intentis. Ille solus operas singulis dispensat, ille otio torpentes nec laboris ferentes, alveari, velut civitate, extorres agit: cæteræ verò in obsequium promptæ, designatis laboribus studiosè instant, nec prius quiescunt, quàm opus ad numeros absolutum advertant. Hæc quæ in singulos dies, sub vestrisoculis agi, certi estis; in vestra commoda prudenti invitatione transferte. Renunciate unum Principem, cujus imperio libertas vestra permittatur. Ille de controversiis decernat, injurias cædesque arceat, fas ac justum tueatur, securitati publicæ provideat. Quod ut recte atque ex officio exequi possit, vitæ mortisque jus ei in omnes cum plena potestate esto. Mirum quanto ut dicentem silentio, ita cum dicere desiisset, plausu, concio sit prosecuta. Comitii totius, in ea quæ svaserat Veidewutus consentientis, vox unica erat. Num Veidewutus ipse, vellet esse *Bojoteras*, nimirum, apum Rex? Neque ille novi regni onus detrectare poterat: ne quod dicendo perfvaserat, fugiendo suspectum redderet. Integris itaque Comitiis, summo consensu, primus Prussorum atque Alanorum (qui postea Lithvani dicti sunt) Princeps est renunciatus. Initia Principatus ad ordinandam aliquam Reipubl. formam, quantum barbara potuit assequi cogitatione, studium advertit. Plebem imprimis vagabundam nullisque sedibus affixam, per tribus ac cohortes recensuit, & certis agrorum, villarumque limitibus circumscripsit. Tum hactenus actâ tantum ex hostico præda vitam & rem familiarem tueri solitos, agri colendi, pecorum alendorum, venationum, aliarumque rusticarum operarum studiis addixit. Leges deinde tulit (Leges ipsas jam alibi commemoravimus, ideoque hîc omittendas esse duximus.) Brevi itaque effectum est, ut per hæc commercia, humanitatis dulcedine agrestes animi illecti, spem non dubiam facerent: tanta jam concordiæ publicæ fundamenta jacta, ut & ad constantiam in ferendo imperio satis esset, & rudibus cogitationibus aliquantùm caperetur; esse aliquid, quod privatis cujusque rationi-

bus

bus anteponi deberet, nempe bonum commune, de quo cùm ageretur, junctis viribus ac ſtudiis per vitæ etiam ipſius diſpendia, contra quemvis hoſtem decertare expetibile atque laude dignum eſſe perſvaſum haberent. Bellum tamen nullum Weidewutus movit: ſciebat illud ſolvendis, quàm firmandis legibus commodius eſſe & efferatos militiæ frequentiâ animos facilius armorum deſvetudine mitigari. Vitabat caſtra, in quibus uſu diuturno dicerat, multitudini in armis ſeſe conſpicienti contumaciorem ſemper eſſe contra imperia audaciam. Vereri etiam non ex vano cogebatur, ne ſi inchoata conſilia repentè vita deſereret, vixdum convaleſcentis Principatûs curſus, morte Principis abrumperetur. Jam enim ille centeſimum annum transcenderat, ſextum inſuper ſupra decimum ingreſſus: prolem verò maſculam copioſam numerabat; è qua ſi vel plures imperium ambirent, vel unus aliquis detrectaret obſequium, molem, quam parens eduxerat, filiorum diſcordiis conciſuram facilè providebat. Maturè itaque Provincias inter filios partitus Principatum ſponte abdicatum, in majorem natu, volentibus omnibus, tranſtulit. Ne tamen aut Rempubl. inter juvenum manus omninò deſereret: aut in ordinem redactus, auctoritate omni, inter populares excideret: honores callidè auxit, quorum faſtidium ſimulabat. Summum ſe ſacrorum Regem ſeu Pontificem, antequam Principatu abiiſſet, creavit; eum, qui hoc magiſtratu deinceps fungeretur, Krive Kriveito dici voluit. Hæc Kojalovvicz *part. 1. Hiſt. Lithvan. lib. 1. pag. 13. ſeqq.*

V. Ex dictis jam palàm fit, quæ ſit Kojalovicii, & antè ipſum Eraſmi Stellæ, Simonis Grunovii, Matthiæ Strykovii Oſſoſtevicii, aliorumque Scriptorum Pruſſicorum, qui enumeratos illos ſequuntur Duces, de Pruſſorum, eandem cum Lithvanis originem agnoſcentium, Republicâ, opinio. Videlicet tribuunt illis formam Reipubl. Regiam, primumque Principem faciunt Waidevvutum; alii fratrem etiam Waidevvuti nomine Prutenum in conſortium imperii trahunt. In hoc verò concors eſt omnium ſententia, Waidevvutum ſenio jam confectum, adeoque morti proximum Regnum Pruſſicum inter filios diviſiſſe, quamvis hôc differant, quod alii duodecim ipſi filios, alii pauciores aſſignent. Qui duodecim ipſi filios tribuunt, undecim Pruſſiæ præfuiſſe, duodecimum autem, nempe Lituonem, Lithvaniam occupa-

cupatam à ſuo nomine appellaſſe ferunt. Ab his deindè Waidewuti filiis omnes illos Principes, qui tempore Conradi Ducis Maſoviæ rerum in Pruſſia potiebantur, ortos eſſe, tradunt iidem Scriptores. Verùm quid de his ſit ſentiendum, etiamſi jam ex Diſſertatione noſtra de Origine gentium Pruſſicarum elucere poteſt; brevibus tamen & hîc ea ſententia nobis eſt coarguenda. Primùm cùm de Waidewuto Prutenoque altum ſit apud antiquos Scriptores ſilentium, adeò ut ignotum ſit prorſus, unde Eraſmus Stella (is enim primus Waidevvuti mentionem facit) hæc ipſa, quæ de Conſtitutione Reipubl. Pruſſicæ habet, hauſerit, ego religioni mihi non ducam hæc omnia fabulis annumerare. Firmant noſtram ſententiam nomina Waidewuti & Pruteni, à *ſcientiâ* vel *Prudentiâ*, quæ Legislatori neceſſaria, deducta, quemadmodum in modò citatâ Diſſertatione demonſtravimus. Deinde apertâ quoque his fronte repugnant, quæ de Republ. Pruſſorum habet Sec. XI. Scriptor Adamus Bremenſis *lib. de Situ Daniæ pag. 147.* Hic Pruſſicam rem attingens: *Homines*, inquit, *cærulei, facie rubeâ & criniti, præterea inacceſſi paludibus, nullum inter ſe Dominum pati volunt.* Eadem verba reperiuntur & apud Helmoldum *lib. 1. Chron. Slav. cap. 1.* Poſtremò cum Sec. XIII. Teutonicus Ordo Pruſſos oppugnare cœpiſſet, non habuerunt ſingulæ Pruſſorum Provinciæ ſuos Reges vel Duces Ordinarios; ſed imminentibus periculis Duces exercitûs ex potentiori Nobilitate ſibi deligebant, ut Dusburgium aliosque Scriptores Pruſſicos legenti nequit eſſe obſcurum. Proinde putidum eſt Anonymi cujusdam Rerum Pruſſicarum conſarcinatoris veriùs quàm Scriptoris commentum, qui tempore Conradi Maſoviæ Ducis Ehvveitum III. Pruſſiæ Ducem ex omnibus Pruſſiæ partibus exercitum, quem Ordini Teutonico opponeret, collegiſſe, tradit *in Chron. MS.* Agnoſcit eundem Pruſſiæ Ducem & Chronicon, quod Daubmannus edidit Regiomonti An. 1566. ſed eum vocat Thivveito. *in princ. Chron.*

VI. Quamvis autem ex dictis haut difficulter colligi queat, quæ fuerit ante Ordinis Teutonici adventum Pruſſorum Respublica, quædam tamen adhuc erunt ea de re adjicienda. Primùm omnium conſtare putamus, Pruſſos omnes in unam Rempublicam ante tempora Cruciferorum nunquam coaluiſſe. Sed neque fœdus aliquod Pruſſicis populis omnibus contra communes

nes hostes interceſſiſſe teſtantur Ordinis Teutonici res geſtæ. Quippe Cruciferi Pruſſiam ingreſſi non cum omnibus ſimul, ſed cum ſingulis Pruſſicis populis ſeorſim bella geſſerunt; niſi fortè rebelliones Pruſſorum jam ſub jugum Ordinis Teutonici actorum excipias, in quibus plures aliquando pruſſiæ Provincias contra Cruciferos arma corripuiſſe legas; Licet & hîc dubium ſit, an fœderi inter plures gentes inito hoc ipſum tribuere debeamus. Itaque habendum eſt pro certo, plurimas hîc olim fuiſſe Reſpublicas; & quidem ita, ut ſingulæ Provinciæ ex enumeratis illis plures id genus Civitates complexæ fuerint. Hujus rei veritas, etſi ſatis ſuperque eluceat, manifeſtiùs tamen in apricum producetur, ſi varia hominum genera, quæ Ordo Teutonicus hîc reperit, reſpiciamus. Quodſi namque monumenta Veterum excutiamus, reperiemus in Pruſſia primò fuiſſe PRINCIPES quosdam. Ex eo genere fuit Hagel Princeps, (ſi tamen vera eſt de eo Hiſtoria) qui in parte Pomerelliæ, ubi hodie Gedanum jacet, Principatum obtinuiſſe fertur. Schüz. *lib. 1. fol. 30.* Non ex alio fuit ordine Gellens Princeps, cujus ſedes à Cruciferis ſolo æquata, & poſtea ab iisdem inſtaurata dictaque eſt Gellensburg, quod nomen dein tranſiit in Gilgenburg. Schüz *lib. 1. fol. 38.* Sed & Principem quendam Soladimiſtarum ad eum ordinem referimus, de quo videri poteſt Vincentius Kadlubko *lib. 4. Chron. Polon. cap. 19.* Inprimis verò Sudinia fuit eo nomine celebris, quod erat Principum fœcunda. Et quidem hoc non de Veteri tantùm Sudinia, quæ in mediterraneis eſt Pruſſiæ locis, proprieque hoc ſibi antiquis temporibus vindicabat nomen; ſed etiam de Sambia, quæ procedente tempore Sudiniæ nomen obtinuit, intelligendum eſt. Ex Sudinia quippe veteri, Scumandus aliique Princeps fuerunt oriundi. Ex Sambia verò fuerunt Waidole, Candigandam, Scurdo, aliique. Schuz. *lib. 1. fol. 41. 42. & alibi paſſim.* Ubi inſuper hoc notandum eſt, Sudinicos hos ſive Sambienſes Principes, ex Eraſmi Stellæ ſententiâ, fuiſſe αὐλόχθονας, id eſt, non advenas cum cæteris Lithvanis, ſed ex gente Scadinavica oriundos. Vid. Stella *lib. 1. Antiq. Boruſſ. in fin.* Deinde NOBILES quoque in Pruſſia fuiſſe plurimos comperimus, ii dicebantur *Supani*, teſte Hennebergero *in lib. de Vet. Pruſſ. fol. 18.* quo nomine Poloni quoque quondam Nobiles

ſuos appellaſſe dicuntur, ut patet ex Chronico Montis Sereni, quod Joachimus Maderus edidit, *ad Annum 1209. pag. 86.* Potentiſſima autem Nobilitas fuit in Sudinia, ut cognoſcimus ex Schuzii *lib. 1. fol. 40. & 50.* Poſtremò præter Principes & Nobiles fuerunt etiam in Pruſſia, ut in aliis Regionibus omnibus, PLEBEII, quibus etiam ad jura Nobilitatis acceſſus dabatur, ſi virtutibus alios antecelluiſſent, patriæque in bellis maximè, utilem præſtitiſſent operam. Vid. Henneberg. *loc. cit.* Enumeratis his hominum generibus, quæri poteſt, utrum Principes & Nobiles diverſos reverà conſtituerint Ordines, ita ut illi alios ſub imperio ſuo habuerint ſibi ſubditos populos, hi non item? Affirmat hoc Thomas Waiſſelius in Chronico, non tamen confirmat ſententiam ſuam ex ullâ vetuſtiorum Scriptorum auctoritate. Nos Principes non alios arbitramur fuiſſe, quàm potentiores Nobiles, qui plures ſubditos ſibi colonos, exſtantioresque in ditionibus ſuis numerabant vicos. Supanos item non alios fuiſſe putamus, quàm Principes minus potentes, quorum tamen ſinguli ſingulas conſtituebant Reſpublicas, inque ſuos abſolutam habebant poteſtatem. Confirmat ſententiam hanc noſtram non obſcurè Dusburgenſis qui *Part. 3. cap. 215.* exponens, quæ fuerit vetuſtæ Nobilitatis Pruſſicæ conditio, nullum diſcrimen facit inter Principes & Nobiles, ſed omnes ſupra vulgus eminentes Nobilium nomine comprehendit. Contra ea Privilegium à Dieterico de Aldenburg urbi Bartenſteinenſi An. 1332. feriâ ſecundâ ante cathedram B. Petri conceſſum, omnes eos, qui alios ſub imperio ſuo habebant, appellat REGES, dum Bartenſibus Privilegia illa & immunitates, quæ ſub REGIBUS ſuis habebant, confirmat. Attamen præter Regna illa, quin antiquitus plures etiam reperti fuerint vici, nemini ſubjecti, popularique libertate gaudentes, mihi non eſt dubium. Nullum igitur aliud gentium harum olim fuiſſe videtur vinculum, quò actiùs inter ſe colligarentur, quàm communis religio, communiaque Sacra. Neque hoc mirum cuiquam videri debet, potuiſſe antiquis temporibus in Pruſſia tot Reges ac Principes, tot Reſpublicas adeò pacatè vivere. Gentes enim paupertati aſvetæ, non appetebant aliena, adeò ut de Regibus illis Pruſſicis cum Juſtino dicere liceat: *Fines imperii tueri magis, quàm proferre, mos erat: intra ſuam*

am cuique Patriam regna finiebantur. Ante autem quàm hinc abeamus, unum adhuc ultimo loco commemorare lubet. In Comitiis gentium Prussicarum magna fuit auctoritas Waidelottarum sive Sacerdotum utriusque sexûs. Quid illi rudi populo suadebant, illud facilè persuadebant, ita ut etiam in manifestissimum se præcipitare periculum non vereretur misera plebs, si quando Deorum eam esse voluntatem Waidelottæ ipsi persuaserant. Exemplo sunt Galindæ, qui fatidicæ cujusdam muleris impulsu, Masoviam inermes ingressi, prædas, maximo suo malo, agere sunt ausi. Vid. Dusburg. *Part. 3. cap. 4.*

VII. Sed missis barbaris illis gentibus, ad Ord. Teutonici tempora veniamus. Ut autem eò rectiùs Prussicam eorum temporũ Rempubl. cognoscamus, diversos itidem, ut antea, hominum Ordines in Prussia considerabimus. Hi dividi generatim possunt in Ordinis Teutonici Fratres (Creuz-Bruder) qui deinceps auctis opibus dici cœperunt Ordinis Teutonici Domini (Creuz-Herren) & in Populos ipsis subditos. Utrique dividuntur in privatos, & in dignitatibus constitutos. Nos hîc primò de Ordinis Teutonici Fratribus agemus, deinde, quæ fuerit ipsorum in incolas Prussiæ potestas, ostensuri. Caput Ordinis Teutonici, erat MAGISTER, Germanis Meister dictus. Et quidem primus ab institutione Ordinis hujus temporibus, cum res Equitum horum adhuc essent tenues, non nisi *Fratres* & *Magister* vocabatur supremus ille Ordinis præses. In antiquis enim monumentis non nisi hic reperitur titulus: *Fr. Hermannus de Saltza Domus Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum Hierosol. Magister.* Sed auctâ Ordinis Teutonici potentiâ non jam *Fratres*, sed *Domini*; Nec simpliciter *Magistri*, sed *Magistri generales* vocabantur. Quando autem hi tituli invaluerint, disquirendum nobis amplius erit. Et quidem quod attinet ad titulum Magistri generalis, communis est nostratium Historicorum sententia, tres priores Ordinis Teutonici Præsides acquievisse titulo Magistri, Quartum verò in Ordine, videlicet Hermannum de Saltza, titulum *Magistri generalis*, subactâ Prussiâ ac Livonia, sibi sumpsisse. Vide Henneb. *de Vet. Pruss. in Hermanno de Saltza, & alios.* Verum dubium hoc reddi potest nonnullis ex rationibus. Etenim primò Hermannus de Saltza, cum jam magnam Prussiæ partem possideret, non

non nisi *Magistri* titulum sibi tribuit in Privilegio Culmensi. Deindè nulla etiam ratio fuit, cur titulum *Magistri generalis* sibi tribueret, cum illi, qui Magistri Provinciales deinde vocabantur, non nisi Provisorum, Præceptorum & Commendatorum titulum, tempore Hermanni de Salza, & fortasse Successorum quoque ejus, habuerint, ut postea probabimus. Adhæc, in Coenobio Leubusiensi, quod in Silesia ad Oderam situm est, Hermanni de Saltza effigies habetur cum inscriptione, in qua tamen & post obitum ei non nisi *Magistri* titulus tribuitur. Ad extremum An. 1246. Privilegium Elbingensibus dedit Henricus de Hohenloe, quem Simon Grunovius Supremum Ordinis caput fuisse scribit, & tamen ille in Privilegium dicto non nisi *Ordinis Teutonici Ministrum humilem* se appellat, in sigillo etiam hæc tantùm epigraphe habetur: *S. Magistri Hospitalis S. Mariæ Teutonici.* Quod certo nobis documento est, neque eo tempore Magistri generalis titulum fuisse receptum. Sic igitur constare putamus, titulum Magistri generalis post Hermannum de Salza demum invaluisse. Titulum autem *Fratris* non refugerunt etiam posteriorum temporum Magistri. Nam in omnibus Privilegiis legas: Wir Brûder Heinrich von Richtenberg. Wir Brûder Merten Truchses des Ordens etc. A privatis tamen Magistri generales circa Sec. XIV. cœperunt vocari *Domini.* Manifestè hoc elucet ex Dusburgensi & Continuatore ejusdem, quorum ille Magistros non aliter quàm Fratres; Hic autem primos quidem itidem Fratres, ultimos verò semper Dominos apellat. Aliàs titulorum Magistro à subditis ipsi populis attributorum simplicitatem vel inde cognoscas, quòd in antiquis Actis Curiæ Torunensis Ad An. 1347. Henricus Dusnerus Magister generalis vocetur: Der Achtbare Herr Heinrich Dusner Hofmeister zu Preußen. Similia occurrunt & alibi. Illud verò, quod Scriptores nostri vulgò referunt, Conradum Wallenrodium Magistrum generalem titulum Dignitati suæ convenientem sibi sumsisse, atque aliorum Principium more nomini suo præfixisse illud usitatum: *Nos Dei gratia*, utrum probari queat ex antiquis monumentis, dubito. Nam & subsequentibus temporibus non nisi hic titulus fuit in usu: *Nos Frater Conradus Ordinis Fratrum Hospitalis S. Mariæ Teutonicæ domus in Hierusalem generalis Magister.* Vt taceam, titulum illum: *Nos Dei gratia,*

illis

illis temporibus non tam fuisse signum auctoritatis atque dignitatis, quàm professionem aliquam modestiæ & Pietatis, quâ se Dei benignitate ad dignitates ejus generis euectos testabantur Reges & Principes. INSIGNIA, quibus Magister Ordinis Teutonici generalis, ex concessione Coelestini III, Romani Pontificis utebatur, fuit crux nigra in campo albo, cui deinde Ioannes Rex Hierosolymitanus adjecit crucem auream, priori illi, nimirum nigræ, inserendam. Thom. Waissel. *in Chron. fol. 39. & 45.* Adjecit Insignibus his Fridericus II. Imperator Aquilam nigram in campo aureo, quæ in medio crucis nigræ & aureæ ponitur. Waissel. *fol. 46.* Postremò Ludovicus IX. Rex Galliæ à Bello sacro redux Insignia dicta quatuor liliis auxit, ita ut extrema crucis aureæ singulis liliis ornarentur. Feciſſe hoc dicitur Ludovicus ille An. 1250. d, 20. August. cum Ordini Teutonico Conradus Landgravius præesset, ut Henneb. *de. Vet. Pruss. in Conrado* & Waissel. *fol. 76.* tradunt. Eo autem modo Mag. Ordinis insignibus his usi sunt, ut quatuor areas, sive campos, ut vocant, facerent, in quorum duobus transversim sibi oppositis collocabant insignia Ordinis jam à nobis descripta; In reliquis duobus verò insignia cujusque Magistri gentilitia. SIGILLUM, quo Magistri ex Constitutione Ottonis de Carpen II. di Ord. Teut. Magistri in Privilegiis aliisque tabulis publicis subsignandis usi sunt, sic Hennebergerus describit: Es war länglicht mit einer Figur eines Esels / darauff saß ein Bildnüß der Jungfr. Marien mit dem Kindlein JEsu / dabey gieng Joseph mit einem Stabe und leitet den Esel / die Umschrifft des Siegels war: Das ist das Siegel des Meister-Amptes des deutschen Hauses zu Jerusalem. *in Comment. ad Tab. Pruss. Georg. pag. 364.* Adstipulantur his Casp. Schuz. *lib. 1. Chron Pruss. fol. 16.* & Waissel. *in Chron. fol. 43.* Hôc tantùm differunt, quod Schuzius Fridericum quoque Ducem Sanoniæ aliosque Magistros, qui Schuzii tempore in Germania reliquis Ordinis Teutonici præerant, eodem sigillo usos esse putat: Hennebergerus verò & Waisselius Fridericum illum jam sigillum dictum immutasse, atque solâ B. Virginis puerulum Jesu brachio sustinentis imagine in sigillo usum esse referunt. Cui ex dictis calculus sit adiiciendus, non apparet. Ex antiquis enim illis temporibus non adeò multa Privilegia ab ipsis Magistris generalibus data restant, cum nemi-

ni Prussicarum rerum perito sit ignotum, Ordinis Teutonici temporibus Privilegia dedisse non solùm Magistros generales, sed etiam Magistrorum generalium Vicesgerentes, Magistros Provinciales, Commendatores item aliosque Magistratus. Quæ autem Magistorum ipsorum generalium Privilegia supersunt, illorum quidem partim jam typis mandatorum, partim ab Alberto Duce Prussiæ renovatorum, partim etiam ex autographis descriptorum exempla legi non pauca, ex quibus tamen nodus hic solvi non potuit, cum in illis nil nisi Locus Sigilli sit relictus. Tria tamen Privilegia novi, quæ & Schuzü & Hennebergeri sententiam subvertunt; primum est Privilegium Elbingense An. 1246. per Henricum de Hohenloe concessum; alterum autem est Privilegium aliquod à Ludovico Erlichshusio Magistro generali datum, quod habetur in Electorali Bibliotheca Regiomontana, inter Acta Prussica MSS. in cista majore. Tertium est Privilegium Thorunienſibus à Conrado Zolnero de Rotenstein An. 1385. concessum. Primum illud, ut illud describit Nobiliss. Dn. G. Zamelius, habet capsulam gilvæ ceræ, in qua interius nigræ ceræ impressa est imago B. Virginis Mariæ sedentis in sedili, quæ Jesulum in sinistro brachio; In dexstra verò manu sceptrum habet, in cujus circumferentia est scriptum: S. MAGISTRI HOSPITAL. S. MARIÆ TEUTONICORUM. ✠. Eadem prorsus est forma Sigilli in Privilegio Thorunienſi. Regiomotanũ quoque non exhibet nobis Josephum asinum ducentem, sed impressum est rubræ ceræ in capsula lignea ingens sedile, ut in prioribus, in quo B. Virgo considet, puerulum Iesum brachio gestans. Reliqua mihi jam exciderunt. Alii plura sine dubio observarunt exempla. Quod si hic conjecturæ dandus est locus, primi tantùm tres Magistri sigillo hoc sunt usi. Postquam autem sibi jam Prussiam subjecissent, aliud sibi sigillum confeciſſe videntur. Præterea de SEDE Magistrorum generalium non est, ut hîc agamus, cum jam in animadversionibus nostris ad P. de Dusburg. plusçula de ea dederimus. Illud tamen hîc præterire non possumus, quod habet Grunovius, videlicet Mag. generalem, antequam in Prussiam concessisset, aliquando habitasse in Mergenthal, quod sine dubio est Mergetheimium ad Tubarim in Franconia situm, ubi etiam Magistri, postquam in Prussia Ordo esset abrogatus, sedem

sibi

sibi deinde fixerunt. Vid. Sim. Grunov. *Tract. XI. cap. 2.* Adhæc notandum est Magistrum in publicum prodeuntem sibi clypeum & chlamydem præferenda curasse, ut colligitur ex Consvetud. Ordinis *num* 34. Ad extremum non est prætereundum, Magistro Ordinis Teutonici cum aliis Fratribus accumbenti id honoris exhibitum, ut quatuor carnium, ut & piscium partes caperet, quo largiùs & cumulatiùs munificentiam erga Fratres Pœnitentes aliosque posset exercere. *Vide leges Ordinis num. IX.* Et hæc de Ordinis Teutonici Magistro generali dicta sunto.

VIII. Proximi à generali Ordinis Teutonici Magistro fuere MAGISTRI PROVINCIALES (Germanicè dicuntur die Land-Meister.) Hi nomine Magistri generalis aliis in regnis habitantis Provincias sibi concreditas gubernabant. Etenim Magister Ordinis Teutonici generales cum plures haberent Provincias Ordini subjectas, ipsi primum Acconæ, dein Venetiis, & denique Mariæburgi in Prussia residebant, reliquas autem Provincias per Magistros Provinciales administrabant, *Vid. quæ de sede Magistrorum notavimus ad Dusburg, Part. 3, cap. 297.* Initiò verò cum supremi Ordinis Præsides titulo Magistrorum essent contenti, hi Magistri Provinciales vocabantur TERRARVM PROVISORES (Landpfleger.) Sic Hermannus de Balke, qui nomine Mag. generalis Hermanni de Salza Prussiæ primus præfuit, in Privilegio Culmensi non vocatur Magister, sed Provisor Prussiæ. Simon Grunovius insuper disertis scribit verbis, Hermannum de Balke nunquam se aliter, quàm Provisorem Prussiæ nominari voluisse, post ejus autem decessum Successores ejus Magistrorum Prussiæ titulum sibi sumsisse *Tract. 6. fol. 78. a.* Prius illud, quod de Balkone refert, apertè nostram firmat sententiam, posterius tamen admitti non potest. In Privilegio namque Culmensi An. 1251. (adeoque post Hermanni de Balke) renovato, ille, qui Prussiæ Magistri generalis loco præerat, adhuc vocatur Provisor Prussiæ, ut ex subscriptionibus de An. 1251. apparet. Adde, quod Petrus de Dusburg primos illos Provinciarum gubernatores non nisi COMMENDATORES & PRÆCEPTORES Provinciales appellat. *In Præfat. ad Institut. Ord. Teut.* Hi Magistri, quos Commendatores, Præceptores, Provisoresque terrarum initio dictos fuisse diximus, fuere numero septem, nimirum Livoniæ, Prussiæ, Germaniæ, Austriæ, Appuliæ, Romaniæ & Armeniæ teste Dusburgio *loco citato.* Horum tres priores fuere potentissimi. Et quidem Livoniæ Magister inter

eos ordine primus fuisse videtur, non eò solùm, quod primo loco à Dusburgio numeratur, sed etiam alias ob rationes. Quippe illorum postremi parvis præerant Provinciis, ut non potuerint prioribus illis præponi. Livonicus autem Prussico ea propter antepositus esse videtur, quoniam Livonia diutiùs Ordinis Ensiferorum imperium agnoverat, quàm Prussia Ordinis Teutonici. Ex superioribus enim constat, Vinnonem primum Ordinis Ensiferorum Magistrum circa Annum 1206. in Livoniam esse evocatum; Ordinis autem Teutonici Equites Anno 1230. demùm Prussiam intrasse. Itaque cum postea circa An. 1238. Adalberto Rigensi Episcopo, ut & Theodorico Engelbertoque Tisenhusiis, annitentibus, hi duo Ordines essent conjuncti, conjunctioque illa à Gregorio IX. Pontifice Romano esset approbata, factum est, ut Livonico Magistro prior sit locus concessus. Ne quis tamen existimet, nudam hanc esse conjecturam, probari hoc poterit ex eo, quod aliquando Magistri Prussici relictâ Prussiâ Magistratum Livonicum capessere non dubitarint. Comprobat hoc exemplum Hermanni de Balke, qui, cum antea summâ cum laude Prussiæ per aliquod annos præfuisset, Livonicis Equitibus datus est Magister. Ob eandem sine dubio rationem, cum Conradus de Feuchtvvangen An. 1280. in Livoniæ simul & Prussiæ Magistrum esset electus, utrique tamen Præfecturæ administrandæ se parem non esse cerneret, dimissâ Prussiæ administratione solam sibi Livoniam retinuit. *Vid.* Dusburg *Part. 3. Cron. cap. 196.* Secundus fuit Prussiæ Magister Provincialis. Cum enim Sec XIII. ipse Magister Generalis Hermannus de Saltza auxiliorum contra veteres Prussos contrahendorum gratia in Germaniam proficisceretur, per Magistros Provinciales Prussiam gubernari voluit. Horum pòst Primum Hermannum de Balke, ut vulgò numerantur, fuere sedecim usque ad Henricum Plozke, quo Magistratum hunc gerente Sigefridus de Feuchtvvangen Magister generalis An. 1307. sede in Prussiam tranlatâ Provinciam hanc ipse per se coepit administrare, cum eam priores Magistri generales octoginta circiter annos per Magistros Provinciales administrassent. *Vid.* Dusburg. *Part. 3. Chron. cap. 297.* Tertius fuit Germaniæ Magister Provincialis. Cum enim Sigefridus de Feuchtvvangen Magister generalis in Prussiam sedem suam transtulisset, ex eo tempore ipse Successoresque ejus Germanicas Provincias Ordini Teutonico subiectas per Magistros Provinciales administrare coeperunt. Primus, qui tunc in Magistrum Germaniæ Provincialem ele-

electus est, sunt Boto de Hohenlach, ut testatur Auctor Chronici Ordinis *in Sigefrido de Feuchtvv. fol. 97. b.* Sed & ante Feuchtvvangii tempora, cum Magistri generales Venetiæ habitarent, Germaniam sine dubio per Magistros Provinciales administrarunt. Nam An. 1251. cum Privilegium Culmense renovaretur, appendit sigillum suum Præceptor Alemanniæ, quem ego non alium, quàm Magistrum Germaniæ Provincialem fuisse arbitror. *Vide quæ ea de re dicta sunt in Animadvers. Dusburgii Part. 3. cap. 58.*

IX. Præter hæc Ordinis Teutonici capita ordinaria, solebant etiam non rarò extra ordinem alii Magistratus eligi, quorum potestas eadem erat, quæ ipsorum Magistrorum generalium. Vocabantur illli VICES GERENTES Magistri generalis. Causæ horum eligendorum fuere variæ. Primùm quando res maximi momenti erant determinandæ, solebant à Magistris generalibus etiam peregrè commorantibus in Prussiam Vicesgerentes mitti, etiamsi ordinarii Magistri Provinciales essent præsentes. Non sinit nos ea de re dubitare Privilegium Culmense, quod, præsente Prussiamque administrante Ludovico Provisore sive Magistro Provinciali, renovavit Eberhardus de Seyne Vicesgerens Magistri generalis. Deindè quando causa ipsum tangens Magistrum erat ventilanda atque decernenda, ut hoc majori fieret cum auctoritate, eligebatur, qui interea Magistri vices obtineret. Exemplo est Paulus Bellicerus de Russdorff, quem Præceptores Ordinis Teutonici Magistratu dimiserunt, electo sibi prius Magistri generalis Vicesgerente, cujus auctoritate totum illud negotium confectum est, sicut testantur literæ An. 1441. Mariæburgi datæ, quæ in Tabulario Thorunienſi servantur. Ad hæc quando Magister generalis ipse in bellum proficiscebatur, ne inter hæc Provincia sine Rectore fluctuaret, constituebat prius ex Fratribus sive Equitibus Ordinis aliquem Vicesgerentem. Factum id esse legimus An. 1410. cum Ulricus de Jungingen XXIII. Magister ad pugnam Tannebergensem, quæ cum Vladislao Jagellone Rege Poloniæ commissa est, prodiret. Tunc siquidem Gubernator Prussiæ constitutus est Henricus Reus à Plauen Commendator Swecensis, apud Schuz. *lib. 3. Chron. fol. 104. Conf. lib. 6. in princ.* Postremò Magister lethali morbo laborans, poterat uni ex Equitibus Ordinis, cui vellet, annulum

sigillumque suum tradere, qui illud futuro servaret Magistro, qua ipsa annuli ac sigilli traditione Fratrem illum Vicesgerentem denominabat. Sed si is Fratribus minus placebat, licitum erat toti Capitulo, ut vocant, sive Conventui Fratrum alium, post Magistri fata substituere Vicesgerentem. *Vid. Constitut. Ord. num. 1. & 2.* Exempla videantur apud Hennebergerum *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 287.* Waissel. *in Chron. pag. 116.* Unum Henrici Reusii à Plauen exemplum hîc adducere non pigebit. Hic postquam Prussia, quam Ordo Teutonicus tenebat An. 1466. in Regum Poloniæ fidem & clientelam concesserat, ne ex pacto Regi jurejurando fidem adstringere cogeretur, Vicesgerentem, non Magistrum, in quem tamen eligi, si voluisset, poterat, per totum biennium appellari se voluit. Cudi quoque monetam jussisse dicitur cum inscriptione: HENRICUS QVA VICEGERENS. teste Henneb. *loc. cit. fol. 200.* Waisselius fol. 245. Casp. Schuz. *lib. 7. Chron. fol. 335.* Quamvis verò Vicesgerens, Magistri generalis loco, Provinciæ huic præfuerit, non præferebatur tamen ei clypeus & chlamys Magistri, neque locum Magistri capiebat ad mensam, vel in templo, *ut habetur in Consvetudin. Ord. num. 34.*

X. Sed ad Magistrum generalem revertamur ritus in ejus electione observari solitos enarraturi. Vicesgerens dicto modo à defuncto Magistro constitutus, literis ad singulos Magistros Provinciales datis, diem futuræ præfigebat electioni, ut ad eam Provinciales Magistri, substituto in locum suum alio, ab exteris regionibus & Provinciis in Electionis loco se sisterent, cum uno vel altero socio ex Ordinis Fratribus electo. Inter hæc vestes defuncti Magistri in egenos distribuebantur. Alebatur insuper per totum annum homo egenus pro anima Magistri; sicut aliàs, Fratre sive Equite alio privato decedente, hoc ipsum per 40. dies continuari solebat. Ipso electionis die convocabantur Fratres ad Electionem novi Magistri. Initium fiebat à sacris, quibus finitis, Leges Ordinis Teutonici prælegebantur. Indè singuli Fratrum orationem Dominicam quindecies recitabant. Posthæc tredecim pauperibus cibus præbebatur. Tum Vicesgerens communi totius Conventûs consilio Equitem unum eligebat, qui esset *Commendator Electorum.* Is commendator adjungebat sibi *alium* Equitem Collegam. Hi duo *tertium*

tium postulabant, & illi tres *quartum*, & sic deinceps, donec *tredecim Electores* dicto modo essent electi. In his unus erat Sacerdos, octo Equites, & quatuor alii Fratres. Id verò sedulò agebatur, ut singuli Electores, si fieri potuit, diversarum essent nationum, ne gratiæ daretur locus. Posthæc Electores dicti jurejurando obstringebantur, ne in electione novi Magistri quicquam aliud, quàm salutem publicam atque Ordinis incrementum spectarent. Sed & alii Fratres sacramento adstringebantur, ne Magistro, qui ab Electoribus aut omnibus aut eorum parte potissimâ denominandus esset, subjicere se gravarentur. Suprema in electione lex erat, ne spurius, aut qui annuam pœnitentiam ob furtum, scortationem aliudve scelus egerat, in Magistrum eligeretur. Electores, si inter se quempiam reperiebant ad hoc munus idoneum, jubebant ipsum paulisper secedere, quò liberiùs singulorum de eo sententiæ explorari possent ; Si tunc Fratrum animos animadvertebant ad eum eligendum propensos, mittebant eum ad Capitulum, rogantes, ut à Capitulo alius pro ipso substitueretur Elector. Sin dicto Fratri à maxima Electorum parte esset reclamatum, revocabant eum in Electorum Collegium, ubi electio fiebat sequenti modo. Primò suffragium ferebat Commendator Electorum, quem deinde alii Electores ex ordine suffragia ferentes sequebantur. Plurimorum calculis approbatus, Magistri generalis dignitatem consequebatur. Tum Electores ad Conventum generalem reversi, electum à se Magistrum Fratribus populoque sistebant. Hinc faustis omnium acclamationibus omnia personabant. Sacerdotes hymnum: *Te Deum laudamus*, decantabant. Pulsabantur campanæ, aliaque lætitiæ signa undique edebantur. His ita peractis, Vicesgerens electum Magistrum ad altare deductum muneris rectè administrandi commonefaciebat, eique tradebat annulum cum sigillo, quæ à superiore Magistro fidei suæ erant commissa. Sub hæc Magister novus Vicesgerentem osculo excipiebat. Si quando etiam contingebat, ut Vicesgerens non per se, sed per alium Fratrem annulum & sigillum novo traderet Magistro, solebat & hunc Fratrem Magister novus osculari. Quod si electus Magister non erat in loco electionis præsens, in Conventu tantùm denominabatur, postea commodo tempore, ubi se stitisset, inaugurandus. *De his omnibus vide consvetudines Ordinis à n. 1. usque ad 10.*

XI. Magistros ordine excipiebant EPISCOPI Prussiæ, quorum quatuor olim numerabantur. Videlicet primò CULMENSIS, qui olim

olim Warmienſem, ſecus atque hodie fit, anteibat, cum ipſius Epiſcopatus fuerit antiquior, non abnuente Martino Cromero Epiſcopo Varmienſi *in lib. 2. Deſcript. Regni Polon. pag. 220.* Hodie Epiſcopus Culmenſis Warmienſem ſequitur, habetque ſedem ſuam Lubaviæ. Deindè fuit POMESANIENSIS, qui ſedem ſuam habuit Riſenburgi. Tertius VARMIENSIS, qui olim Brunsbergæ ſedem ſuam habuiſſe fertur, nunc autem reſidet Heilsbergæ. Quartusdeniq; SAMBIENSIS. Hujus ſedes erat in oppido Fiſchhauſen, usque ad Georgium à Polenz, qui Alberto Marchione Brandeburgico imperante Balgam conceſſit. Hoc ordine enumerantur dicti Epiſcopatus in Diplomate Gvilhelmi Epiſcopi Mutinenſis Legati Pontificis Romani, qui An. 1243. d. 4. Julii juſſu Innocentii IV. Pont. Rom. Pruſſiam in hos Epiſcopatus diviſit. Conf. Petrus de Dusburg *Part. 3. Chron. cap. 33.* Hi Epiſcopi primis temporibus ab imperio Magiſtri liberi fuerunt, ſed procedente tempore auctâ Magiſtrorum potentiâ & hi fuerunt ſub jugum acti, excepto ſolo Epiſcopo Varmienſi, qui ſemper conatibus Magiſtrorum reſtitit. Probat id inter alia Catalogus Epiſcoporum Sambienſium apud Hennebergerum, ubi Siffridus III. Epiſcopus Sambienſis cum Capitulo ſuo primus Ordinis regulam ſuſcepiſſe dicitur. Henneb. *in Comment. ad Tab. Pruſſ. pag. 131.* Plura de Epiſcopis Pruſſicis non addimus, cum de iis copiosè ſit actum *in Animadverſ. ad Part. 3. Dusburgii cap. 33. & in Diſſertat. de Originibus Eccleſiaſticis.*

XII. Epiſcopos excipiunt PRÆCEPTORES (die Gebietiger.) Hi dividuntur in majores ac minores. Illorum ſunt quinque, nimirum I. Commendator Magnus, II. Marſchalcus. III. Hoſpitalarius ſupremus. IV. Trapiarius. V. Theſaurarius. De origine horum Magiſtratuum notat Grunovius, quod Sigefridus à Feuchtwangen Magiſter generalis, cum in Pruſſiam ſedem ſuam transferret, eos conſtituerit. *Tract. XI. cap. 1.* Quæ tamen ita ſimpliciter accipienda non ſunt. Nam Marſchalcum Ordinis Teutonici in Pruſſia à primo Ordinis in has oras ingreſſu fuiſſe deprehendimus. Singuli quippe Provinciales Magiſtri adjunctos ſibi habebant Marſchalcos, quorum operâ in bellis gerendis utebantur, quemadmodum ex plurimis Dusburgii locis palàm fit. Reliquos etiam Magiſtratus in aula Magiſtri generalis vixiſſe vero perquam ſimile eſt. Cum verò ille in Pruſſiam habitatum concederet, & hi cum ipſo in Pruſſiam venerunt. Commendatoris

Magni

Magni munus tantùm videtur eo demum tempore introductum esse, cum Magister Generalis Mariæburgum sedem suam constituisset. Sed de singulis his Magistratibus quædam nobis erunt dicenda, quo magis nobis eorum munia innotescant. COMMENDATOR MAGNUS (Groß Compthur) in Prussia primus constitutus est à Sigefrido de Feuchtwangen Magistro generali Henricus de Plozko, qui antehac, Magistro Venetiis aut in Germania (ut quidam volunt) Marburgi degente, Magister Prussiæ Provincialis fuerat. Non fuisse Commendatoris Magni munus ad certum aliquod negotiorum genus restrictum, sed omnibus omninò consiliis ipsum simul cum aliis præfuisse, tradit Hennebergerus *in Chron. pag. 281.* & ex eo Waissel. *fol. 104. seqq.* Quod tamen secus se habet. Etenim Magno Commendatori præter commune consiliorum onus aliaque de quibus paulò pòst dicemus, commissa fuit speciatim cura thesauri, rei frumentariæ & navigationum. Fratres quoque Ordinis Sacerdotalis, & Laici, item ministri domi habitantes, sub ipsius erant imperio. *Vide Consvetud. Ord. n. 19.* Magister quoque generalis peregre profecturus Magnum Commentatorem potius, ut omnium negotiorum gnarum omniumque Consiliorum participem, quàm alium Fratrem, suo loco ut Provinciæ præficiat, monetur in iisdem Ordinis Constitutionibus, ita tamen, ut ejus arbitrio hæc committantur omnia. *Vid. Constit. Ord. n. 32.* Habebat Commendator Magnus in bello, & aliàs in itinere constitutus, Fratrem Equitem sibi adjunctum, ut & alium Fratrem, præter proprios Ministros, qui ipsum honoris causa comitarentur. *n. 31.* MARSCHALCUS ORDINIS sive MARSCHALCUS SUPREMUS (Oberster Marschalck vel Landmarschalck) secundus fuit Præceptorum majorum, habuitque sedem suam in arce Regiomontana. Ejus erat rem bellicam curare, quam ob rem ipsi post Magistrum generalem subjecti erant omnes Fratres Equites. Procurabat igitur ipsis arma & equos, quos tamen sine consensu Magistri non emebat, nisi necessitate urgente. Sed neque poterat aliquem ab exercitu dimittere inconsulto Magistro. Nec denique sine Magistri generalis indultu hostem aggredi ipsi erat integrum. *Vid. Consvetud. Ord. n. 27. 28. 52.* Habebat duos Fratres sibi adjunctos, unum Fratrem Equitem & alium Fratrem, præter Vice Marschalcum aliosque ministros.

ſtros. *Conſvet. n. 23.* Poterat quoque Marſchalcus abſens alium in locum ſuum conſtituere, ex quo auctoritatem ejus non exiguam agnoſcas. *Conſvet. Ord. n. 45.* Magis tamen auctoritas atque poteſtas ejus elucet, ſi reſpiciamus prærogativam ejus præ cæteris Magiſtratibus. Pacis tempore Commendator Magnus præcedebat Marſchalcum, eique incumbebat, abſente Magiſtro ejusque Vicesgerente, Capitulum convocare: In expeditionibus autem bellicis Marſchalcus præcedebat Commendatorem Magnum, quin hic ab illius nutu tunc dependebat, ut & cæteri Commendatores majores, puta Trapiarius & Theſaurarius. Convocabat etiam Marſchalcus Fratres ad Conventum in expeditione bellica, abſente Magiſtro ejusque Vicesgerente. Quando multi hoſtes erant reprimendi, exercitusque erat dividendus, non rarò Commendatorem Magnum à Magiſtro contra hoſtes miſſum munere Marſchalci functum eſſe legimus. Quin hoc de Commendatore Magno & Marſchalco ſupremo universè notandum, alterum in alterius abſentiâ, munia vel Commendatoris Magni, vel Marſchalci ſupremi, obiiſſe, *ut eſt in Conſvetud. Ord. n. 26. & 32. Conf. Caſp. Schuz. lib. 2. fol. 76. b.* Tertius in ordine HOSPITALARIUS erat SUPREMUS, (Oberſter Spittler) qui Elbingæ frequenter, ut ſimul ejus loci Commendator ſedem ſuam habebat. Ejus erat curam gerere pauperum, aliisque Hoſpitalariis inferioribus præſcribere, qua ratione proventus ad Noſocomia & Ptochotrophia pertinentes eſſent adminiſtrandi. Et quo liberalior in ægrotos aliosque pauperes eſſet, non cogebatur rationes expenſarum Magiſtro reddere. Quodſi ſumptus in ægrotos & pauperes impendendi deerant, Commendatoris Magni erat, eos procurare. *Conſvetud. Ord. n. 33.* Habebat Hoſpitalarius ſupremus ſuos Hoſpitalarios inferiores, qui ſingulis Noſocomiis præerant. Sigillum Hoſpitalarii quale fuerit, cognoſcere licebit ex Deſcriptione Civitatis Elbingenſis Nobiliſſimi atque Ampliſſimi Dn. Gotofredi Zamelii, quam adhuc MS. premit. Ibi verò hæc notavit: Des Oberſten Spittlers Sieget war zur Stifftungserinnerung / ein junger Hoſpital-Bruder / welcher ſich von einem alten Manne die Füſſe waſchen läſſet. Jener hat einen Fuß ſchon abgetrocknet auf der Erden / und langet herfür ſeinen andern Fuß / hat auch die rechte Hand ausgeſtrecket. Sedes Hoſpitalarii primis temporibus erat Elbingæ, cum verò

verò ea Regno Poloniæ accessisset, Brandeburgum sedes ejus fuit translata. Quartus erat TRAPIARIUS (Trapierer) Hic ex Hennebergeri sententia, quam Waisselius sequitur, præerat rei monetariæ. Eadem habet illis antiquior Simon Grunovius, qui *Tract. XI. cap. 1.* de Trapiario ita scribit: Dieser solte alle die Münze zu nehmen und zu geben den Soldnern und Arbeitsleuten Macht haben/und was Geld antraff regieren und solte auf Christburg wohnen. At verò Johannes Jacobus Speidelius *in Speculo Juridico Politico-Historico in voce* Commenthurey existimat Trapiarium curasse rem domesticam, damit in Küchen und Keller alle Nothdurfft verhanden sey. Ex hujus ergò sententia Trapiarius idem erat qui Culinæ præfectus, vel etiam Dapifer. Cæterùm nos de munere Trapiarii melius edocemur ex ipsis Consvetudinibus Ordinis, quæ Trapiario tribuunt curam rei Vestiariæ. Sic enim dictæ Consvetudines: Zu des Trapires Ampte gehöret die Traperie/Wapen-Rocke/Spaldenir/Knilinge/Vanen/Wapen-Huben/Wapen/Handsche/Gürtele unde andere Cleidere. Di sal der Trapirer den Brüderen geben/das gehöret zu sune Ampte. Die alden Cleidere/die er nach dem Winter von den Brüderen uffgenimmet/die sal er zu dem anderen Wintere behalden/zu theilne gleich dem Commendure unde dem Marschalcke. &c. *num. 55.* Si cui Fratri pannus dono mittebatur, non poterat eum, nisi permissu Trapiarii, retinere. Si pannus dono missus duobus palliis conficiendis sufficiebat, dimidiam partem Frater sibi retinebat, reliquâ parte Trapiario traditâ. *Consvet. n. 40.* Item hæc cura Trapiario incumbebat, ut Fratribus ex Conventibus alio missis de viatico provideret, sicut habent Leges Conradi de Feuchtwangen *in Codice MS. fol. 78. b.* Ex his jam fit manifestum, quid de sententia Johannis Limnæi sit sentiendum, qui nomen Trapiarii deducit à Gallico *Trape* & hoc à Græco τράπεζα, undè Trapezita, *Tom. I. Additionum ad lib. 6. Jur. Publ. cap. 2. n. 57.* Verissima & certissima est illa nomenclatio, quæ nomen Trapiarii deducit à Gallicâ voce *drap*, quod pannum significat, unde *Drapier* est pannarius propola, & *draperie* est locus, ubi pannus venditur, sive taberna pannaria; item vestes ex panno confectæ. Vox etiam *Drappa* vel *drappus* non rarò in Scriptoribus barbaris reperias pro voce *pannus*, ut apud Marculphum *lib. 1. cap. 12. & lib. 2. cap. 16.* Conf. Spelmannus *in Glossario.* Vossius *de Vit. Serm. Lat. lib. 2. cap. 5. p. 199.*

Sedes Trapiarii, cum Christburgum Regibus Poloniæ cessisset, translata est Balgam. Ultimus inter Præceptores sive Commendatores majores erat THESAURARIUS sive QUÆSTOR, qui Germanis Treßler dicebatur. Treſſel enim in Legibus Ordinis pro loco, ubi thesaurus reponitur, accipitur. Quodnam fuerit Quæstoris munus, ex ipso nomine liquet. Itaque calculum non addo Hennebergero ac Waisselio, qui Quæstorem ex præscripto Trapiarii pecuniam publicam administrasse dicunt. Residebat Quæstor semper in Magistri aula, quò promptius ac facilius Magistro necessarios posset suppeditare sumptus. Vid. Waisselius & Hennebergerus *ll. cc. Conf. & Consvetud. Ord. n. 19.* Hos Magistratus omnes, excepto Hospitalario, singulis mensibus oportebat rationes Redituum atque expensarum Magistro reddere. Quodsi ipsi Magistro commodum non erat ad audiendas rationes tempus, dabat hoc negotium Commendatori Magno aliisque Fratribus, quos Commendator sibi adjungebat. *Consvet. Ord. n. 33.*

XIII. Præter enumeratos hos Præceptores sive Commendatores, fuerunt & alii Magistratus Ordinis Teutonici, quorum nobis munia nunc erunt enumeranda. Et quidem communissimus Magistratuum titulus fuit hic, ut dicerentur Commendatores, aut simpliciter, aut cum addito tales. Illi varii fuerunt Ordinis. Primò enim hîc in Prussia fuisse observo COMMENDATOREM PROVINCIALEM TERRÆ CULMENSIS, qui subscripsit nomen suum Privilegio Culmensi An. 1251. renovato, & quidem ante Marschalcum Ordinis Teutonici, aliosque in Terra Culmensi Commendatores, ex quo muneris hujus dignitatem facilè cognoscas. Mentionem Commendatoris hujus facit & Dietericus de Aldenburg Magister generalis in suis Legibus, ubi eum sic describit: der an unſer Statt wird gelaßen im Lande zu Culmen *in Cod. MS. fol. 88. b.* Alioqui titulus hujus Commendatoris erat der Land Compthur im Culmiſchen Lande. Habuit autem Ordo Teutonicus & in aliis terris tales Commendatores, cum noti sint ex monumentis antiquis: der Land Compthur der Baley Elſas und Burgund. Item der Land-Cumpthur der Baley Coblenz. Vid. Adam Piszki à Kranichsfeld *De statu Seculari cap. 15. pag. 421.* & Speidel. *loco. sup. num. citato.* Quanto Magistratus hic sit abrogatus, determinatu difficile est. Diu tamen ipsum durasse vix est verisimile, cum ejus nomen aliis Privilliis, præter Culmense, subscriptum vix reperias. Non se-

mel

mel venit in mentem cogitare, sede Magistri generales in Prussiam translatâ ac Commendatore Magno, qui Commendatoris Provinciæ Culmensis vices posset supplere, creato, illum fuisse abrogatum. Sed Leges Dieterici de Aldenburg obstant, quo minus nobis hæc sententia placere possit. Residebat Commendator ille in Castro Veteri Germanicè Althaus dicto test. Sim. Grunovio *in Prolegom. ad Chron. Pruss.* Deinde fuerunt etiam COMMEDATORES simpliciter ita dicti, (Commenthur sive contractè Compthur) quorum catalogum nobis exhibet Simon Grunovius *loc. cit.* Ille verò sic habet:

Landcompthur von Althaus/(de quo jam egimus.)

Compthur	Von Thorn	Ortelsburg
	Von Straßburg	Licke
	Reden	Brandenburg
	Braudenz	Papau
	Schweza	Rein
	Mewa	Labiau
	Schlochau	Königsberg
	Dantzig	Ragnit
	Elbing	Mummel
	Holland	Balga.
	Christburg	
	Osterode	

Eundem catalogum habet & alius Anonymus Chronici MS. Autor, in Bibliotheca Wallentodiana, quæ Regiomonti est, sed Ordo Commendatorum prorsus est perturbatus. Munus horum Commendatorum erat, ut mandata Magistri generalis & Ordinis in suo quisque Destrictu exequeretur; Conventibus Fratrum particularibus præesset; Nobilitati denique in suo quisque Disstrictu, cum judice terrestri (Land Richter/) qui erat Magistratus secularis, ad qvem evehebantur Nobiles Prussici, & cum Notario Terrestri jus diceret. Vid. Schulz. *lib. 4. Chron. fol. 168.* Præter hos fuerunt alii COMMENDATORES CASTRORUM, sive PRÆFECTI & GUBERNATORES ARCIUM, qui & CASTELLANI dicti fuisse videntur, Germanicè die Hauß-Compthur. Vox enim Hauß/arcem significabat. Inde dictus est der Hauß-Vogt/ i.e. Judex castrensis; die Hauß-Mühle/ i.e. Moletrina ad arcem pertinens, & quæ sunt id genus alia. Inter Commendatores arcium primum locum obtinuisse videtur Commendator Starkenbergensis in Cul-

mensi Provincia ad Ossam amnem (der Castellan von Starckenberg ut vocatur in Consuetudinib. Ordinis.) ut infra ex num.XVII. apparebit. Commendatores hi habebant curam castellorum sive arcium sibi commissarum; successerunt enim in eorum locum hodie Capitanei. Assidebant etiam judiciis in urbibus, simul cum Judice Civitatis. Et quidem Dantisci, quod mireris, Commendator Arcis locum à sinistro Judicis latere habebat, quod postea auctâ Ordinis potentiâ Commendatores illi ægrè ferebant, ut est apud Schüz. *lib. 6. fol. 267. a.* Reliquias hujus moris observes adhuc Regiomonti, ubi nomine Electoris judiciis assidet Fiscalis, non ut suffragia cum aliis Scabinis ferat, sed ut observet, ne juribus Sereniss. Electoralis aliquid decedat. Animadverto praeterea Cives in urbibus sententiæ à Magistratu Civico latæ non acquiescentes, Commendatores hos arcium appellasse, quemadmodum infra probabitur, an verò in omnibus hoc Civitatibus obtinuerit, parum compertum est. Commendatoribus simpliciter ita dictis non minores, Commendatoribus autem Arcium superiores fuere quondam ADVOCATI PROVINCIARUM. In subscriptionibus enim Privilegiorum Advocatos Commendatoribus simpliciter ita dictis immixtos non rarò reperias. Ut enim jam Advocatos Episcoporum praeteream, ex quibus adhuc supersit Advocatus Episcopatûs Warmiensis (Land-Vogt in Ermelland) præcipui fuisse videntur Advocatus Sambiensis & Natangiæ. Nam *Sambiensis* multis Commendatoribus anteponitur in Privilegio, quod Regiomontanis An. 1286. Conradus à Tierburg, Magister Provincialis dedit, cum hoc ordine nomina ibidem subscripta reperiantur: *Marschalcus Prussiæ; Commendator Regiomont. Advocatus Samlandiæ* (Vogd zu Samland) *Commendator Ragnitensis, & alii Commendatores*, apud Joan. Freiberg. *in Chron. MS.* Videtur autem aliquando hoc Advocati Samlandici munus fuisse sublatum, administratione Samlandicæ Provinciæ Marschalco supremo commissâ, ut colligi potest ex Privilegio, quod Henricus Plavenius Magister generalis Anno 1413. Samlandis dedit, ubi hæc habentur: Und würde iemand (ex Samlandis) zu Gebäuen bedürffen/ der soll den Marschalck darum ansprechen und bitten/oder einen Vogt/ ob hernachmahls ein Vogt uff Samland gesetzt würde. *Vid. Privileg. Pruss. Ducalis fol. 5. b.* Hujus Advocati Sambiæ quæ olim fuerit Prærogativa, vel ex eo discimus, quod tempore Alberti Marchionis Brandeburgici primique Prussiæ Ducis, cum reliqui Advocati & Commendatores abrogarentur, hic tamen

tamen dignitatem suam retinuit, obtinetque hodie primum post Directorem inter Consiliarios Provinciæ locum. Vulgo vocatur der Landvogt von Schacken. Alter enim ille, qui hodiè dicitur Vogt von Fischhausen/proximeque priorem illum, puta Schacensem, inter Consiliarios Provinciales subsequitur, substitutus esse videtur Advocato Episcopi Sambiensis, cujus frequens est in Historia Prussica mentio. Advocati *Natangiæ* munus conjunctum fuit cum Commendatura Balgensi, quamvis, quod semper fuerit conjunctum, asserere non ausim. Legimus enim in Privilegio Bartensteinensi An. 1375. fuisse Ditericum ab Elner Commendatorem Balgensem & Advocatum Natangiæ. Inter Magistratus Ordinis Teutonici infimos referuntur sequentes: Commendator Minor, Commendator rei cibariæ, Hospitalarii inferiores; Provisores Arcium; Advocati Arcium; Præfecti rei piscariæ; Præfecti molarum. Item der Schildknechtmeister/der Bruder vom Sattelhauß; der Bruder von der kleinen Schmiede; Socii Magistrorum, & Commendatorum, alii. Ex his COMMENDATOR MINOR (der kleine Commendor) præerat rei domesticæ. Providebat enim, ut arces & castella omnibus ad vitam sustentandam necessariis instruerentur. Fungebatur idem Ædilis munere. Etenim arcium aliorumque ædificiorum publicorum reparationes ad Commendatorem Minorem pertinebant, *Vid. Consvetud. Ord. n. 37.* COMMENDATOR CIBARIÆ REI (der Speiß Commendor) erat Promus Condus, qui Fratribus cibum potumque dividebat, & hoc quidem ex præscripto Commendatoris Magni. *Consvetud. Ord. num. 57.* Ille, qui dicebatur der Schildknechtmeister/procurabat Fratribus ephippia, strigiles, frenos, & alia. Singulis diebus Veneris agebat conventum cum militibus, *ut est in Consvetud. Ord. num. 41.* Idem ferè munus erat ejus, qui dicebatur der Bruder vom Sattelhauß. *Consvet. Ord. n. 42.* FRATER VSTRINÆ SIVE FABRICÆ MINORIS (der Bruder von der kleinen Schmiede) procurabat Fratribus calcaria, stapedas, alia. *Consv. num. 43.* SOCIUS MAGISTRI (des Hofmeisters Compan) quæ obierit munia, intelligemus, si ad originem hujus muneris respiciamus. Cum Wernerus ab Urseln Magister generalis initio Sec XIV. esset interfectus, constituit Luderus Dux Brunsvicensis & Magister Ord. Teut. generalis in Conventu Ordinis, ut Magistro socius adjungeretur, qui à latere Magistri non recederet, sed ejus nomine responsa petentibus daret, sicque periculum à capite Magistri averteret. Henneberg.

berg. *in Comment. ad Tab. Pruff. pag. 286.* Th. Waiſſel. *fol. 113. b.* Procedente tempore etiam Commendatores, ut & Commendatores arcium ſibi ſocios adſciverunt, ut paſſim Hiſtoria Prusſica teſtatur. Quanquam autem hæ dignitates, quas ultimo loco commemoravimus, puta Proviſorum, Præfectorum rei piſcariæ &c. fuerunt infimi ordinis, patebat tamen ab his aditus ad ſummas etiam Dignitates. Sic Henricus à Richtenberg ex Præfecto Piſcatorum (Fiſchmeiſter) factus & Hoſpitalarius ſupremus, & denique Magiſter generalis. Henneb. *in Comment. pag. 201.* Waiſſel. *fol. 246.* Similiter Johannes à Tieffen primò fuit Proviſor (Pfleger) Schacenſis, deinde Commendator Brandeburgenſis, inde ad ſummam Magiſtri generalis evectus eſt dignitatem.

XIV. Ultimo loco cenſebantur Fratres privati, id eſt, in dignitatibus non conſtituti, qui variè erant diviſi. Alii quippe Sacerdotes erant, alii non Sacerdotes. Hi rurſus erant aut Equites aut Laici. Concedebatur enim in Ordinis Regula, ut in Ordinem Teutonicum etiam ſeculares non ſolum cœlibes, ſed & Conjugati reciperentur; ita tamen ne crux tota in horum veſtibus exprimeretur. *Vid. Reg. Ord. num. 32.* Hinc etiam alibi Regula dicta diſtingvit inter Prieſter Brüder / Pfaffen die nicht Prieſter ſind / und Layen *num. 10.* Huc referri poſſe puto etiam SORORES Ordinis Teutonici, quarum diſertis verbis fit mentio in Precatione, quam Ordinis Teutonici Fratres quotidie in ſacris ſuis recitabant, habeturque illa in Codicibus Regulam, Leges, Conſvetudines, Venias Ordinis Teutonici complectentibus, licet non neſciam in quibusdam Codicibus Sorores omitti. Conſuli hîc poteſt Codex membranaceus in Bibliotheca Regiomontana Electorali, in forma majori. Codici, quem habet Paulus Nicolai Bibliopola Regiomontanus, præfixi ſunt Faſti Pruſſorum, in quibus menſe Octobri reperitur Anniverſarium Fratrum Sororumque Ord. Teut. Habentur inſuper Ritus inaugurandæ Soronis in Ordine Teutonico, quos vide in Codice membranaceo, Bibliopolæ Regiomontani Pauli Nicolai. Eſt etiam Codex chartaceus in Folio, ut vocant, in Bibliotheca jam nominata Regiomonti, Vitam B. Dorotheæ complexus, inter MSS. Codices Lit. YY. 31. 2. in quo diſertis verbis mentio fit, *Mulieris Profeſſæ Ordinis S. Mariæ Teutonicorum* Agmen in Ordine Teutonico claude-

claudebant Novitii, quos à reliquis Fratribus distingvebat vestis adhuc secularis. *Vid. Reg. Ord. num. 29. fol. 32. b. fin.* Cont. & Schuz. *lib. 2. Chron. fol. 64.* Deinde dividebantur dicti Fratres etiam in certos Conventus, quorum singulos constituebant duodecim Fratres, secundum numerum duodecim Apostolorum, quibus præerat unus Commendator, *ut dicitur in Regula Ordinis num. 13.* Cæterùm Winricus à Kniprode XIXmus Magister generalis constituisse dicitur, ut 12. Equites & 6. Sacerdotes Ordinis, quibus omnibus præesset unus Commendator, constituerent Conventum. Henneb. *in Chron. pag. 290.* Eadem habet & Waisselius, additque sub eodem Kniprodio triginta ejus generis Conventus fuisse numeratos. *Vid.* Waissel. *in Chron. fol. 121. b.* Plures autem Conventus numerat Simon Grunovius *Tract. XIII. cap. 1.* ex quo hîc Catalogum Conventuum excerpemus.

1. Convent auff Schackau.	1. Convent auff Schweza.
1. Convent auff Labiau.	1. Convent auff Althauß.
1. Convent auff Tapiau.	1. Convent auff Birgelau.
2. Convent auff Königsberg.	2. Convent auff Thorn.
1. Convent auff Brandenburg.	1. Convent auff Gulba.
1. Convent auff Balga.	1. Convent auff Straßburg.
1. Convent auff Ragnit.	1. Convent auff Brethem.
1. Convent auff Barten.	1. Convent auff Reden.
2½. Convent auff Elbing.	1. Convent auff Christburg.
2½. Convent auff Danzig.	1. Convent auff Holland.
1. Convent auff Mewa.	1. Convent auff Morung.
½. Convent auff Panzig.	1. Convent auff Osteroda.
1. Convent auff Schlochau.	4. Convent auff Marienburg.

Cum autem tot Commendatores in ordine non fuerint numerati, ut singuli singulis præesse possent Conventibus, dicendum erit, fortasse iis in locis, ubi plures fuere Conventus, unum omnibus præpositum fuisse Commendatorem.

Quod ad numerum Fratrum Ordinis Teutonici attinet, ille strictè determinari non potest, cum ille modò creverit, modò decreverit, prout res Ordinis vel augebantur vel diminuebantur. Ab initio instituti hujus Ordinis tantum 40. Fratres in Ordine Teutonico numerabantur. Postea decrevisse videtur & hic numerus. Hermannus enim à Saltza, qui primus Prus-

sos ethnicos oppugnare cœpit, id unicè dicitur exoptasse, ut tantùm decem Fratres Ordinis sui hostibus opponere sibi liceret. Damnatus etiam est voti, adeò ut ultimis imperii sui temporibus numeraret in Ordine suo mille Fratres, ut vult Hennebergerus *in Comment. pag. 366.* vel ut alii, & quidem rectius, scribunt, duo millia Fratrum, quod intelligendum est, non de sola Prussia, sed de Omnibus Ordinis Teutonici Provinciis. *Vid.* Petr. de Dusburg *Part. 1. Chron. cap. 5. quem sequitur alius Anonymus Chronici antiqui Germanici Scriptor, ut & Schuz. fol. 6. Waissel. fol. 45.* Cum Ordo Teutonicus, Conrado de Jungingen imperante, in maximo esset flore, mille plus minus Fratres fuisse numeratos in sola Prussia, docet nos Catalogus Grunovii, quem texit *Tract. XIV. cap. 9. fol. 288.* ex eo Waisselius *in Chron. fol. 132.* Sic verò ille in Chronico Waisselii se habet: In diesen Zeiten war der Orden in Preußen sehr mächtig / und alle Ampter waren wol besezt. Erstlich war der Hoemeister / zu nechst ein Groß Compthur / darnach der Land-Marschalck / darnach drey Bischoffe (quartus enim, puta Varmiensis jugum Ordinis Teutonici non receperat) acht und zwanzig Compthurs; sechs und vierzig Haus-Commentors; ein und achzig Spittahl-Herrn / fünff und dreyßig Convents Herrn (Carvents-Herrn habet exemplar Grunovii, quo ego usus sum, sed sine dubio perperam) Fünff und sechzig Kellermeister (verzig Kuchmeister / ut additur in Grunovio) sieben und dreyßig Pfleger; Achtzehen Vögte; neun und dreyßig Fischmeister; drey und neunzig (98. habet Grunov.) Mühlmeister; hundert und vierzehen alte kranke Creuz-Herren / sieben hundert gemeine Ritterbrüder / hundert und zwey und sechzig Chorherrn und Creuzpriester / fünff und dreyßig Thumherrn; fünff und zwanzig Pfarrherrn / die das Creutz hatten / sechs tausend und zwey hundert Dienstknechte und Gesinde. In hoc tamen catalogo quædam desiderantur, ut vel ex supra dictis liquet. Omittuntur enim hîc Hospitalarius Supremus, Trapiarius, & Thesaurarius, qui tamen eo tempore jam fuerunt instituti. Præponuntur etiam Episcopis Commendator Magnus & Marschalcus, qua de re non immerito dubitaveris, an antiquitus illud obtinuerit. Temporibus Alberti certè, cum adhuc esset Ordinis Magister Episcopi præcedebant Commendatorem Magnum, ut ex iis, quæ infra dicentur, manifestum fiet.

XV. An-

XV. Antequam hinc ad Formam Reipubl. Prusſicæ conſiderandam progrediamur, lubet ſtrictim reliqua Fratrum Ordinis Teutonici inſtituta perſequi, ut in anteceſſum cognoſcamus, quæ fuerit ipſorum vitæ, victûs, amictûs, ſtatûs & conditionis ratio. Ad hæc autem intelligenda notandum eſt, Cœleſtinum III. Pontificem Romanum Ordini huic dediſſe REGULAM S. Auguſtini ut Franciſcus Menennius *in Deliciis Equeſtrib.* Funccius *in Chronolog.* & alii teſtantur. Alii preſſius hanc rem determinant, quando dicunt Fratribus his data eſſe inſtituta Ordinis Johannitarum, in privatâ Fratrum vitâ dirigendâ pauperumq; curâ, & Ordinis Templariorum, in iis quæ ad militiam pertinent. Ex hujus Regulæ præſcripto vovebant, non ſecus atque in aliis Ordinibus fieri conſveverat, Caſtitatem, paupertatem & obedientiam. Ad primum illud caput pertinet, quod à colloquiis etiam cum mulieribus, præſertim junioribus abſtinere jubebantur. Quin etiam nec propriam Matrem ipſis oſculari licebat. *Reg. Ord. num. 28.* Ad ſervitia tamen domeſtica mulieres admittuntur. *in Reg. Ord. n. 31.* Ad ſecundum caput refertur, quod Fratres ordinis nihil proprii poſſidere poterant, niſi ipſis id à Magiſtro aliisve Magiſtratibus eſſet conceſſum. *Reg. Ord. n. 1. Conf. Leges Ordinis num. 5. ſeq. & Leges Conradi ab Erlichshauſen fol. 109.* Quam ob rem Fratres arcas ſuas obſerare prohibebantur, ne quis pecuniam eos aliaque precioſa occultare ſuſpicaretur. *Reg. Ord. num. 21.* Quæ igitur poſſidebant, illa poſſidebant communi Ordinis vel Capituli nomine, idque ad ægrotos, Pauperes & Equites Ordinis ſuſtentandos. *Reg. Ord. num. 2.* Mitti etiam in Regula permittuntur, qui ſtipem colligant ad ægrotos curandos. *num. 7.* De Obedientia & Pietate Fratrum etiam Leges non paucæ reperiuntur. Primus enim Ordinis hujus Magiſter inſtituiſſe fertur, ut Fratres ſingulis diebus ac noctibus, ducenties Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolicum & Salutationem Angelicam recitarent. Vid. Henneb. *in Chron. pag. 362.* Waiſſel. *fol. 42.* Sed dubium eſt illud, quod de auctore hujus conſvetudinis dicitur, cum ignotum ſit, ex quonam Scriptore illa dicti Scriptores hauſerint. Regula ſanè Ordinis pauciorem habet numerum. *Vid. Reg. n. 8.* Videtur igitur hoc eſſe recentius inſtitutum, ut Fratres toties Orationem Dominicam recitarent. *Vide ſupra Clauſulam ad Precationem Ordinis Teutonici adjectam.* Dicitur quoque Henricus de Walpot Primus Ordinis Magiſter conſtituiſſe, ut Fratres Laici tantùm ab eo, qui ſecundus eſſet à Magiſtro, punirentur; Sacerdotes autem ab ipſo Magiſtro, & il-

lud quidem occultè nisi enorme aliquod facinus publicam exigeret pœnam. Henneb. & Waissel. *ll. cc.* Certiora de pœnis Fratrum reperies *in Legibus Ordinis num. 33. seq.* Ut autem eo magis pietati studerent Fratres, constitutum est in Regula *num. 9.* ut septies quotannis Fratres Evchariſtiam Sacram celebrarent, & corpore sangvineque Domini pascerentur. Primò, die viridium. Deinde ipso festo Paschatos die. Tertiò die festo Pentecostes. Quartò, die Assumtionis B. Virginis. Quintò, die omnium Sanctorum. Sextò, in ipsis Christi Natalitiis. Postremò, die Purificationis Mariæ. Huc etiam referendum est, quod Conradus de Feuchtwangen constituit, ut cellæ Fratrum semper essent apertæ, idque eo fine, ne quid mali Fratres in occulto designarent. *Vid. Leges hujus Magistri fol. 76. & 78.* Deindè VESTIS Fratrum hujus Ordinis fuit Pallium album, cruce nigrâ insignitum: Interior autem tunica erat nigra. Polid. Virgil. *lib. 7. de Invent. Rer. cap. 5. Idem habent Hennebergerus, Schüzius, & alii plurimi.* Albertus tamen Marchio Brandeburgensis Magister Ordinis Teutonici in Prussia ultimus, cum Prussiam primò ingrederetur, usus est pallio nigro lugubri, propter matris, quæ non ita pridem vitam cum morte commutaverat, obitum, ut auctor est Thom. Treterus *in vita Fabiani XVII. Episcopi Warmiensis.* Singulis Fratrum habere licebat duo indusia, duas interulas, binas braccas, tunicam, cappam, unum aut duo pallia. &c. *Consuetud. Ord. num. 36. Conf. Reg. num. 11.* Calceos habebant sine ullo ornatu. *Reg. n. 11. Leges Conradi Erlichusii fol. 112.* Sed neque arma auro vel argento decorata Fratribus concedebantur. *Reg. n. 22.* Præterea notatu digna sunt, quæ Franciscus Mennennius *in Deliciis Equestribus* de Sacerdotibus hujus Ordinis tradit. Dicit videlicet Sacertotes hujus Ordinis facultatem obtinuisse, ut sacra in armis facere possent, adeò ut de illis verè dicere liceat, quod Rodericus Archiepiscopus Toletanus de suis prodit Equitibus: Qui laudabant in canticis, accincti sunt ense. &c. Sacerdotes Ordinis Teutonici tondebant barbas, quod tamen reliqui Equites facere prohibebantur. *Reg. Ord. num. 12. Leges Conradi ab Erlichshauf. fol. 112. b.* Postremò & hoc addendum, Fratres omnes non nisi lecto stramentitio usos, concessum tamen ipsis erat unum cervical. *Leges Ordinis num. 1. fol. 41. Reg. Ord. num. XI.* Quod ad Genus & Nationem Fratum attinet, requirebatur, ut essent Nobiles Germani. Vide quæ in hanc rem diximus *in Animadversionibus ad Prologum Petri de Dusburg. lit. f.* Sed Ætas quoque Fratrum in Regula determinatur, quando

do pueri ante annum ætatis quartum decimum recipi prohibentur. Qui pueri suâ sponte se Ordini tradebant, educabantur à Fratribus usque ad ætatem maturiorem, & tunc ipsis erat integrum aut discedere, aut nomen suum in Ordine profiteri. *Reg. num. 30.* Postremò Corporis integritas etiam in Fratribus in Ordinem recipiendis requirebatur, ut essent ad gerenda bella idonei. Hæc omnia ex ritibus investiendi Fratres discimus; Qui videantur in Regula Ordinis *num. 28.* Hæc disciplina primis temporibus, nempe Sec. XIII. stetit sine dubio incorrupta. Sed Sec. XIV. auctis Ordinis Teutonici opibus, multa contra Regulam Legesque primorum Magistrorum invaluisse, non est, quod dubitemus. Conrado Zölnero Prussiam administrante Equites hi titulum Fratrum ut viliorem dedignati, Dominos dici se voluere. Cum enim antea dicerentur Brûder des teutschen Ordens/ sive Ordens-Brûder / deinde vocabantur Creutz-Herren. Scilicet potentia ipsis nihil moderati svadebat. Hinc luxus, hinc flagitia varia, hinc Legum contemptus, hinc denique impotens in subditos sibi populos dominatio. Evidentius hæc elucerent, si vera essent, quæ Caspar Schuzius in Chronico suo tradit. Eò quippe jam processisse luxum testatur, ut Conradus de Jungingen XXIIdus Magister lege latâ coactus sit cavere, ne Equites Ordinis singuli plures, quàm decem, neque Commendatores singuli plures, quàm centum equos alerent, præter eos, quos ad usum domesticum, & agriculturam adhiberent. Schuz. *lib. 3. fol. 97.* Sed his fidem derogant Statuta ac Consvetudines Ordinis Teutonici, quæ longè minorem equorum numerum aliis Magistratibus Majoribus, Magistro etiam ipsi assignant. *Vid. Consuetud. Ord. num. 44. & 47.* Ut jam non memorem, in Legibus Conradi de Jungingen, quæ multorum etiam nunc teruntur manibus, nihil tale reperiri. *Vid. Codex Membranaceus in Bibl. Regiom. Elector.*

Ad extremum notandum est, præter Fratres fuisse etiam SORORES in Ordine Teutonico. In precatiunculis enim Ordinis Teutonici, quas quotidie recitabant hæc habentur: Gedenket auch unser Brudere und Schwestere/ wenn sie verschieden sint. Est etiam in Bibliotheca Regiomontana Electorali in MSS. Codex chartaceus vitam S. Dorotheæ complexus Lit. yy. 31. a. in quo hæc habentur: *Eodem die & horâ Soror Katharina relicta Nicolai mulier professa Ordinis S. Mariæ Teutonicorum habitans in curia pecudum Ecclesiæ Pomesanienſis.* &c. Exstant etiam in quibusdam Codicibus Ordi-

nis Teutonici precatiunculæ quædam, quarum usus fuit in inaugurandis Sororibus Ordinis Teutonici, & sunt sequentes: *Benedictio super vestimenta, quibus velandæ sunt mulieres, quæ ** mutant vestimenta, atque ** relinquunt.* Oratio: *Visibilium & invisibilium Creator adesto propitius invocationibus nostris, ut hæc indumenta, castitatis effigiem ostendentia, desuper gratiâ irrigante benedicere & sanctificare digneris, per &c.* *Benedictio super caput ejus.* Oratio: *Deus castitatis amator & continentiæ conservator supplantationem nostram benignus exaudi, & hanc famulam tuam propitius intuere, ut & pudicitiam, quam vovit, tuo auxilio conservet, & sexagesimum conferre fructum continentiæ & vitam æternam te largiente mereatur percipere, per &c.* *Ad comam tondendam mulieri.* Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus respice propitius super hanc famulam tuam N. quam ad novam tondendi gratiam vocare dignatus es, & tribue ei remissionem omnium peccatorum adque cælestium donorum concedas pervenire consortium per* &c. In Regula Teutonici Ordinis conceditur etiam, ut mulieres admittantur ad ministeria domestica in Conventibus Fratrum obeunda, eæque vocantur Halbschwestern. An verò illæ eædem sint, quæ priores, dicere non habeo. Omnia hæc ferme, quæ hactenus adducta sunt, cognoscimus ex Regula Ordinis Teutonici, ubi inter alia hæc occurrunt: Wenne der Meister und die Brüdere das zu Rate werdent / das sie entfan wollent Brudere zu ir Ordene / so sellen sie senden einen Bruder zu ienen / die da Brudere wollent werden uz dem Capitele / der sie lere alses. Alse sie kumen in den Capitel / daz si kumen vur den Meister / oder vur dem / der den Capittel heldet / unde in biten durch Gott / das er si entfa zu dem Ordene ir Sele zu behaldene. Und sal in der Meister antwurten; L. Bruder haben uwer Bete erhöret / ob ir nicht an u hat der Dinge / di wir u . . . gen sullen = = ob ir uch in de keinen Orden verlobet habet. Oder da K . . . wibe von de keinem Gelübde gebunden sit. Oder de keines Herrn Eigen-

genschaffter de keinem schuldec ist. Oder de keine Rechnunge sit schuldec zutune/davon de Orden mochte bekumbert werden. Oder de keine verholene Suche habet/unde were dirre Dinge de keinez / der wir uch vorgeleget haben an uch. Unde saget ir uns das nicht / unde wurde wir es gewar hinach innen / so enmochtet ir unser Bruder nicht sin/unde hettet den Orden verlohren. Si recipiendi dicebant, se ab his omnibus liberos & immunes esse, proponebantur iis sequentes conditiones : Das si den siechen Globen zu dienene/ und daz H. Lant zu schirmene. Und andere Lant/ di dazu gehornet vor den Vienden Gotes/ als Verre so man si heizet. Ob si de kein Ampt kunnen/daz sullen si dem Meister sagen / unde daz uben nach sinen Willen und nachir macht. Sie sollen auch globen zu hekne den Capitel / und des Meisters heimlich Rath. Unde nicht zu Varene von diesene Orden/ane Urlaub zu einen andern Lebene. His à recipiendis acceptis, dies probationis ipsis concedebantur. Quod si autem Ordinem statim suscipere volebant, jubebantur digitis libro impositis jurare : Ich entheize und globe Kuscheit mines Libes / unde ane Eigenschaft zu sine und gehorsam Gote und S. Marien / unde auch Meistere diß Ordens des Dutschen Huses unde unwern Nachkommen / nach der Regeln und der Gewonheit des Ordens des Dutschen Huses. Daz ich euch gehorsam wil sin biß an minen Todt. His peractis sacra synaxi utebantur, vestemque Ordinis à Magistro vel alio Fratre, certis ceremoniis adhibitis, accipiebant. Additur etiam in Regula : den Brudern di man empfet zu dem Ordene / dene sol man geloben Wazzer unde Brot/unde alde Cleidere/und daz sal man geben den Brudern / di ir Ampt nicht wollen uben/also lange/ biz daz sie es gerne uben. &c. Hæc in regula Ord. *num. 28*. Schuzius in Chronico Prussico paulo aliter hæc recenset *lib. 1. fol. 15*. Ritus in Fratre aliquo investiendo adhiberi soliti, adhuc in multis Codicibus MSS. reperiuntur.

XVI. His ita perlustratis, ad ipsam Reipubl. Prussicæ formam accedamus. Monarchiam hîc absolutam Ordinis Teutonici tempore fuisse, dici non potest. Quanquam enim Magister generalis regiâ potestate Prussiæ præfuisse videtur, neque tamen ab imperio Superioris liber fuit, neque sibi subditis absoluto jure præfuit. Quod ad prius attinet, notum est, Magistrum generalem cum Ordine suo tum Romani Pontificis in sacris, tum Imperatoris Germanici in Civilibus fuisse imperio obnoxium. Sed & politi-

politicis negotiis non rarò se Pontifex Romanus immiscuit, adeò, ut nonnulli Scriptorum nostrorum imperium etiam in Civilibus ipsi tribuere videantur. Fassi sunt idem ipsi Cruciferi. Quippe contra fœdus Polonicum excipientes, non esse se sui juris asserebant, cum omnes Provinciæ & Possessiones Ordinis proximè Sanctæ sedi sint subiectæ, apud Schuz. *lib. 9. fol. 408. b.* Neque desunt exempla potestatis Pontificiæ hîc in Prussia actæ. Ad imperium Ecclesiasticum pertinet illud, quod Episcopi injuriâ ab Ordinis Fratribus affecti provocarint ad Papam. Sic Johannes Streiffenrok Episcopus Varmiensis obtinuit in Curia Papali contra Winricum de Kniprode Magistrum tria decreta, de quo Thomas Treterus *in Vita hujus Episcopi.* Conf. Waissel. *fol. 124. b.* Item cum Hermannus de Grunbach Magister Prussiæ Provincialis duos Ordinis Fratres comburi curasset, eò quod cum Prussis Veteribus, ethnicis adhuc erroribus immersis, contra Ordinem dira moliti fuissent, jussit Pontifex Romanus Provincialem hunc Magistrum movere magistratu, atque Pœnitentiam in biennium injungere. Sicut habet Joan. Freiberg *in Chron. Prussiæ fol. 27. ubi de Poppone de Osterna.* Super hæc cum Henricus de Richtenberg XXXmus Magister generalis Episcopum Sambiensem nomine Dietericum à Cuba in vincula conjici, atq; è medio tolli jussisset, dicitur Sixtus IV. Papa Romanus indignationem suam his prodidisse verbis: *Deleatur pessima illa nigra crux. Maledictus enim Ordo, ubi Laicus regit super Clerum.* Itaque Magister coactus est ea propter causam suam in Romana curia agere, teste Th. Waiselio *in Chron. fol. 248. & 251.* Imperium quoque Politicum sibi tribuisse Pontifices Romanos, illud maximè documento est, quod Ludovico Erlichshusio imperante Legatus Pontificis Prussiam feudum esse sedis Romanæ disertis asseruit verbis. apud Schuz. *lib. 4. fol. 164. b.* Minus adhuc dubium est, an Magister Ordinis Teutonici Germanico Imperatori fuerit subjectus. Ut enim taceam Privilegium illud à Friderico II. Imperatore Ordini ratione Prussiæ datum, de quo *in Animadv. ad Part. 2. cap. 5. Dusburgii* actum est; alia certè quamplurima supersunt hujus rei argumenta. Cum An. 1335. Dieterico de Aldenburg Magistro controversiam Ordini movisset de finibus Prussiæ, mandavit Ludovicus Imperator Magistro sub pœna gravissima, ut ne minimam quidem terræ

terræ portionem, quam ab Imperio ut feudum possidebat, alienaret, neque alium judicem hac super controversia, inscio Imperatore, agnosceret. Schuz. *lib. 1. Chron. fol. 68.* Deinde, varia mandata Imperatorum ad Magistros Prussiæ ac Teutonicum Ordinem missa, testis est Schuzius *lib. 3. fol. 127. a. 130. a. seq. lib. 9. fol. 410.* Concessit etiam Imperator Magistro potestatem vectigalia in Prussia imponendi, cum ipsi hoc esset ab Ordinibus Prussiæ negatum. Schuz. *lib. 4. fol. 146. b. pr.* Agnoverunt hoc imperium & ipsi Cruciferi, cum ad Imperatorem plurimis in casibus provocasse legantur. Vid. Schuz. *lib. 9. fol. 400. lib. 10. fol. 458. lib. 2. fol. 85. b.* Solebant autem tum demum Imperatorem appellare, quando ab hostibus aliisve in angustias compellebantur; alioqui parum pensi habebant, quid Imperator de Rebus Prussicis constitueret. Ex eodem quoque fluxit fonte, quod Casimiri III. Jagellonidis Regis Poloniæ temporibus, ut & postea aliquoties Elbinga ac Dantiscum non secus atque aliæ Liberæ Imperiales urbes ad Comitia Imperii Germanici vocabantur. Hoc enim non alia de causa factum, quàm ut hoc honore urbes illæ inescatæ, jugo Polonico excusso, Ordini se subiicerent. Sed memoratæ Civitates nunquam in Comitiis Germanicis comparuere. *Vid.* Schuz. *lib.* 4. *Chron. fol. 402.*

XVII. Ex his nemo non intelligit, non absolutum hîc in Prussia fuisse Cruciferorum imperium, adeoque non obtinuisse aliquam hîc Reipublicæ simpliciter ita dictæ speciem, utpote quæ non agnoscit superiorem. Attamen nihilominus videndum est, quænam huic Provinciæ aliquo saltem modo conveniat Reipublicæ Forma. Quanquam enim ipsi Reipublicæ nomen in strictâ significatione non competit, poterit tamen eidem competere in latiori saltem significatione. Illud autem intelligemus, dummodo consideravimus, quam hic in inferiores sibique subjectos habuerit potestatem Ordinis Magister. Hanc autem nimium quantum habuit limitatam, sive Ordinis Teutonici membra, sive incolas Prussiæ respiciamus. Quod enim primo loco ad Magistros Provinciales per Germaniam, Livoniam aliasque Provincias, attinet, illi præterquam quod ad Electionem Magistri generalis admittebantur (de quo Vid. *Consvet. Ord. n. 2.* Schuz. *lib. 8. fol. 361.* Waissel. *fol. 172.*) causæ quoque Prussicæ gravioris momenti sine

Magistrorum Provincialium in exteris oris degentium consensu determinari non poterant. *Vid.* Schuz. *lib. 4. fol. 144. a. & lib. 8. fol. 362. b.* Quamobrem etiam Magistri Provinciales ab exteris oris in Prussiam veniebant, quando Capitulum generale, in quo non tantùm res ad universum Ordinem, sed etiam singulas Provincias pertinentes componebantur, Magistri generales convocabant. Vid. Schuz. *lib. 4. fol. 143. b.* Privilegia super hæc Prussica subscribebant, ut vel solum Culmense Privilegium testari potest. Conf. Casp. Schuz. *lib. 4. fol. 154. a.* Sic etiam in Pactis Polonorum cum Ordine Teutonico ratione Prussiæ initis expressè Magister & Ordo Teutonicus obligatur, ut Magistrum Provincialem per Germaniam eò adducant, ut & ipse Pactis illis sigillum suum appendat, quod certè factum non fuisset, si Magister absolutam in Prussos atque Ordinem Teutonicum habuisset potestatem. Pacta modò citata Vide apud Janum Januszovium *lib. 7. Constit. part. 3. tit. 1. fol. 856.* Quod diximus de Magistris exterarum Provinciarum, idem dicendum quoque est, de Præceptoribus Ordinis in Prussia. Nam non minus horum respectu potestas Magistrorum fuit limitata. Non poterat enim Magister Magistrum Provincialem in Germania, aut Livonia aliisve terris constituere, nisi Præceptorum Prussiæ consensus accessisset; ideò Magistri Provinciales constitui solebant in generali Ordinis Conventu, per libera Fratrum suffragia. *Consvetud. Ord. num. XI.* Waissel. *pag. 92. b.* Episcopos etiam Warmienses non eligebat Magister, sed hæc potestas penes Capitulum Canonicorum ejusdem Ecclesiæ semper fuit, ita ut etiam non denunciatâ Magistro prioris Episcopi morte, potuerint Canonici alium in defuncti locum sufficere. Schuzius *lib. 8. fol. 374. b.* Sed ne excipias, non esse mirum, quod ad electionem Episcopi Varmiensis non concurrerit Magister, cum Episcopatus ille planè fuerit ab Imperio Magistri atque Ordinis immunis; dicimus, nec in aliis Episcopatibus absolutam fuisse Magistrorum in eligendis Episcopis potestatem, cum & hîc Canonici ad electionem Novi Magistri concurrerint. Deinde Præceptores quinque Majores in Prussia, puta, Commendatorem Magnum, Marschalcum, Hospitalarium, Trapiarium & Thesaurarium, item Castellanum Starkenbergensem, non nisi in Conventu Ordinis eligebat Magister generalis. Quid, quod minores etiam ad Magi-

stratus

ſtratus creandos Conſiliariorum requirebatur conſenſus, ita tamen, ut & extra Conventum generalem iidem eligi potuerint. *Conſuetud. Ord. num. XI. pag. 131. ſeq.* Præterea Magiſter generalis exteros Magiſtros Provinciales inviſens, poterat quidem de conſilio Fratrum præſentium Magiſtrum illum removere aliumque ſubſtituere, ita tamen, ut ad Capitulum regreſſus novum illum Magiſtrum Fratribus commendaret, ut aut in Magiſtratu confirmaretur, aut alius magis idoneus ſubſtitueretur. Si Magiſter eam rem ad Capitulum deferre neglexiſſet, licebat Capitulo etiam ſine Magiſtri conſenſu Magiſtrum alium creare in Provinciam mittendum. *Conſuetud. num. 17.* Adde, quod in poteſtate Magiſtri ſitum non erat, ut pro lubitu in Provincias excurreret, relicto Vicesgerente. Neque hoc enim ſine conſenſu Fratrum fiebat. *Conſuetud. Ord. num. 15.* Quid, quod ne privatum quidem Fratrem Magiſtro integrum erat in alias Provincias, ſine ſcitu Præceptorum majorum aliorumque Fratrum, mittere. *ibid. num. 18.* Si etiam Fratribus privatis quædam negotia in exteris Provinciis erant expedienda, non ſufficiebat ipſis peregre proficiſci volentibus conſenſus Magiſtri ſolius, niſi aliorum quoque Fratrum adjectus fuiſſet calculus. *ibid. num. 16.* Huc accedit, quod Theſaurus in unius Magiſtri poteſtate non fuit. Unam enim clavem habebat Magiſter, alteram Commendator Magnus, tertiam Theſaurarius, adeò, ut unus eorum ſine cæterorum indultu Theſaurum aperire non potuerit. Adminiſtratio theſauri fuit penes Magiſtrum, quinque majores, Commendatorem minorem, unum Sacerdotem, unum item Fratrem non Equitem, aliosq; quos Magiſter ſibi adjungere volebat. In quibusdam etiam caſibus cauſæ ad theſauri adminiſtrationem pertinentes, in Conventu Ordinis generali agitabantur. *Hæc & alia vid. in Conſuetud. Ord. à num. 10. ad 20.* Verbo in omnibus negotiis publicis requirebatur conſenſus Epiſcoporum Pruſſicorum & Commendatorum Ordinis. Vid. Schüz. *lib. 5. Chron. fol. 191. b.* Item leges Ludovici Erlichshuſii *in antiquo Codice MS. fol. 114. b.* Quod autem diximus de Epiſcopis, illorum videlicet conſenſum fuiſſe requiſitum, illud fortaſſe reſtringendum eſt ad negotia totam Pruſſiam tangentia, ut quando de moneta cudenda, aliisque rebus gravioribus agebatur: ut ex Receſſu Thorunienſi Anni 1416. de Moneta apparet. In aliis minutioribus negotiis conſenſum eorum fuiſſe requiſitum non deprehendo. Tanta denique fuit Præceptorum Ordinis Teutonici auctoritas, ut ipſum Magiſtrum generalem dignitate

privare ipsis esset integrum. Constituit namque Gotofredus de Hohenloe Magister XImus in Capitulo Venetiis congregato, ut Magister, si à Capitulo citaretur, neque ad tertiam citationem se sisteret, dignitate privaretur. *Vid. leges dictæ in Cod. MS. fol. 78. b.* Contigit hoc Ludolpho König/ Henrico Reussio à Plauen, Michaeli Sternbergio & Paulo Bellizero Magistris, qui omnes magistratu, diversis tamen de causis, moti sunt. Vid. Waissel. *fol. 141. & 145.* & alii Scriptores Prussici. Et ob hanc etiam rationem Magistratus hi ab ipsis Magistris generalibus vocabantur Præceptores (Gebietiger) & Compræceptores (Mit-Gebietiger) quod potestatem habebant quasi cum Magistro divisam, quam in primis exercebant in Capitulo generali, de quo adhuc pauca sunt addenda. Videlicet habebatur Capitulum singulis annis loco commodo die Exaltationis S. Crucis. Hic primò inter Præceptores Majores, qui à Magistro & Capitulo dignitates suas acceperant, magistratu suo quisque decedebat, illum denuo à Magistro & Capitulo recepturus. Idem faciebant & alii Magistratus minores, post dimissum tamen Conventum, idque coram magistro, aliisque, quos Magister sibi adjungebat. *Consuetud. Ord. num. 21.* In ipsis deinde Consultationibus suffragia non tam ponderabantur, quàm numerabantur, cum ex pluralitate suffragiorum negotia determinare, causasque controversas definire moris esset. Si divisis in diversas partes studiis Fratres inter se ad concordiam reduci non poterant, judicio Magistri acquiescere cogebantur, ex præscripto Regulæ Ord. Teut. num. 27.

XVIII. Ad extremum, incolas Prussiæ si respiciamus, neque in illos absolutam fuisse Magistri totiusve Ordinis Teutonici potestatem facile deprehendemus. A primo quippe Cruciferorum in Prussiam ingressu varia Prussis Privilegia fuere concessa, quibus potestas Magistri atque Ordinis jam limitabatur. Factum hoc est non alio fine, quàm ut illâ libertate Prussi veteres allecti, jugo Cruciferorum humeros sponte suâ subjicientes, religionem quoque Christianam susciperent: deinde etiam, ut Germani eò frequentiores in Prussiam commigrarent, eam diligentiùs exculturi. Inter illa Privilegia facile princeps est Privilegium Culmense ab Hermanno de Saltza Magistro generali, & Henrico de Balke Magistro Prussiæ Provinciali incolis An. 1233. concessum. In eo namque, ut alia præteream, Prussis immunitas concessa est ab omnibus vectigalibus. *num. 42.* item ab omnibus collectis injustis & hospitationibus coactis, aliisque exactionibus indebitis, *num. 21.* Appellationes

ones quoque ad Culmensem civitatem ut instituerentur, concessum est in eodem Privilegio. *num. 7.* Hæc igitur omnia ad jura Majestatis Regum ac Principum pertinentia, cum sint cum incolis Prussiæ communicata, nemo non intelligit, potestatem Magistrorum hoc Privilegio mirum quantum fuisse accisam atque imminutam. Alias plurimas immunitates incolis Prussiæ tum fuisse donatas, non est, quod dubitemus. Testantur id satis superque singularum urbium, singulorumque adeo Prædiorum Privilegia, quibus majores nostri quiete fruentes, felicem degere vitam sibi videbantur primis temporibus. Cæterum crescente Ordinis Teutonici insolentia, cum Privilegiis Prussicis derogare Cruciferi cœpissent, multæ excitatæ sunt turbæ, his jura sua in Prussiam incolarumque Bona prætendentibus, illis autem Privilegia sua tuentibus. Donec tandem An. 1414. Michaele Kuchmeistero à Sternberg, clavum Reipubl. Prussicæ gubernante primò constitutum est, ne Magister cum Præceptoribus haberet potestatem quidvis pro lubitu statuendi; sed ut in gravioris momenti rebus Consiliarios sibi adjungeret, quatuor Fratres Ordinis, decem ex potentiori Nobilitati, item ex Culmensi Thorunensi, Elbingensi, Regiomontana & Dantiscana urbibus binos Consiliarios, sine quibus nihil in juribus Majestatis exercendis susciperet, ut tradunt Schüz. *lib. 3. Chron. Pruss. fol. 108. b.* Henneberg. *in Comment. pag. 303.* & Waissel. *fol. 140. b.* Non dissimulandum tamen est illud, quod Simon Grunovius modò citatis antiquior de his Consiliariis Provincialibus habet. Videlicet non extendit eorum potestatem ad omnia jura majestatis exercenda, sed solùm, quando tributa erant conferenda. Dicit enim Magistrum negotia Prussica dijudicasse in Capitulo, ut antea fieri solebat, quando autem tributa erant exigenda, Consiliarios illos Provinciales ipsum convocasse. *Tract. XV. cap. 8. fol. 327.* Deinde suffecto in locum Sternbergii Paulo Bellizero de Rusdorff constitutum est à Magistro, Prælatis, Nobilitate & Civitatibus An. 1430. in Elbingensi Conventu, ut Consilium Prussicum constituerent Magister generalis, sex Præceptores sive Commendatores Ordinis, sex Prælati, sex Provinciales, (die von Landen) sex ex Civitatibus, (die von Städten) sine quibus nihil graviorum negotiorum belli pacisque tempore susciperetur. Electio autem horum Assessorum commissa est Magistro, & Statibus Prussiæ. Conventus quotannis commodo tempore locoque instituti debebat. Schüz. *lib. 3. Chron. fol. 117. seq.* Sed neque his acquievit Paulus Bellizerus, Nam An. 1433. elegit sibi in Consiliarios intimos

præter Fratres Ordinis, etiam quatuor ex Nobilitate Prussica. Postulavit insuper, ut quidam ex Urbibus in eundem Senatum secretiorem sibi concederentur, quod tamen Urbes recusarunt. Eâ tamen lege Consiliarii dicti ex Nobilitate fuerunt admissi, ne quid in gravioribus negotiis, puta, bellis, fœderibus &c. decernerent, sine omnium statuum consensu. Schüz. *lib. 3. fol. 119. b.* Ex eo igitur tempore bella suscepta, ut & fœdera à Magistro cum exteris Principibus sine omnium Ordinum consensu pacta, irrita fuere pronunciata. *Vid. Privilegia Prussiæ Ducalis fol. 16. b. fin.* Schuz. *lib. 4. fol. 136. lib. 5. fol. 185. pr. & 188. b.* Ex eo denique tempore neque Magister, neque alius quispiam majorum Magistratuum munere suo dejici poterat, nisi omnium Ordinum illud confirmasset auctoritas. Vid. Casp. Schuzius *lib. 5. Chron. fol. 185.*

XIX. Hæc, quæ à nobis hactenus dicta sunt, documento esse possunt, quanta libertas illis temporibus fuerit ab Ordine Teutonico Prussis concessa. Sed & majoribus donatos fuisse Prussos immunitatibus colligas ex eo, quod etiam alia nonnulla, quæ itidem ad jura Majestatis propriè referuntur, sine consensu Magistri potuerint exercere. Quippe primum licebat Nobilitati & Civitatibus peculiares Conventus agere, ubi de Bono publico consilia in commune conferebant, decernebantque multa, etiamsi Magistri consensus non accessisset, valitura. Hoc etiam ipsum sibi concedi postulabant Ordines Prussiæ Regiæ, postquam Regibus Poloniæ se subjecissent. Vid. Schuz. *lib. 4. fol. 136. b. & lib. 8. in pr.* Non dissimulandum tamen est, & jam olim Cruciferos huic consvetudini reclamasse, nullo jure id Prussis competere asserentes. Schuz. *lib. 1. fol. 136. & 177.* Deinde Ordines Prussiæ temporibus Ordinis Teutonici in Conventibus, quos propriâ convocaverant auctoritate, potuerunt Collectas seu tributas sine consensu Magistri exigere ac conferre. Schuz. *lib. 4. fol. 179. b.* Sed & hoc ipsum non raro Cruciferi oppugnarunt, sicut ex eodem Schuzio liquidò constat. Præterea in jure judiciorum exercendorum, magna fuit olim Civitatum auctoritas atque potestas. Ut enim jam supra in Dissertatione de Jure Prussico luculentis demonstravimus argumentis, certum est Prussos, postquam usus juris Magdeburgici esset ipsis concessus, Volumen illud, quod hodie juris Culmensi nomine venit, à Silesiis acceptum, sine ulla confirmatione Magistri, suum feciisse, ut omnes causæ, exceptis hæreditatibus, ex eo deciderentur. Elbingenses, Brunsbergenses & Frauenburgen-

genſes hîc ſunt excipiendi, qui Lubecenſe jus receperunt, ſed & de his pluſcula reperies citata Diſſertatione. Ex dicto volumine ſingulæ Civitates controverſias in foro agitatas dijudicabant. Quando partes litigantes decreto non acquieſcebant, provocationes inſtituebantur ad Scabinos Culmenſes (an den Schöppenſtuhl zu Culm) ubi controverſiæ finiebantur, ſine ulteriore provocatione ad judicem ſuperiorem. *Vid. Privil. Culmenſe num. 7.* Cum autem Culma variis hoſtium irruptionibus fermè diruta eſſet, judicium quoque illud diſſipatum, ſingulæ Civitates ſupremam habuerant jurisdictionem, donec tandem provocationes conceſſæ eſſent ad Commune judicium Ordinum Pruſſiæ, ut Schuzius probat *lib. 9. fol. 443.* Sed hæc ita ſimpliciter accipienda non ſunt. Quanquam enim de multis; cumprimis in provincia Culmenſi ſitis, civitatibus verè dici poteſt, animadverto tamen hîc quasdam exceptiones. Regiomontani certè rebus Culmenſium integris non rarò Scabinos Culmenſes in caſibus dubiis conſulebant, ut multa Reſcripta Culmenſium Scabinorum ad Regiomontanos miſſa teſtantur. Poſteaquam autem res Culmenſium eſſent diminutæ, à Civitatibus Regiomontanis provocatio inſtituebatur in quibusdam cauſis ad Commendatorem Arcis, in quibusdam ad Commendatorem Magnum, & ab his ad ipſum Magiſtrum, ut palàm fit ex Chronico MS. Johannis Freibergii, *ad An. 1420. fol. 107.* Sic etiam Civitates quædam commune tribunal habuere Lipſtadii, quod oppidum eſt in Pogeſania ſitum. Colligo id ex Privilegio urbi Paſſenheimenſi à Conrado Zölnero Magiſtro generali An. 1386. conceſſo, ubi hæc verba: Und ihr geſcholten Urtheil ſollen ſie von der Stadt Liebſtatt hohlen. Neſcio quoque, an huc referri debeat illud Conſiſtorium, quod Winricus ſive Henricus à Kniprode Mariæburgi conſtituiſſe dicitur, ut cauſæ quà ſacræ, quà profanæ eò devolutæ per aliquod JCtos ibidem ex jure divino, gentium & Civili dijudicarentur, de quo Schuzius *lib. 2. Chron. fol. 73. b.* Commune illud judicium Ordinum Pruſſiæ, cujus paulò ante mentionem fecimus, inſtitutum erat à Paulo Bellizero de Ruſdorff Magiſtro generali, antequam Pruſſi fœdus contra injurias Commendatorum pepigiſſent. Comprobarunt hoc Judicium & Epiſcopi Pruſſiæ, & Præceptores Ordinis majores, qui etiam has ei Leges dederunt, videlicet, ut quot-

quotannis commodo loco & tempore ageretur: Assessores ejus essent sedecim, puta, quatuor ex Ordine Teutonico, quatuor ex Ordine Sacerdotali, quatuor ex Nobilitate, & denique quatuor ex Civitatibus. Sed vix illud judicium erat constitutum, cum ei Cruciferi contradicere cœperunt, constanterque deinde oppugnarunt, præsertim cum & ab ipso Magistro non pauci ad illud provocarent. Si quis autem Cruciferis in memoriam revocabat primam Judicii hujus institutionem, quæ facta est ab ipso Magistro ejusque Commendatoribus; regerebant, factum illud esse, non liberâ Magistri ac Præceptorum Ordinis Voluntate, sed ad importunas Ordinum Prussiæ preces, quibus tunc aliquid concedendum fuisse, ut Nobilitas & Civitates placatæ ad obsequium Ordinis revocarentur. *Vid.* Schuz. *lib. 4. Chron. fol. 142. a. lib. 5. fol. 186. b. seq. 192.* Ad extremum & hoc ad libertatem quarundam urbium pertinet, quod ipsis Ordinis Teutonici Magistri jus monetæ cudendæ concesserunt. Notum illud est de Culmensi urbe ex Privilegio Culmensi. *num. 40.* Elbingensi quoque Civitati idem jus concessum est in ipso Privilegio, ut vocant, Fundationis. Et hæc fuit olim Reipubl. Prussicæ facies à primo Ordinis Teutonici in Prussiam ingressu, usque ad Ludovicum Erlichshusium; quo imperante, post bellum tredecim annos cum Polonis gestum, dimidia Prussiæ pars per pacta An. 1466. inita, Regibus Poloniæ cessit. Itaque ab ipsis Teutonicorum Equitum in Prussia primordiis hic obtinuit Regnum, sed variis modis limitatum. Tunc temporis enim Magister cum Præceptoribus Rempublicam ex legum præscripto administrabat: Gravioribus autem rebus incidentibus Capitulum generale convocabat, quod non nisi leges atque privilegia generalia dabat, tributa imperabat, aliaque majestatis jura exercebat. Deinde Michaele Sternbergio & Paulo Bellizero ad clavum Reipubl. admotis, magis cœpit imperium prussicum ex Regno & Aristocratia, ut & politia misceri, cum ex omnibus Ordinibus Consilium provinciale constiterit, ut ex superioribus jam liquet. Quousque mixtio hæc processerit, ex eo intelligi potest, quod Ordinum prussicorum Legati, cum ad causam in judicio Cæsaris dicendam à Ludovico Erlichshusio Magistro generali essent evocati, ad ipsum Cæsarem dicere non sunt veriti; se minus

Ordini

Ordini Teutonico, quàm Principes in Germania Imperatori suo esse obligatos. Vid. Schuz. *lib. 5. Chron. Pruss. fol. 190.*

XX. Cæterum Ludovico Erlichshusio XXVIII. Ord. Teut. Magistro imperante multa est prorsus rerum Prussicarum facies. Cum enim Ordines Prussiæ impotentem Ordinis Teutonici dominationem amplius ferre non possent, subjecerunt se An. 1453. Casimiro III. (rectius IV.) Jagellonidi Poloniæ Regi. Continuò quoque, videlicet Anno 1454. de consilio Episcoporum, Consiliariorum Civitatumque Prussiæ majorum, ex Nobilitate Prussica constitutus est Prussiæ Gubernator generalis Johannes à Bayseu, qui nomine Regio Prusiæ præesset. Adjuncti sunt ipsi Polonico more Palatini quatuor: Culmensis, Regiomontanus, Elbingensis & Pomerelliæ. Item Castellani tres: Culmensis, Elbingensis & Gedanensis. Vid. Schuz. *lib. 5. fol. 203. pr.* Cromerus *lib. 27. pr.* Neugebaur. *lib. 6. pag. 387.* Additi sunt etiam Consiliarii ex Urbibus majoribus, ita ut in universum in Senatu Prussico Nobilitas septem, septemque alia Civitates haberent suffragia. Schuz. *lib. 5. f. 206. a.* Introducti sunt insuper loco Commendatorum varii Capitaneatus, quorum præcipuos tunc obtinuerunt ipsi Palatini. Ea fuit regiminis forma in ea Prussiæ parte, quæ ad partes Regias transierat bello durante. Neque alia mutatio, quæ sit alicujus momenti, hîc interceſſit, nisi quod Palatinatus Regiomontanus non longè post fuerit abstractus. At pace An. 1466. inter Regem Poloniæ Casimirum, & Magistrum Ord. Teutonici Ludovicum Erlichshusium compositâ, Prussiâque in duas partes, Regiam videlicet, & eam, quam Ordo Teutonicus recuperaverat, divisâ, abrogatus est Palatinatus Elbingensis, ut & munus Gubernatoris, substituto Palatinatu Mariæburgensi, cui Joannes à Bayseu abdicato Gubernatoris generalis titulo, præfectus est Schuz. *lib. 7. f. 333.* Paulò post, nimirum An. 1468. Rex Casimirus Prussiam ingressus, adjecit ad Senatum Prussicum tres Succamerarios, quos Poloni Limitum judices appellant. Schuz. *fol. 336.* Accesserunt etiam ad Senatum Prussiæ Regiæ duo Episcopi, Warmiensis & Culmensis, quorum hic per pacta de An. 1466. subjectus est Archiepiscopo Gnesnensi, ut Metropolitano suo. *Vid.* Januszov. *lib. 7. Constit. Polon. Part. 3. tit. 1. pag. 874. Et Privileg. Prussiæ Ducalis fol. 23. b.* Ille autem, videlicet Varmiensis, ne nunc quidem metropolitanum agnoscit, sed proximè in rebus Ecclesiasticis subest Romano Pontifici, quamvis antea Rigensis Archiepiscopi metropoliticam auctoritatem & ipse agnoverit, teste Martino Cromero *in*

Descript. Prus. pag. 220. Sunt igitur in Senatu Prussico etiamnum Senatores sequentes:

Episcopus Varmiensis.
Episcopus Culmensis.
Palatinus Culmensis.
Palatinus Mariæburgensis.
Palatinus Pomeraniæ.
Castellanus Culmensis.
Castellanus Elbingensis.
Castellanus Gedanensis.
Succamerarius Culmensis.
Succamerarius Mariæburgensis.
Succamerarius Pomeraniæ.
Civitatis Thorunensis Delegati Duo.
Civitatis Elbingensis Delegati duo.
Civitatis Gedanensis Delegati duo.

WLADISLAVIENSIS EPISCOPUS habet etiam non contemnendas in Pomerania possessiones, inque ipsius Diœcesi est Gedanum urbs amplissima, quamobrem quoque Episcopi Pomeranici titulum sibi vindicat, ad Prussicum tamen Senatum non pertinet. Præter hos Magistratus habent Prussi (1.) THESAURARIUM (Olim is Oeconomus fuit seu Procurator Mariæburgensis.) item (2.) GLADIFEROS duos, quorum alter in Culmensi, alter in Mariæburgensi satrapia est; (3.) JUDICES TERRESTRES. (4.) CAPITANEOS sive PRÆFECTOS ARCIUM. Et in Palatinatu quidem Culmensi sunt sequentes Capitaneatus:

Kovaliensis (zum Schönsee.)
Radzinensis (zu Reden.)
Grudentinus (zu Graudentz.)
Lipinensis.
Golubensis.
Pokrzywnensis (zur Engelsburg.)
Brodnicensis (auff Straßburg.)
Rntianensis (zu Bretchem.)

In Palatinatu Mariæburgensi.

Mariæburgensis.

Christ-

Christburgensis.
Tolkmitensis.
Stumensis.

In Palatinatu Pomeraniæ.

Skarszeviensis (auff Schönedeck.)
Tucholiensis (Tauchel.)
Kissoviensis.
Pucensis.
Novensis.
Mirachoviensis.
Hammersteinensis.
Osiecensis.
Sobovicensis.
Jasienicensis.
Parchoviensis.
Borzechoviensis.
Swezensis.
Koscierynensis (zum Berndt.)
Tczewensis sive *Dersaviensis.*
Gniewensis sive *Mevensis.*
Sluchoviensis.

Si qui forte alii Capitaneatus à nonnullis nominantur, impropriè ita dicuntur, cum sint vel ad Oeconomias pertinentes portiones, vel tantùm Tenutæ. Prioris ordinis est, Rogosinensis (Roggenhausen) posterioris Lonkorienſis Capitaneatus. Sed neque hi Magistratus ad Senatum Prussicum pertinent. Capitanei arcium & redituum regiorum in suâ quisque præfecturâ curam & administrationem habent: Jurisdictionem nullam fermè habent, præsertim in Nobilitatem: neque in oppidanos amplam: in agrestes ampliorem. Solus Mariæburgensis neque redituum Regiorum curam gerit, neque in agrestes jurisdictionem habet: arci tantùm præest, ejusque præsidio, quod perpetuum est. Cæterum Constitutione quadam, ampliores is cæteris præfectis prærogativas habet, velut generalis Locumtenens Regis in Prussia. Ut scribit Martinus Cromerus *in Descript. Pruss. pag. 223.*

XXI. Hi sunt Magistratus Prussiæ à Casimiro Jagellonide divisâ Prussiâ constituti, qui etiamnum in Prussia Regia reperi-

untur omnes. Nunc videndum nobis est, quomodo Senatorum Prussicorum plerique cum Polonico Senatu se conjunxerint. Simul ac Prussiæ pars occidentalis Poloniæ Regibus sese subjecisset, omnibus viribus Casimirus Rex annixus est, ut Senatum Prussicum cum Polonico conjungeret, ita ut Consiliarii Polonici, Lithuanici & Prussici unum constituerent, & eum quidem individuum, Senatum. Verùm, ut de Lithuanis nihil dicam, Prussi semper occinebant Regi, sese peculiaria habere jura ac Privilegia; consvetudines item peculiares, ideoque se in illud consentire non posse, ut cum Regno Polonico unam constituant Rempublicam. Quare semper sollicitabant Regem, ut de Prussiæ salute acturus in Prussiam ipse veniret, ibique cum Senatu Prussico consilia conferret ; abiturus autem in Poloniam, Gubernatorem Prussiæ ex indigenis Nobilib. constitueret, teste Schuzio. *l. 8. fol. 346.* More igitur antiquo Senatores sive Consiliarii Prussici Conventus suos instituebant, vel inscio Rege, quod tamen semper fuit non à Senatu Polonico solùm, verùm etiam ab Episc. Varmiensi improbatum. Vid. Schuz. *lib. 9. fol. 420. b. 421. 448. 476. b.* Si qua tributa in Polonia conferebantur, Prussi se non teneri aliorum decretis causati, suaque Privilegia semper obtendentes, nihil quicquam ad tributa extra ordinem imperata conferre voluerunt. Schuz. *lib. 8. fol. 372. b. fin. seq. & fol. 318. a. fin.* Procedente tamen tempore factum est, ut sensim plerique eorum Senatum Regni Polonici ingrederentur. Et quidem primus ex Prussicis Senatoribus, qui in Polonico Senatu locum cepit, fuit Episcopus Varmiensis, quem alii, puta, Culmensis Episcopus, Palatini & Castellani, fortasse sub Sigismundo Augusto, secuti sunt, ut colligitur ex Schuz. *lib. 9. fol. 421.* Januszov. *lib. 7. Constit. Polon. Part. 7. tit. 1. pag. 1008.* Cromer. *lib. 2. Descript. Polon. & Pruss. pag. 221. seq.* Nunc restant Succamerarii & Civitatum Delegati, qui jura sua prætendentes Senatum Polonicum intrare noluerunt, nec eum hodie frequentant. Hi Consiliarii Prussiæ Superiore Seculo bis quotannis ordinariè statis temporibus agebant Comitia, videlicet Majo mense ad diem S. Stanislai Mariæburgi: Septembri autem ad diem S. Michaëlis Grudenti, idque ex Constitutione Sigismundi I. Regis de An. 1538. *Vid. Jura Municip. Prussæ lit. G. 3.* Sed paulò post Grudentina Comitia Thorunium ob majorem loci commoditatem sunt translata. Præter hæc Comitia

mitia Prussica, frequentabant etiam Episcopi, Palatini & Castellani Prussici Comitia Regni Poloniæ generalia, quotiescunque à Regibus indicebantur. Jam Conventus illi generales Prussici, quos antea bis quotannis actos diximus, planè cessant. Quando verò Comitia Regni generalia indicuntur, quod biennio quoque præterlapso fieri ordinariè consvevit, haberi solent in Prussia Conventus generales ante & post Comitiales, idque alternis vicibus Mariæburgi & Grudenti. At hos Conventus Prussicos generales, quos antecedunt Conventus in singulis Districtibus particulares, conveniunt ex tota Prussia Episcopi, Palatini, Castellani, Succamerarii, & trium Civitatum Majorum Delegati, item Nuncii Nobilitatis ex singulis Districtibus bini. Facta Regio nomine Propositione dividuntur Conclavia. Nuncii seorsim convenientes, Marschalco sive Collegii Nunciorum Directore electo, capita Consultationum partim Regio nomine proposita, partim etiam à Fratribus, id est à Nobilitate in particularibus Conventibus sibi commissa, ordine prælegunt, & excutiunt. Inde Conclavibus Consiliariorum & Nunciorum conjunctis, eadem rursus capita, præsertim si qua sunt, in quibus Nobilitas, divisis partium studiis, convenire non potuit, sub incudem revocantur, donec tandem laudum generale conscribatur. Hinc ad Comitia Regni generalia discenditur, quibus finitis, iterum Conventus particulares in singulis Districtibus aguntur, quæ excipit Conventus Prussiæ generalis, pòst Comitialis aut Mariæburgi aut Grudenti. Hic maximè de tributis in Comitiis Regni generalibus decretis agitur. Quanquam enim cæteræ Regni Polonici Provinciæ, in ipsis Comitiis Regni universalibus, Declarationes suas, ut vocant, faciunt; Prussi tamen ex Privilegio peculiari materiam hanc ad Fratres referunt, nec nisi in Prussia tributa decernunt conferuntque. Et hæc etiam est causa, cur in Prussia Nuncii Nobilitatis minorumque Civitatum ad Conventus Prussicos generales primò sint admissi, cum tributi decernendi potestatem neque Rex neque Consiliarii soli haberent. Cæterum sensim eò res tandem devenit, ut Nobilitatis Nuncii, exclusis Civitatibus minoribus, omnia Consilia ad se pertraxerint. Videatur Cromerus *loco citato*.

XXII. Judicia Prussiæ Regiæ Casimirus Jagellonides Rex Poloniæ, pacatis, post bellum tredecim annos gestum, Prussicis rebus, Anno 1468. in Prussiam veniens more Polonico dispposuit, ut causæ Nobilium disceptarentur in Judiciis Terrestribus, quemadmodum in Po-

lonia & Lithvania fieri solebat. Constituit etiam certum Assessorum numerum, & fortasis eundem, qui deinde in Jure Nobilitatis Prusicæ An. 1598. determinatur. Nimirum ad quævis judicia jussi sunt eligi octo Scabini sive Judices, Possessionati, Nobiles, Indigenæ, integræ famæ. In Palatinatu verò Culmensi ex Consulari quoque ordine Civitatis Thorunienſis duo Scabini sive Judices à Nobilitate ut eligantur, inque numerum octo Scabinorum referantur constitutum est. *Vid. Jus Correctum Nobil. Pruss. tit. V. n. 17. & 21.* Sunt autem in Prusia Regia novem Judicia Terrestria, in quibus Nobilitas causas suas disceptat, videlicet

In Palatinatu Culmensi unum, quod Covaloviæ exercetur
In Palatinatu Mariæburgensi unum,
In Palatinatu Pomeranico septem,
Nimirum: *Slochovienſe.*
Tucholienſe.
Svecenſe.
Derſavienſe.
Zucovienſe.
Puſcenſe.
Mirachovienſe.

Castrensia Judicia, quæ in Polonia Capitanei habent, in Prussia exercentur à Palatinis ipsis, de quibus in Republ. Polonica egimus. *Conf. & Jus Terrestre correctum. tit. 5. n. 4. seqq.* Civitates denique sua in Urbibus habent judicia, in quibus ex Jure Culmensi causas dijudicant. Quod ad Provocationes attinet, illas Prussi primis à conjunctione cum Regno Polonico temporibus ad Aulam Regiam suorum Jurium atque Privilegiorum obtentu concedere noluerunt; sed causas omnes in Prussia & quidem in Conventibus Ordinum generalibus decerni debere contenderunt: Tandem tamen An. 1521. admittere easdem ad Aulam Regiam coacti sunt, exceptis causis criminalibus aliisque specialioribus casibus. Vid. Schuz. *lib. 10. fol. 479.* Salomon Neugebauer. *lib. 7. Hist. Polon. pag. 496.* Ex eo tempore Aula Regis appellationes ex Prussia suscipiebat usque ad tempora Sigismundi III. Nam Stephanus Rex etiamsi Tribunalia summa in Polonia ac Lithvania constituit, Prussicas tamen causas non à Tribunalibus recens institutis, sed ab ipso Rege dijudicari voluit. Vid. Janus Januszov. *lib. 7. Constit. part. 3. tit.*

tit. 3. pag. 934. Sed An. 1598. Sigismundo III. Rege ad clavum imperii sedente cœperunt Prussorum Nobilium causæ ad Petricoviense tribunal trahi, ad quod etiam Prussi suos jussi sunt mittere Delegatos. Joh. Januszov. *loc. cit. tit. 4.* In urbibus Prussicis quid à temporibus Sigismundi III. obtineat, optimè nos edocere potest Auctor Juris Culmensis Reformati, Gregorius Hesius J. U. D. & Præconsul, dum viveret, Mariæburgensis, *lib. 2. tit. 22. cap. 6.* Distingvit ille inter Civitates Majores atque Minores. In Majoribus primam instantiam esse dicit in Judicio Scabinorum; secundam in Senatu, tertiam denique apud Regiam Majestatem: In Civitatibus autem Prussiæ minoribus primam instantiam esse refert in judicio Scabinorum: inde appellationem ad Capitaneum ejus loci dari. Si verò causa 50. marcas excedit, à Scabinis appellationem institui ad Conventum generalem Prussiæ (qui hodie non habetur amplius) & à Conventu generali ad ipsam Majestatem Regiam. Alia, quæ ad Rempubl. Prussiæ Regiæ pertinent, tradidimus in libro 2. de Republ. Polonica.

XXIII. In ea quoque Prussiæ parte, quam tempore Casimiri Jagellonidis Ordo Teutonicus recuperaverat, non pauca sunt mutata. Quod enim ad Ordinis Magistrum attinet, ille bello tredecennali confecto, eâ lege Prussiam Orientalem obtinuit, *ut cum Ordine suo semper esset in fide & clientela Regum Poloniæ, idque solenni jurejurando, quicunque Magister Ordinis deinceps unquam creatus esset, intra sextum mensem per se ipse ad Regem veniens profiteretur: servaturus omnia, quæ tunc convenissent, neque ulla tergiversatione & relaxatione cujusquam sive absolutione à jurejurando ne ultrò quidem oblatâ usurus, esset que iis Princeps & Senator Regni, & ad sinistram Regis primum in Consiliis locum ac Consessibus publicis haberet: Primarii quoque Commendatores, quos Magister ederet, ut & ipsi Consiliarii Regis essent — Ne cujusquam Cruciferi præterquam Regis majestatem & jurisdictionem (salvâ Pontificis Ecclesiasticâ jurisdictione) agnoscerent. Et verò contra quemvis hostem adessent, nec eum in adversis juxta ac prosperis desererent.* Vid. Neugeb. *lib. 6. Hist. Polon. pag. 385.* Privileg. Puss. Ducal. *fol. 21. seqq.* In Ordinem Magister Generalis eandem, quam antehac habuerat, potestatem retinuit, hoc tantùm excepto, quod per eadem Pacta *Polonis, ut & aliis regiæ ditionis hominibus ad Professionem Ordinis pateret aditus, dummodo ii dimidiâ*

parte

parte non excederent Germanos, eorumque etiam in Magistratibus & curationibus mandandis ratio haberetur. Commendatoribus insuper potestas Magistrum pro lubitu removendi fuit adempta. Vid. Neugeb. Januszov. & Privilegia Prussiæ Ducalis *ll. cc.* In Magistratibus Ordinis Teutonici nihil est immutatum, nisi quod Hospitalarius supremus & Trapiarius alias sedes, quàm quas antehac habuerant, acceperunt. Deinde à Friderico Saxoniæ Duce penultimo Teutonici Ordinis Magistro, Brandeburgensis ac Balgensis Commendæ fuerunt abrogatæ, substitutis tantum in locum Commendatorum Advocatis; id verò eô factum est fine, ut reditus ex duabus his Commendis Aulæ Magistri sustentandæ cederent. Th. Waissel. *fol. 260. b.* Incolæ Prussiæ Ordini Teutonico subjecti varias experti sunt rerum vicissitudines. Conventus sine scitu Magistri generalis agere ipsis prohibitum. Collectas inter se, pacatis jam rebus, exigere nulla cogebat necessitas. In aliis tamen aucta sunt ipsorum Privilegia. Supremum Tribunal Culmense (das Gericht des OberColms) fuit translatum Regiomontum, concessumque ad tempus Palæopolitano Senatui, donec Cruciferi, ut sperabant, reliquam Prussiæ partem à Polonis recuperarent. Provocationes igitur in causis Civilibus ad Senatum Palæopolitanum ex oppidis Prussiæ Ordini subjectis instituebantur. Sed hoc judicium deinde, puta, Anno 1517. in aulam est translatum Albero Marchione Brandeburgico Prussiam administrante, ut refert Joan. Freiburg. *in Chron. MS. fol. 285. & 286.* Sed, ne quid dissimilem, aliter hæc referuntur in Rescripto quodam à Georgio Friderico Duce Prussiæ, & ægri Ducis Alberti Friderici Curatore, edito. Ibi namque dicitur jurisdictionem dictam Palæopolitanis non nisi tres in annos à Friderico Duce Saxoniæ, eodemque Ordinis Magistro fuisse concessam, eô verò tempore præterlapso Episcopum Risenburgensem tunc temporis Prussiæ Gubernatorem eam aliter constituisse. *ut habetur in Codice quodam MS. Curiæ Cniphovianæ.* Illo tempore auctoritas Episcoporum Prussiæ maximè crevisse videtur. Semper enim Magistris peregrè degentibus Gubernatores Prussiæ fuere constituti, quod antea factum non legimus. De Episcopo Risenburgensi sive Pomezaniensi, qui sub Friderico Duce Saxoniæ hanc dignitatem sustinuit, jam ex Rescripto Georgii Friderici Ducis Prussiæ diximus. Sic etiam cum Albertus Marchio-Brandeb. & Magister Ordinis Teutonici incon-

inconsultis Prussiæ Ordinibus in Germaniam abiisset, constituit Gubernatores: Ericum Ducem Brunsvicensem, Jobum Episcopum Risenburgensem cum aliis ex Ordine Teutonico Senioribus. Id videntur Ordines Prussiæ ægrè tulisse, quod Magister pro lubitu Gubernatores constituebat; sed frustra. Tandem enim Alberto promiserunt, quoscunque ille Gubernatores & Provinciæ Regentes esset constitutus, illis obedientiam se præstituros. Quocirca Albertus ad Regem Poloniæ abiturus Regentes constituit: Episcopum Sambiensem, Ericum Ducem Brunsvicensem, Marchionem Wilhelmum Fratrem suum, Sunnonem à Drahe Commendatorem Magnum. Alio quoque tempore aliò se conferens Gubernatores Prussiæ dedit: Episcopum Sambiensem, Commendatorem Magnum, Georgium Truchsessium & Thalheimium Commendatoris Arcis Regiomontanæ Vicesgerentem, ut & tres Consules Regiomontanos, nec non ex Scabinis & plebe quosdam. Sed electi ex Ordine Civium Regentes nunquam in Consilium fuere vocati. Ad extremum cum Albertus quatuordecim annos in Germania abesset, Gubernatores fuere constituti Episcopus Sambiensis, Commendator Arcis aliique. Hæc omnia reperies in Chron. MS. Joannis Freibergii, *fol. 288. b. 328. 348. 374.*

XXIV. Quanquam autem Ludovicus Erlichshusius per publica Pacta Prussiam Occidentalem Regi Poloniæ Casimiro tradiderat, reliquam verò, puta, Orientalem, per publica Pacta, jure beneficiario ab eodem Rege obtinuerat, semper tamen in spem recuperandæ Prussiæ totius Equites Teutonici Ordinis erigebantur. Quâ spe Henricus Plavenius & Martinus Truchsesius freti non, nisi extremâ necessitate compulsi, jusjurandum Regibus Poloniæ præstiterunt. Et quò facilius jugo Polonico excusso, in libertatem se asserere posset Martinus Truchsesius, dedit se propterea in clientelam Regi Hungariæ. Cum neque hoc processisset, ex potentioribus Principum Germanicorum familiis sibi Magistros, & cum iis contra Polonos auxilia quæsiverunt Ordinis Equites. Electus igitur Fridericus Saxoniæ Dux in Magistrum, nunquam fidem Regibus Poloniæ sacramento adstrinxit. Suffectus ei Albertus Marchio-Brandeburgicus majori cum animi magnitudine propositum hoc Ordinis prosecutus est. Ei quippe parum fuit extra Prusiam commorando Polonorum indignationem eludere, etiam exercitu non modico contracto Polonos aggredi ausus est. Quocirca ne nervus rerum gerendarum deficeret, accepta à Wilhelmo Plettenbergio Magistro Liboniæ

Provinciali non exiguâ pecuniæ summâ, Magistrum illum An. 1513. omnino liberavit. Ex quo tempore Magister Livonicus proximè Imperatori subjectus, Imperii Germanici Princeps factus est. Vid. David. Chytræus *in Saxonia.* Sed quicquid ageret Albertus, frustra fuit. Gestum enim est bellum eo tandem eventu, ut Albertus Marchio & Magister Ordinis Teutonici, Comite Eisenburgio rem infeliciter ad Dantiscum & Elbingam gerente, tandem speratis frustratus auxiliis Anno 1525. his conditionibus cum Rege Sigismundo I. transigeret: *Ut Albertus Prussiæ partem Orientalem,* (quam nunc Ducalem vocamus) *jure hæreditario titulo Ducis secularis obtineret, sed Regio Imperio ut Vasallus simul cum Provincia subesset, eosdem cum Polonis amicos hostesque deinceps haberet; centum Equites Regi contra hostes in auxilium mitteret; primum in Senatu Regio in Consiliis, Terrarum Comitiis, & publicis conventibus locum obtineret: Si Rex Ducem, aut contra, Dux Regem jure convenire vellet in causis ipsos Principes tangentibus, Rex Consiliarios aliquot Mariæburgum aut Elbingam missos, jurejurando quo Regi adstringuntur, absolveret, eorumque judicio utraque pars acquiesceret. Si quis ex Prussis Duci subditis actionem ipsi Duci intentare vellet, Consiliarii Regis Ducisque, pari numero convenirent, remque illam, sacramento non secus atque illi priores adstricti, dijudicarent: Si denique extraneus quispiam contra Ducem actionem instituere vellet, faceret hoc in Judicio Ducali, ita tamen ne ipsi Provocatio denegaretur ad Consiliarios Regis Mariæburgum à Rege propterea amittendos. Nulla Vectigalia nova, nullæ exactiones contra consuetudinem antiquam, introducerentur &c. &c.* Vid. Janus Januszovius *lib. 7. Constit. Part. 3. tit. 1. fol. 913. seqq.* Privilegia Prussiæ Ducalis *fol. 34. seqq.*

XXV. Transmutatâ sic in secularem Ducatum Prussiâ, Magistratus etiam planè sunt mutati. Etenim quinque illis Præceptoribus majoribus, Commendatori magno, Marschalco, Hospitalario supremo, Trapiario & Thesaurario substituti sunt quatuor SUPREMI CONSILIARII, qui hodièque, post GUBERNATOREM PRUSSIÆ, nomine Sereniſſimi Electoris Provinciæ præsunt, nimirum:

Aulæ Provincialis Magister. (Landhoffmeister.)
Burggrabius supremus.
Cancellarius.
Marschalcus supremus.

Hos

Hos excipiunt CONSILIARII TERRESTRES sive PROVINCIALES (die Land-Räthe.) quorum quatuor priores perpetuò conjunctos habent Capitaneatus primarios, qui vocantur die HauptAmpter / suntque

Capitaneus Brandenburgensis & dicitur *Director* sive *Marschalcus Provinciæ.* (Land-Marschall.)

Capitaneus sive Advocatus Schakensis (Landvogt von Schacken.)

Capitaneus sive Advocatus Fischhusensis (der Vogd von Fischhausen.)

Capitaneus Tapiavienſis.

His alii octo additi sunt Consiliarii Provinciales ex Nobilitate Prussica lecti. Consiliarios provinciales ordine subseqvuntur SUPREMI TRIBUNALIS, (quod non ita pridem, Anno videlicet 1657. institutum est) ASSESSORES. *Præses* est ex Consiliariis supremis unus. Assessores sunt octo, in quibus quinque ex Equestri, & tres ex Civium Ordine. Proximi sunt JUDICII AULICI ASSESSORES, quorum *Præses* dicitur Judex Aulicus der Hoffrichter / Assessores, quorum itidem quinque ex Nobilium, tres ex civium ordine, dicuntur Consiliarii Judicii Aulici (Hoff-gerichts-Räthe.) *Post* Consiliarios Judicii Aulici censentur CAPITANEI, quorum plerique Commendatoribus antiquis sunt substituti. Cum autem *Prussia* Ducalis in tres Circulos sit divisa, Capitaneos etiam secundum Ordinem, quo rationes Cameræ inferunt, hîc recensebimus:

In Circulo Sambiensi sunt Capitaneatus.

Schazensis.
Fischhusinus.
Tapiavienſis.
Neuhusensis.
Labiavienſis.
Insterburgensis.
Regnitensis.
Titsenſis.
Memelenſis.

In Circulo Natangensi sunt:

Brandeburgensis.

Balgenſis.
Eilavienſis (PreuſchEilau.)
Bartenſteinenſis.
Raſtenburgenſis.
Marggrabovienſis ſive Olecenſis.
Barthenſis.
Angerburgenſis.
Lyccenſis.
Johansburgenſis.
Reinenſis.
Lözenſis.
Seheſtenſis.

In Circulo Oberlandenſi ſunt ſequentes.

Hollandenſis.
Morungenſis.
Lipſtadienſis.
Preusmarcenſis.
Oſterodenſis.
Hohenſteinenſis.
Mariæinſulanus.
Riſenburgenſis.
Neidenburgenſis.
Soldavienſis.
Ortelsburgenſis.

Ex his quatuor ſunt majores, nimirum Brandeburgenſis, Schacenſis, Fiſchuſinus eſt Tapiavienſis, de quibus jam ſupra diximus. Notandum etiam & non ſingulis Capitaneatibus ſingulos eſſe præpoſitos Capitaneos. Quidam enim ex iis hodie ſunt conjuncti, ut Eilavienſis & Bartenſteinenſis. Item Morungenſis & Lipſtadienſis ut & Neidenburgenſis & Soldavienſis. Plura, quamvis in promptu ſunt non pauca, poſteritati ſcribenda relinquo.

APPEN-

APPENDIX

AD

DISSERTATIONEM XIX.

I.

NOn rarò in supra dictis Equitum Livoniensium facta est mentio, quapropter operæ precium nos facturos arbitramur, si de Republ. Livonica, quæ postquam Ordini Teutonico se subjecerat, fuerat constituta, quædam addamus. Qui Livoniæ (ad quam etiam Curlandia & Semgallia pertinebat) præerat, dicebatur MAGISTER PROVINCIALIS (der Landmeister in Liffland) sedes ejus non una fuisse deprehenditur. Nam initio Rigæ Magister sedem suam habuisse videtur. *Vid.* Alexander Gvagvinus vel potius Matth. Strykowski Ossostevicius *in Descript. Livon.* Deinde Window Curlandiæ urbs hoc honore gavisa est, ubi etiam Comitia sive Provinciæ Livonicæ Conventus agebantur, eodem Ossostevicio teste *loco cit.* Conf. Martin. Zeiler. *in Descript. Regnorum Sveciæ, &c.* Goldingam etiam aliquando sedem Magistri fuisse, asserit Zeilerus *loc. cit. pag. 308.* Sec. XVI. Magistrum Wendæ in Lettia sedisse testatur Joannes Freiberg. *in Chron. Pruss. MS. fol. 15. b.* Secundus à Magistro Provinciali fuit MARSCHALCUS Ordinis Teutonici in Livonia (der Land-Marschalck/ sub cujus imperio erant arces, Segenvoldia, Leenburgum, Mitovia, Georgeberga & Schœn, in quibus suos habuit Magistratus, ut auctor est Freibergius *in Chron. Pruss. fol. 16.* Hunc sequebantur COMMENDATORES (Compthur) & ADVOCATI (Vögte) Commendatores erant: Goldingensis, Vindoviensis, Doblenensis, Duneburgensis, Aschorodensis, Dunemundensis, Pernoviensis, Lehalensis, Revaliensis, Fellinensis, Mariæburgensis. Advocati fuere: Candoviensis, Grubinensis, Seelburgensis, Sonneburgensis, Neocastrensis, Narviensis, Karkhusanus, Wesenburgensis, Wittensteinensis, Tolsburgensis. Ultimi fuere Ordinis Teutonici Equites, qui nullos Magistratus gerebant.

II. Præter enumeratos Ordinis Teutonici Equites, habuerunt etiam quondam Livoni unum Archiepiscopum, & quatuor Episcopos. ARCHIEPISCOPUS RIGENSIS quamvis in principio ab imperio

Magistri liber, tandem tamen, auctis Ordinis Teutonici viribus, Ordinis habitum induere coactus est. Metropoliticam ejus auctoritatem agnoverunt olim etiam Prusici Episcopi, quo de alibi. Habuit Archiepiscopus 20. arces, inter quas Kokenhusen, Runeburgum, Treidera, Creusburgum, Smyltena, Uxul & aliæ. Præposito Archiepiscopalis Capituli suberat arx Dalem; Capitulo Cremeen & Schvvusel arces. EPISCOPUS DORPATENSIS habuit Dorpatum, Kiremphal, Oldenthorn / Newenhauß / Werbeck. EPISCOPUS REVALIENSIS in ditione sua numeravit Fegefewr & Borchhelm. Isac. Pontan. *lib. 6. Rer. Dan. pag. 307.* EPISCOPUS CURONIÆ possidebat Piltenam, Edvvaldam, Hasenpot, Angermundam, Dondangam, Neuhaus & Amboten. *Vid.* Gvagvinus vel Strykovvski *loc. cit.* & Johan. Freiberg. *in Chron. Pruff. fol. 16.*

III. Magister in Livoniam imperium non habuit absolutum, sed dependebat à generali Magistro Teutonici Ordinis, qui in Prussia sedem suam habuit, cui etiam certum tributum quotannis pendere solebat. Eligebatur ille in Prussia, in Capitulo sive Conventu Fratrum generali, & quidem à Magistro generali, Præceptoribus majoribus. Quare cum Ordines Livoniæ An. 1439. Henricum à Bukenode sibi in Magistrum elegissent, causam propterea dicere coacti sunt. *Vid.* Balth. Russow. *Part. 2. Hist. Livon. fol. 47.* Sed neque Equitibus Livonicis absoluto jure Magister imperabat. In omnibus enim rebus à Consiliis ipsi fuere I. Marschalcus Provinciæ. II. Commendator Fellinensis. III. Advocatus Jervensis (qui fortasse idem est, qui Wittensteinensis) IV. Commendator Revaliensis. V. Commendator Goldingensis. VI. Commendator Mariæburgensis. VII. Commendator Dunemundensis. Ex quo etiam liquet, quinam fuerint principes olim in Livonia Commendatores. Si denique ipsos Livoniæ respiciamus incolas, & horum respectu potestatem Magistri mirum in modum fuisse limitatam intelligemus. Præ cæteris maxima fuit Nobilium in Æstonia libertas. Cum enim hæc Livoniæ pars cum Cruciferorum terris continens esset, Dani, quorum imperio erat subjecta, magnis eam donarunt immunitatibus, ne aliquando Cruciferorum imperium, ut tolerabilius, anhelarent. Ad hæc eum postea circa An. 1346. Henricus Dusnerus ab Arffberg Magister Ordinis Teutonici generalis à

Rege

Rege Daniæ 18000. (19000.) argenti marcis eam emisset non tantùm priora Privilegia retinuerunt, sed etiam pluribus aucti sunt immunitatibus atque prærogativis. Inter alia Privilegia concessit ipsis Conradus à Jungingen Magister generalis An. 1397. ut in Bonis Feudalibus liberi succederent utriusque sexûs, hisq; deficientibus consangvinei ad quintum gradum. Balth. Russow. *Part. 2. Chron. Livon. fol. 42.* Habuerunt super ea Nobiles in Æstonia Judicium, cujus Assessores erant 6. Nobiles Harriæ, & alii 6. Nobiles Wirriæ, cum duobus Præceptoribus, nimirum Commendatore Revaliæ & Advocato Wesenburgensi. Ab hoc Judicio nulla concedebatur Provocatio ad Judicem superiorem. Denique quilibet Nobilis in Bonis suis habuit merum & mixtum imperium in colonos sibi subditos. Vid. Russow. *loc. cit.* Nec dubium est, quin & in reliqua Livoniæ parte, Lettiâ, Curonia & Semgallia, magnis Nobilitas donata fuerit Privilegiis, quibus potestas Magistrorum & Ordinis Teutonici Equitum non parum fuit limitata.

IV. Cæterum superiori Seculo magna subsecuta est rerum Livonicarum mutatio. Nam primò, cum Albertus Marchio Brandeb. An. 1513. in Magistrum Ordinis Teutonici generalem esset electus, pecuniaque bellum contra Polonos gesturus, indigeret, liberavit à suo imperio Waltherum Plettenbergium Magistrum Livoniæ Provincialem, qui postea in numerum Principum S. R. I. cooptatus est. Ex eo tempore cœperunt sibi Magistri Coadjutores, ut vocant, adjungere, de consensu tamen Ordinum, quales fuere Wilhelmus Furstenbergius Coadjutor Henrici à Galen & Gotthardus Kettlerus Coadjutor Wilhelmi Plettenbergii. Obiter notamus Walthero Plettenbergio Livoniam administrante doctrinam Evangelii per Martinum Lutherum à Pontificiorum corruptelis repurgatam amplexas esse plurimas urbes, in quibus maximè Riga, Revalia & Dorpatum. Vid. Balth. Russow. *Part. 2. Chron. Livon. fol. 53. seqq.* Medio Seculo XVI. Anno videlicet 1560. electus est Magister Livoniæ Gothardus Ketlerus. Invenit is perturbatissimum rerum Livonicarum statum, partem sibi vindicantibus Moscis, partem Svecis, partem Polonis. Cum igitur ex his malis eluctari non posset, dedit se in clientelam Sigismundo Augusto Regi Poloniæ, qui ipsi

Curo-

Curoniam & Semgalliam jure fiduciario, tituloque Ducis obtinendam conceſſit, reliqua verò Livonia ſibi Regnoque Poloniæ vindicatâ. Factum id eſt An. 1561. Vid. Balth. Ruſſow. *Part. 2. Chron. Livon. ſub calcem.* Albertus Wijuk Kojalowicz. *Part. 2. Hiſt. Lithuan. lib. 8. pag. 447.* Hic igitur Gothardus primus eſt Dux Curlandiæ & Semgalliæ, cui An. 1687. vita functo, jure hereditario ſucceſſit Fridericus, Gothardi major natu filius. Ei ſuffectus eſt An. 1639. Frater germanus Wilhelmus. Excepit eum is, qui hodiè rerum in Curonia potitur Illuſtriſſimus Princeps Jacobus. De Livonia autem concertarunt inter ſe Poloniæ atque Sveciæ Reges, quâ de re copiosè in lib. 1. de Repub. Polonica egimus, quo etiam Benevolum Lectorem jam remittimus.

FINIS.

Th
5103